This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



600092096W

13841. 4. 127

BREVIARIUM TULLENSE,

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS D. D. SCIPIONIS HIERONYMI

BEGON,

Dei gratiâ & auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Epiſcopi & Comitis Tullenſis, S. R. I. Principis juſſu & auctoritate, necnon de venerabilis ejuſdem Eccleſiæ Capituli conſenſu editum.

PARS ÆSTIVA.

Venit 8. lib. non compactum.



TULLI LEUCORUM,
Sumptibus ſuis ediderunt Typographi Uſuum Tullenſium.

M. DCC. XLVIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Et venit Nanceii apud A. *Leseure*, Typographum Regium, *ſub Signo S. Joannis Evangeliſtæ.*

SCIPIO
HIERONYMUS,

Dei gratiâ, & auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Epiſcopus Comes Tullenſis, S. R. I. Princeps, &c.

UNIVERSO CLERO CIVITATIS ET DIOECESIS NOSTRÆ TULLENSIS.

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN CHRISTO JESU.

U*NA equidem, & quæ neminem præterit, lex eſt hominibus impoſita, ut ſacrificio laudis ab omnibus honoretur* Pſ. 47.
magnus Dominus & laudabilis ni- Pſ. 23.
mis, *cujus* eſt orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo; *Hinc utique ab omnibus enixè rogandus, qui ſit in miſericordia* di- Rom. 10.
ves in omnes qui invocant illum: *inde exorandus* Pſ. 9.
humiliter, qui ſedeat ſuper thronum *judicans* Jacob. 1.
juſtitiam; *hinc gratè benedicendus, qui det* 1. Theſſ. 5.
omnibus affluenter, *& non improperet*: *inde* ſine
intermiſſione *invocandus, qui operetur* in nobis Philip. 2.
velle & perficere pro bona voluntate.

Lib. de Eccleſ. Dogmat. inter Opera S. Auguſtini, cap. 56.

2. Cor. 3.

Quia enim nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante, venire; nullum invitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante, operari; nullum, niſi orantem, auxilium promereri; *omnium quotquot ſumus, quanti refert adjutorem deprecari Deum ex quo* noſtra ſufficientia eſt?

Verùm illa, quæ ex ſummo Dei imperio, & ex noſtra virium & rerum inopia omnibus communis eſt, multò vobis impenſiùs incumbit orandi neceſſitas; vobis, inquam, Fratres chariſſimi, qui divinis mancipati ſpecialiùs, & ab anxiis ſæculi negotiis liberi, pro Deo ad populum legatione, & pro populo ad Deum mediatione ex inſtituta veſtræ conditionis ſorte fungimini. Sacrorum enim adminiſtris injunctum quis neſciat, ut, dum aliàs alii avocantur, manus ipſi ad cælum ſupplices attollant, modò Numen pugnantibus deprecaturi propitium modò peccatoribus iratum exarmaturi.

Apoc. 5.

Eò quippe Clericis demandatum eſt precationis publicæ munus, quò vocem & pietatem populo quaſi vicariam commodent, verendaſque Angelorum vices imitati, incenſa multa, quæ ſunt orationes Sanctorum, *ante ſedem Agni ſuppliciter offerant. Permagnum ſanè religionis opus; quod quantò præſtantius, tantò ab Eccleſia fuit ordinandum accuratiùs; ut ſacrificium illud laudis odorem coram Deo ſuaviſſimum exhalaret.*

Hinc, quia rudioribus ſæculis in Libros Officii Eccleſiaſtici nonnulla irrepſerant non ſatis exactè digeſta, quæ divinorum parum ſaperent Canticorum majeſtatem; ſacroſancta Synodus Tridentina ex iis omninò voluit expunctum quidquid divini cultûs decori minùs congruum videretur, aut dignitati. Quod cùm in multis olim tentatum legimus, tum in iis vidimus perfectum Breviariis, quæ non minori laude quàm diligentiâ nuper edidere plures Galliarum Epiſcopi.

Quorum perutilem laborem æmulati, cùm nulla vel pauca ſupereſſent veteris Breviarii Tullenſis exemplaria, novum ordinari & excudi curavimus, quod ad incorruptas fidei morumque regulas exactum, meliori ordine digeſtum, diligentiori examine probatum, recitantium pietatem verbi divini pabulo aleret, veritate firmaret, exemplis accenderet; illa-

que Sacerdotibus offerret ſubſidia, quibus populos ſibi commiſſos ſcientiâ ſalutis poſſent inſtruere faciliùs. Tantâ porrò ſedulitate, eoque conatu opus elaboratum eſt, ut jam in lucem prodeat, veſtris omnium votis excipiendum illud curæ Paſtoralis noſtræ munus; cujus formam & texturam, licèt in Officiorum decurſu fuſiùs explicatam, in ipſo tamen operis limine breviter delineare abs re non fuerit.

Ac primò quidem, omnes ſingulis annis Scripturæ ſacræ Libros legi, & integrum ſingulis hebdomadis providimus recitari Pſalterium, eo digeſtum ordine, quo diſtributis ad Horas breves, & juxta antiquiſſimum Concilii Narbonenſis Canonem diviſis in plures Doxologias longioribus Pſalmis, ſimul & nimiæ Officiorum inæqualitati, & prolixioris Pſalmodiæ gravamini præcaveretur. Conc. Narbonenſ. Can. 2.

Quoniam autem amica, *ut ait ſanctus Cyprianus*, & familiaris oratio eſt Deum de ſuo rogare; *Invitatoria, Antiphonas, Verſiculos, Capitula & Reſponſoria ex ſacris Codicibus deſumpta voluimus; & iſta quidem ex gemino tum veteris, tum novi Teſtamenti textu conflata, ut collatis cum veritate figuris, cum eventu promiſſis, mirus utriuſque concentus cuique mox obvius occurreret: quod eo frequenter ſucceſſu peractum eſt, ut Scripturæ veteris Teſtamenti in primis Veſperis & in Officio Nocturno prælectæ, quaſi nocti aurora in Laudibus, & quaſi tenebris lux in cæteris Horis aptatus accederet novi Teſtamenti textus.* Cypr. Lib. de Orat. Dom. poſt init.

Licèt firma aſſerendis Dogmatibus Catholicis argumenta, & frequentes moribus componendis adhortationes in hocce Breviario noſtro diſponere ſtuduerimus; ne tamen, qui ex inſtituto ad precationem publicam comparatus eſt Liber, is in controverſiarum vel adhortationum lectionem plus æquò deſineret, & imprudenter ſubtraheretur cordi quod totum vel nimium menti tribueretur; in eo maximè inſudavimus, ut precationis formam & ſenſum exprimerent textûs ſacri ad Antiphonas, Reſponſoria & Verſiculos aſſumpti; quibus avocatus fortè, quaſi interſertis precibus ad Deum revocatus, alacriùs aſſurgeret recitantium animus, & illis, quaſi ſparſis hinc inde ſcintillis, tepeſcens aliquando pietatis ignis exardeſceret.

perpetua ſit vox interiorum. Quantùm miſeri qui Deum invocando provocant, tantum felices vos, ſi injunctum precationis officium eâ præſtetis corporis modeſtiâ, eâ mentis attentione, eâ cordis pietate, quâ ſitis Eccleſiæ ad ſplendorem, Religioni ad præſidium, Fidelibus ad exemplum, Angelis ad ſpectaculum, orbi univerſo ad auxilium.

2. Cor. 7. *Et quoniam* in cordibus noſtris eſtis ad com-
Rom. 15. moriendum & ad convivendum; obſecro vos, Fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum.

DATUM Tulli Leucorum, in Palatio noſtro Epiſcopali, die quartâ menſis Julii anno milleſimo ſeptinginteſimo quadrageſimo octavo.

✝ *SCIPIO HIERONYMUS,*
Epiſcopus Comes Tullenſis.

De Mandato illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. D. mei Epiſcopi Comitis Tullenſis.
THIBAUT.

tempus Sanctorum Feſtivitates ad aliud magis opportunum tranſtulimus : exceptis tamen Feſtis S. Joſeph & Virginis Annuntiatæ, quibus propter ſolemnitatem ſuus religiosè locus ſervatus eſt.

Denique, cùm illa quæ certo ordine concinnata ſunt, faciliùs ſubeant animos, & memoriæ tenaciùs inhæreant ; ſuum cuique Pſalmo in Pſalterio, cuique diei in hebdomada, cuique Officio in Myſteriorum, vel Sanctorum ſolemnitatibus, imò & cuique Officiorum parti ſcopum aſſignavimus brevi & ſimplici argumento explicatum, quo menti ſeſe primo proſpectu offerret nova nobiſque propria hujuſce Breviarii methodus, eo imprimis ordinata conſilio, ut ſtudiosâ Verſiculorum cum Antiphonis, Antiphonarum cum Capitulis, Capitulorum cum Reſponſoriis brevibus relatione cautum ſit, ne in incertum erraret, aut ad aliena raperetur recitantium attentio.

Quocirca, ut uno à nobis ore, uno ab omnibus precationis ritu glorificetur Deus, de venerabilium Fratrum Eccleſiæ noſtræ Canonicorum conſilio ; omnibus Diœceſis noſtræ Eccleſis, Monaſteriis, Collegiis, Ordinibus, Communitatibus, in quibus Breviarium Tullenſe ex more vel lege recitatur ; necnon omnibus ſinguliſque Clericis qui ad illud ratione Ordinis, vel Beneficii, vel Profeſſionis quocumque modo tenentur, mandamus & præcipimus, ut hocce Breviario noſtro à nobis, ut ſequitur, ordinato utantur in poſterum ; neque aliud, ſive publicè in Choro, ſive privatim extra Chorum recitare præſumant.

Unum ſupereſt (quod noſtri maximè eſt muneris) adhortari vos, Fratres chariſſimi, ut toto erecti animo, has preces vobis quotidianas eo recitetis pietatis ſenſu, quem & quantum ſanctiſſimi illius miniſterii magnitudo poſtulat. Eccleſiaſticâ quidem lege ſancitum eſt, ut quos in præcipuam hæreditatis ſuæ partem Deus elegiſſet, ii ſtatis temporibus atque Horis, quas Canonicas vocant, preces & laudes Domino perſolverent. Verùm, qui præcepti hujus litteram ſequimini, ſpiritum aſſequi ſatagite. Pſallite Pſ. 49.
Deo noſtro, pſallite ; ſed memores quòd Rex omnis terræ Deus, pſallite ſapienter. Concordet ori mens, & dum alternat pro tempore ſonus vocum,

FEBRUARIUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxix	d	*Cal.*	1	Ignatii, Epiſc. Antioch. & Mart. *an.* 107. *Duplex* 4. *Claſſis.*
xxviij	e	iv	2	PRÆSENTATIO DOMINI, *&* PURIFICATIO B. MARIÆ V. *Duplex* 1. *Claſſis, Solemne majus.*
xxvij	f	iij	3	Blaſii, Epiſcopi Sebaſt. & Mart. c. *an.* 316. *Simpl.* *Prima dies Cinerum.*
25 xxvj	g	*Prid.*	4	Iſidori, Presbyteri & Peluſiotæ Solitarii, c. *an.* 445. *Simpl.*
xxv. xxiv.	*A*	*Non.*	5	Agathæ Catanenſis, Virginis & Mart. *an.* 251. *Simpl.*
xxiij	b	viij	6	Vedaſti, Atrebatenſis Epiſc. *an.* 539. *Semidupl.* *(Si quandoque hoc Feſtum inciaat in Quadrageſimam, de eo fiet commemoratio, ut fit de Simplici.)*
xxij	c	vij	7	Romualdi, Abbatis, & Camaldul. Monach. Inſtitut. *an.* 1027. *Simpl.*
xxj	d	vj	8	Joannis de Matha, Presbyteri, & Ordinis Ss. Trinitatis Inſtitut. *an.* 1213. *Simplex.*
xx	e	v	9	Apolloniæ, Alexandr. Virginis & Martyris, *an.* 249. *Simpl.*
xix	f	iv	10	Scolaſticæ, Virginis Caſſinenſis, *an.* 543. *Simpl.*
xviij	g	iij	11	
xvij	*A*	*Prid.*	12	
xvj	b	*Idib.*	13	
xv	c	xvj	14	
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	Simeonis, Hieroſolymit. Epiſc. & Mart. *an.* 107. *Simpl.*
x	*A*	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	Gundelberti, ex Senonenſi Epiſc. Monachi Tullenſis, c. *fin.* 7. *ſ.* Simpl. *Ultima Septuageſimæ.* *(Feriâ 4. 6. & Sabbato poſt Dominic. primam Quadrageſimæ, fiunt jejunia quatuor Temporum.)*
vij	d	viij	22	
vj	e	vij	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno Biſſextili.*
v	f	vj	24	MATTHIÆ APOSTOLI, 1. *ſ. Dup.* 3. *Claſſis.* *(Si Feſtum ſancti Matthiæ venerit in Quadrageſima, anticipatur in Feriam ſecundam poſt Dominicam Quinquageſimæ.*
iv	g	v	25	
iij	*A*	iv	26	
ij	b	iij	27	
j	c	*Prid.*	28	

(In Anno Biſſextili Februarius eſt dierum 29. & Feſtum ſancti Matthiæ celebratur 25. Februarii (niſi ſit tempus Quadrageſimæ) & bis dicitur, ſexto Calendas, *id eſt*, 24. *&* 25. *Littera autem Dominicalis quæ aſſumpta fuerat menſe Januario, mutatur in præcedentem.*

MARTIUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
*	d	Cal.	1	
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	Caſimiri è Polonia, Laici, an. 1484. Simpl.
xxvj	A	iij	5	
25. xxv.	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum Martyrum c. an. 204. *Simpl.*
				(de s. Thoma Aquinate fit die 18. Julii, qua Canonizationis ejus dies eſt.)
				Primum Novilunium Paſchale.
xxiij	d	viij	8	
xxij	e	vij	9	Franciſcæ, Viduæ Romanæ, an. 1440. *Simplex.*
xxj	f	vj	10	Quadraginta Militum Sebaſt. an. 320. *Simplex*
				Ultima dies Cinerum.
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	(*de ſancto Gregorio Papa & Eccl. Doct. fit die 1. Septembris.*)
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	*Commemoratio* s. Patricii, Hibernorum Apoſtoli, an. 460.
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	JOSEPH, SPONSI B. MARIÆ VIRGINIS, *Duplex primæ Claſſis. Solemne minus.*
xj	b	xiij	20	*(De s. Joachim fit die 26. Julii.*
x	c	xij	21	(*de s. Benedicto fit die 11. Julii, qua Tranſlationis ejus dies eſt.*)
				Primum Paſcha.
ix	d	xj	22	
viij	e	x	23	(*De s. Gabriele fit die 29. Septembris, in Feſto Ss. Archangelorum.*
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO B. M. V. & INCARNATIO DOMINI, *Duplex 1. Claſ. Solemne majus.*
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	

(*Feriâ ſextâ poſt Dominicam Paſſionis, fit Officium de Compaſſione Beatæ Mariæ Virginis.* Duplex 3. Claſſis.

JUNIUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxvij	e	Cal.	1	
25, xxvj	f	iv	2	Pothini, Lugdunenſis Epiſcopi, & Sociorum Martyrum, *an.* 177. *Semid. comm.* Ss. Marcellini, Presbyt. & Petri Exorciſtæ, Romæ Mart. *an.* 304.
xxv. xxiv	g	iij	3	Clotildis, Francorum Reginæ, Viduæ, *c. an.* 540. *Semid.*
xxiij	A	Prid	4	
xxij	b	Non.	5	Bonifacii, Moguntini Ep. & Mart. *an.* 755. *Simpl.*
xxj	c	viij	6	Norberti, Magdeburgenſis Epiſcopi, Ordinis Præmonſt. Inſtit. *an.* 1134. *Duplex* 4. *Claſ. com.* s. Claudii, Veſuntini Epiſcopi, *an.* 581.
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	Medardi, Noviomenſis Epiſc. *c. an.* 545. *Semidup.*
xviij	f	v	9	
xvij	g	iv	10	
xvj	A	iij	11	Barnabæ, Gentium Apoſtoli, 1. *ſ. Dupl.* 3. *Claſ.*
xv	b	Prid	12	
xiv	c	Idib.	13	Antonii de Padua, Ordinis Minorum, *an.* 1231. *Simplex.* *Ultima Pentecoſte.*
xiij	d	xviij	14	Translatio s. Manſueti, Tullenſis Apoſt. & primi Epiſcopi. *Dupl.* 2. *Claſ.*
xij	e	xvij	15	Baſilii Magni, Cæſarienſis in Cappadocia Epiſc. & Eccl. Doct. *an.* 379. *Duplex* 4. *Claſ.*
xj	f	xvj	16	
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	
viij	b	xiij	19	Deodati, ex Nivernenſi Epiſcopo, Monachi Tul. *c. an.* 715. *Dupl.* 2. *Claſ. in Eccleſia Cathedr. alibi Dupl.* 4. *Claſ. comm.* Ss. Gervaſii & Protaſii, Mediolan. Mart. 1. *vel* 2. *ſ.*
vij	c	xij	20	
vj	d	xj	21	Euſebii, Ep. Samoſatenſis & Mart. *an.* 389. *Simp.*
v	e	x	22	Paulini, Nolani Epiſc. *an.* 431. *Simpl.*
iv	f	ix	23	Jacob, Epiſcopi Tullenſis, *c. an.* 770. *Semiduplex. comm.* Vigiliæ, *cum jejunio.*
iij	g	viij	24	NATIVITAS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ, *Duplex* 1. *Claſ. Solemne minus.*
ij	A	vij	25	De Octava Nativitatis s. Joannis. *Simpl.*
j	b	vj	26	De Octava . . . *comm.* Ss. Joannis & Pauli, Romæ Mart. *c. an.* 362.
xxx	c	v	27	De Octava . . . *Simplex.*
xxix	d	iv	28	Irenæi, Lugdunenſis Epiſcopi, & ſociorum ejus Mart. *c. an.* 202. *Semidupl. comm.* Octavæ s. Joannis, & Vigiliæ, *cum jejunio.*
xxviij	e	iij	29	PETRI ET PAULI, APOSTOLORUM, 1. *ſ. Dupl.* 1. *Claſ. Solemne minus.*
xxvij	f	Prid.	30	Commemoratio s. Pauli, Apoſtoli. *Dupl.* 3. *Cl. comm.* s. Petri & Octavæ s. Joannis Baptiſtæ.

(*Feriâ* 5. *poſt Feſtum Ss. Trinitatis, celebratur Feſtum Corporis Chriſti. Dupl.* 1. *Claſ. Sol. majus.*)

MARTIUS.

Cyclus Epactar.	*Lit. Dom.*		*Dies menſ.*	
xxx	d	*Cal.*	1	
xxix	c	vj	2	
xxviij	f	v	3	
* xxvij	g	iv	4	Caſimiri è Poloniæ, Laici, *an.* 1484. *Simpl.*
xxvj	*A*	iij	5	
25. xxv.	b	*Prid.*	6	
xxiv	c	*Non.*	7	Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum Martyrum c. *an.* 204. *Simpl.* (*de s. Thoma Aquinate fit die* 18. *Julii, qua Canonizationis ejus dies eſt.*)
xxiij	d	viij	8	*Primum Novilunium Paſchale.*
xxij	e	vij	9	Franciſcæ, Viduæ Romanæ, *an.* 1440. *Simplex.*
xxj	f	vj	10	Quadraginta Militum Sebaſt. *an.* 320. *Simplex*
				Ultima dies Clavium.
xx	g	v	11	
xix	*A*	iv	12	(*de ſancto Gregorio Papa & Eccl. Doct. fit die* 1. *Septembris.*)
xviij	b	iij	13	
xvij	c	*Prid.*	14	
xvj	d	*Idib.*	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	*Commemoratio s.* Patricii, Hibernorum Apoſtoli, *an.* 460.
xiij	g	xv	18	
xij	*A*	xiv	19	JOSEPH, SPONSI B. MARIÆ VIRGINIS, *Duplex primæ Claſſis. Solemne minus.* (*De s. Joachim fit die* 26. *Julii.*
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	(*de s. Benedicto fit die* 11. *Julii, qua Tranſlationis ejus dies eſt.*)
ix	d	xj	22	*Primum Paſcha.*
viij	e	x	23	(*De s. Gabriele fit die* 29. *Septembris, in Feſto Ss. Archangelorum.*
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO B. M. V. & INCARNATIO DOMINI, *Duplex* 1. *Claſ. Solemne majus.*
v	*A*	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
xxx	f	*Prid.*	31	

(*Feriâ ſextâ poſt Dominicam Paſſionis, fit Officium de Compaſſione Beatæ Mariæ Virginis.* Duplex 3. Claſſis.

AUGUSTUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxv. xxiv	c	*Cal.*	1	Petri ad vincula, *an.* 44. *Dupl.* 4. *Claſ. comm.* Septem fratrum Machabæorum, Mart. *c. an.* 167. *ante Chriſtum natum.*
xxiij	d	iv	2	Stephani, Papæ & Mart. *an.* 257. *Simpl.*
xxij	e	iij	3	REVELATIO, *ſeu* INVENTIO CORPORIS S. STEPHANI, PROTOMART. *an.* 415. *Dupl.* 1. *Claſ. Solemne majus.*
xxj	f	*Prid.*	4	Dominici, Presb. Ordinis Prædic. Inſtit. *an.* 1221. *Dupl.* 4. *Claſ. comm.* Octavæ s. Stephani.
xx	g	*Non.*	5	De Octava s. Stephani . . . *Semidupl.*
xix	A	viij	6	Transfiguratio Domini, *an.* 32. *Dupl.* 2. *Claſſis. comm.* Octavæ s. Stephani, *&* Xiſti, Papæ *&* Mart. *an.* 258.
xviij	b	vij	7	De Octava S. Stephani . . . *Semidupl.*
xvij	c	vj	8	De Octava. *Semidupl.*
xvj	d	v	9	De Octava, *comm.* Vigiliæ (*cum jejunio*) & s. Romani, Romæ Mart. *an.* 258.
xv	e	iv	10	LAURENTII, ROMANI DIACONI ET MART. *an.* 258. *Dup.* 3. *Claſ. comm.* Octav. s. Stephani.
xiv	f	iij	11	
xiij	g	*Prid.*	12	Claræ Aſſiſii in Umbria, Virginis *an.* 1253. *Simpl.*
xij	A	*Idib.*	13	Hyppolyti, Romani Presbyteri & Mart. *an.* 252. *Simpl. comm.* s. Radegundis, Reginæ Francorum, Viduæ, *an.* 587.
xj	b	xix	14	Vigilia . . . *cum jejunio.*
x	c	xviij	15	ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS, 1. *ſac. Dupl.* 1. *Claſ. Solemne majus.*
ix	d	xvij	16	Rochi, Laici apud Montem Peſſulanum, *an.* 1327. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* Octavæ B. M. V.
viij	e	xvj	17	De Octava Aſſumpt. B. M. V. *Semidupl. comm.* s. Mamantis, Cæſareæ in Cappad. M. *c. an.* 274.
vij	f	xv	18	De Octava Aſſumpt. *Semid.*
vj	g	xiv	19	De Octava Aſſumpt. *Semid.*
v	A	xiij	20	Bernardi, Clarevallenſis Abbatis, & Eccl. Doct. *an.* 1153. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* Octavæ Aſſumpt. & s. Stephani, Hungariæ Regis, *an.* 1038.
iv	b	xij	21	De Octava Aſſumpt. *Semid.*
iij	c	xj	22	Octava Aſſumpt. B. M. V. *Dupl.* 4. *Claſ. comm.* s. Symphoriani, Auguſtoduni Mart. *c. an.* 179.
ij	d	x	23	Vigilia . . . *cum jejunio.*
j	e	ix	24	BARTHOLOMÆI, APOSTOLI, 1. *ſac. Dupl.* 3. *Claſ. comm.* s. Audoeni, Ep. Rotomag. 683.
xxx	f	viij	25	LUDOVICI, REGIS FRANCIÆ, *an.* 1270. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* duorum Ss. Geneſiorum, Mart. unius Romani, *c. an.* 285. alterius Arelatenſis, *c. an.* 308.
xxix	g	vij	26	
xxviij	A	vj	27	Cæſarii, Epiſc. Arelatenſ. & Eccl. Doct. *an.* 542. *Dupl.* 4. *Claſ.*
xxvij	b	v	28	Auguſtini, Hippon. Epiſc. & Eccl. Doct. *an.* 430. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* s. Juliani, Brivatenſis Mart. Rom. 2. *ſ.*
xxvj	c	iv	29	Decollatio s. Joannis-Baptiſtæ, *an.* 32. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* s. Sabinæ, Viduæ, Mart. Rom. 2. *ſ.*
25. xxv.	d	iij	30	Fiacrii, Brigenſis Solitarii, *an.* 670. *Simpl.*
xxiv	e	*Prid.*	31	Gauzelini, Epiſ. Tullenſis, *c. an.* 962. *Dupl.* 4. *Claſ. comm.* s. Paulini, Trevirenſis Epiſ. *an.* 358.

MAIUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxviij	b	Cal.	1	JACOBI (*Alphæi*) *&* PHILIPPI, APOSTOLI, 1. *ſ. Dupl.* 3. *Claſ. comm.* s. Valburgis, Virg.
xxvij	c	vj	2	Athanaſii, Alexandr. Epiſc. & Eccl. Doct. *an.* 373. *Duplex* 4. *Claſſis.*
xxvj	d	v	3	INVENTIO S. CRUCIS, *an.* 326. *Duplex* 3. *Claſ. comm.* Ss. Alexandri, Papæ, Eventii, *&* Theoduli, Romæ Mart. *c. an.* 119.
25. xxv	e	iv	4	Monicæ, Tagaſtenſis Viduæ, *an.* 387. *Simplex.*
xxiv	f	iij	5	
xxiij	g	Prid.	6	Joannis, Apoſtoli & Evangeliſtæ, ante Portam Latinam, *an.* 95. *Semiduplex.*
xxij	A	Non.	7	Domitillæ, Romanæ Virginis & Mart. *an.* 99. *Simplex. comm.* s. Gibriani, Solitarii.
xxj	b	viij	8	Stanislai, Cracov. Epiſc. & M. *an.* 1079. *Simpl.*
xx	c	vij	[illegible]	Translatio s. Nicolai, Myrenſis Epiſcopi, *an.* 1087. *Simpl.*
				Prima Pentecoſte.
xix	d	vj	10	Gregorii Nazianzeni, Epiſc. Conſtantinop. & Eccl. Doct. *an.* 391. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* Ss. Epimachi, & Sociorum Mart. *an.* 250.
xviij	e	v	11	Gengulphi, in Burgundia Mart. *c. an.* 760. *Dupl.* 3. *Claſ.*
xvij	f	iv	12	Epiphanii, Salaminæ Epiſc. *an.* 403. *Semiduplex. comm.* Ss. * Nerei, Achillei, & ** Pancratii Mart. * *c. init.* 2. *ſ.* ** *c. an.* 304.
xvj	g	iij	13	Mammerti, Viennenſis Epiſc. *c. an.* 475. *Simpl.*
xv	A	Prid.	14	Pachomii, Tabennæ in Thebaïde Abbatis, *c. an.* 348. *Simpl.*
xiv	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	Quadraginta Monachorum ex Laura s. Sabæ, Mart. *an.* 614. *Simpl.*
xij	d	xvi	17	(*Feriâ* 4. 6. *&* *Sabbato poſt Pentecoſten, ſiunt jejunia quatuor Temporum.*)
xj	e	xv	18	
x	f	xiv	19	Petri Cœleſtini, Papæ, Inſtit. Congreg. Cœleſt. *an.* 1296. *Simpl. comm.* s. Yvonis, Trecorenſis Presbyteri. *an.* 1303.
ix	g	xiij	20	
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	Vincentii Lirinenſis, Presbyteri & Monachi, *an.* 448. *Simpl.*
iv	e	viij	25	Donatiani & Rogatiani, in Aremorica Mart. *an.* 287. *Simpl. comm.* s. Urbani, Papæ, *c. an.* 223.
iij	f	vij	26	Philippi Nerei, Presbyteri, *an.* 1595. *Simplex.*
ij	g	vj	27	Joannis, Papæ & Mart. *an.* 526. *Simplex.*
j	A	v	28	Germani, Pariſienſis Epiſc. *an.* 576. *Simplex.*
xxx	b	iv	29	Maximini, Trevirenſis Epiſcopi. *c. an.* 349. *Simp.*
xxix	c	iij	30	Felicis, Papæ & Mart. *c. an.* 274. *Simpl.*
xxviij	d	Prid.	31	

(*Dominicâ* 1. *poſt Pentecoſten fit Officium de ſanctiſſima Trinitate, Dupl.* 1. *Claſ. Solemne minus.*)

OCTOBER.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxij	A	Cal.	1	Remigii, Remenſis Epiſc. *an.* 533. *Dupl.* 4. *Claſ.* *Tranſl. ejus hac die, ante an.* 585. *& an.* 852.
xxj	b	vj	2	Leodegarii, Auguſtodun. Epiſc. & Mart. *an.* 678. *Simpl.*
xx	c	v	3	Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis Tullenſis, 10. *ſ.* *In Cathed. Dupl.* 1. *Claſ. Solemne-majus : alibi Dupl.* 3. *Claſ.*
xix	d	iv	4	Franciſci Aſſiſinatis in Umbria, Ordinis Min. Inſtitut. *an.* 1226. *Dupl.* 4. *Claſ. in Cathed. comm.* Octavæ Dedicationis.
xviij	e	iij	5	Dionyſii Areopagitæ, primi Athenarum Epiſc. & Mart. *c. an.* 95. *Simpl. In Cathed. fit Officium* de Octav. Dedicat. *Semid. comm.* S. Dionyſii.
xvij	f	Prid.	6	Brunonis, Monachi, Ordinis Carthuſian. Inſtitut. *an.* 1101. *Dupl.* 4. *Claſ. In Cathedr. comm.* de Octava Dedicat.
xvj	g	Non.	7	Sergii & Bacchi, in Euphrateſia Mart. *c. an.* 303. *Simpl. In Cathedr. fit Officium* de Octav. Dedicat. *Semidupl. commem.* Ss. Sergii & Bacchi.
xv	A	viij	8	Libariæ, Virginis Tullenſis & Mart. *c. an.* 362. *Simpl. In Cathedr. fit Officium* de Octav. Dedicat. *Semidupl. comm.* s. Libariæ.
xiv	b	vij	9	Dionyſii, primi Pariſiorum Epiſc. & Sociorum Mart. 3. *ſ. Dupl.* 4. *Claſ. In Cathedr. comm.* Octav. Dedicat.
xiij	c	vj	10	Tarachi, Probi, Andronici, in Cilicia Mart. *c. an.* 304. *Simpl. In Cat.* Officium Octavæ Dedic. *Dupl.* 4. *Cl. comm.* Ss. Tarachi, &c.
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	Angelorum Cuſtodum.. *Dupl.* 3. *Claſ.*
x	f	iij	13	
ix	g	Prid.	14	Fauſti, Januarii & Martialis, Cordubæ Mart. *Sim. comm.* s. Calliſti, Papæ & Mart. *an.* 233.
viij	A	Idib.	15	Thereſiæ Abulenſ. Virginis, Inſtauratricis Ord. Carmelit. *an.* 1582. *Semidupl.*
vij	b	xvij	16	Eliphii, Tullenſis Mart. c. *an.* 362. *Simpl.*
vj	c	xvj	17	
v	d	xv	18	LUCÆ, EVANGELISTÆ, 1. *ſ. Dupl.* 3. *Cl.*
iv	e	xiv	19	
iij	f	xiij	20	Eucharii, Tullenſis Mart. *c. an.* 362. *Simpl.*
ij	g	xij	21	Tranſlatio s. Gerardi, Tullenſis Epiſc. 10. *ſ. Dupl.* 2. *Claſ. comm.* s. Hilarionis Abbatis in Palæſtina, *an.* 371.
	A	xj	22	Urſulæ & ſociarum Virg. & Mart. *an.* 450. *Dupl.* 3. *Claſſis.*
xxx	b	x	23	Amonis, Tullenſis Epiſc... *Dupl.* 2. *Claſ.*
xxix	c	ix	24	Romani, Rotomag. Epiſc. *an.* 646. *Simpl. commemor.* s. Florentini, Laici Juſti.
xxviij	d	viij	25	Criſpini & Criſpiniani, Sueſſion. Mart. *an.* 288. *Simpl.*
xxvij	e	vij	26	Amandi, Trajectenſis Epiſc. *an.* 675. *Simpl. comm.* Tranſlationis s. Vedaſti, Epiſc.
xxvj	f	vj	27	Vigilia, *cum jejunio.*
25. xxv	g	v	28	SIMONIS & JUDÆ, Apoſt. 1. *ſ. Dupl.* 3. *Claſ.*
xxiv	A	iv	29	Maximi, Presbyteri & Monachi, 4. *ſ. Simpl.*
xxiij	b	iij	30	Leonis Magni, Papæ, & Eccl. Doct. *an.* 461. *Dupl.* 4. *Claſ.*
xxij	c	Prid.	31	Vigilia, *cum jejunio : comm.* s. Quintini, Ambian. Mart. *an.* 287.

JULIUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxvj	g	*Cal.*	1	Octava Nativitatis s. Joannis Baptiſtæ. *Semidupl. comm.* Octav. Ss. Apoſtolorum, & s. Theobaldi, Pruvinenſis Solitarii. *an.* 1066.
25. xxv	*A*	vj	2	Viſitatio B. Mariæ Virginis. *Duplex 2. Claſ. comm.* Oct. Ss. Apoſt.
xxiv	b	v	3	De Octava Ss. Apoſtolorum. *Simpl.*
xxiij	c	v	4	Ordinatio * & Translatio ** s. Martini, Turon. Epiſc.* *an.* 372. ** 473. *Semidupl. commemoratio* Octavæ Ss. Apoſtolorum.
xxij	d	iij	5	De Octava Ss, Apoſtolorum. *Simpl.*
xxj	e	*Prid.*	6	Octava Ss. Apoſtol. Petri & Pauli. *Semiduplex.*
xx	f	*Non.*	7	Beati Petri Forerii, Tullenſis Presbyteri, Congreg. Canonic. Regul. Reform. *an.* 1640. *Semid.*
xix	g	viij	8	Auſpicii, Epiſc. Tullenſis, *an.* 490. *Semidupl.*
xviij	*A*	vij	9	Ephræm, Diaconi Edeſſeni & Monachi, *c. an.* 381. *Simpl.*
xvij	b	vj	10	Septem Fratrum, & s. Felicitatis eorum matris, Mart. *c. an.* 150. *Simplex.*
xvj	c	v	11	Benedicti, Caſſinenſis Abbatis, *an.* 543. *Dupl.* 4. *Claſ. Translatio ejus hac die, c. an.* 653 *comm.* s. Hidulphi, ex Trevirenſ. Epiſcop. Monachi Tullenſis, *c. an.* 736.
xv	d	iv	12	
xiv	e	iij	13	
xiij	f	*Prid.*	14	Bonaventuræ, Albanenſ. Epiſc. & Eccleſiæ Doct. *an.* 1274. *Semiduplex, commemorat* s. Henrici, Imperatoris, *an.* 1024.
xij	g	*Idib.*	15	Aproniæ, Trecenſis Virg. 5. *ſ. in Eccleſia Cathedr. Dupl. 2. Claſ. alibi Duplex 4. Claſ.*
xj	*A*	xvij	16	Diſperſio Apoſtolorum, 1. *ſ. Semidupl.*
x	b	xvj	17	Arnulphi, ex Metenſi Epiſc. Monachi Tullenſis, *c. an.* 640. *Simplex.*
ix	c	xv	18	Thomæ Aquinatis, Ordinis Prædicat. & Eccl. Doct. 1274. *Dupl.* 4. *Cl. Canonizatio ejus hac die, an.* 1323.
viij	d	xiv	19	Vincentii à Paulo Presbyteri, & Congreg. Miſſ. Inſtitut. *an.* 1660. *Semidupl.*
vij	e	xiij	20	Arſenii, Romani Diaconi ſcetis Solitarii, *an.* 445. *Simpl. comm.* s. Margaretæ, Virg. & Mart.
vj	f	xij	21	Victoris, Maſſil. & Soc. Mart. *c. an.* 290. *Simpl.*
v	g	xj	22	MARIÆ MAGDALENES, 1. *ſ. Dupl.* 3. *Claſſis.*
iv	*A*	x	23	Apollinaris, Ravennenſis Epiſc. & Mart 1. *vel* 2. *ſæcul. Simpl.*
iij	b	ix	24	Vigilia, *cum jejunio.*
	c	viij	25	JACOBI (*Zebedæi*) APOSTOLI, an. 44. *Duplex* 3. *Claſ. comm.* s. Chriſtophori, Mart. in Lycia. 3. s. & Glodeſindis, Virg. *c. an.* 778.
j	d	vij	26	Joachim & Annæ Parentum B. M. V. *Dupl.* 2. *Claſ.*
xxx	e	vj	27	Marini, Militis Cæſareæ in Paleſtina Mart. *c. an.* 262. *Simpl. comm.* s. Pantaleonis, Nicomediæ Mart. *c. an.* 305.
xxix	f	v	28	Mariæ Bethanitidis, Marthæ, ſororis ejus, & Lazari fratris earum, 1. *ſ. Semidup. commemor.* Ss. Nazarii & Celſi, Mediolan. Mart. 1. *ſæculi.*
xxviij	g	iv	29	Lupi, Trecenſis Epiſc. *c. an.* 478. *Semiduplex.*
xxvij	*A*	iij	30	Germani, Autiſſiodor. Epiſc. *an.* 448. *Semidupl.*
xxvj	b	*Prid.*	31	Ignatii Loyolæ, Presbyteri, & Societatis Jeſu Inſtitut. *an.* 1556. *Dupl.* 4. *Claſ.*

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies Menſ.	DECEMBER.
xx	f	*Cal.*	1	Eligii, Noviomenſ. Epiſc. *an.* 659. *Semiduplex.*
xix	g	iv	2	Petri Chryſologi, Ravenn. Epiſc. *an.* 457. *Simpl.* *Ultima ſedes Adventûs.*
xviij	*A*	iij	3	Franciſci Xaverii, Societ. Jeſu Presbyteri, *an.* 1552. *Dupl. 4. Claſ.*
xvij	b	*Prid.*	4	*Commem.* s. Barbaræ Virg. & M. 3. *vel* 4. *ſ.*
xvj	c	*Non.*	5	*Comm.* s. Sabæ, Abbatis in Palæſt. *an.* 531.
xv	d	viij	6	NICOLAI, MYRENSIS EPISC. IN LYCIA, 4. *ſ. Dupl. 2. Claſ.*
xiv	e	vij	7	Ambroſii, Mediolan. Epiſc. & Eccl. Doct. *an.* 397. *Dupl. 3. Claſ. Ordinatio ejus hac die, an.* 374.
xiij	f	vj	8	CONCEPTIO B. MARIÆ VIRGINIS, *Dupl. 1. Claſ. Solemne-majus*
xij	g	v	9	De Octava Conceptionis B. M. V. *Semidupl. comm.* s. Romarici, Monachi Tullenſis, *an.* 653.
xj	*A*	iv	10	De Octava ... *Semidupl.*
x	b	iii	11	De Octava ... *comm.* s. Damaſi, Papæ, *an.* 384.
ix	c	*Prid.*	12	De Octava ... *Semidupl.*
viij	d	*Idib.*	13	De Octava ... *comm.* s. Luciæ, Siracuſ. Virg. & Mart. *an.* 304.
vij	e	xix	14	De Octava ... *Semidupl.*
vj	f	xviij	15	Octava Conception. B. M. V. *Dupl. 4. Claſ. comm.* s. Euſebii, Vercell. Epiſc. *an.* 370.
v	g	xvij	16	
iv	*A*	xvj	17	O Sapientia.
iij	b	xv	18	(*Feriâ 4. 6. & Sabbato poſt Feſtum s. Luciæ, ſunt jejunia Quatuor Temporum.*)
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	
xxx	e	xij	21	THOMÆ, APOSTOLI, 1. *ſ. Dupl. 3. Claſ.*
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	*A*	ix	24	Vigilia, *cum jejunio.*
xxvj	b	viij	25	NATIVITAS DOMINI N. J. CHRISTI, *Dupl. 1. Claſ. Annuale.*
25. xxv	c	vij	26	STEPHANI, DIACONI ET PROTOMART. Eccl. Cathedr. ac totius Diœceſ. Tullenſis Patroni, *an.* 33. *Dupl. 1. Claſ. Annuale comm.* Octavæ Natalis Domini.
xxiv	d	vj	27	JOANNIS, APOST. ET EVANGEL. *an.* 100. *Dupl. 3. Claſ. comm.* Octavarum Natalis Domini & s. Stephani.
xxiij	e	v	28	Innocentium Martyrum, *an.* 1. *Dupl. 3. Claſ. commem.* Octavarum Natalis Domini, s. Stephani, & s. Joannis.
xxij	f	iv	29	Thomæ, Cantuarienſis Epiſc. & Mart. *an.* 1170. *Semidupl. comm.* Octavarum Natalis Domini, s. Stephani, s. Joannis & Ss. Innocentium.
xxj	g	iij	30	Officium Dominicæ intra Octav. Natalis Domini, *comm.* Octavarum Ss. Stephani, Joannis, & Innocentium.
*19. xx	*A*	*Prid.*	31	Sylveſtri, Papæ, *an.* 335. *Dupl. 4. Claſ. comm.* Octavarum.

* *Hæc Epacta 19. numquam eſt in uſu, niſi quando eodem anno concurrit cum Aureo Numero xix.*

NOVEMBER.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxj	d	Cal.	1	**OMNIUM SANCTORUM**, *Dupl. primæ Claſſis. Solemne majus*, inſtitut. *c. an.* 835.
xx	c	iv	2	**COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM**, *Duplex primæ Claſſis. Solemne minus*: inſtitut. *an.* 998.
xix	f	iij	3	De Octava omnium SS. *Semidupl. commemoratio* s. Huberti, Epiſc. Leodienſ. *an.* 727.
xviij	g	Prid.	4	Caroli Borromæi, Mediolan. Epiſc. *an.* 1584. *Duplex* 4. *Claſſis. commem.* Octavæ omnium SS. & s. Amantii, Ruthen. Epiſc. 5. *ſ.*
xvij	A	Non.	5	De Octava Omnium SS... *Semidupl.*
xvj	b	viij	6	De Octava... *comm.* S. Leonardi, Lemovicenſ. Solitarii, *c. an.* 559.
xv	c	vij	7	De Octava... *Semidupl.*
xiv	d	vj	8	Octava Omnium Sanctorum, & Veneratio SS. Reliquiarum, *Dupl.* 3. *Claſ.* inſtitut. *an.* 1194.
xiij	e	v	9	Omnium SS. Epiſcoporum Tullenſium, *Duplex* 1. *Claſ. Solemne minus.*
xij	f	iv	10	Tryphonis & Reſpicii, in Bithynia Martyrum, *c. an.* 250. *Simpl.*
xj	g	iij	11	MARTINI, Turon. Epiſc. *an.* 397. *Dupl.* 2. *Claſ.*
x	A	Prid.	12	Martini, Papæ & Mart. *an.* 655. *Simpl. commem.* s. Renati, Andegav. Epiſc. 5. *ſ.*
ix	b	Idib.	13	Briccii, Turon. Epiſc. *an.* 444. *Simpl.*
viij	c	xviij	14	Theodori, Militis Amaſeæ in Ponto Mart. *an.* 306. *Simpl.*
vij	d	xvij	15	
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi, Neocæſar. Ep. *c. an.* 270. *Semid. com.* s. Aniani, Aurelian. Ep. *c. an.* 453.
iv	g	xiv	18	
iij	A	xiij	19	Elizabeth, in Thoring. Viduæ, *an.* 1231. *Simpl.*
ij	b	xij	20	
j	c	xj	21	Præſentatio B. Mariæ V. *Dupl.* 2. *Claſ. comm.* s. Columbani, Luxov. Abbatis, *an.* 615.
xxx	d	x	22	Cæciliæ, Virg. & Mart. 2. *vel* 3. *ſ. Dupl.* 4. *Claſ.*
xxix	e	ix	23	Clementis, Papæ & Mart. *an.* 100. *Semiduplex. commem.* s. Clementis, Metenſis Epiſcopi.
xxviij	f	viij	24	Chryſogoni, Romæ Mart. *an.* 304 *Simpl.*
xxvij	g	vij	25	Dionyſii, Alex. Ep. & Conf. Chriſti, *c. an.* 264. *Semid. comm.* s. Catharinæ, Virg. & Martyris.
25. xxvj	A	vj	26	Petri, Alexandr. Epiſc. & Mart. *an.* 311. *Simpl. comm.* s. Baſoli in Campania Eremitæ. *an.* 260.
xxv. xxiv.	b	v	27	Vitalis & Agricolæ, Bononiæ in Italia Mart. *an.* 304. *Simpl.*
xxiij	c	iv	28	*Prima ſedes Adventûs.*
xxij	d	iij	29	Vigilia..... *cum jejunio* : *comm.* S. Saturnini, Toloſ. Epiſc. & Mart. 3. *ſ.*
xxj	e	Prid.	30	ANDREÆ, APOSTOLI, 1. *ſ. Dupl.* 2. *Claſſis.*

Per Adventum non fit de Vigiliis : de Simplicibus fit tantùm commemoratio : quando Officium fit de Duplici vel Semiduplici, ſemper fit commemoratio de Adventu.)

TABULA.

DOMIN. PRIVIL. II. CLASSIS, quæ non admittunt niſi Solemnia-Majora, & ſuprà.

Secunda }
Tertia } Adventûs.
Quarta }

Secunda }
Tertia } Quadrageſimæ.
Quarta }

Dominica } Septuageſimæ.
Sexageſimæ.
Quinquageſimæ.

DOMINICÆ III. CLASSIS, in quibus non fit niſi de Duplicibus 2. Claſſis & ſuprà, & de Dupl. 3. Claſſis quæ ſunt Feſta Domini, aut feriantur à populo ex toto, vel ex parte.

Reliquæ Dominicæ per annum.

OCTAVÆ PRIVIL. I. ORDINIS, quæ nullum feſtum admittunt.

Paſchæ.
Pentecoſtes.
Octava Natalis Domini ritum habet peculiarem qui notatur in Proprio.

OCTAV. I. ORDIN. NON PRIVIL. quæ admittunt tantùm Duplicia 2. Claſſis & ſuprà, & in quibus non fit Commemoratio de Simplici.

Octava Patroni primarii.
Octava Dedicationis Eccleſiæ, *in ipſa ſolemnitate Conſecrationis.*
Dies Octava illarum Octavarum eſt Duplex 3. Claſſis.

OCTAVÆ SECUNDI ORDINIS, quæ admittunt Duplicia 4. Claſſis non translata; & Duplicia 3. Claſſis & ſuprà etiam translata, & in quibus fit Commemoratio de Simplici.

Octavæ omnium Solemnium Major. *Ab hac regula excipe Octavam ſolemnitatis SS. Euchariſtiæ; in qua propter Celebritatem non fit Officium, niſi de Duplici 1. Claſſis, nec Commemoratio de Simplici.*

Dies Octava illarum Octavarum eſt Duplex 4. Claſſis, *niſi habeat adjunctum Feſtum aliquod per quod ad ſuperiorem gradum elevetur; ut v. g. Octava Epiphaniæ, &c.*

OCTAVÆ TERTII ORDINIS, in quibus fit Officium integrum ut Semiduplici non translato, & de Duplici 4. Claſ. & ſup. etiam translato.

Octavæ Solemnium-Minorum.
Dies Octava eſt Semiduplex.

FERIÆ MAJORES PRIVILEG. quæ numquam omittuntur.

Vigilia Nativitatis Domini.
Feria quarta Cinerum.
Feriæ Majoris Hebdomadæ.
Vigilia Pentecoſtes.
Hæ Feriæ nulli cedunt Officio.

FERIÆ MAJORES, de quibus fit ſemper Commemoratio, quando de iis non fit Officium.

Feriæ { Adventûs.
Quadrageſimæ.
Quatuor Temporum.
Rogationum.

Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis.
Vigiliæ omnes.
Hæ Feriæ non cedunt, niſi Officio Semiduplici & ſuprà.
Excipiuntur Feriæ Quadrageſimæ, in quibus non fit Officium de ullo Feſto, niſi de S. Joſeph, de Annuntiatione Beatæ Mariæ Virginis, & de ejus Compaſſione.

FERIÆ MINORES, de quibus non fit Commemoratio quando omittuntur.

Feriæ totius anni.
Hæ Feriæ admittunt quodcumque Feſtum etiam Simplex.

PSALTERIUM
DISPOSITUM PER HEBDOMADAM,
Cum Ordinario Officii de Tempore.

DOMINICA

Dies eſt Domino ſacra Reſurrectione Chriſti, & Spiritûs ſancti effuſione.

Officii Finis.

Deus cultu publico colendus.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Ante Officium Nocturnum dicitur ſecretò:

PAter noſter qui es in cœlis, ſanctificétur nomē tuū: advéniat regnum tuum: fiat volúntas tua, ſicut in cœlo & in terra: panem noſtrum quotidiánum da nobis hódie: & dimítte nobis débita noſtra, ſicut & nos dimíttimus debitóribus noſtris: & ne nos indúcas in tentatiónem; ſed líbera nos à malo. Amen. *Matth.* 6. *à*. 9. *a*. 14

AVe, María, grátiâ plena, Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui Jeſus.

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen. *Luc.* 1. 28. 42.

CRedo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cœli & terræ: Et in Jeſū Chriſtum Fílium ejus únicū, Dóminū noſtrum: qui concéptus eſt de Spíritu ſancto, natus ex María Vírgine: paſſus ſub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus & ſepúltus, deſcéndit ad ínferos: tértiâ

die reſurréxit à mórtuis : aſcéndit ad cœlos, ſedet ad déxterā Dei Patris omnipoténtis: indè ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum ſanctum, ſanctam Eccléſiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remiſſiónem peccatórū, carnis reſurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

Deinde altâ voce dicitur :

DOmine, lábia mea apéries; ℟. Et os meū annuntiábit laudem tuam. *Pſ.* 50. *v.* 17.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde: ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69. *v.* 2.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto : Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculórum. Amen. Allelúia.

A Septuageſima ad Paſcha loco Allelúia *dicitur* : Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

In Dominicis totius anni, Invitatorium, Antiphona, & Verſus dicuntur ut infra; niſi aliter notetur in Proprio.

Invit. Dies ſanctificátus eſt Dómino Deo noſtro; *Veníte, adorémus. 2. *Eſdr. Cap.* 8. *v* 9.

PSALMUS 94.

Deus, Dominus eſt noſter, adoratione & obſequio colendus.

VEníte, exultémus Dómino; jubilémus Deo ſalutári noſtro : præoccupémus fáciem ejus in confeſſióne, & in pſalmis jubilémus ei. (*Repetitur*) Dies ſanctificátus eſt Dómino Deo noſtro; * Veníte, adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus ſuper omnes deos : quóniam non repéllet Dóminus plebem ſuam, quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipſe cónſpicit. (*Repetitur*) Veníte, adorémus:

Quóniam ipsíus eſt mare, & ipſe fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus : veníte, adorémus, & procidámus ante Deum, plorémus coram Dómino qui fecit nos; quia ipſe eſt Dóminus Deus noſter: nos autem pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus. Dies ſanctificátus eſt Dño Deo noſtro ;* Veníte, adorémus.

Hódie ſi vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda veſtra, ſicut in exacerbatióne ſecúndùm diem tentatiónis in deſérto, ubi tentavérunt me patres veſtri, probavérunt, & vidérunt ópera mea. Veníte, adorémus.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, & dixi: Semper hi errant corde; ipſi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea, ſi introíbunt in réquiem meam. Dies ſanctificátus eſt Dómino Deo noſtro; * Veníte, adorémus.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto: ſicut erat in princípio, & nunc, & ſem-

per, & in ſæcula ſæculórum. Amen. Veníte, adorémus

Deinde reſumitur. Dies ſanctificátus eſt Dómino Deo noſtro; * Veníte, adorémus.

IN I. NOCTURNO.

Ant. t. 1. D. Beátus vir.

PSALMUS I.

Beatitudo juſtorum : malorum calamitas.

Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non ſtetit, * & in cáthedra peſtiléntiæ non ſedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum quod plantátum eſt ſecus decúrſus aquárum, * quod fructum ſuum dabit in témpore ſuo;

Et fólium ejus non défluet;* & ómnia quæcúmque fáciet, proſperabúntur.

Non ſic ímpii, non ſic;* ſed tamquam pulvis quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideò non reſúrgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio juſtórum ;

Quóniam novit Dóminus viam juſtórum, * & iter impiórum períbit.

Gloria Patri, & Fílio, * & Spirítui ſancto :

Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculórum. Amen.

Sic Glória Patri *cum* ſicut erat *dicitur in fine uniuſcujuſque Pſalmi, niſi aliter notetur.*

Ant. Beátus vir qui in lege Dómini meditábitur die ac nocte; erit tamquam lignum quod plantátum eſt ſecus decúrſus aquárũ. *v.* 1. 2. 3.

Ant. t. 1. D. Cum exárſerit..

PSALMUS 2.

Chriſti reſurrectio, & imperium.

Quare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti ſunt inánia?

Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum: * advérsùs Dóminum, & advérsùs Chriſtum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * & projiciámus à nobis jugum ipſórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos,* & Dóminus ſubſannabit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira ſua, * & in furóre ſuo conturbábit eos.

Ego autem conſtitútus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * & poſſeſſiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite; * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite diſciplínā,* nequándo iraſcátur Dóminus, & pereátis de via juſta.

Cùm exárſerit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Glória Patri, &c.

Ant. Cùm exárſerit ira ejus, beáti omnes qui confídunt in eo. *v.* 13.

Ant. 1. 2. Dicunt.

PSALMUS 3.

Salus in ſe ſperantium Dominus.

DOmine, quid multiplicáti ſunt qui tríbulant me? * multi inſúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ:* Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, ſuſcéptor meus es, * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * & exaudívit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormívi, & ſoporátus ſum; * & exurréxi, quia Dóminus ſuſcépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge, Dómine; ſalvum me fac, Deus meus;

Quóniam tu percuſsíſti omnes adverſántes mihi ſine cauſa; * dentes peccatórum contrivíſti.

Dómini eſt ſalus; * & ſuper pópulum tuum benedíctio tua.

Glória Patri, &c.

Ant Dicunt ánimæ meæ: Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus: tu autem, Dómine, ſuſcéptor meus es. *v.* 3. 4.

℣. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine,

℟. Et cuſtodívi legem tuā. *Pſal.* 118. 55.

Poſt Verſiculum cujuſlibet Nocturni, dicitur ſecretò:

Pater noſter, &c. *& altâ voce:* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Deinde Abſolutiones, & Benedictiones, ut habentur poſt Pſalterium. Tres Lectiones cum ℟. ℟. ℟. *ut habentur in Proprio de Tempore.*

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. 3. *B.* Lætábimur.

PSALMUS. 19.

Ut Chriſti preces, & ſacrificium ſuis applicentur, rogat Eccleſia.

EXaúdiat te Dóminus in die tribulatiónis; * próte gat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de ſancto, * & de Sion tueátur te.

Memor ſit omnis ſacrifícii tui, * & holocáuſtum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi ſecúndùm cor tuum, * & omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in ſalutári tuo, * & in nómine Dei noſtri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam ſalvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum.

Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo: * in potentátibus ſalus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in

equis: * nos autem in nómine Dómini Dei noſtri invocábimus.

Ipſi obligáti ſunt, & cecidérunt: * nos autem ſurréximus, & eréćti ſumus.

Dómine, ſalvum fac Regẽ; * & exaúdi nos in die quâ invocavérimus te.

Ant. Lætábimur in ſalutári tuo, & in nómine Dei noſtri magnificábimur. *v. 6.*

Ant. t. 3. *C.* Exaltáre.

PSALMUS 20.

Chriſti, poſt ſuum de inimicis triumphum, gratiarum actio.

DOmine, in virtúte tua lætábitur Rex; * & ſuper ſalutáre tuum exultábit veheménter.

Deſidérium cordis ejus tribuíſti ei, * & voluntáte labiórum ejus non fraudáſti eum;

Quóniam præveníſti eum in benedićtiónibus dulcédinis: * poſuíſti in cápite ejus corónam de lápide pretióſo.

Vitam pétiit à te, * & tribuíſti ei longitúdinem diérum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum.

Quóniam dabis eum in benedićtiónem in ſæculum ſæculi: * lætificábis eum in gaúdio cum vultu tuo:

Quóniam Rex ſperat in Dómino; * & in miſericórdia Altíſſimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanũ ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in irâ ſua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Frućtum eórum de terra perdes, * & ſemen eórum à fíliis hóminum;

Quóniam declinavérunt in te mala; * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt ſtabilíre;

Quóniam pones eos dorſum; * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus & pſallémus virtútes tuas.

Ant. Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: cantábimus & pſallémus virtútes tuas. *v. 14.*

Ant. t. 4. A. Dóminus.

PSALMUS. 28.

Ad adorationem & ſacrificium vocantur filii Dei.

AFférte Dño, fílii Dei, * afférte Dómino fílios aríetum.

Afférte Dómino glóriam & honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus: * adoráte Dóminum in átrio ſanćto ejus.

Vox Dómini ſuper aquas, Deus majeſtátis intónuit; * Dóminus ſuper aquas multas.

Vox Dómini in virtúte; * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros; * & confringet Dóminus cedros Líbani;

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani: * & diléctus quemádmodũ fílius unicórnium.

Vox Dñi intercidéntis flammam ignis: * vox Dñi concutiéntis desértum; & cõmovébit Dñus desértũ Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénsa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit; * & ſedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo ſuo dabit; * Dóminus benedícet pópulo ſuo in pace.

Ant. Dóminus virtútem pópulo ſuo dabit; Dóminus benedícet pópulo ſuo in pace. ℣. 11.

℣. Médiâ nocte ſurgébam,

℟. Ad confiténdum tibi, Dómine. *Pſ* 118. 62.

Pater noſter *ſecretò*.., *altâ voce*: Et ne nos, &c.

Abſolutio, Benedict. ut habentur poſt Pſalterium.

Lectiones, & ℟. ℟. ℟. ut habentur in Proprio de Tempore.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 2. 5. Cantet.

PSALMUS 29.

Poſt ſuos in paſſione labores, & ſuam in reſurrectione victoriam. gratias agit Chriſtus.

EXaltábo te, Dómine, quóniam ſuſcepíſti me; * nec delectáſti inimícos meos ſuper me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * & ſanáſti me.

Dómine, eduxíſti ab inférno ánimam meam: * ſalváſti me à deſcendéntibus in lacum.

Pſállite Dómino, ſancti ejus; * & confitémini memóriæ ſanctitátis ejus;

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad véſperum demorábitur fletus, * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in ætérnum.

Dñe, in voluntáte tua * præſtitíſti decóri meo virtútem.

Avertíſti fáciem tuam à me, * & factus ſum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo, * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in ſánguine meo, * dum deſcéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & miſértus eſt mei; * Dóminus factus eſt adjútor meus.

Convertíſti planctum meũ in gáudium mihi, * conſcidíſti ſaccum meum, & circumdedíſti me lætítiâ,

Ut cantet tibi glória mea, & non compúngar: * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Cantet tibi glória mea, & non compúngar: Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi. *v.* 13.

Ant. t. 6. Cogitátio.

PSALMUS 75.

Exaltandum magnum Chriſti nomen, per quem ſalus Eccleſiæ facta eſt.

NOtus in Judæa Deus;* in Iſraël magnum nomen ejus.

Et factus eſt in pace locus ejus, * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * ſcutum, gládium, & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis: * turbáti ſunt omnes inſipiéntes corde.

Dormiérunt ſomnũ ſuũ,* & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus ſuis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui aſcendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis reſíſtet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum feciſti judícium; * terra trémuit, & quiévit,

Cum exúrgeret in judícium Deus, * ut ſalvos fáceret omnes manſuétos terræ:

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi,* & reliquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo veſtro,* omnes qui in circúitu ejus affértis múnera,

Terríbili, & ei qui aufert ſpíritum príncipum,* terríbili apud reges terræ.

Ant. Cogitátio hóminis confitébitur tibi, & relíquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi. *v.* 11.

Ant. t. 5 Buccináte.

PSALMUS 80.

Feſta piè celebranda, hinc Dei favor.

EXultáte Deo adjutóri noſtro,* jubiláte Deo Jacob.

Súmite pſalmum, & date tympanum, * pſaltérium jucúndum cum cithara.

Buccináte in Neoménia tubâ, * in insígni die ſolemnitátis veſtræ:

Quia præcéptum in Iſraël eſt, * & judícium Deo Jacob.

Teſtimónium in Joſeph póſuit illud, cùm exíret de terra Ægypti: * linguam quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorſum ejus, * manus ejus in cóphino ſerviérunt.

In tribulatióne invocáſti me, & liberávi te; * exaudívi te in abſcóndito tempeſtátis, probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & conteſtábor te; * Iſraël, ſi audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti; * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam, * & Iſrael non inténdit mihi.

Et dimíſi eos ſecúndùm deſidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus ſuis.

Si pópulus meus audíſſet me, * Iſrael ſi in viis meis ambuláſſet,

Pro níhilo fórſitan inimícos eórum humiliáſſem, * & ſuper tribulántes eos miſíſſem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti ſunt ei; * & erit tempus eórum in ſæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle ſaturávit eos.

Ant. Buccináte in Neoménia tubâ, in inſígni die ſolēnitátis veſtræ; quia præcéptum in Iſrael eſt. *v.* 4 5.

℣. In nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta;

℟. Et benedícite Dóminum. *Pſ.* 133. 2.

Pater noſter *ſecretò, ut ſuprà.*

Abſolutio & Benedict. ut habentur poſt Pſalterium.

Lectiones, & ℟. ℟. ℟. ut in Proprio de Tempore.

Poſt ultimum Reſponſorium, dicitur, (niſi aliter notetur in Proprio.)

TE Deum laudámus; * te Dóminū confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli; * tibi cœli, & univérſæ poteſtátes;

Tibi Chérubim & Séraphim * inceſſábili voce proclámant;

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus, Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni ſunt cœli & terra * majeſtátis glóriæ tuæ.

Te glorióſus * Apoſtolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * ſancta confitétur Eccléſia

Patrē * imménſæ majeſtátis:

Venerándum tuum verum, * & únicum Fílium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Chriſte:

Tu Patris * ſempitérnus es Fílius:

Tu, ad liberándum ſuſceptúrus hóminem, * non horruíſti Vírginis úterum:

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuíſti credéntibus regna cœlórum:

Tu ad déxteram Dei ſedes, * in glória Patris.

Judex créderis * eſſe ventúrus.

Te ergo, quæſumus, fámulis tuis ſúbveni, * quos pretióſo ſánguine redemíſti.

Ætérnâ fac * cum ſanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuū, Dómine, * & bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * & extólle illos uſque in ætérnum.

Per ſíngulos dies * benedícimus te;

Et laudámus nomen tuũ in ſæculum, * & in ſæculum ſæculi.

Dignáre, Dómine, die iſto * ſine peccáto nos cuſtodìre.

Miſerére noſtrî, Dómine, * miſerére noſtrî.

Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, * quemádmodum ſperávimus in te.

In te, Dómine, ſperávi; * non confúndar in ætérnũ.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Ad te orábo, Dómine, ℟. Manè exaúdies vocem meam. *Pſ.* 5. 4.

DEus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69 *v.* 2.

Glória Patri, & Fílio, & Spíritui ſancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculórum. Amen. Allelúia, *vel*, Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ. *ut ſupra notatum eſt.*

Ant. t. 8. *B.* Mirábilis.

PSALMUS 92.

Quàm mirabilis Chriſtus in regno ſuo, & ſua lege.

DOminus regnávit, decórem indútus eſt; * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcínxit ſe.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc; * à ſæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine, * elevavérunt flúmina vocem ſuam;

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris; * mirábilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis: * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérũ. Glória Patri, &c.

Ant. Mirábilis in altis Dóminus; teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis. *v.* 4. 5.

Ant. t. 1. *F.* Introíte.

PSALMUS 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio.

JUbiláte Deo, omnis terra, * ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus; ipſe fecit nos, & non ipſi nos: * pópulus ejus & oves páſcuæ ejus.

Introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus, * in ætérnum miſericórdia ejus, & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis. *v.* 4.

Ant. t. 3. *E.* Mélior eſt.

PSALMUS 62.

Ad Deum luce primâ deſiderat juſtus.

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea; * quàm multiplíciter tibi caro mea!

In terra deſérta, & ínvia, & inaquóſa, ſic in ſancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuā, & glóriam tuā.

Quóniam mélior eſt miſericórdia tua ſuper vitas; * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî ſuper ſtratum meum, in matutínis meditábor in te; * quia fuíſti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultàbo, adhæſit ánima mea poſt te; * me ſuſcépit déxtera tua.

Ipſi verò in vanum quæſiérunt ánimam meam; * introíbunt in inferióra terræ, tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo; * quia obſtrúctum eſt os loquéntium iníqua.

Ant. Mélior eſt miſericórdia tua ſuper vitas; lábia mea laudábunt te. *v.* 4.

Ant t. 5. Omnia.

Canticum trium puerorum.

Dan. 3.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, ſol & luna, Dómino; * benedícite, ſtellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * benedícite, omnes ſpíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æſtus, Dómino: * benedícite, frigus & æſtus, Dómino.

Benedícite, rores & pruína, Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, glácies & nives, Dómino, * benedícite, noctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminū; * laudet & ſuperexáltet eum in ſæcula.

Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, univérſa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

Benedícite, cete & ómnia quæ movéntur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béſtiæ & pécora, Dómino: * benedícite, filii hóminum, Dómino.

Benedícat Iſrael Dóminum; * laudet & ſuperexáltet eum in ſæcula.

Benedícite, ſacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, ſervi Dómini, Dómino.

Benedícite, ſpíritus & ánimæ juſtórum, Dómino: * benedícite, ſancti & húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Míſael, Dómino; * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula.

Benedicámus Patrem, & Fílium, cum ſancto Spíritu: * laudémus & ſuperexaltémus eum in ſæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli: * & laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula.

Hîc non dicitur Glória Patri.

Ant. Omnia ópera Dómini, laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula. *Dan.* 3. *v.* 57.

Ant. p. 6. Laudáte.

PSALMUS. 150.

Deus omni muſica genere laudandus.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ; * laudáte eum in pſaltério & cítharâ.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte Dóminum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus *v.* 2.

Capitulum Apoc. 7. 12.

BEnedíctio, & cláritas, & ſapiéntia, & gratiárum áctio, honor, & virtus, & fortitúdo Deo noſtro, in ſæcula ſæculórum. Amen.

℞. Deo grátias.

℣. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo,

℞. Ut meditárer elóquia tua. *Pſ.* 118. *v.* 148.

Antiph. ut in Proprio.

Canticum Zachariæ. *Luc.* 1.

BEnedíctus Dóminus Deus Iſrael; * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ;

Et eréxit cornu ſalútis nobis, * in domo David púeri ſui,

Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui à ſæculo ſunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis noſtris, * & de manu ómnium qui odérunt nos;

Ad faciéndam miſericórdiam cum pátribus noſtris, * & memorári teſtaménti ſui ſancti:

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrũ, * datúrum ſe nobis;

Ut ſine timóre de manu

inimicórum noſtrórum liberáti, * ſerviámus illi,

In ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, * ómnibus diébus noſtris.

Et tu, puer, Prophéta Altíſſimi vocáberis; * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus;

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus, * in remiſſiónem peccatórum eórum,

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos Oriens ex alto;

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis ſedent, * ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.

Glória Patri, &c,

Ant. & Oratio, ut in Proprio.

Deinde dicitur : ℣. Dóminus vobíſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Fit commemoratio de Simplici, ſi occurrat.

In fine cujuſque Officii, ſi aliud non ſequatur, additur ſubmiſſâ voce : ℣. Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

AD PRIMAM.

Pater noſter. Ave.

℣. Deus, in adjutórium. *ut ſupra ad Laudes.*

HYMNUS.

UMbras fugávit æthere
Sol ortus; & ſolémnia
Sacræ diéi præcipit
Feſtis obíre cántibus.

Nil lingua peccet, nil manus,
Nil mens ináne cógitet;
In ore ſimplex véritas,
In corde regnet cháritas.

Incœpta dùm fluet dies,
O Chriſte! ne, qui círcuit,
Illúdat hoſtis ſénſibus,
Cuſtos tuére pérvigil.

Supérba ne nimis caro
Menti licénter ímperet,
Pugnáre da, da víncere,
Teſtis, Deus, certáminis.

Deo Patri ſit glória
Ejúſque ſoli Fílio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculũ.
Amen.

Ant. t. 7 A. Deus meus.

PSALMUS 117.

Gratias agit Eccleſia quòd ſalútem per Chriſtum ſit conſecúta.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc Iſrael quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aárõ, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor; * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor; * & ego deſpíciã inimícos meos.

Bonum eſt confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum eſt ſperáre in Dómino, * quàm ſperáre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Circumdedérunt me ſicut apes, & exarſérunt ſicut ignis in ſpinis: * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Impúlſus evérſus ſum ut cáderem, * & Dóminus ſuſcépit me.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus; * & factus eſt mihi in ſalútem.

Vox exultatiónis & ſalútis, * in tabernáculis juſtórũ.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, ſed vivam; * & narrábo ópera Dómini.

Caſtígans caſtigávit me Dóminus, * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas juſtítiæ, ingréſſus in eas confitébor Dómino: * hæc porta Dómini, juſti intrábunt in eã.

Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me, * & factus es mihi in ſalútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificantes, * hic factus eſt in caput ánguli.

A Dómino factum eſt iſtud, * & eſt mirábile in óculis noſtris.

Hæc eſt dies quam fecit Dóminus; * exultémus, & lætémur in ea.

O Dómine, ſalvum me fac, ô Dómine benè proſperáre: * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Conſtitúite diem ſolémnem in condénſis, * uſque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi; * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me, * & factus es mihi in ſalútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Glória Patri, &c.

P S A L M U S 118.

Mandatorum Dei laus.

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui ſcrutántur teſtimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandáſti * mandáta tua cuſtodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ * ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas!

Tunc non confúndar, * cùm perſpéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis, * in eo quod

Vox Dómini confringéntis cedros; * & confringet Dóminus cedros Líbani;

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani: * & diléctus quemádmodū fílius unicórnium.

Vox Dñi intercidéntis flammam ignis: * vox Dñi concutiéntis desértum; & cōmovébit Dñus desértū Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénsa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit; * & sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit; * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Ant. Dóminus virtútem pópulo suo dabit; Dóminus benedícet pópulo suo in pace. ℣. II.

℣. Médiâ nocte surgébam,

℟. Ad confiténdum tibi, Dómine. *Ps* 118. 62.

Pater noster *secretò*.. *aliâ voce*: Et ne nos, &c.

Absolutio, Benedict. ut habentur post Psalterium.

Lectiones, & ℟. ℟. ℟. ut habentur in Proprio de Tempore.

IN III. NOCTURNO.

Ant. ℣. 5. Cantet.

PSALMUS 29.

Post suos in passione labores, & suam in resurrectione victoriam. gratias agit Christus.

EXaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me; * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * & sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam: * salvásti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus; * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus;

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus, * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in ætérnum.

Dñe, in voluntáte tua * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam à me, * & factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo, * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & misértus est mei; * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meū in gáudium mihi, * conscidísti saccum meum, & circumdedísti me lætítiâ,

Ut cantet tibi glória mea, & non compúngar: * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Cantet tibi glória mea, & non compúngar: Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi. *v.* 13.

Ant. t. 6. Cogitátio.

PSALMUS 75.

Exaltandum magnum Chriſti nomen, per quem ſalus Eccleſiæ facta eſt.

NOtus in Judæa Deus;* in Iſrael magnum nomen ejus.

Et factus eſt in pace locus ejus, * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * ſcutum, gládium, & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis: * turbáti ſunt omnes inſipiéntes corde.

Dormiérunt ſomnũ ſuũ,* & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus ſuis.

Ab increpátione tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui aſcendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis reſíſtet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum fecíſti judícium; * terra trémuit, & quiévit,

Cum exúrgeret in judícium Deus, * ut ſalvos fáceret omnes manſuétos terræ:

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi,* & reliquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo veſtro,* omnes qui in circúitu ejus affértis múnera,

Terríbili, & ei qui aufert ſpíritum príncipum,* terríbili apud reges terræ.

Ant. Cogitátio hóminis confitébitur tibi, & relíquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi. *v.* 11.

Ant. t. 5. Buccináte.

PSALMUS 80.

Feſta piè celebranda, hinc Dei favor.

EXultáte Deo adjutóri noſtro,* jubiláte Deo Jacob.

Súmite pſalmum, & date tympanum, * pſaltérium jucúndum cum cithara.

Buccináte in Neoménia tubâ, * in insígni die ſolemnitátis veſtræ:

Quia præcéptum in Iſrael eſt, * & judícium Deo Jacob.

Teſtimónium in Joſeph póſuit illud, cùm exíret de terra Ægypti: * linguam quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorſum ejus, * manus ejus in cóphino ſerviérunt.

In tribulatióne invocáſti me, & liberávi te; * exaudívi te in abſcóndito tempeſtátis, probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & conteſtábor te; * Iſrael, ſi audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum alienum.

Ego enim ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti; * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam, * & Iſrael non inténdit mihi.

Et dimíſi eos ſecúndùm deſidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus ſuis.

Si pópulus meus audíſſet me, * Iſrael ſi in viis meis ambulâſſet,

Pro nihilo fórſitan inimícos eórum humiliáſſem, * & ſuper tribulántes eos miſíſſem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti ſunt ei; * & erit tempus eórum in ſæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle ſaturávit eos.

Ant. Buccináte in Neoménia tubâ, in insígni die ſolēnitátis veſtræ; quia præcéptum in Iſrael eſt. *v.* 4 5.

℣. In nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta;

℟. Et benedícite Dóminum. *Pſ.* 133. 2.

Pater noſter *ſecretò, ut ſuprà.*

Abſolutio & Benedict. ut habentur poſt Pſalterium.

Lectiones, & ℟. ℟. ℟. *ut in Proprio de Tempore.*

Poſt ultimum Reſponſorium, dicitur, (niſi aliter notetur in Proprio.)

Te Deum laudámus; * te Dóminū confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli; * tibi cœli, & univérſæ poteſtátes;

Tibi Chérubim & Séraphim * inceſſábili voce proclámant:

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus, Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni ſunt cœli & terra * majeſtátis glóriæ tuæ.

Te glorióſus * Apoſtolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * ſancta confitétur Ecclésia

Patrē * imménſæ majeſtátis:

Venerándum tuum verum, * & únicum Fílium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Chriſte:

Tu Patris * ſempitérnus es Fílius:

Tu, ad liberándum ſuſcepturus hóminem, * non horruíſti Vírginis uterum:

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuíſti credéntibus regna cœlórum:

Tu ad déxteram Dei ſedes, * in glória Patris.

Judex créderis * eſſe ventúrus.

Te ergo, quæſumus, fámulis tuis ſúbveni, * quos pretióſo ſánguine redemiſti.

Ætérnâ fac * cum ſanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuū, Dómine, * & benedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * & extólle illos uſque in ætérnum.

Per ſingulos dies * benedícimus te;

Et laudámus nomen tuũ in ſæculum, * & in ſæculum ſæculi.

Dignáre, Dómine, die iſto * ſine peccáto nos cuſtodìre.

Miſerére noſtrî, Dómine, * miſerére noſtrî.

Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, * quemádmodum ſperávimus in te.

In te, Dómine, ſperávi; * non confúndar in ætérnũ.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Ad te orábo, Dómine, ℟. Manè exaúdies vocem meam. *Pſ.* 5. 4.

DEus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69 *v.* 2.

Glória Patri, & Fílio, & Spíritui ſancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculórum. Amen. Allelúia, *vel,* Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ. *ut ſupra notatum eſt.*

Ant. t. 8. *B.* Mirábilis.

PSALMUS 92.

Quàm mirabilis Chriſtus in regno ſuo, & ſua lege.

DOminus regnávit, decórem indútus eſt; * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcínxit ſe.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc; * à ſæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine, * elevavérunt flúmina vocem ſuam;

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris; * mirábilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis: * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérũ. Glória Patri, &c.

Ant. Mirábilis in altis Dóminus; teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis. *v.* 4. 5.

Ant. t. 1. *F.* Introíte.

PSALMUS 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio.

JUbiláte Deo, omnis terra, * ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus; ipſe fecit nos, & non ipſi nos: * pópulus ejus & oves páſcuæ ejus.

Introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus, * in ætérnum miſericórdia ejus, & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis. *v.* 4.

Ant. t. 3. *E.* Mélior eſt.

PSALMUS 62.

Ad Deum luce primâ deſiderat juſtus.

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea; * quàm multiplíciter tibi caro mea!

In terra deſérta, & ínvia, & inaquóſa, ſic in ſancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuã, & glóriam tuã.

Quóniam mélior eſt miſericórdia tua ſuper vitas; * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî ſuper ſtratum meum, in matutínis meditábor in te; * quia fuíſti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultàbo, adhæſit ánima mea poſt te; * me ſuſcépit déxtera tua.

Ipſi verò in vanum quæſiérunt ánimam meam; * introíbunt in inferióra terræ, tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo; * quia obſtrúctum eſt os loquéntium iníqua.

Ant. Mélior eſt miſericórdia tua ſuper vitas; lábia mea laudábunt te. *v.* 4.

Ant *t.* 5. Omnia.

Canticum trium puerorum.

Dan. 3.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, ſol & luna, Dómino; * benedícite, ſtellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * benedícite, omnes ſpíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æſtus, Dómino: * benedícite, frigus & æſtus, Dómino.

Benedícite, rores & pruína, Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, glácies & nives, Dómino, * benedícite, noctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminũ; * laudet & ſuperexáltet eum in ſæcula.

Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, univérſa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

Benedícite, cete & ómnia quæ movéntur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béſtiæ & pécora, Dómino: * benedícite, filii hóminum, Dómino.

Benedícat Iſrael Dóminum; * laudet & ſuperexáltet eum in ſæcula.

Benedícite, ſacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, ſervi Dómini, Dómino.

Benedícite, ſpíritus & ánimæ juſtórum, Dómino: * benedícite, ſancti & húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Míſael, Dómino; * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula.

Benedicámus Patrem, & Fílium, cum ſancto Spíritu: * laudémus & ſuperexaltémus eum in ſæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli: * & laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula.

Hìc non dicitur Glória Patri.

Ant. Omnia ópera Dómini, laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula. *Dan.* 3. *v.* 57.

Ant. t. 6. Laudáte.

PSALMUS. 150.

Deus omni muſicæ genere laudandus.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ; * laudáte eum in pſaltério & cítharâ.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte Dóminum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus *v.* 2.

Capitulum Apoc. 7. 12.

BEnedíctio, & cláritas, & ſapiéntia, & gratiárum áctio, honor, & virtus, & fortitúdo Deo noſtro, in ſæcula ſæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

℣. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo,

℟. Ut meditárer elóquia tua. *Pſ.* 118. *v.* 148.

Antiph. ut in Proprio.

Canticum Zachariæ. *Luc.* 1.

BEnedíctus Dóminus Deus Iſrael; * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ;

Et eréxit cornu ſalútis nobis, * in domo David púeri ſui,

Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui à ſæculo ſunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis noſtris, * & de manu ómnium qui odérunt nos;

Ad faciéndam miſericórdiam cum pátribus noſtris, * & memorári teſtaménti ſui ſancti:

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrũ, * datúrum ſe nobis;

Ut ſine timóre de manu

inimicórum noſtrórum liberáti, * ſerviámus illi,

In ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, * ómnibus diébus noſtris.

Et tu, puer, Prophéta Altíſſimi vocáberis; * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus;

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus, * in remiſſiónem peccatórum eórum,

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos Oriens ex alto;

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis ſedent, * ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.

Glória Patri, &c,

Ant. & Oratio, ut in Proprio.

Deinde dicitur : ℣. Dóminus vobíſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Fit commemoratio de Simplici, ſi occurrat.

In fine cujuſque Officii, ſi aliud non ſequatur, additur ſubmiſſâ voce : ℣. Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

AD PRIMAM.

Pater noſter. Ave.

℣. Deus, in adjutórium. *ut ſupra ad Laudes.*

HYMNUS.

Umbras fugávit æthere
Sol ortus; & ſolémnia
Sacræ diéi præcipit
Feſtis obíre cántibus.

Nil lingua peccet, nil manus,
Nil mens ináne cógitet;
In ore ſimplex véritas,
In corde regnet cháritas.

Incœpta dùm fluet dies,
O Chriſte! ne, qui círcuit,
Illúdat hoſtis ſénſibus,
Cuſtos tuére pérvigil.

Supérba ne nimis caro
Menti licénter ímperet,
Pugnáre da, da víncere,
Teſtis, Deus, certáminis.

Deo Patri ſit glória
Ejúſque ſoli Fílio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculũ.
Amen.

Ant. *t.* 7 *A.* Deus meus.

PSALMUS 117.

Gratias agit Eccleſia quòd ſalútem per Chriſtum ſit conſecúta.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc Iſrael quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aárõ, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor; * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor; * & ego deſpíciã inimícos meos.

Bonum eſt confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum eſt ſperáre in Dómino, * quàm ſperáre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Circumdedérunt me ſicut apes, & exarſérunt ſicut ignis in ſpinis: * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Impúlſus evérſus ſum ut cáderem, * & Dóminus ſuſcépit me.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus; * & factus eſt mihi in ſalútem.

Vox exultatiónis & ſalútis, * in tabernáculis juſtórũ.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, ſed vivam; * & narrábo ópera Dómini.

Caſtígans caſtigávit me Dóminus, * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas juſtítiæ, ingréſſus in eas confitébor Dómino: * hæc porta Dómini, juſti intrábunt in eã.

Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me, * & factus es mihi in ſalútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificantes, * hic factus eſt in caput ánguli.

A Dómino factum eſt iſtud, * & eſt mirábile in óculis noſtris.

Hæc eſt dies quam fecit Dóminus; * exultémus, & lætémur in ea.

O Dómine, ſalvum me fac, ô Dómine benè proſperáre: * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Conſtitúite diem ſolémnem in condénſis, * uſque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi; * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me, * & factus es mihi in ſalútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Glória Patri, &c.

PSALMUS 118.

Mandatorum Dei laus.

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui ſcrutántur teſtimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandáſti * mandáta tua cuſtodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ * ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas!

Tunc non confúndar, * cùm perſpéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis, * in eo quod

dídici judícia juſtítiæ tuæ.

Juſtificatiónes tuas cuſtódiam; * non me derelínquas uſquequáque.

In quo córrigit adoleſcéntior viam ſuam? * in cuſtodiéndo ſermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te; * ne repéllas me à mandátis tuis.

In corde meo abſcóndi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine; * doce me juſtificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via teſtimoniórum tuórum delectátus ſum, * ſicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * & conſiderábo vias tuas.

In juſtificatiónibus tuis meditábor, * non oblivíſcar ſermónes tuos.

Glória Patri, &c.

I. *Diviſio Pſalmi* 118.

Retríbue ſervo tuo, vivífica me; * & cuſtódiam ſermónes tuos.

Revéla óculos meos; * & conſiderábo mirabília de lege tua.

Incola ego ſum in terra; * non abſcóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea deſideráre juſtificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpáſti ſupérbos; * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contémptum; * quia teſtimónia tua exquisívi.

Etenim ſéderunt príncipes, & advérsùm me loquebántur; * ſervus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis;

Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt, * & consíliũ meum juſtificatiónes tuæ.

Adhæſit paviménto ánima mea; * vivífica me ſecúndum verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudíſti me; * doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárum ínſtrue me; * & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio; * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me; * & de lege tua miſerére meî.

Viam veritátis elégi, * judícia tua non ſum oblítus.

Adhæſi teſtimóniis tuis, Dómine; * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cùm dilatáſti cor meum.

Gloria Patri, &c.

Quando fit Officium de Dominicâ, dicitur Symbolum ſequens.

Quicúmque vult ſalvus eſſe, * ante ómnia opus eſt, ut téneat cathólicam fidem,

Quam niſi quiſque íntegram, inviolatamque ſeryáverit, * abſque dubio in æ-ternum peribit.

Fides autem cathólica hæc eſt, * ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in Unitáte venerémur,

Neque confundéntes perſónas, * neque ſubſtántiam ſeparántes.

Alia eſt enim perſóna Patris, ália Filii, * ália Spíritûs ſancti:

Sed Patris, & Filii, & Spíritûs ſancti una eſt Divínitas, * æquális glória, coætérna majéſtas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus ſanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus ſanctus.

Imménſus Pater, imménſus Fílius, * imménſus Spíritus ſanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, * ætérnus Spíritus ſanctus;

Et tamen non tres ætérni; * ſed unus ætérnus:

Sicut non tres increáti, nec tres imménſi; * ſed unus increátus, & unus imménſus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus ſanctus:

Et tamen non tres omnipoténtes, * ſed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius: * Deus Spíritus ſanctus.

Et tamen non tres dii; * ſed unus eſt Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus ſanctus;

Et tamen non tres dómini; * ſed unus eſt Dóminus.

Quia ſicut ſingillátim unamquámque perſonam, Deum ac Dóminum confitéri chriſtiánâ veritáte compéllimur; * ita tres deos, aut dóminos dícere, cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo eſt factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre ſolo eſt; * non factus, nec creátus, ſed génitus.

Spíritus ſanctus à Patre & Fílio; * non factus, nec creátus, nec génitus, ſed procédens.

Unus ergo Pater, non tres patres; unus Fílius, non tres fílii; * unus Spíritus ſanctus, non tres ſpíritus ſancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut poſtérius, nihil majus aut minus; * ſed totæ tres perſónæ coætérnæ ſibi ſunt & coæquáles.

Ita ut per ómnia, ſicut jam ſupra dictum eſt, * & Unitas in Trinitáte, & Trínitas in Unitáte veneránda ſit.

Qui vult ergo ſalvus eſſe, * ita de Trinitáte ſéntiat.

Sed neceſſárium eſt ad ætérnam ſalútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini noſtri Jeſu Chriſti fidéliter credat.

Eſt ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Dei Fílius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtántia Pa-

tris ante ſæcula génitus; * & homo eſt ex ſúbſtántia Matris in ſæculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo; * ex ánima rationáli, & humánâ carne ſubsíſtens.

Æquális Patri ſecúndùm divinitátem; * minor Patre ſecúndùm humanitátem.

Qui licet Deus ſit & homo; * non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem non converſióne divinitátis in carnem; * ſed aſſumptióne humanitátis in Deum.

Unus omníno, non confuſióne ſubſtántiæ; * ſed unitáte perſónæ;

Nam ſicut ánima rationális & caro unus eſt homo; * ita Deus & homo unus eſt Chriſtus:

Qui paſſus eſt pro ſalúte noſtra, deſcéndit ad ínferos, * tértiâ die reſurréxit à mórtuis:

Aſcéndit ad cœlos, ſedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis, * inde ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos:

Ad cujus advéntum omnes hómines reſúrgere habent cum corpóribus ſuis, * & redditúri ſunt de factis própriis ratiónem:

Et qui bona egérunt, ibũt in vitam ætérnam; * qui verò mala, in ignem ætérnum.

Hæc eſt fides cathólica, * quam niſi quiſque fidéliter firmitérque credíderit, ſalvus eſſe non póterit.

Glória Patri, &c.

Ant. Deus meus es tu, & confitébor tibi; Deus meus es tu, & exaltábo te. *Pſ.* 117. *v.* 28.

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 17.

Regi ſæculórum immortáli, invisíbili, ſoli Deo honor & glória in ſæcula ſæculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

℟. *Breve.* Chriſte Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. (*repetitur*) Chriſte, &c. ℣. Qui ſedes ad déxteram Patris; (*repetitur*) Miſerére nobis. *Matt.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. *Hebr.* 1. 3.

Aliquando Verſus mutatur, & tunc notatur in Proprio.

Glória Patri, &c. (*reſumitur*) Chriſte, &c.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſal.* 43. 26.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

Domine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diei nos perveníre fecíſti, tuâ nos hodie ſalva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, ſed ſemper ad tuam juſtítiam faciéndam noſtra procedant elóquia, dirigántur cogitatiónes & ópera; Per Dóminũ noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus,

ti Deus, per ómnia ſæcula ſæculorum. ℞. Amen.

℣. Dominus vobiſcum,

℞. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℞. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Quo lecto Hebdomadarius dicit:

℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini,

℞. Mors ſanctórum ejus. *Pſ.* 115. 15. *Et absolutè ſine Oremus:*

Sancta María, & omnes ſancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári, & ſalvári, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculórum. ℞. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℞. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſal.* 69. 2.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℞. Dómine, &c.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℞. Dómine, &c.

Glória Patri, &c.

Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon.

Pater noſter, *ſecretò*: *altà voce*: ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℞. Sed líbera nos à malo.

℣. Réſpice in ſervos tuos, Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum.

℞. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. *Pſ.* 89. 16. 17. Glória Patri, &c.

O r e m u s.

Dirígere & ſanctificáre, regere & gubernáre dignáre, Domine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes, & actus noſtros in lege tua, & in opéribus mandatórum tuorum; ut hic, & in æternum, te auxiliánte, ſalvi & líberi eſſe mereámur, Salvator mundi; Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℞. Amen.

Poſtea Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

Benedictio. Det Dóminus leges ſuas in mentem noſtram, & in corde noſtro ſuperſcribat eas. *Hebr.* 8. 10. ℞. Amen.

Fit lectio Canonis, ut habetur in Proprio de Tempore, pro ſingulis diebus: in cujus fine dicitur: Tu autem, Dñe, miſerére noſtri. ℞. Deo grátias.

Deinde Hebdomadarius dicit: ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, ℞. Qui fecit cœlũ & terrã. *Pſ.* 123. 8.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℞. Ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum. *Pſal.* 112. 2.

℣. Benedicámus Dómino.

℞. Deo grátias.

Benedictio. Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram ſe, per Jeſum Chriſtum, cui eſt glória in ſæcula ſæculórum. ℞. Amen. *Hebr.* 13. 20. 21.

Secretò: Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

A D T E R T I A M.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

H Y M N U S.

O Cháritas, quâ férvidus
Homo Dei fit párticeps!
Et méntium ſis una lux,
Et unus ignis córdium.

Nos nulla labes ínquinet;
Nos nulla cæcet vanitas;
Diémque ſacram díligens,
Te dante, fervor ímpleat.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculum.
Amen.

Ant. t. 1. *F.* Pórtio.

2. *Diviſio Pſalmi* 118.

LEgem pone mihi, Dómine, viam juſtificatiónum tuárum; * & exquíram eam ſemper.

Da mihi intelléctũ, & ſcrutábor legem tuã, * & cuſtódiã illam in toto corde meo.

Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum, * quia ipſam vólui.

Inclína cor meũ in teſtimónia tua, * & non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem; * in via tua vivífica me.

Státue ſervo tuo elóquium tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum quod ſuſpicátus ſum; * quia judícia tua jucúnda.

Ecce cõcupívi mandáta tua; * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat ſuper me miſericórdia tua, Dómine, * ſalutáre tuum ſecúndùm elóquium tuum.

Et reſpondébo exprobrántibus mihi verbum; * quia ſperávi in ſermónibus tuis.

Et ne aúferas de ore meo verbum veritátis uſquequáque; * quia in judíciis tuis ſuperſperávi.

Et cuſtódiam legem tuam ſemper, * in ſæculum & in ſæculum ſæculi.

Et ambulábam in latitúdine; * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de teſtimóniis tuis in conſpéctu regum, * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ diléxi; * & exercébar in juſtificatiónibus tuis. Glória Patri, &c.

3. *Diviſio Pſalmi* 118.

MEmor eſto verbi tui ſervo tuo, * in quo mihi ſpem dedíſti.

Hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea; * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iníquè agébant uſquequáque, * à lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à ſæculo, Dómine; * & conſolatus ſum.

Deféctio ténuit me * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant juſtificatiónes tuæ, * in loco

peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine, * & cuſtodívi legem tuam.

Hæc facta eſt mihi; * quia juſtificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine, * dixi, Cuſtodíre legem tuam.

Deprecátus ſum fáciem tuã in toto corde meo; * miſerére meî ſecúndùm elóquium tuũ.

Cogitávi vias meas, * & convérti pedes meos in teſtimónia tua.

Parátus ſum, & non ſum turbátus, * ut cuſtódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi ſunt me; * & legem tuã non ſum oblítus.

Médiâ nocte ſurgébam ad confiténdum tibi, * ſuper judícia juſtificatiónis tuæ.

Párticeps ego ſum ómniũ timéntium te, * & cuſtodiéntium mandáta tua.

Miſericórdiâ tuâ, Dómine, plena eſt terra; * juſtificatiónes tuas doce me.

Glória Patri, &c.

4. *Diviſio Pſalmi* 118.

BOnitátem feciſti cum ſervo tuo, Dómine, * ſecúndùm verbum tuum.

Bonitátem, & diſciplínam, & ſciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

Priuſquàm humiliárer ego delíqui; * proptérea elóquium tuum cuſtodívi.

Bonus es tu; * & in bonitáte tua doce me juſtificatiónes tuas.

Multiplicáta eſt ſuper me iníquitas ſuperbórum; * ego autem in toto corde meo ſcrutábor mandáta tua.

Coagulátum eſt ſicut lac cor eórum; * ego verò legem tuam meditátus ſum.

Bonum mihi quia humiliáſti me, * ut diſcam juſtificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui * ſuper míllia auri & argénti.

Manus tuæ fecérunt me, & plaſmavérunt me; * da mihi intelléctum, & diſcam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabúntur; * quia in verba tua ſuperſperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, * & in veritáte tua humiliáſti me.

Fiat miſericórdia tua ut conſolétur me, * ſecúndum elóquium tuum ſervo tuo.

Véniant mihi miſeratiónes tuæ, & vivam; * quia lex tua meditátio mea eſt.

Confundántur ſupérbi, quia injúſtè iniquitátem fecérunt in me; * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te, * & qui novérunt teſtimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in juſtificatiónibus tuis, * ut non confúndar. Glória, &c.

A. 1. Pórtio mea, Dómine, dixi, Cuſtodíre legẽ tuã. *v.* 57.

Capitulum Hebr. 4. 9. 10.

FRatres, Relínquitur ſabbatíſmus pópulo Dei: qui enim ingreſſus eſt in réquiem ejus, étiam ipſe re-

quiévit ab opéribus ſuis, ſicut à ſuis Deus. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Inclína cor meum, Deus, * In teſtimónia tua: *Repetitur.* Inclína. ℣. Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem; in via tua vivífica me: (*Rep.*) In teſtimónia tua. Glória Patri, &c. (*Reſum.*) Inclína. *Pſ.* 118. 36. 37.

℣. Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum;

℟. Quia ipſam vólui. *Pſ.* 118. 35.

Oratio ut in Proprio.

AD SEXTAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

JAm ſolis aúreum jubar
Pleno corúſcat lúmine:
Tu vera, Chriſte, claritas,
Noſtris refúlge ſénſibus.

O Dux ſalútis & via!
O vita! quos doces, rege:
Et quos regis, da cónſequi
Vitæ perénnis gaúdia.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculum.
Amen.

Ant. *t.* 3. *E.* Adjuva me.

5. *Diviſio Pſalmi* 118.

DEfécit in ſalutáre tuum ánima mea, * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes; Quando conſoláberis me?

Quia factus ſum ſicut uter in pruína; * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

Quot ſunt dies ſervi tui? * Quando fácies de perſequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes; * ſed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iníquè perſecúti ſunt me, ádjuva me.

Paulò minùs conſummavérunt me in terra; * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndùm miſericórdiam tuam vivífica me, * & cuſtódiam teſtimónia oris tui.

In ætérnum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundáſti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tuâ perſevérat dies; * quóniam ómnia ſérviunt tibi.

Niſi quòd lex tua meditátio mea eſt, * tunc fortè periiſſem in humilitáte mea.

In ætérnum non oblivíſcar juſtificatiónes tuas; * quia in ipſis vivificáſti me.

Tuus ſum ego, ſalvum me fac, * quóniam juſtificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me; * teſtimónia tua intelléxi.

Omnis conſummatiónis vidi finem; * latum mandátum tuum nimis. Glória &c.

6. *Diviſio Pſalmi* 118.

QUómodo diléxi legem tuam, Dómine, * totâ die meditátio mea eſt.

Super inimícos meos prudéntem me fecíſti mandato

tuo ;* quia in ætérnum mihi eſt.

Super omnes docéntes me intelléxi ; * quia teſtimónia tua meditátio mea eſt.

Super ſenes intelléxi ; * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * ut cuſtódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi, * quia tu legem poſuíſti mihi.

Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua ! * ſuper mel ori meo.

A mãdátis tuis intelléxi ; * proptérea odívi omnẽ viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * & lumen ſémitis meis.

Jurávi & ſtátui * cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ.

Humiliátus ſum uſquequáque, Dómine ; * vivífica me ſecúndùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine ; * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis ſemper, * & legem tuam non ſum oblítus.

Poſuérunt peccatóres láqueum mihi, * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi teſtimónia tua in ætérnum ; * quia exultátio cordis mei ſunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas juſtificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem. *Glória, &c.*

7. Diviſio Pſalmi. 118.

INíquos ódio hábui, * & legem tuam diléxi.

Adjútor & ſuſcéptor meus es tu ; * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Declináte à me, malígni ; * & ſcrutábor mandáta Dei mei.

Súſcipe me ſecúndùm elóquium tuum, & vivam ; * & non confúndas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & ſalvus ero ; * & meditábor in juſtificatiónibus tuis ſemper.

Sprevíſti omnes diſcedéntes à judíciis tuis ; * quia injúſta cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ ; * ídeò diléxi teſtimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas ; * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & juſtítiã ; * non tradas me calumniántibus me.

Súſcipe ſervum tuum in bonum ; * non calumniéntur me ſupérbi.

Oculi mei defecérunt in ſalutáre tuum ; * & in elóquium juſtítiæ tuæ.

Fac cum ſervo tuo ſecúndùm miſericórdiam tuam ; * & juſtificatiónes tuas doce me.

Servus tuus ſum ego ; * da mihi intelléctum, ut ſciam teſtimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine ; * diſſipavérunt legem tuã.

Ideò diléxi mandáta tua, * ſuper aurum & topázion.

Proptérea ad ómnia mandáta tua dirigébar; * omnẽ viam iníquam ódio hábui. Glória, &c.

Ant. Adjuva me, & ſalvus ero; & meditábor in juſtificatiónibus tuis ſemper. *v.* 117.

Capitulum. Ephes. 5. 18. 19.

FRatres, Implémini Spíritu ſancto, loquéntes vobiſmetípſis in pſalmis, & hymnis, & cánticis ſpirituálibus, cantántes & pſalléntes in córdibus veſtris Dómino. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Confitébor tibi, Dómine, * In toto corde meo. (*Repet.*) Confitebor. ℣. In concílio juſtórũ & congregatióne. (*Rep*) In toto. Glória. *Reponitur* Confitébor. *Pſalm.* 110. 1.

℣. Confitébor tibi in Eccléſia magna; ℟. In pópulo gravi laudábo te. *Pſ.* 34. 18.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

REcédit inclínans dies;
Sic vita præceps lábitur:
Sanctus ſupérnam júgiter
Suſpiret ardor pátriam.

Die, Deus, quâ præcipis
Te diligámus plénius;
Nec ora ceſſent débitas
Grates canéndo ſolvere.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Filio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculum.
Amen.

Ant. 4. *E.* Aſpice.

8. *Diviſio Pſalmi* 118.

MIrabília teſtimónia tua; * ídeò ſcrutáta eſt ea ánima mea.

Declarátio ſermónum tuórum illúminat, * & intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attráxi ſpíritum; * quia mandáta tua deſiderábam.

Aſpice in me, & miſerére meî, * ſecúndum judícium diligéntium nomen tuũ.

Greſſus meos dírige ſecúndùm elóquium tuum, * & non dominetur meî omnis injuſtítia.

Rédime me à calúmniis hóminum; * ut cuſtódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina ſuper ſervum tuum, * & doce me juſtificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt oculi mei; * quia non cuſtodiérunt legem tuam.

Juſtus es, Dómine, * & rectum judícium tuum.

Mandáſti juſtítiam teſtimónia tua, * & veritátem tuam nimis.

Tabéſcere me fecit zelus meus; * quia oblíti ſunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum vehementer; * & ſervus tuus diléxit illud.

Adoleſcéntulus ſum ego, & contémptus; * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

Juſtítia tua, juſtítia in ætérnum; * & lex tua véritas.

Tribulátio & angúſtia invenérunt me; * mandáta tua

meditátio mea eſt.

Æquitas teſtimónia tua in ætérnum; * intelléctum da mihi, & vivam. Glória, &c.

9. *Diviſio Pſalmi* 118.

CLamávi in toto corde meo, exaúdi me, Dómine; * juſtificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, ſalvum me fac, * ut cuſtódiã mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamávi; * quia in verba tua ſuperſperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo, * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi ſecúndùm miſericórdiam tuam, Dómine, * & ſecúndùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt perſequéntes me iniquitáti; * à lege autem tuâ longè facti ſunt.

Propè es tu, Dómine, * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de teſtimóniis tuis; * quia in ætérnum fundáſti ea.

Vide humilitátem meam, & éripe me; * quia legem tuam non ſum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me; * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus ſalus; * quia juſtificatiónes tuas non exquiſiérunt.

Miſericórdiæ tuæ multæ, Dómine, * ſecúndùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui perſequúntur me, & tríbulant me; * à teſtimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabeſcébam; * quia elóquia tua non cuſtodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine; * in miſericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas: * in ætérnum ómnia judícia juſtítiæ tuæ. Glória, &c.

10. *Diviſio Pſalmi* 118.

PRíncipes perſecúti ſunt me gratìs; * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego ſuper elóquia tua, * ſicut qui invénit ſpólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, & abominátus ſum; * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi, * ſuper judícia juſtítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam, * & non eſt illis ſcándalum.

Expectábam ſalutáre tuũ, Dómine; * & mandáta tua diléxi.

Cuſtodívit ánima mea teſtimónia tua, * & diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, & teſtimónia tua; * quia omnes viæ meæ in conſpéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conſpéctu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuũ da mihi intelléctum.

Intret poſtulátio mea in conſpéctu tuo: * ſecúndùm elóquium tuum éripe me.

Súſcitans à terra ínopem, * & de ſtércore érigens páuperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli ſui;

Qui habitáre facit ſtérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Ant Sit nomen Dómini benedíctum in ſæcula. *v.* 2.

Ant. t. 1. *irreg.* Nos qui vívimus.

PSALMUS 113.

Dei potentia : Idolorum vanitas.

IN éxitu Iſrael de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo barbaro,

Facta eſt Judæa ſanctificátio ejus, * Iſrael potéſtas ejus.

Mare vidit, & fugit; * Jordánis convérſus eſt retrórſum.

Montes exultavérunt ut aríetes, * & colles ſicut agni óvium.

Quid eſt tibi, mare, quòd fugíſti? * & tu, Jordánis, quia convérſus es retrórſum?

Montes, exultáſtis ſicut aríetes, * & colles, ſicut agni óvium?

A fácie Dómini mota eſt terra, * à fácie Dei Jacob,

Qui convértit petram in ſtagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis, * ſed nómini tuo da glóriam ſuper miſericórdia tua & veritáte tua;

Nequándo dicant gentes: * Ubi eſt Deus eórum?

Deus autem noſter in cœlo; * ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Simulácra géntium, argéntum & aurum, * ópera mánuum hóminum:

Os habent, & non loquéntur; * óculos habent, & non vidébunt;

Aures habent, & non aúdient; * nares habent, & non odorábunt;

Manus habent, & non palpábunt; pedes habent, & non ambulábunt; * non clamábunt in gútture ſuo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Iſrael ſperávit in Dómino; * adjútor eórum & protéctor eórum eſt.

Domus Aáron ſperávit in Dómino; * adjútor eórum & protéctor eórum eſt.

Qui timent Dóminum, ſperavérunt in Dómino; * adjútor eórum & protéctor eórum eſt.

Dóminus memor fuit noſtrî, * & benedíxit nobis.

Benedíxit dòmui Iſrael, * benedíxit dòmui Aáron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus ſuper vos, * ſuper vos, & ſuper fílios veſtros.

Benedícti vos à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Cœlum cœli Dómino; * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine; * neque omnes qui deſcéndunt in inférnum:

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

Ant. Nos qui vívimus, benedícimus Dómino. *v.* 18.

Capitulum Ephes. 1. 3.

BEnedíctus Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedíxit nos in omni benedictióne ſpirituáli, in cœléſtibus, in Chriſto.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

LAudum litémus hóſtias,
Plebs ſancta, te dies vocat,
Quam tot Deus miráculis
Sibi dicátam præcipit.

Primâ diérum, quâ Pater
Verbo fit orbis ártifex,
Vult: terra, cœlum naſcitur,
Et lux vocáta próſilit.

Vitæ renáſcens hâc die,
Te de ſepúlchro ſúſcitas,
O Chriſte! tanto nos decet
Lætos triúmpho plaúdere.

Hâc luce, terris prævio
Ades fragóre, Spíritus,
Flammâ cadénte, grátiæ
Mundo refúndens múnera.

Diem diérum príncipem
Tibi, Deus, quam víndicas
Fac tota ſit præcónio
Tui ſacráta nóminis.

Hymnos verendo númini
Cantáre, ſit ſolus labor;
Nec ſancta turbet ótia
Vani tumúltus ſæculi

Qui nos creávit, laus Patri,
Laus, qui redémit, Fílio,
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea, ℟. Sicut incénſum in conſpéctu tuo. *Pſ.* 140. 2.

Antiph. in Proprio.

Canticum B. M. V. Luc. 1.

MAgníficat * ánima mea Dóminum;

Et exultávit ſpíritus meus * in Deo ſalutári meo;

Quia reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes;

Quia fecit mihi magna qui potens eſt, * & ſanctum nomen ejus:

Et miſericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio ſuo; * diſpérſit ſupérbos mente cordis ſui.

Depóſuit poténtes de ſede, * & exaltávit húmiles.

Eſuriéntes implévit bonis; * & dívites dimíſit inánes.

Suſcépit Iſrael púerũ ſuũ, * recordatus miſericórdiæ ſuæ,

Sicut locútus eſt ad patres noſtros, * Abraham, & ſémini ejus in ſæcula. Glória.

Oratio conveniens.

Fiunt commemorationes, ſi quæ faciendæ ſunt.

Completorium, ut infra poſt Veſp. Sabb.

FERIA SECUNDA.

Dixit Deus: Fiat firmamentum. Gen. 1.

OFFICII FINIS.

Creator Deus in ſua omnipotentia adorandus : hinc timor Domini.

AD OFFICIUM NOCT.

Pater. Ave. Credo.

℣ Dómine, lábia mea.

Deus, in adjutórium, &c. *ut in Dominicâ, & ſic in cæteris Feriis.*

Invitator. Unus eſt Altíſſimus, Creátor omnípotens; * Veníte, adorémus. *Eccli.* 1. 8. *Pſalm.* 94. Veníte.

In Feriis & aliis Officiis trium Lectionum, novem Pſalmi poſiti ad ſingulas Ferias, dicuntur per modum unius Nocturni. In Officiis autem novem Lectionum, iidem Pſalmi dicuntur ſub novem Antiphonis de Proprio vel de Communi, & Lectionibus poſt unumquodque Nocturnum dicendis.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. t. I. *D.* Quàm admirábile.

PSALMUS. 8.

In operibus ſuis mirabilis Dominus.

DOmine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

Quóniam eleváta eſt magnificéntia tua * ſuper cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfeciſti laudem propter inimícos tuos; * ut déſtruas inimícum & ultorē.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & ſtellas, quæ tu fundáſti.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hominis, quóniam víſitas eum?

Minuíſti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronáſti eum, * & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjecíſti ſub pédibus ejus, * oves & boves univérſas, ínſuper & pécora campi.

Vólucres cœli & piſces maris, * qui perámbulant ſémitas maris.

Dómine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

PSALMUS 18.

Creaturæ omnes omnipotentiam Creatoris prædicant.

COeli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat ſciéntiā.

Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit ſonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eorum.

In ſole póſuit tabernáculum ſuum; * & ipſe, tamquā ſponſus procédens de thálamo ſuo,

Exultávit ut gigas ad curréndam viam; * à ſummo cœlo egréſſio ejus;

Et occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus; * nec eſt qui ſe abſcondat à calóre ejus.

Lex Domini immaculáta, convértens ánimas: * teſtimónium Dómini fidéle, ſapiéntiam præſtans párvulis.

Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini ſanctus, pérmanens in ſæculum ſæculi: * judícia Domini vera, juſtificáta in ſemetípſa.

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretióſum multum; * & dulcióra ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea; * in cuſtodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me, & ab aliénis parce ſervo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei, * & meditátio cordis mei in conſpéctu tuo ſemper.

Domine, adjútor meus, * & redémptor meus.

P S A L M U S 32.

Creatorem ſuum timeat omnis terra: ipſe benignè ſaluti juſtorum invigilat.

EXultáte, juſti, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara; * in pſaltério decem chordárum pſállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * bene pſállite ei in vociferatióne;

Quia rectum eſt verbum Domini; * & ómnia opera ejus in fide.

Díligit miſericórdiam & judíciū: * miſericórdiâ Domini plena eſt terra.

Verbo Dómini cœli firmáti ſunt; * & ſpíritu oris ejus omnis virtus eorum.

Congregans ſicut in utre aquas maris; * ponens in theſaúris ábyſſos.

Tímeat Dominum omnis terra: * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem;

Quóniam ipſe dixit, & facta ſunt; * ipſe mandávit, & creáta ſunt.

Dóminus díſſipat consília géntium; * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipū.

Consílium autem Domini in ætérnum manet: * cogitationes cordis ejus in generatiónem & generationem.

Beáta gens, cujus eſt Dóminus Deus ejus; * pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi.

De cœlo reſpéxit Dóminus; * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo ſuo * reſpéxit ſuper omnes qui hábitant terram;

Qui finxit ſingillátim corda eorum; * qui intélligit ómnia ópera eorum.

Non ſalvátur rex per multam virtútem; * & gigas non ſalvábitur in multitudine virtútis ſuæ.

Fallax equus ad ſalútem; * in abundántia autem virtútis ſuæ non ſalvábitur.

Ecce óculi Dómini ſuper metuéntes eum, * & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus;

Ut éruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

Anima noſtra ſúſtinet Dóminum; * quoniam adjútor & protéctor noſter eſt;

Quia in eo lætábitur cor noſtrũ, * & in nómine ſancto ejus ſperávimus.

Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, * quemádmodum ſperavimus in te.

Ant. Quàm admirábile eſt nomen tuum, Dómine, in univérſa terra! *Pſ.* 8. 2.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. 1. 5. Annuntiábunt.

PSALMUS. 49.

Dominium Dei in omnia: non ex cæſis victimis, ſed ex animi puritate judicandi homines.

DEus deórum Dóminus locútus eſt; * & vocavit terram à ſolis ortu uſque ad occáſum.

Ex Sion ſpécies decóris ejus. * Deus maniféſtè véniet: Deus noſter, & non ſilébit.

Ignis in conſpéctu ejus exardéſcet; * & in circúitu ejus tempéſtas válida.

Advocábit cœlum deſúrſum, & terram, * diſcérnere populum ſuum.

Congregáte illi ſanctos ejus, * qui órdinant teſtaméntum ejus ſuper ſacrifícia.

Et annuntiabunt cœli juſtítiam ejus; * quoniam Deus judex eſt.

Audi, pópulus meus, & loquar; Iſrael, & teſtificábor tibi; * Deus, Deus tuus ego ſum.

Non in ſacrifíciis tuis árguam te; * holocaúſta autem tua in conſpéctu meo ſunt ſemper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos;

Quóniam meæ ſunt omnes feræ ſylvárum, * juménta in móntibus & boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli; * & pulchritúdo agri mecum eſt.

Si eſuríero, non dicam tibi; * meus eſt enim orbis terræ & plenitúdo ejus.

Numquid manducabo carnes taurórum? * aut sanguinem hircórũ potábo?

Immola Deo ſacrifícium laudis; * & redde Altíſſimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulationis: * éruam te, & honorificabis me.

Peccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enárras juſtítias meas, & aſſúmis teſtaméntum meum per os tuũ?

Tu verò odíſti diſciplínam, * & projecíſti ſermónes meos retrorsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo; * & cum adúlteris portionem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ, * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsùs fratrem tuum loquebáris, & advérsùs

filium matris tuæ ponebas ſcándalum: * hæc fecíſti, & tácui.

Exiſtimâſti, iníque, quòd ero tuî ſimilis; * árguam te, & ſtátuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui oblivíſcímini Deum; * nequándo rápiat, & non ſit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me: * & illìc iter, quo oſténdam illi ſalutáre Dei.

PSALMUS 52.

Deum non eſſe, fruſtra ſibi dicit impius, ut peccet; quondam ulciſcitur Deus.

DIxit insípiens in corde ſuo: * Non eſt Deus.

Corrúpti ſunt, & abominábiles facti ſunt in iniquitátibus: * non eſt qui fáciat bonum.

Deus de cœlo proſpéxit ſuper fílios hóminum, * ut vídeat ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt; * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Nonne ſcient omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérũt: * illìc trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus diſſipávit oſſa eórum qui homínibus placent: * confúſi ſunt, quóniam Deus ſprevit eos.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſrael? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætabitur Iſrael.

PSALMUS 74.

Deus eſt mundi rector, & futurus judex: hinc quantùm metuendus.

COnfitébimur tibi, Deus, * confitébimur, & invocábimus nomen tuum: narrábimus mirabília tua.

Cùm accépero tempus, * ego juſtítias judicabo.

Liquefácta eſt terra, & ómnes qui hábitant in ea; * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte iníquè ágere; * & delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu veſtrum, * nolíte loqui advérsùs Deum iniquitatem;

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, * neque à deſértis móntibus.

Quóniam Deus judex eſt, * hunc humíliat, & hunc exáltat:

Quia calix in manu Dómini vini meri plenus mixto; * & inclinávit ex hoc in hoc;

Verúmtamen fæx ejus non eſt exinaníta; * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in ſæculum; * cantábo Deo Jacob:

Et ómnia córnua peccatórum confríngam; * & exaltabúntur córnua juſti.

Ant. Annuntiábunt cœli

juſtítiam ejus; quóniam Deus judex eſt. *Pſ.* 49. 6.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. 1. 6. Memor ero.

PSALMUS 76.

Conſolatio ſpiritalis ex operibus Dei ſumpta.

VOce meâ ad Dóminum clamávi; * voce meâ ad Deum, & inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum; * & non ſum decéptus.

Rénuit conſolári ánima mea; * memor fui Dei, & delectátus ſum, & exercitátus ſum, & defécit ſpíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei; * turbátus ſum, & non ſum locútus.

Cogitávi dies antíquos, * & annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus ſum nocte cum corde meo, * & exercitábar, & ſcopébam ſpíritū meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacítior ſit adhuc?

Aut in finem miſericórdiam ſuam abſcindet, * à generatione in generatiónem?

Aut obliviſcetur miſeréri Deus? * aut continébit in ira ſua miſericórdias ſuas?

Et dixi: Nunc cœpi; * hæc mutátio déxteræ Excélſi.

Memor fui óperum Dómini; * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum;

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus in ſancto via tua: quis Deus magnus ſicut Deus noſter? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam feciſti in pópulis virtútem tuam; * redemíſti in bráchio tuo pópulum tuū, fílios Jacob, & Joſeph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, & timuérunt; * & turbátæ ſunt abyſſi.

Multitúdo ſónitûs aquárum; * vocem dedérunt nubes.

Etenim ſagíttæ tuæ tránſeunt; * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ; * commóta eſt, & contrémuit terra.

In mari via tua, & ſémitæ tuæ in aquis multis; * & veſtígia tua non cognoſcéntur.

Deduxíſti ſicut oves pópulum tuum; * in manu Moyſi & Aaron.

PSALMUS 81.

Diis terræ excelſior, & eorum judex Dominus.

DEus ſtetit in Synagóga deórum;* in medio autem deos dijúdicat.

Uſquequò judicátis iniquitátem, * & facies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno & pupíllo; * húmilem & páuperem juſtificáte.

Erípite paúperē, * & egénū de manu peccatóris liberáte.

Neſciérunt,

Neſciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant: * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi: Dii eſtis, * & filii Excelſi omnes.

Vos autem ſicut hómines moriémini, * & ſicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram; * quóniam tu hæreditabis in ómnibus géntibus.

PSALMUS 96.

Sculptilium vanitas: ſoli Deo laus, quia ſolus Dominus.

DOminus regnávit, exúltet terra, * læténtur ínſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxerunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant ſculptília, * & qui gloriántur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta eſt Sion;

Et exultavérunt filiæ Judæ * propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram; * nimis exaltátus es ſuper omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odite malum: * cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, juſti, in Dómino, * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

Ant. Memor ero ab inítio mirabílium tuórum: & meditabor in ómnibus opéribus tuis. *Pſ.* 76. 12. 13.

℣. Quis Deus magnus ſicut Deus noſter?

℟. Tu es Deus qui facis mirabília. *Pſ.* 76. 14. 15.

Pater noſter, *ſecretò*: Et ne nos indúcas, &c.

Abſol. Benedict. ut poſt Pſalterium. Lectiones & ℟. ℟. ℟. ut in Proprio: & ſic in cæteris Feriis.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdos.* In matutínis, Dómine, meditábor in te;

℟. Quia fuiſti adjútor meus. *Pſ.* 62. 7. 8.

℣. Deus, in adjutórium, &c. *Et ſic in omnibus Feriis.*

Ant. t. 4. *B.* Quàm magnificáta ſunt.

PSALMUS 91.

Collaudandus Deus, quia in operibus magnificus, & in judiciis juſtus judex.

BOnum eſt confitéri Dómino, * & pſállere nómini tuo, Altíſſime;

Ad annuntiándũ manè miſericórdiam tuam, * & ve-

ritátem tuam per noctem,

In decachórdo pſaltério, * cum cántico in cíthara;

Quia delectáſti me, Domine, in factúra tua, * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine! * nimis profúndæ factæ ſunt cogitatiónes tuæ:

Vir insípiens non cognóſcet, * & ſtultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres ſicut fœnum, * & apparúerint omnes qui operàntur iniquitátem, ut intéreant in ſæculum ſæculi.:

Tu autem Altíſſimus * in ætérnum, Domine:

Quóniam ecce inimíci Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt, * & diſpergéntur omnes qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur ſicut unicórnis cornu meum, * & ſenéctus mea in miſericórdia úberi.

Et deſpéxit óculus meus inimícos meos; * & in inſurgéntibus in me malignántibus aúdiet auris mea.

Juſtus ut palma florébit, * ſicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in ſenécta úberi: * & benè patiéntes erunt,

Ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus noſter, * & non eſt iníquitas in eo.

Ant. Quàm magnificáta ſunt opera tua, Dómine! nimis profúndæ factæ ſunt cogitationes tuæ. *v.* 6.

Ant. t. 3. *E.* Dómini.

PSALMUS 23.

Dei in omnia dominium, & regnum.

DOmini eſt terra, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & univérſi qui hábitant in eo;

Quia ipſe ſuper mária fundávit eum, * & ſuper flúmina præparávit eum.

Quis aſcéndet in montem Dómini? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens mánibus, & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, veſtras, & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit rex glóriæ.

Quis eſt iſte rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, veſtras, & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit rex glóriæ.

Quis eſt iſte rex glóriæ? * Dñus virtútũ ipſe eſt rex glóriæ.

Ant. Dómini eſt terra, & plenitúdo ejus; orbis terrárum, & univérſi qui hábitant in eo. *v.* 1.

Ant. t. 7. *C.* Dóminus.

PSALMUS 46.

Deus omnis terræ Dominus: ipſi pſallendum.

OMnes gentes, plaúdite mánibus; * jubiláte Deo in voce exultatiónis;

Quóniam Dóminus excélſus, terríbilis; * Rex magnus ſuper omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * & gentes ſub pédibus noſtris.

Elégit nobis hæreditatem ſuam, * ſpéciem Jacob quam diléxit.

Aſcéndit Deus in júbilo, * & Dominus in voce tubæ.

Psállite Deo noſtro, psállite; * psállite Regi noſtro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus, * psállite ſapiénter.

Regnábit Deus ſuper gentes: * Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Príncipes populórum congregáti ſunt cum Deo Abraham; * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti ſunt.

Ant. Dóminus excélſus, terríbilis; Rex magnus ſuper omnem terram. *v.* 3.

Ant. t. 5. Non eſt ſanctus.

CANTICUM ANNÆ. 1. *Reg.* 2.

EXultávit cor meum in Dómino; * & exaltátum eſt cornu meum in Deo meo.

Dilatátum eſt os meum ſuper inimícos meos; * quia lætáta ſum in ſalutári tuo.

Non eſt ſanctus, ut eſt Dóminus; neque enim eſt álius extra te; * & non eſt fortis ſicut Deus noſter.

Nolíte multiplicáre loqui ſublímia, * gloriántes.

Recédant vétera de ore veſtro; quia Deus ſcientiárum Dóminus eſt; * & ipſi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium ſuperátus eſt, * & infirmi accíncti ſunt róbore.

Repléti priùs, pro pánibus ſe locavérunt; * & famélici ſaturáti ſunt,

Donec ſtérilis péperit plúrimos; * & quæ multos habebat fílios, infirmáta eſt.

Dóminus mortíficat, & vivíficat, * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

Dóminus paúperem facit & ditat; * humíliat & ſúblevat.

Súſcitat de púlvere egénum, * & de ſtércore élevat paúperem,

Ut ſedeat cum princípibus, * & ſólium glóriæ téneat.

Dómini enim ſunt cárdines terræ, * & póſuit ſuper eos orbem.

Pedes ſanctórum ſuórum ſervábit, & ímpii in ténebris conticéſcent; * quia non in fortitúdine ſuâ roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adverſárii ejus; * & ſuper ipſos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, * & dabit impérium

regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. Glória.

In Feſtis dicitur Canticum ſequens. 1. Paralip. 29. 10.

Ant. Non eſt ſanctus, ut eſt Dóminus : non eſt fortis ſicut Deus noſter. 1. *Reg.* 2. 2.

BEnedíctus es, Dómine, Deus Iſrael patris noſtri * ab ætérno in ætérnum.

Tua eſt, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória, atque victória; * & tibi laus:

Cuncta enim quæ in cœlo ſunt, & in terra, * tua ſunt:

Tuum, Dómine, regnum; * & tu es ſuper omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, & tua eſt glória : * tu domináris ómnium.

In manu tua virtus & poténtia : * in manu tua magnitúdo, & impérium ómnium.

Nunc ígitur, Deus noſter, confitemur tibi, * & laudámus nomen tuum ínclytum. Glória.

Ant. 1. 1. *B.* Senes cum junióribus.

PSALMUS 148.

Ad laudandum Creatorem ſuum, invitantur omnes creaturæ.

LAudáte Dóminum, de cœlis; * laudáte eum in excélſis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus; * laudáte eum, omnes virtútes ejus;

Laudáte eum, ſol & luna; * laudate eum, omnes ſtellæ & lumen;

Laudáte eum, cœli cœlórum; *, & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen Dómini;

Quia ipſe dixit, & facta ſunt; * ipſe mandávit & creata ſunt.

Státuit ea in ætérnum, & in ſæculum ſæculi : * præcéptum póſuit & non præteríbit.

Laudáte Dóminum, de terra, * dracónes, & omnes abyſſi;

Ignis, grando, nix, glácies, ſpiritus procellárum, * quæ faciunt verbum ejus;

Montes, & omnes colles, * ligna fructífera, & omnes cedri;

Béſtiæ, & univérſa pécora, * ſerpéntes, & vólucres pennátæ;

Reges terræ, & omnes pópuli, * príncipes, & omnes júdices terræ;

Júvenes, & vírgines, ſenes cum junióribus, laudent nomen Dómini; * quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus.

Confeſſio ejus ſuper cœlum & terram; * & exaltávit cornu pópuli ſui.

Hymnus ómnibus ſanctis ejus, * fíliis Iſrael, pópulo appropinquánti ſibi.

Ant. Senes cum junióribus laudent nomen Dómini; quia exaltatum eſt nomen ejus ſolíus. *v.* 12. 13.

Capitulum. Judith. 16. 16. 17.

DOmine, magnus es tu, & præclarus in virtute

tua, & quem ſuperáre nemo poteſt; tibi ſerviat omnis creatúra; quia dixíſti, & facta ſunt: misíſti ſpíritum tuum, & creáta ſunt. ℟. Deo grátias.

℣. Timor Dómini ſanctus, ℟. Pérmanens in ſæculum ſæculi. *Pſ.* 18. 10.

Ad Bened. Ant. 1. 3. *A.* De manu.

Canticum Zachariæ. Luc. 1.

Benedíctus Dóminus, &c.

Ant. De manu inimicórum noſtrórum liberáti, ſerviámus illi. *v.* 74.

In Feriis Adventûs & Quadrageſimæ, & in Vigiliis, Preces dicuntur flexis genibus, ut infra.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter *ſecreto*: ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem;

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi: Dómine, miſerére meî; ℟. Sana ánimam meam; quia peccávi tibi. *Pſal.* 40. 5.

℣. Convertere, Dómine, úſquequo; ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos; ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Sacerdótes tui induántur juſtítiam, ℟. Et ſancti tui exúltent. *Pſ.* 131. 9.

℣. Dómine, ſalvum fac Regem; ℟. Et exaúdi nos in die quâ invocavérimus te. *Pſ.* 19. 10.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & benedic hæreditáti tuæ; ℟. Et rege eos, & extólle illos uſque in ætérnum. *Pſ.* 27. 9.

℣. Meménto congregatiónis tuæ, ℟. Quam poſſedíſti ab inítio. *Pſ.* 73. 2.

℣. Fiat pax in virtúte tua; ℟. Et abundántia in túrribus tuis. *Pſ.* 121. 7.

℣. Orémus pro frátribus noſtris abſéntibus: ℟. Mirífica miſericórdias tuas, qui ſalvos facis ſperántes in te. *Pſ.* 16. 7.

℣. Pro infírmis, afflíctis, & captívis. ℟. Líbera, Deus, Iſrael ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *Pſ.* 24. 22.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant juſtítiam ejus. *Matth.* 4. 16. *Mich.* 7. 9.

Deinde dicitur Pſalmus De profúndis: *& in fine* Glória Patri: *in Veſperis illius loco, dicitur*: Miſerére, *poſt Pſalmum dicitur*:

℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos; ℟. Et oſténde faciem tuam, & ſalvi erimus. *Pſ.* 79. 20.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuũ. *Pſ.* 43. 26.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio *conveniens.*

Dicto, Benedicámus, *fiunt*

commemorationes ſanctorum, ſi quæ faciendæ ſunt. Deinde ſuffragia, ut infra.

De sancta Cruce.

Ant. Peccáta noſtra Chriſtus pértulit in corpore ſuo ſuper lignum; ut peccátis mórtui, juſtítiæ vivámus. 1. *Petri.* 2. 24.

℣. Ipſe rédimet Iſrael,
℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Pſ.* 129. 8.

Oremus.

AUxiliáre, Dómine, pópulo tuo; & quos per lignum ſanctæ crucis redímere dignátus es, perpétuis defénde ſubsídiis; Per Chriſtum. ℟. Amen.

De sancta Maria.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, María, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42.

℣. Elégit eam Dóminus,
℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

Oremus.

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére; & glorióſâ beátæ Maríæ ſemper Vírginis interceſſióne, à præſénti liberári triſtítiâ, & ætérnâ pérfrui lætítiâ; Per Chriſtum. ℟. Amen.

De Patrono vel Titulari Ecclesiæ.

Idque ſecundùm Rubricas.

In Cathedrali de sancto Stephano.

Stéphanus plenus grátiâ & fortitúdine, faciébat prodígia, & ſigna magna in pópulo. *Act.* 6. 8.

℣. Magna eſt glória ejus,
℟. In ſalutári tuo. *Pſ.* 20. 6.

Oremus.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui primítias Mártyrum in beáti Levítæ Stéphani ſánguine dedicáſti; tríbue, quæſumus, ut pro nobis intercéſſor exíſtat, qui pro ſuis étiam perſecutóribus exorávit Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. ℟. Amen.

In Ecclesia Cathedrali de Sanctis Leucorum Præsulibus. &c.

Ant. Sit memória illórum in benedictióne, & oſſa eórum púllulent de loco ſuo; & nomen eórum permáneat in ætérnum, pérmanens ad fílios illórum ſanctórum virórũ glória. *Eccli.* 46. 14. 15.

℣. Juſti exúltent in conſpéctu Dei; ℟. Et delecténtur in lætítia. *Pſ.* 67. 4.

Oremus.

PRopitiáre, quæſumus, Dómine, fámulis tuis, ut ſanctórum noſtrórum Antíſtitum, & eórum quorum relíquiæ in hac Eccléſia tua quiéſcunt, atque ómnium ſanctórum méritis glorióſis & interceſſióne ab ómnibus ſemper protegámur advérſis; Per Chriſtum.
℟. Amen

Per Diœcesim de omnibus sanctis.

Ant. Réddidit Deus juſtis

mercédem labórum ſuórum; & dedúxit illos in via mirábili. *Sap.* 10. 17.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte juſti; ℞. Et gloriámini omnes recti corde. *Pſ.* 31. 11.

O R E M U S.

TRíbue, quæſumus, Dómine, omnes ſanctos tuos júgiter oráre pro nobis; & eos ſemper cleménter dignéris audire; Per Chriſtum. ℞. Amen.

D E PACE.

Ant. Deus qui fecit nobíſcum ſecúndùm ſuam miſericórdiam, det nobis fíeri pacem in diébus noſtris. *Eccli.* 50. 24. 25.

℣. Fiat pax in virtúte tua; ℞. Et abundántia in túrribus tuis. *Pſ.* 121. 7.

O R E M U S.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília, & juſta ſunt ópera; da ſervis tuis illam quam mundus dare non poteſt pacem, ut & corda noſtra mandátis tuis dédita, & hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum... qui tecum vivit, &c. ℞. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum, ℞. Et cum ſpíritu tuo.

Benedicámus, *&c.* Fidélium, *&c.*

A Purificatione uſque ad Feriam quartam Cinerum, omiſſâ Commemoratione de Cruce, prima erit de Beata, ut ſequitur.

Ant. Péperit María Fílium ſuum primogénitum; & vocávit nomen ejus Jeſum. *Matt.* 1. 25.

℞. Homo natus eſt in ea; ℞. Et ipſe fundávit eam Altiſſimus. *Pſ.* 86. 5.

O R E M U S.

DEus, qui ſalútis ætérnæ, beátæ Maríæ Virginitáte fœcundâ, humáno géneri pœmia præſtitíſti: tríbue, quæſumus, ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ ſuſcípere Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. ℞. Amen.

A Feria quarta Cinerum incluſivè, & per Quadrageſimam, loco commemorationis de Cruce prima erit:

Ant. Vivo ego, dicit Dóminus Deus; Nolo mortem ímpii, ſed ut convertátur à via ſua, & vivat. *Ezech.* 33. 11.

℣. Numquid in ætérnum iraſcéris, Dómine? ℞. Aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem? *Pſ.* 84. 6.

O R E M U S.

DEus, qui non mortem, ſed pœniténtiam deſíderas peccatórum, pópulum tuum, quæſumus, ad te convérte propítius: ut dum tibi devótus extíterit, iracúndiæ tuæ ab eo flagella amóveas; Per Chriſtum. ℞. Amen.

Aliæ commemorationes ut ſupra.

AD PRIMAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

Et ſic in cæteris Horis & Feriis.

HYMNUS.

MUndo renáſcens ſol, novo
Terris recúrrit lúmine:
O Chriſte, lux & véritas!
Noſtris oríre ſémitis.

Tu, ſpes ſalútis, áctuum
Sis finis, & primórdium:
Te proſequámur auſpice,
Quæ, te favénte, cœpimus.

Ne lege membris inſitâ
Victus gravétur ſpíritus,
Tuo ſalúbri pércitas
Carnes timóre cómprime.

Curas geret dum plúrimas
Foris miníſtrans déxtera;
Cor intus ad te pérvigil
Suſpíret ætérnas domos.

Orbem voléndo qui creas,
Tibi, Pater, cum Fílio
Sancto ſimul cum Spíritu,
Sit ſumma laus in ſæcula.

Ant. t. I. *F.* Narrábo.

PSALMUS 9.

Mirabilis in operibus Deus: impiorum everſor; & defenſor pauperum.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te; * pſallam nómini tuo, Altíſſime,

In converténdo inimícum meum retrorsùm: * infirmabúntur, & períbunt à fácie tua;

Quóniam fecíſti judícium meum, & cauſam meam; * ſedíſti ſuper thronum, qui júdicas juſtítiam.

Increpáſti gentes, & périit ímpius: * nomen eórum deléſti in ætérnum, & in ſæculum ſæculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem; * & civitates eórum deſtruxíſti.

Périit memória eórum cum ſónitu; * & Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum ſuum; * & ipſe judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in juſtítia.

Et factus eſt Dóminus refúgium paúperi; * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et ſperent in te, qui novérunt nomen tuum; * quóniam non dereliquíſti quæréntes te, Dómine.

Psállite Dómino qui hábitat in Sion; * annuntiáte inter gentes ſtúdia ejus;

Quóniam requírens sánguinem eórum recordatus eſt: * non eſt oblítus clamórem paúperum.

Glória Patri, &c.

DIVISIO PSALMI 9.

MIſerére meî, Dómine; * vide humilitatem meam de inimícis meis,

Qui exáltas me de portis mortis; * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis filiæ Sion.

Exultábo in ſalutári tuo: * infixæ ſunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo iſto quem ab-

ſcondérunt, * comprehénſus eſt pes eórum.

Cognoſcétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus manuum ſuárum comprehénſus eſt peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum, * omnes gentes quæ obliviſcúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit paúperis? * patiéntia pauperum non períbit in finem.

Exúrge, Dómine, non confortétur homo: * judicéntur gentes in conſpéctu tuo.

Conſtítue, Dómine, legiſlatórem ſuper eos; * ut ſciant gentes quóniã hómines ſunt.

Glória Patri, &c.

ALTERA DIVISIO PSALMI 9.

UT quid, Dómine, receſſiſti longè, * déſpicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum ſupérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant;

Quóniam laudátur peccátor in deſidériis ánimæ ſuæ, * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminũ peccátor, * ſecúndum multitúdinem iræ ſuæ non quæret.

Non eſt Deus in conſpéctu ejus; * inquinátæ ſunt viæ illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum ſuórum dominábitur.

Dixit enim in corde ſuo: * Non movébor à generatióne in generatiónem ſinè malo.

Cujus maledictióne os plenum eſt, & amaritúdine, & dolo: * ſub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in paúperem reſpiciunt: * inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelúnca ſua.

Inſidiátur ut rápiat paúperem; * rápere paúperem dum attrahit eum.

In láqueo ſuo humiliábit eum; * inclinábit ſe, & cadet, cùm dominátus fúerit paúperum.

Dixit enim in corde ſuo; Oblítus eſt Deus; * avértit faciem ſuam, ne vídeat in finem.

Exúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua: * ne obliviſcáris paúperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde ſuo: Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas, * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus eſt pauper; * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & malígni; * quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, & in ſæculum ſæculi: * períbitis, gentes, de terra illíus.

Deſidérium paúperũ exaudívit Dóminus; * præpara-

tiónem cordis eórum audívit auris tua;

Judicáre pupíllo & húmili, * ut non appónat ultrà magnificáre ſe homo ſuper terram.

Ant. Narrábo ómnia mirabília tua; pſallam nómini tuo, Altíſſime. *v.* 3. 2.

In Feſtis dicitur Capitulum 1. *Tim.* 1. 17.

REgi ſæculórum immortáli, invisíbili, ſoli Deo honor & glória in ſæcula ſæculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

In feriali Officio Capitulum. *Iſa* 45. 11. 12. 13.

HÆc dicit Dóminus ſanctus Iſrael; Ego feci terram; & hóminem ſuper eam creávi ego: manus meæ tetendérunt cœlos, & omni milítiæ eórum mandávi: ego ſuſcitávi eum ad juſtítiam, & omnes vias ejus dírigam. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Chriſte Fili Dei vivi, * Miſerére nobis (*Repetitur*) Chriſte, ℣. Qui ſedes ad déxteram Patris; (*Repetitur*) Miſerére. Glória. (*Reſumitur*) Chriſte. *Matt.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. *Heb.* 1. 3.

Quando mutatur Verſus, id notatur in Proprio.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſalm.* 43. 26.

P R E C E S.

In Feriali Officio, in Simplici, in Semiduplici dicuntur Preces ad Primam: Quando autem Preces dictæ ſunt ad Laudes, ſequentes dicuntur flexis genibus:

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater, *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum. *Secretò:*

℣. Carnis reſurrectiónem: ℟. Vitam ætérnã. Amen.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi; ℟. Et manè orátio mea prævéniet te. *Pſ.* 87. 14.

℣. Repleátur os meum laude, ℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Pſ.* 70. 8.

℣. Avérte fáciem tuã à peccátis meis, ℟. Et omnes iniquitates meas dele. *Pſ.* 50. 11.

℣. Cor mundum crea in me, Deus; ℟. Et ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis. *Pſ.* 50. 12.

℣. Ne projícias me à fácie tua; ℟. Et ſpíritum ſanctum tuum ne auferas à me. *Pſ.* 50. 13.

℣. Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; ℟. Et ſpíritu principáli confírma me. *Pſalm.* 50. 14.

Adjutórium, &c. *ut infra.*

Quando Preces dicuntur flexis genibus adduntur ſequentes ℣. ℣.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo; ℟. A viro iníquo éripe me. *Pſ.* 139. 2.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus; ℟. Et ab inſurgéntibus in me líbera me. *Pſ.* 58. 2.

℣. Sic pſalmum dicam nómini tuo in ſæculum ſæculi, ℟: Ut reddam vota mea de die in diem. *Pſ.* 60. 9.

℣. Dírige me, Dómine, in veritáte tua, & doce me; ℟. Quia tu es Deus ſalvátor meus. *Pſ.* 24. 5.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69. 2.

℣. Reminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine, ℟. Et miſericordiárum tuárum quæ à ſæculo ſunt. *Pſ.* 24. 6.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino, ℟. Et ómnia quæ intra me ſunt, nómini ſancto ejus. *Pſ.* 102. 1.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Et noli oblivíſci omnes retributiónes ejus. *Pſ.* 102. 2.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis, ℟ Qui ſanat omnes infirmitátes tuas. *Pſ.* 102. 3.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam, ℟. Qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus. *Pſ.* 102. 4.

℣. Qui replet in bonis deſidérium tuum; ℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua. *Pſ.* 102. 5.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dñi, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Pſ.* 123. 8.

Hebdomadarius facit confeſſionem, mediocri voce dicens:

COnfíteor Deo omnipoténti beátæ Maríæ ſemper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptíſtæ, ſanctis Apóſtolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, (& vobis fratres;) quia peccávi nimis cogitatióne, verbo, & ópere, Meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam ſemper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnẽ Baptíſtam, ſanctos Apóſtolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos (& vos fratres,) oráre pro me ad Dóminum Deum noſtrum.

Chorus dicit:

MIſereátur tuî omnípotens Deus; & dimíſſis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. *Hebdomadarius reſpondet.* Amen:

Deinde Chorus facit confeſſionem dicens: Confíteor Deo, &c. *& ubi dictum eſt*, Vobis fratres, *dicit* Tibi pater, & ubi dictum eſt vos fratres dicit: te pater.

Facta confeſſione à Choro. Hebdomadarius dicit:

MIſereátur veſtrî omnípotens Deus; & dimíſſis peccátis veſtris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

INdulgéntiam, abſolutiónem & remiſſiónem peccatórum noſtrórum tríbuat nobis omnípo tens & miſéricors Dóminus. ℟. Amen.

Elevans vocem Hebdomadarius dicit:

℣. Exaúdi nos, Deus ſalutáris noſter, ℟. Spes óm-

nium finium terræ. *Pſ.* 64. 6.

℣. Miſerére noſtrî, Dómine, ℟. Miſerére noſtrî. *Pſ.* 122. 3.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dñe, ſuper nos; ℟. Quemádmodum ſperavimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſalm.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

O R E M U S.

DOmine, Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecíſti, tuâ nos hódie ſalva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátũ, ſed ſemper ad tuam juſtítiam faciéndam noſtra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & opera; Per Dóminum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Quo lecto Hebdomadarius dicit :

℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini, ℟. Mors ſanctórum ejus. *Pſ.* 115. 15. *Et abſolutè ſinè Oremus.*

SAncta María, & omnes ſancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári, & ſalvari, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculórũ. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meũ inténde; ℟. Dómine, ad adjuvandum me feſtína. *Pſal.* 69. 2.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℟. Dómine, &c.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℟. Dómine, &c.

Glória Patri, &c.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter, *ſecretò, altâ voce*: ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réſpice in ſervos tuos, Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum.

℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. *Pſ.* 89. 16. 17. Glória Patri, &c.

O R E M U S.

DIrígere & ſanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes, & actus noſtros in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hic, & in ætérnum, te auxiliánte, ſalvi & líberi eſſe mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Poſtea Lector dicit : Jube, Domne, benedícere.

Benedictio. Det Dóminus leges ſuas in mentem noſtram, & in corde noſtro ſuperſcríbat eas. *Heb.* 8. 10. ℟. Amen.

Fit lectio Capitonis, ut habetur in Proprio de Tempore, pro ſingulis diebus: in cujus fine dicitur : Tu autem, Dñe, miſerére noſtrî. ℞. Deo grátias.

Deinde Hebdomadarius dicit : ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, ℞. Qui fecit cœlum & terram. *Pſalm.* 123. 8.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℞. Ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum. *Pſalm.* 112. 2.

℣. Benedicámus Dómino.

℞. Deo grátias.

Benedictio. Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod placeat coram ſe, per Jeſum Chriſtum, cui eſt glória in ſæcula ſæculórum. ℞. Amen. *Heb.* 13. 20. 21.

Secretò : Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℞. Amen.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

AUctor ſacrórum múnerum,
Precámur, alme Spíritus,
Si quando curæ díſtrahunt,
Nuſquã malis nos ímplicent.

Denſis in umbris náſcimur;
Cæcos ab ortu ſúſcipe :
Tuámque funde gratiam
Noſtro medélam vulneri.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Par ſit tibi laus, Spiritus,
Afflánte quo, mentes ſacris
Lucent, & ardent ígnibus.
Amen.

Ant. t. 3. *D.* Quis Deus.

PSALMUS 17.

Quanta prodigia operatus eſt Deus, cum Chriſto & Eccleſiæ de inimicis ſuis victoriam dedit.

DIligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dñus firmaméntũ meũ, & refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus adjútor meus, * & ſperabo in eum.

Protéctor meus, & cornu ſalútis meæ, * & ſuſcéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum; * & ab inimícis meis ſalvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & torréntes iniquitátis cõturbavéruntme.

Dolóres inférni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * & ad Deum meum clamávi;

Et exaudívit de templo ſancto ſuo vocem meam; * & clamor meus in conſpéctu ejus introívit in aures ejus.

Commóta eſt & contrémuit terra: fundaménta móntium conturbáta ſunt, & cõmota ſunt, * quóniam irátus eſt eis.

Aſcéndit fumus in ira ejus, & ignis à fácie ejus exárſit: * carbónes ſuccénſi ſunt ab eo.

Inclinavit cœlos, & deſcéndit: * & calígo ſub pédibus ejus.

Et aſcéndit ſuper Chérubim, & volávit * volávit ſuper pennas ventórum.

Et póſuit ténebras latíbulum ſuum, in circúitu ejus tabernáculum ejus: * tenebroſa aqua in núbibus áëris.

Præ fulgóre in conſpéctu ejus nubes tranſiérunt, * grando & carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, & Altíſſimus dedit vocem ſuam: * grando & carbones ignis.

Et miſit ſagíttas ſuas, & diſſipávit eos: * fúlgura multiplicavit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * & revelata ſunt fundaménta orbis terrarum,

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inſpiratióne ſpíritûs iræ tuæ.

Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalmi 17.

MIſit de ſummo (Dóminus,) & accépit me; * & aſſúmpſit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíſſimis, & ab iis qui odérunt me; * quóniam confortáti ſunt ſuper me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * & factus eſt Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem: * ſalvum me fecit, quoniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtitiam meam, * & ſecúndùm puritátem mánuum meàrũ retríbuet mihi.

Quia cuſtodívi vias Dómini, * nec ímpiè geſſi à Deo meo;

Quóniam ómnia judícia ejus in conſpéctu meo, * & juſtitias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * & obſervabo me ab iniquitate mea.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiam meam, * & ſecúndum puritátem mánuum meárum in conſpéctu oculorum ejus.

Cum ſancto ſanctus eris, * & cum viro innocénte ínnocens eris:

Et cum eléсto eléctus eris, * & cum pervérſo pervertéris;

Quóniam tu populum húmilem ſalvum fácies, * & óculos ſuperbórum humiliábis;

Quoniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine, * Deus meus illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne, * & in Deo meo tranſgrediar murum.

Gloria Patri, &c.

Altera diviſio Pſalmi 17

DEus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examinata: * protéctor eſt ómnium ſperántium in ſe;

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum noſtrum?

Deus qui præcínxit me virtúte, * & poſuit immaculátam viam meam;

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum, * & ſuper excelſa ſtátuens me;

Qui docet manus meas ad prælium: * & poſuiſti ut

arcum æreum bráchia mea;

Et dedíſti mihi protectiónem ſalútis tuæ; * & dextera tua ſuſcépit me.

Et diſciplína tua corréxit me in finem; * & diſciplína tua ipſa me docébit.

Dilataſti greſſus meos ſubtus me, * & non ſunt infirmáta veſtígia mea.

Pérſequar inimícos meos, & comprehéndam illos; * & non convértar donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt ſtare; * cadent ſubtus pedes meos.

Et præcinxíſti me virtúte ad bellum; * & ſupplantaſti inſurgéntes in me ſubtus me.

Et inimícos meos dedíſti mihi dorſum, * & odiéntes me diſperdidíſti.

Clamavérunt, nec erat qui ſalvos fáceret: * ad Dóminum; nec exaudívit eos.

Et comminuam eos, ut púlverem ante fáciem venti, * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli; * conſtítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, ſervívit mihi; * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti ſunt mihi, * fílii aliéni inveteráti ſunt, & claudicavérunt à ſémitis ſuis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; * & exaltétur Deus ſalútis meæ.

Deus qui das vindíctas mihi, & ſubdis pópulos ſub me, * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab inſurgéntibus in me exaltábis me; * à viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus, Dómine; * & nómini tuo pſalmum dicam.

Magníficans ſalútes regis ejus, * & fáciens miſericórdiam chriſto ſuo David, & ſémini ejus uſque in ſæculum.

Ant. Quis Deus præter Dóminum? aut quis Deus præter Deum noſtrum? *v.* 32.

Capitulum Apoc. 14. 7.

Timéte Dóminum, & date illi honórem; & adoráte eum, qui fecit cœlum, & terram, mare & fontes aquárum. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Confiteántur tibi pópuli, Deus; confiteántur tibi * Pópuli omnes. (*Repet.*) Confiteántur. ℣. Et métuant eum omnes fines terræ: (*Repet.*) Pópuli. Glória. (*Reſum.*) Confiteántur. *Pſ.* 66. 6. 8.

℣. Sanctum & terríbile nomen ejus:

℟. Inítium ſapiéntiæ timor Dómini. *Pſ.* 110. 9. 10.

Quando ad Laudes dictæ ſunt Preces; tunc ad Tertiam, & alias Horas breves, flexis genibus dicitur:

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater, *ſecretò*: Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos, ℟. Et oſténde faciem tuam; & ſalvi érimus. *Pſ.* 79. 20.

℣. Exúrge, Dñe, ádjuva nos, ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſ.* 43. 26.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio conveniens.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

Qui ſolis accéndis faces,
Tu, ſplendor ætérni Patris,
Fili, tibi nos cónſecra
Amóris igne víctimas.

Regnet remótis lítibus,
Per te redux concórdia:
Sacróque fratres chéritas
Connéctat omnes fœdere.

Ætérna laus & glória
Uni ſit, & Trino Deo:
Pacíſque det nos mútuæ
Gaudere vinctos néxibus.
Amen.

PSALMUS 101.

Ant. t. 4. *B.* Tu Dómine.

Vita brevis & miſera: ſolus, qui ab initio terram fundavit, Deus immutabilis.

DOmine, exaúdi oratiónem meã; * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me; * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velociter exaúdi me;

Quia defecérunt ſicut fumus dies mei, * & oſſa mea ſicut crémium aruérunt.

Percúſſus ſum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus ſum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæſit os meum carni meæ.

Símilis factus ſum pellicáno ſolitùdinis; * factus ſum ſicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi; * & factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, advérsùm me jurábant;

Quia cínerem tamquam panem manducabam, * & potum meum cum fletu miſcébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevãs alliſíſti me.

Dies mei ſicut umbra declinavérunt; * & ego ſicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes, * & memoriale tuum in generatiónem & generatiónem.

Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalmi 101.

TU exúrgens miſeréberis Sion; * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus;

Quóniam placuérunt ſervis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miſerebúntur:

Et timebunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes

reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória ſua.

Reſpéxit in oratiónem humílium, * & non ſprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera; * & pópulus qui creábitur laudábit Dóminũ;

Quia proſpéxit de excélſo ſancto ſuo; * Dóminus de cœlo in terram aſpéxit;

Ut audíret gémitus compeditórum; * ut ſólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúſalem,

In conveniéndo pópulos in unum, & reges, * ut ſerviant Dómino.

Reſpóndit ei in via virtútis ſuæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum; * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Glória, &c.

Altera Diviſio Pſalmi 101.

INítio tu, Dómine, terram fundaſti; * & ópera mánuum tuárum ſunt cœli.

Ipſi peribunt; tu autem pérmanes: * & omnes ſicut veſtiméntum veteráſcent;

Et ſicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur: * tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Fílii ſervórum tuórum habitábunt; * & ſemen eórum in ſæculum dirigétur.

Ant. Tu, Dómine, in ætérnum pérmanes, & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem. *v.* 13.

Capitulum Act. 17. 24. 25.

DEus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cùm ſit Dóminus; non mánibus humánis cólitur índigens áliquo, cùm ipſe det omnibus vitam, & inſpiratiónem, & ómnia. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Cœli cœlórum, & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, * Laudent nomen Dómini: (*Repet.*) Cœli. ℣. Ipſe dixit, & facta ſunt; mandavit, & creáta ſunt: (*Repet.*) Laudent. Glória. (*Reſum.*) Cœli. *Pſ.* 148. 4. 5.

℣. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam. *Pſ.* 101. 16.

Preces ut ad Tertiam.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

HYMNUS.

VErgens ad occáſum dies,
Vitæ fugáces éxhibet
Horas: Deus, ſic ómnia
Moves, movéri néſcius.

Dum lux & umbra mútuò
Tibi, Creátor, mílitant;
Fac alma nobis fúlgeat,
Umbris repúlſis, cháritas.

Tu ſola lapſus ſíderum
Immóta cernis, Trínitas;
Honóris ætérnam tibi
Decet rependi glóriam.
Amen.

Ant. * *t.* 5. Cognóſcant.

PSALMUS 82.

Ab inimicis ſuis Eccleſiam vindicat Deus; quia Omnipotens.

DEus, quis ſimilis erit tibi? * ne táceas, neque compeſcáris, Deus;

Quóniam ecce inimíci tui ſonuérunt; * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium, * & cogitavérunt advérsùs ſanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, & diſperdámus eos de gente; * & non memorétur nomen Iſraël ultrà.

Quóniam cogitavérunt unanímiter, * ſimul advérsùm te teſtaméntum diſpoſuérunt, tabernácula Idumæórum & Iſmahelítæ;

Moab, & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum;

Etenim Aſſur venit cum illis, * facti ſunt in adjutórium fíliis Lot.

Fac illis ſicut Mádian, & Síſaræ, * ſicut Jabin in torrénte Ciſſon.

Diſperiérunt in Endor; * facti ſunt ut ſtercus terræ.

Pone príncipes eórum ſicut Oreb, & Zeb, * & Zebee, & Sálmana;

Omnes príncipes eórum, * qui dixérunt: Hæreditáte poſſideámus ſanctuáriū Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam, * & ſicut ſtípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit ſylvam, * & ſicut flamma combúrens montes;

Ita perſequéris illos in tempeſtáte tua, * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ? * & quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéſcant & conturbéntur in ſæculum ſæculi; * & confundántur, & péreant;

Et cognóſcant quia nomen tibi, Dominus; * tu ſolus Altíſſimus in omni terra.

PSALMUS 102.

Laudandus Omnipotens ex operibus & beneficiis ſuis innumeris.

BEnedic, ánima mea, Dómino, * & ómnia quæ intra me ſunt, nómini ſancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino, * & noli oblivíſci omnes retributiónes ejus;

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui ſanat omnes infirmitátes tuas;

Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus;

Qui replet in bonis deſidérium tuum; * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Fáciens miſericórdias Dóminus, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias ſuas Móyſi, * fíliis Iſraël voluntates ſuas.

Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalm. 102.

MIſerátor & miséricors Dóminus; * longánimis, & multùm miſéricors.

Non in perpétuum iraſcétur, * neque in ætérnum comminábitur.

Non ſecúndùm peccáta noſtra fecit nobis, * neque ſecúndùm iniquitátes noſtras retríbuit nobis;

Quóniam ſecúndùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit miſericórdiam ſuã ſuper timéntes ſe:

Quantum diſtat ortus ab occidénte, * longè fecit à nobis iniquitátes noſtras.

Quómodo miſerétur pater filiórum, miſértus eſt Dóminus timéntibus ſe; * quóniam ipſe cognóvit figméntum noſtrum.

Recordátus eſt quóniam pulvis ſumus; * homo ſicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri ſic efflorébit;

Quóniam ſpíritus pertranſíbit in illo, & non ſubsíſtet; * & non cognóſcet ámplius locum ſuum.

Miſericórdia autem Dómini ab ætérno, & uſque in ætérnum, * ſuper timéntes eũ;

Et juſtítia illíus in filios filiórum, * his qui ſervant teſtaméntum ejus,

Et mémores ſunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit ſedem ſuam; * & regnum ipsíus ómnibus dominabitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem ſermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus, * miníſtri ejus, qui facitis voluntátẽ ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Cognóſcant quia nomen tibi, Dóminus; tu ſolus Altíſſimus in omni terra. *Pſ.* 82. 19.

Capitulum. Apoc. 19. 5.

VOx de throno exívit, dicens: Laudem dícite Deo noſtro, omnes ſervi ejus: & qui timétis eum, puſilli, & magni.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Magnus Dóminus, * Et laudábilis nimis; (*Rep.*) Magnus. ℣. Terríbilis eſt ſuper omnes deos; (*Rep.*) Et laudabilis. Gloria. (*Reſum.*) Magnus. *Pſ.* 95. 4.

℣. Non eſt símilis tuî in diis, Dómine;

℟. Et non eſt ſecúndùm ópera tua. *Pſ.* 85. 8.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Ant. 1. 4. *B.* Sicut óculi.

PSALMUS 122.

Præter Altiſſimum, nullum eſt in tribulationibus refugium.

ADte levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce ſicut óculi ſervórum * in mánibus dominórum ſuórum,

Sicut óculi ancíllæ in má-

nibus dóminæ ſuæ; * ita óculi noſtrí ad Dominum Deũ noſtrum, donec miſereátur noſtrî.

Miſerére noſtrî, Dómine, miſerére noſtrî; * quia multum repléti ſumus deſpectióne;

Quia multùm repléta eſt ánima noſtra; * oppróbrium abundántibus, & deſpectio ſuperbis.

Ant. Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ ſuæ; ita óculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum. *v.* 2.

Ant. t. 7. *B.* Niſi Dóminus.

PSALMUS 126.

Vani hominum labores, quibus non opitulatur Deus.

NIſi Dóminus ædificáverit domum,* in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitatem, * fruſtrà vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſúrgere: * ſúrgite poſtquam ſedéritis, qui manducatis panem dolóris.

Cum dederit diléctis ſuis ſomnum, * ecce hæréditas Domini, fílii; merces, fructus ventris.

Sicut ſagíttæ in manu poténtis; * ita fílii excuſſórum.

Beátus vir qui implévit deſiderium ſuum ex ipſis; * non confundetur cùm loquétur inimícis ſuis in porta.

Ant. Niſi Dominus ædificáverit domum, in vanum laboravérunt qui ædíficant eam. *v.* 1.

Ant. t. 3. *C.* Qui timétis

PSALMUS 134.

Dei omnipotentia: Idolorum vanitas.

LAudáte nomen Dómini; * laudáte, ſervi, Dominũ,

Qui ſtatis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus; * pſallite nómini ejus, quoniam ſuave;

Quóniam Jacob elegit ſibi Dóminus, * Iſrael in poſſeſſiónem ſibi;

Quia ego cognóvi quòd magnus eſt Dóminus, * & Deus noſter præ ómnibus diis,

Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit * in cœlo, & in terra, in mari, & in ómnibus abyſſis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit;

Qui prodúcit ventos de theſáuris ſuis; * qui percúſſit primogénita Ægypti ab hómine uſque ad pecus;

Et miſit ſigna & prodígia in médio tuî, Ægypte, * in Pharaónem, & in omnes ſervos ejus;

Qui percúſſit gentes multas, * & occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Baſan, * & omnia regna Chánaan:

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátẽ Iſrael pópulo ſuo.

Dómine, nomen tuum in

ætérnum: * Dómine, memoriále tuum in generatiónem & generatiónem;

Quia judicábit Dóminus pópulum ſuum, * & in ſervis ſuis deprecábitur.

Simulácra géntium, argéntum & aurum, * ópera manuum hóminum;

Os habent, & non loquéntur; * óculos habent, & non vidébunt;

Aures habent, & non áudient; * neque enim eſt ſpíritus in ore ipſórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Iſrael, benedícite Dómino: * domus Aaron, benedícite Dómino:

Domus Levi, benedícite Dómino: * qui timétis Dóminum, benedícite Domino.

Benedíctus Dóminus ex Sion,* qui hábitat in Jerúſalē.

Ant. Qui timetis Dóminum, benedícite Dómino. *v.* 20.

Ant. t. 5. Excélſus.

PSALMUS 137.

Ex veritate, omnipotentiâ, & miſericordiâ celebrandus Dominus.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audíſti verba oris mei.

In conſpéctu Angelórum pſallam tibi; * adorábo ad templum ſanctum tuum;

Et confitébor nómini tuo ſuper miſericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificaſti ſuper omne, nomen ſanctum tuum.

In quacumque die invocávero te, exaudi me; * multiplicabis in ánima mea virtutem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audiérũt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna eſt glória Dómini;

Quóniam excélſus Dóminus, & humília reſpicit, * & alta à longè cognóſcit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me;* & ſuper iram inimicorum meórum extendíſti manum tuam, & ſalvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, miſericórdia tua in ſæculum: ópera manuum tuárum ne deſpícias.

Ant. Excélſus Dóminus, & humília réſpicit, & alta à longè cognóſcit. *v.* 6.

Ant. t. 8. *B* Meditátus ſum.

PSALMUS 142.

Præ Dei magnitudine humiliat ſe anima, & ejus adjutorium in adverſis deprecatur.

DOmine, exaúdi oratiónem meam; aúribus pércipe obſecratiónem meam in veritáte tua; * exaúdi me in tua juſtítia;

Et non intres in judíciũ cum ſervo tuo; * quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens;

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam; * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos ſæculi; * & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus; in me turbátum eſt cor meum.

Memor fui diérum antiquórum; meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te; * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exaúdi me, Dómine; * defécit ſpíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me; * & símilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam; * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terrã rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatione ánimam meam; * & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam; * quóniam ego ſérvus tuus ſum.

Ant. Meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis; in factis mánuum tuárum meditábar. *v.* 5.

Capitulum. Rom. 1. 20.

INviſibília Dei à creatúra mundi, per ea quæ facta ſunt, intelllécta, conſpiciúntur; ſempitérna quoque ejus virtus, & divínitas.

HYMNUS.

O Numen! ô mundi Pater!
Te velle, te loqui ſat eſt:
En obſequúntur ómnia,
Tuis paráta nútibus.

Opus perénni glóriâ
Splendére vis & órdine:
Stat terra, currunt flúmina,
Subsíſtit unda pénſilis.

Quot ſpléndidis colóribus
Sublíme cœlum píngitur,
Tot ora miris prædicant
Te Conditórem vócibus.

Rex, hâc in aulâ, péndulis
Thrónum repónis núbibus;
Supérque ventórum leves
Pennas triúmphans ámbulas.

Mittis nives, & grándinem,
Roríſque gemmas párturis:
Flumen vibras, & ígnibus
Armas treméndis fulgura.

Tibi rebélles, Cónditor,
Metu ſalúbri pércute;
Et ſúbditos non déſine
Mollíre rore grátiæ.

Mundum volendo qui creas,
Tibi, Pater, cum Fílio,
Sancto ſimul cum Spíritu
Sit ſumma laus in ſæcula.
Amen.

℣. Magnus es tu, Dómine, & fáciens mirabília:

℟. Lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum. *Pſ.* 85. 10. 11.

Ad Magnificat. Ant. t. 1. A. Miſericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. *Luc. 1. 50.*

Oratio conveniens.

Completorium ut poſt Veſperas Sabbati.

FERIA TERTIA.

Ait Deus: Germinet terra. Gen. 1.

OFFICII FINIS.

Deus in providentia ſua laudandus: hinc in Deum fiducia.

Invitat. Perpétuam Dei providéntiam, * Venite, adoremus. *Sap. 17. 2.*

Pſalmus 94. Venite. *Pag. 2.*

PRO I. NOCTURNO.

Ant. t. 1. D. Adjutórium.

PSALMUS 7.

Per Dei providentiam ſalus juſtis, malis interitus.

DOmine Deus meus, in te ſperávi; * ſalvum me fac ex ómnibus perſequéntibus me, & líbera me:

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non eſt qui rédimat, neque qui ſalvum fáciat.

Dómine Deus meus, ſi feci iſtud; * ſi eſt iníquitas in mánibus meis;

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam méritò ab inimícis meis inánis:

Perſequátur inimícus ánimam meam, & comprehéndat, & concúlcet in terra vitam meam, * & glóriam meã in púlverem dedúcat

Exúrge, Dómine, in ira tua, * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine Deus meus, in præcépto quod mandáſti; * & ſinagóga populórum circúmdabit te:

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus júdicat pópulos;

Júdica me, Dómine, ſecúndum juſtítiam meã, * & ſecúndum innocéntiam meam ſuper me.

Conſumétur nequítia peccatórum, & díriges juſtum, * ſcrutans corda & renes Deus.

Juſtum adjutórium meum à Dómino, * qui ſalvos facit rectos corde:

Deus judex juſtus, fortis, & pátiens; * numquid iráſcitur per ſíngulos dies?

Niſi convérſi fuéritis, gládium ſuum vibrábit: * arcum ſuum teténdit, & parávit illũ.

Et in eo parávit vaſa mortis; * ſagíttas ſuas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injuſtítiam; * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum; * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus; * & in vérticẽ ipſíus iníquitas ejus deſcéndet.

Confitébor Dómino ſecúndùm juſtítiam ejus; * & pſallã nómini Dómini altíſſimi.

PSALMUS 10.

Animæ in Deo confidentis ſecuritas.

IN Dño confido: * quómodo dícitis ánimæ meæ:

Tránſmigra in montem ſicut paſſer?

Quóniam ecce peccatóres intenderunt arcum, paravérunt ſagíttas ſuas in pháretra: * ut ſagíttent in obſcuro rectos corde.

Quóniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt: * juſtus autem quid fecit?

Dóminus in templo ſancto ſuo, * Dóminus in cœlo ſedes ejus:

Oculi ejus in paúperem reſpíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat juſtum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam ſuam.

Pluet ſuper peccatóres láqueos: * ignis, & ſulphur, & ſpíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quoniam juſtus Dóminus, & juſtítias diléxit; * æquitátem vidit vultus ejus.

Psalmus 12.

Animæ fidelis in tribulatione ad Deum deprecatio.

Usquequò, Dómine, oblivíſceris me in finem? * úſquequò avértis fáciem tuam à me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me? * réſpice, & exaúdi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiã in morte; * nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero: * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo, * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Adjutórium meum à Dómino, qui ſalvos facit rectos corde. *Pſ. 7. v.* 11.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. t. 2. Providébam.

Psalmus 15.

In Dei providentia ſpem collocat juſtus: reſurrectionis ſpes.

Conſérva me, Dómine, * quóniam ſperávi in te.

Dixi Dómino: Deus meus es tu, * quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui ſunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum; * póſtea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ, & cálicis mei: * tu es qui reſtítues hæreditátem meã mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris; * étenim hæréditas mea præclára eſt mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum: * ínſuper & uſque ad noctem

increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper; * quóniam à dextris eſt mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea; * ínſuper & caro mea requiéſcet in ſpe;

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno; * nec dabis ſanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecíſti vias vitæ, adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua uſque in finem.

P s a l m u s 22.

Pro beneficiis per Dei providentiam acceptis gratiarum actio.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me; * ánimam meã convértit.

Dedúxit me ſuper sémitas juſtítiæ, * propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam, * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum, * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me * ómnibus diebus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dñi,* in longitúdinem diérũ.

P s a l m u s 27.

Deus justi tutela, ideò cum impiis non peribit.

AD te, Dómine, clamábo, Deus meus, ne síleas à me; * nequándo táceas à me, & aſſimilabor deſcendéntibus in lacum.

Exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te; * dum extóllo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Ne ſimul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me;

Qui loquúntur pacem cum próximo ſuo; * mala autem in córdibus eórum.

Da illis ſecúndùm ópera eórum, * & ſecúndùm nequítiam adinventiónum ipſórum.

Secúndùm ópera mánuum eórum tríbue illis; * redde retributiónem eórum ipſis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus, * déſtrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus; * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protéctor meus; * in ipſo ſperávit cor meum, & adjútus ſum.

Et reflóruit caro mea, *

Noſtris ſupérnæ córdibus
Spem nutriámus pátriæ.
Domum, Deus, das páſſeri,
Nidúmque turtur ínvenit:
Sinu tuo quiéſcere
Det ſpes ſalútis ánchora.
Tibi, Pater, cum Fílio,
Sanctóque ſit cum Spiritu
Ætérna laus, qui próvidâ
Mundum gubérnas dexterâ.
Amen.

Ant. t. 1. E. Utique.

PSALMUS 57.

Calumniatorum ſupplicia, bonorumque præmia juſtam Dei providentiam arguunt.

SI verè útique juſtítiam loquímini, * recta judicáte, fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injuſtítias manus veſtræ concínnant.

Alienáti ſunt peccatóres à vulva; erravérunt ab útero, * locúti ſunt falſa.

Furor illis ſecúndùm ſimilitúdinem ſerpéntis; * ſicut áſpidis ſurdæ, & obturántis aures ſuas,

Quæ non exaúdiet vocem incantántium, * & venéfici incantantis ſapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipſórum; * molas leónum confrínget Dóminus.

Ad nihilum devénient tamquam aqua decúrrens: * inténdit arcum ſuum donec infirméntur:

Sicut cera quæ fluit, auferéntur: * ſupercécidit ignis, & non vidérunt ſolem.

Priúſquàm intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, * ſicut vivéntes, ſic in ira abſórbet eos.

Lætábitur juſtus cùm víderit vindíctam; * manus ſuas lavábit in ſánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique eſt fructus juſto; * útique eſt Deus júdicans eos in terra.

Glória &c.

PSALMUS 73.

In populi & templi calamitate, ex ſuis operibus magnis, in auxilium appellatur Deus.

UT quid, Deus, repuliſti in finem; * irátus eſt furor tuus ſuper oves páſcuæ tuæ?

Memor eſto congregatiónis tuæ, * quam poſſedíſti ab inítio.

Redemíſti virgam hæreditátis tuæ; * mons Sion, in quo habitáſti in eo.

Leva manus tuas in ſupérbias eórum in finem: * quanta malignátus eſt inimícus in ſancto!

Et gloriáti ſunt qui odérúnt te, * in médio ſolemnitátis tuæ.

Poſuérunt ſigna ſua, ſigna, & non cognovérunt, * ſicut in éxitu ſuper ſummum.

Quaſi in ſylva lignórum ſecúribus excidérunt jánuas ejus in idípſum; * in ſecúri & áſcia dejecérunt eam.

Incendérunt igni ſanctuárium tuum; * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde ſuo cognátio

gnátio eórũ ſimul: * Quieſcere faciámus omnes dies feſtos Dei à terra.

Signa noſtra non vídimus; jam non eſt prophéta; * & nos non cognóſcet ámplius.

Glória, &c.

Diviſio Pſalm. 73.

Usquequò, Deus, improperábit inimícus? * irrítat adverſárius nomen tuũ in finem?

Ut quid avértis manum tuam & déxteram tuam * de médio ſinu tuo in finem?

Deus autem rex noſter ante ſǽcula, * operátus eſt ſalutem in médio terræ.

Tu confirmáſti in virtúte tua mare; * contribuláſti cápita dracónum in aquis.

Tu confregíſti cápita dracónis, * dediſti eum eſcam pópulis Æthíopum.

Tu dirupíſti fontes, & torréntes; * tu ſiccáſti flúvios Ethan.

Tuus eſt dies, & tua eſt nox; * tu fabricátus es auróram & ſolem.

Tu feciſti omnes términos terræ; * æſtatem & ver tu plaſmáſti ea.

Memor eſto hujus, inimícus improperávit Dómino; * & pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi, * & ánimas páuperum tuórum ne obliviſcáris in finem.

Réſpice in teſtaméntum tuum; * quia repléti ſunt, qui obſcuráti ſunt terræ dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúſus: * pauper & inops laudábunt nomen tuũ.

Exúrge, Deus, júdica cauſam tuam; * memor eſto improperiórum tuórum, eorũ quæ ab insipiénte ſunt totà die.

Ne obliviſcáris voces inimicórum tuórum: * ſupérbia eórum qui te odérunt aſcéndit ſemper.

Glória, &c.

Ant. Utique eſt fructus juſto; útique eſt Deus júdicans eos in terra. *P.* 57. 12.

In Feriali Officio Capitulum. *Sap.* 6. 8.

Non ſúbtrahet perſónã cujúſquam Deus: quóniam puſíllum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de ómnibus.

Cætera ut in Feria ſecunda.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

Afflà, ſupérne, ſpíritum,
Quo mens agénda dírigat;
Fac nos fugácis túrbidas
Neſcíre curas ſǽculi.

Quà cervus ardens lýmpidos
Fontes ſiti desíderat,
Da, fons ſuperni gaudii,
Te poſſidéndum perſequar.

Tibi, Pater, cum Filio
Sanctoque ſit cum Spiritu
Ætérna laus, qui providà
Mundum gubernas dexterà.
Amen.

Ant. 3. *E.* Spera.

PSALMUS 36.

Bonorum & malorum quàm diſpares ſunt & ſpes, & exitus.

NOli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciéntes iniquitátẽ;

Quóniam tamquam fœnum velóciter aréſcent; * & quemadmodum ólera herbárum citò decident.

Spera in Dómino, & fac bonitatem; * & inhábita terram, & paſcéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino; * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuã, & ſpera in eo; * & ipſe fáciet.

Et edúcet quaſi lumen juſtítiam tuam; & judícium tuum tamquam merídiem: * ſúbditus eſto Dómino, & ora eum.

Noli æmulári in eo qui proſperátur in via ſua; * in hómine faciénte injuſtítias.

Déſine ab ira, & derelínque furórem; * noli æmulári ut malignéris:

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur, * ſuſtinéntes autem Dóminum, ipſi hæreditábunt terram.

Et adhuc puſíllum, & non erit peccátor; * & quæres locum ejus, & non invénies.

Manſuéti autem hæreditábunt terram, * & delectabúntur in multitúdine pacis.

Obſervábit peccátor juſtum, * & ſtridébit ſuper eum déntibus ſuis.

Dóminus autem irridébit eum, * quóniam próſpicit quòd véniet dies ejus.

Gladium evaginavérunt peccatóres, * intendérunt arcum ſuum,

Ut dejíciant paúperem & inopem, * ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipſórum, * & arcus eórum confringátur.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 36.

MElius eſt módicum juſto * ſuper divítias peccatórum multas;

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur; * confírmat autem juſtos Dóminus.

Novit Dóminus dies immaculatórum, * & hæréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, & in diebus famis ſaturabúntur; * quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini mox ut honorificati fúerint & exaltáti, * deficiéntes quemadmodum fumus defícient.

Mutuábitur peccátor, & non ſolvet: * juſtus autem miſerétur, & tribuet;

Quia benedicentes ei hæreditábunt terram; * maledicentes autem ei diſperíbunt.

Apud Dóminum greſſus hóminis dirigentur; * & viã ejus volet.

Cùm cecíderit, non colli-

détur; * quia Dóminus ſuppónit manum ſuam.

Júnior fui, étenim ſénui; * & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.

Totâ die miſerétur & cómmodat: * & ſemen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, & fac bonum; * & inhábita in ſæculum ſæculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelínquet ſanctos ſuos; * in ætérnum conſervabúntur.

Injúſti puniéntur; * & ſemen impiórum períbit:

Juſti autem hæreditábunt terram, * & inhabitábunt in ſæculum ſæculi ſuper eam.

Glória, &c.

Altera Diviſio Pſalmi 36.

OS juſti meditábitur ſapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipſíus; * & non ſupplantabúntur greſſus ejus.

Conſíderat peccátor juſtū, * & quærit mortificáre eū:

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus; * nec damnábit eum cum judicábitur illi.

Expécta Dóminum, & cuſtódi viam ejus; & exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium ſuperexaltátum, * & elevátum ſicut Cedros Líbani.

Et tranſívi, & ecce non erat: * & quæſívi eum, & non eſt inventus locus ejus.

Cuſtódi innocéntiam, & vide æquitátem; * quóniam ſunt relíquiæ hómini pacífico.

Injúſti autem diſperíbunt ſimul: * relíquiæ impiórum interíbunt:

Salus autem juſtórum à Dómino, * & protéctor eorum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos, & éruet eos à peccatóribus, & ſalvábit eos, * quia ſperavérunt in eo.

Glória Patri, &c.

Ant. Spera in Dómino, & fac bonitátem; & paſcéris in divítiis ejus. *v.* 3.

Capitulum. Philip. 4. 6.

NIhil ſollíciti ſitis: ſed in omni oratióne, & obſecratióne, cum gratiárū actióne, petitiónes veſtræ innoteſcant apud Deum.

℟. *br.* Dóminus regit me, * Et nihil mihi déerit. Dóminus regit. ℣. In loco páſcuæ ibi me collocávit. * Et nihil. Glória Patri. Dóminus regit. *Pſ.* 22. 1. 2.

℣. Miserátor & miséricors Dóminus: ℟. Eſcam dedit timéntibus ſe. *Pſ.* 110. 4. 5.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

SUmmo girat ſol æthere
Te, Chriſte, laudent témpora
Quæ, dante te, ſic úſibus
Paráta noſtris ſérviunt.

O quando mens levábitur
Gravánte carnis ſárcinâ,

Et induétur lúmine,
Quo ſunt beáti cœlites!
Tibi, Pater, cum Fílio
Sanctóque ſit cum Spíritu
Ætérna laus, qui próvidâ
Mundum gubérnas dexterâ.
Amen.

Ant. *t.* 5. Omnia

PSALMUS 34.

Ab hoſtibus liberari per Dei providentiam rogat juſtus.

JUdica, Dómine, nocéntes me; * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma & ſcútum; * & exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, & conclúde advérsùs eos qui perſequúntur me; * dic ánimæ meæ: Salus tua ego ſum.

Confúdántur & revereántur * quæréntes ánimam meã.

Avertántur retrórsùm, & confundántur * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti; * & Angèlus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lubricum? * & Angelus Domini perſequens eos;

Quóniam gratis abſcondérunt mihi intéritum láquei ſui; * ſupervácuè exprobravérunt animam meã.

Véniat illi láqueus quem ignórat; & cáptio quam abſcondit, apprehéndat eum; * & in láqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultábit in Domino, * & delectábitur ſuper ſalutári ſuo.

Omnia oſſa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiorum ejus, * egenum & paúperem à diripientibus eum.

Glória, &c.

Divisio Pſalmi 34.

SUrgéntes teſtes iniqui, * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * ſterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cùm mihi moléſti eſſent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam; * & orátio mea in ſinu meo convertetur.

Quaſi próximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacébam; * quaſi lugens, & contriſtátus ſic humiliábar.

Et advérsùm me lætati ſunt, & convenérunt: * congregáta ſunt ſuper me flagélla, & ignorávi.

Diſſipáti ſunt, nec compúncti; tentavérunt me, ſubſannavérunt me ſubſannatióne; * frenduerunt ſuper me déntibus ſuis.

Dómine, quando reſpícies? * reſtítue ánimam meã à malignitate eorum, à leónibus unicam meam.

Confitebor tibi in ecclésia magna, * in populo gravi laudabo te.

Non ſupergaúdeant mihi qui adverſantur mihi iníquè; * qui oderunt me gratis, & ánnuunt oculis.

Quoniam mihi quidem pa-

efficè loquebántur: * & in iracúndia terræ, loquentes dolos cogitábant.

Et dilatavérunt ſuper me os ſuum: * dixérunt; Euge, euge, vidérunt oculi noſtri.

Vidiſti, Dómine, ne ſíleas; * Dómine, ne diſcédas à me.

Altera Diviſio Pſalmi 34.

EXúrge, & inténde judício meo; * Deus meus & Dominus meus, in cauſam meam.

Júdica me ſecúndùm juſtítiam tuam, Dómine Deus meus; * & non ſupergaúdeant mihi.

Non dicant in córdibus ſuis: Euge, euge, ánimæ noſtræ: * nec dícant: Devorávimus eum.

Erubéſcant, & revereántur ſimul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confuſióne, & reveréntiâ, * qui magna loquúntur ſuper me.

Exúltent & læténtur qui volunt juſtitiam meam: * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem ſervi ejus.

Et lingua mea meditábitur juſtítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Glória Patri, &c.

Ant. Omnia oſſa mea dicent; Domine, quis ſímilis tibi? *v.* 10.

Capitulum. 2. *Cor.* 9. 10.

QUi adminiſtrat ſemen ſeminánti; & panem ad manducándum præſtábit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtítiæ veſtræ.

℟. *b*. Oculi omnium * In te ſperant, Dómine; Oculi.

℣. Et tu das eſcam illórum in témpore opportúno. * In te. Glória Patri. Oculi. *Pſ.* 144. 15.

℣. Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus;

℟. Et ſapiéntiæ ejus non eſt númerus. *Pſ.* 146. 5.

AD NONAM.

HYMNUS.

DUm ſol ad occaſum redit,
Fac, Chriſte, lumen córdiū,
Spes firma ſacris móntibus
Inténta figat lúmina.

Inter procéllas naúfrago
Qui navigámus æquore,
Carína nos hæc anxios
Ripæ ſalútis ápplicet.

Tibi, Pater, cum Filio
Sanctóque ſit cum Spíritu
Ætérna laus, qui providâ
Mundum gubérnas dexterâ.
Amen.

Ant. t. 6. Aperiénte te.

PSALMUS 103.

Deus ab opificio, & providentiâ benedicitur.

BEnedic, ánima mea, Dómino; * Dómine Deus meus, magnificatus es vehementer.

Confeſſiónem & decórem induíſti, * amíctus lúmine ſicut veſtiménto;

Extendens cœlum ſicut pellem; * qui tegis aquis ſuperióra ejus:

Qui ponis nubem aſcénſū

tuum; * qui ámbulas ſuper pennas ventórum;

Qui facis Angelos tuos ſpíritus; * & miníſtros tuos ignem uréntem;

Qui fundáſti terram ſuper ſtabilitátem ſuam; * non inclinábitur in ſæculum ſæculi.

Abyſſus, ſicut veſtiméntum, amíctus ejus; * ſuper montes ſtabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Aſcéndunt montes, & deſcéndunt campi * in locum quem fundáſti eis.

Términum poſuíſti quem non tranſgrediéntur; * neque converténtur operíre terrã.

Qui emíttis fontes in convállibus, * inter médium móntiũ pertransíbunt aquæ:

Potábunt omnes béſtiæ agri, * expectábunt ónagri in ſiti ſua.

Super ea vólucres cœli habitábunt; * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de ſuperióribus ſuis, * de fructu óperum tuórum ſatiábitur terra.

Prodúcens fœnum juméntis, * & herbam ſervitúti hóminum;

Ut edúcas panem de terra, * & vinum lætíficet cor hóminis;

Ut exhílaret fáciem in óleo, * & panis cor hóminis confirmet.

Saturabúntur ligna campi, * & Cedri Líbani quas plantávit;

Illìc páſſeres nidificábunt, * heródii domus dux eſt eórum.

Montes excélſi cervis, * petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora: * ſol cognóvit occáſum ſuum.

Poſuíſti ténebras, & facta eſt nox; * in ipſa pertransíbunt omnes béſtiæ ſylvæ;

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * & quærant à Deo eſcam ſibi.

Ortus eſt ſol, & congregáti ſunt, * & in cubílibus ſuis collocabuntur.

Exíbit homo ad opus ſuum, * & ad operatiónem ſuam uſque ad véſperam.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 103.

QUàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine! ómnia in ſapiéntia fecíſti: * impléta eſt terra poſſeſſióne tuâ.

Hoc mare magnum, & ſpatióſum mánibus; * illìc reptília quorum non eſt número, animália pusílla cum magnis.

Illìc naves pertransíbunt, * draco iſte quem formáſti ad illudéndum ei.

Omnia à te expéctant, * ut des illis eſcam in témpore.

Dante te illis, cólligent; * aperiénte te mánum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciẽ, turbabúntur; * auferes ſpíritum eórum, & defícient, & in púlverem ſuum reverténtur.

Emíttes ſpíritum tuum, & creabúntur; * & renovábis faciem terræ. Glória, &c.

Altera Diviſio Pſalmi 103.

SIt glória Dómini in ſæculum; * lætábitur Dóminus in óperibus ſuis,

Qui réſpicit terram, & facit eam trémere; * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea, * pſallam Deo meo quámdiu ſum.

Jucúndum ſit ei elóquium meum; * ego verò delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terra, & iníqui ita ut non ſint: * bénedic, ánima mea, Dño. Glória, &c.

Ant. Aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte. *v.* 28.

Capitulum Hebr. 4. 13.

NOn eſt ulla creatúra inviſíbilis in conſpéctu ejus: ómnia autem nuda & apérta ſunt óculis ejus.

℟. *br.* Quò ibo, Dómine, * A ſpíritu tuo? Quò ibo. ℣. Et quò à fácie tuâ fúgiam? * A ſpíritu. Glória. Quò ibo. *Pſ.* 138. 7.

℣. Ténebræ non obſcurabúntur à te; ℟. Et nox ſicut dies illuminábitur. *Pſ.* 138. 12.

AD VESPERAS.

Ant. *t.* 1. *D.* Ecce.

PSALMUS 120.

Dominus cuſtos Eccleſiæ ſuæ providet.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum; * neque dormítet qui cuſtodit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui cuſtódit Iſrael.

Dóminus cuſtódit te, Dóminus protéctio tua * ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo; * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat introítum tuum, & éxitum tuum, * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

Ant. Ecce non dormitábit, neque dórmiet, qui cuſtódit Iſrael. *v.* 4.

Ant. *t.* 2. Benedíctus.

PSALMUS 123.

Eccleſiæ, per Dei providentiam à periculis ereptæ, gratiarum actio.

NIſi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, * niſi quia Dóminus erat in nobis,

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutíſſent nos.

Cùm iraſcerétur furor eórum in nos, * fórſitan aqua abſorbuíſſet nos.

Torréntem pertransívit ánima noſtra, * fórſitan pertransíſſet ánima noſtra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dominus, * qui non dedit nos in captionem déntibus eórum.

Anima noſtra ſicut paſſer erépta eſt * de láqueo venántium;

Láqueus contrítus eſt, * & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. Benedíctus Dóminus, qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum. ℣. 6.

Ant. t. 5. Dóminus.

P S A L M U S 124.

Fidelium Deus ipſe tutela: iniquis perituri.

QUi confídunt in Dómino, ſicut mons Sion; * non commovébitur in ætérnũ, qui habitat in Jeruſalem.

Montes in circúitu ejus, * & Dominus in circúitu pópuli ſui ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum:

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, * ut non exténdant juſti ad iniquitátem manus ſuas.

Benefac, Domine, bonis, * & rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitatem: * pax ſuper Iſrael.

Ant. Dominus in circúitu pópuli ſui ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum. ℣. 2.

Ant. t. 7. D. Suſcepiſti.

P S A L M U S 138.

Inſigni Dei in nos à puero providentia.

DOmine, probáſti me, & cognoviſti me; * tu cognovíſti ſeſſiónem meam, & reſurrectionem meam.

Intellexiſti cogitatiónes meas de longè; * ſemitam meam, & funiculum meum inveſtigáſti;

Et omnes vias meas prævidiſti; * quia non eſt ſermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovíſti ómnia, noviſſima & antíqua: * tu formáſti me, & poſuíſti ſuper me manum tuam.

Mirábilis facta eſt ſciéntia tua ex me; * confortáta eſt, & non pótero ad eam.

Quo ibo a ſpíritu tuo? * & quò à fácie tua fúgiam?

Si aſcéndero in cœlum, tu illic es; * ſi deſcendero in infernum, ades;

Si ſumpſero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tua dedúcet me; * & tenebit me dextera tua.

Et dixi: Fórſitan ténebræ conculcabunt me, * & nox illuminatio mea in delíciis meis;

Quia ténebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur; * ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu poſſedíſti renes meos; * ſuſcepiſti me de

útero matris meæ.

Confitébor tibi, quia terribíliter magnificatus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognóſcit nimis.

Non eſt occultátum os meum à te, quod feciſti in occúlto; * & ſubſtantia mea in inferióribus terræ.

Imperfectum meum vidérunt óculi tui; & in libro tuo omnes ſcribéntur; * dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus, * nimis confortátus eſt principátus eórum;

Dinumerábo eos, & ſuper arénam multiplicabúntur; * exurréxi, & adhuc ſum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres; * viri sánguinum, declináte à me;

Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam, * & ſuper inimícos tuos tabeſcébam?

Perfécto ódio óderam illos, * & inimíci facti ſunt mihi.

Proba me, Deus, & ſcito cor meum; * intérroga me, & cognóſce ſémitas meas.

Et vide ſi via iniquitátis in me eſt; * & deduc me in via ætérna.

Ant. Suſcepiſti me, Dómine, de útero matris meæ.

℣. 13.

Ant. 1. 6. Aperis tu.

PSALMUS 144.

Quàm benignè Deus providet omnibus.

EXaltábo te, Deus meus Rex, * & benedícam nómini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Per ſíngulos dies benedícam tibi, * & laudabo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, * & magnitúdinis ejus non eſt finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua, * & poténtiam tuam pronuntiábunt:

Magnificéntiâ glóriæ ſanctitátis tuæ loquéntur, * & mirabília tua narrábunt:

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * & magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ ſuavitatis tuæ eructábunt, * & juſtitiâ tuâ exultábunt.

Miſerátor & miſéricors Dóminus; * pátiens, & multùm miſéricors.

Suávis Dóminus univérſis, * & miſeratiónes ejus ſuper ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; * & ſancti tui benedícant tibi:

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquéntur,

Ut notam fáciant filiis hóminum poténtiam tuam, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium ſæculórũ; * & do-

-minátio tua in omni generatióne & generatiónem.

Fidélis Dóminus in omnibus verbis ſuis, * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes eliſos.

Oculi ómnium in te ſperant, Dñe, * & tu das eſcā illórū in témpore opportúno:

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

Juſtus Dóminus in ómnibus viis ſuis; * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

Propè eſt Dñs ómnibus invocántibus eū, * ómnibus invocātibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium ſe fáciet, & deprecatiónem eórum exaúdiet, * & ſalvos fáciet eos.

Cuſtódit Dóminus omnes diligéntes ſe; * & omnes peccatóres diſpérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini ſancto ejus in ſæculum & in ſæculum ſæculi.

Ant. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *v.* 16.

Capitulum, Heb. 4. 16.

ADeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ: ut miſericórdiam conſequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

H Y M N U S.

MIrámur, ô Deus! tuæ
Recens opus poténtiæ,
Aquis refúſis ímperas,
Siccáta tellus énatat.

En rura veſtis frúgibus,
Pomis gravántur árbores:
Herbæ virent, ſi décidant,
Suo reſúrgunt ſémine.

Cur aut amíctûs, aut cibi
Nos cura mordet ánxia?
Qui veſtit agri lília
Veſtem cibúmque próvidet.

Sūmo Patri quidquid placet
Sit cura primùm quærere:
Si quæris ultrò cætera
Voyéntis ad nutum fluent.

Ne flúctuet formídinis
Mens acta ſævo túrbine:
Portum quiétis póſcere
Det ſpes procéllis fórtior.

Oblíta terras, æthera,
Audáce pennâ, tránsvolet;
Secúmque curis líberas
Ad alta mentes érigat.

Tibi, Pater, cum Fílio,
Sancto ſimul cum Spíritu
Deo perénni próvido
Honor, decus, laus, glória.
Amen.

℣. Jacta ſuper Dóminum curam tuam, ℟. Et ipſe te enútriet. *Pſ.* 54. 23.

Ad Magnific. Ant. t. 3. *D.*

Eſuriéntes implévit bonis; & dívites dimíſit inánes. *Luc.* 1. 53.

FERIA QUARTA.

Dixit Deus: Fiant luminaria. &c. Gen. 1.

OFFICII FINIS.

Deus, lux vera mentium, in ſua veritate adorandus: hinc firma in Deum fides.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Dóminum qui eſt

lux vera, & veritas; * Veníte, adorémus. *Joan.* I. 9.

Pſ. 94. Veníte. *pag.* 2.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. 1. 4. *E.* Elóquia.

PSALMUS II.

Juſtorum paucitas: eloquiorum Domini laus.

SAlvum me fac, Dómine, quóniam defécit ſanctus; * quóniam diminútæ ſunt veritátes à fíliis hóminũ.

Vana locúti ſunt unuſquíſque ad próximum ſuũ; * lábia dolóſa, in corde & corde locúti ſunt.

Diſpérdat Dóminus univérſa lábia dolóſa, * & linguam magníloquam.

Qui dixérunt; Linguam noſtram magnificábimus, lábia noſtra à nobis ſunt: * quis noſter Dóminus eſt?

Propter miſériam ínopum & gémitum páuperum, * nunc exúrgam, dicit Dñs.

Ponam in ſalutári; * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia caſta; * argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, ſervábis nos: * & cuſtódies nos à generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant: * ſecúndum altitúdinem tuam multiplicáſti fílios hóminum.

PSALMUS 13.

Impiorum malitia: ex adventu Chriſti ſalus exoptatur.

DIxit insípiens in corde ſuo, * Non eſt Deus.

Corrúpti ſunt, & abominábiles facti ſunt in ſtúdiis ſuis: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Dóminus de cœlo proſpéxit ſuper fílios hóminum, * ut vídeat ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Sepúlchrum patens eſt guttur eórum; linguis ſuis dolóſè agébant; * venénum áſpidum ſub lábiis eórum,

Quorum os maledictióne, & amaritúdine plenum eſt, * velóces pedes eórum ad effundéndum ſánguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt: * non eſt timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóſcent omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ſicut eſcam panis?

Dóminum non invocavérunt: * illìc trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne juſta eſt: * conſílium ínopis confudíſtis, quóniam Dóminus ſpes ejus eſt.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſrael? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætabitur Iſrael.

PSALMUS 24.

Vias Domini edoceri, & ejus auxilio protegi poſtulat juſtus.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído non erubéſcam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérſi qui ſúſtinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * ſupervácuè.

Vias tuas, Dómine, demónſtra mihi; * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus ſalvátor meus, & te ſuſtínui totâ die.

Reminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine, * & miſericordiárum tuárum quæ à ſæculo ſunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm miſericórdiã tuã meménto mei tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dominus: * propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Díriget manſuétos in judício: * docébit mites vias ſuas.

Univérſæ viæ Dómini, miſericórdia & véritas, * requiréntibus teſtaméntum ejus, & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo; * multum eſt enim.

Quis eſt homo qui timet Dóminum? * legem ſtatuit ei in via quam elegit.

Anima ejus in bonis demorábitur; * & ſemen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum; * & teſtaméntum ipsíus ut manifeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminum; * quóniam ipſe evéllet de láqueo pedes meos.

Réſpice in me, & miſerére mei; * quia únicus & pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ ſunt: * de neceſſitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum; * & dimítte univérſa delícta mea,

Réſpice inimícos meos, quóniam multiplicati ſunt; * & ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam, & érue me: * non erubeſcam, quóniam ſperavi in te.

Innocentes & recti adhæſérunt mihi; * quia ſuſtínui te.

Libera, Deus, Iſrael * ex omnibus tribulationibus ſuis.

A *t*. Elóquia Dómini, elóquia caſta. *P*. II. *v*. 7.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. t. 3. *b.* Emítte.

PSALMUS 42.

Veritatis divinæ invocatio: ſpes in Domino collocanda.

JUdica me, Deus, & diſcérne cauſam meam de gente non ſancta; * ab hó-

mine iniquo & doloſo erue me;

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea; * quare me repuliſti? & quare triſtis incedo dum affligit me inimícus?

Emítte lucem tuam, & veritátem tuam: * ipſa me deduxérunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei; * ad Deum qui lætificat juventútem meam.

Confitebor tibi in cíthara, Deus Deus meus: * quare triſtis es, ánima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi, * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

PSÁLMUS 56.

De inimicis victoriam rogat juſtus: miſericordiæ & veritatis Dei commendatio.

MIſerére meî, Deus, miſerére mei; * quóniam in te confidit ánima mea;

Et in umbra alárum tuárum ſperábo, * donec tranſeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altíſſimum * Deum qui benefécit mihi.

Miſit de cœlo, & liberávit me; * dedit in oppróbrium conculcantes me.

Miſit Deus miſericórdiam ſuam, & veritatem ſuam, * & eripuit ánimam meam de medio catulorum leónum; dormivi conturbátus.

Filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, * & lingua eorum gladius acutus.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus; * & in omnem terram gloria tua.

Laqueum paravérunt pédibus meis; * & incurvavérunt animam meam.

Fodérunt ante faciem meã fóveam, * & inciderunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantabo & pſalmum dicam.

Exurge, gloria mea, exúrge, pſalterium & cithara; * exurgam diluculo.

Confitebor tibi in pópulis, Domine, * & pſalmum dicam tibi in géntibus;

Quoniam magnificáta eſt uſque ad cœlos miſericórdia tua, * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltare ſuper cœlos, Deus, * & ſuper omnem terram gloria tua.

PSALMUS 63.

Vana impiorum conſilia; evangelii prædicatio.

EXaudi, Deus, oratiónem meam cum deprecor: * a timore inimíci eripe ánimam meam.

Protexiſti me à convéntu malignantium, * à multitúdine operantium iniquitatẽ;

Quia exacuerunt ut gládium linguas ſuas; * intendérunt arcum rem amaram, ut ſagittent in occultis immaculatum.

Súbitò ſagittábunt eum, & non timébunt: * firmavérunt ſibi ſermónem nequã.

Narravérunt ut abſcónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti ſunt iniquitátes; * defecérunt ſcrutántes ſcrutínio.

Accédet homo ad cor altum; * & exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ ſunt plagæ eórum; * & infirmátæ ſunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti ſunt omnes qui vidébant eos; * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei; * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur juſtus in Dómino, & ſperábit in eo: * & laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Emítte lucem tuam, Dómine, & veritátem tuam. *Pſ.* 42. 3.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. t. 5. Deduc me.

PSALMUS 84.

Finis captivitatis: terris oriuntur miſericordia & veritas.

BEnedixíſti, Dómine, terram tuam, * avertíſti captivitátem Jacob.

Remiſíſti iniquitátem plebis tuæ, * operuíſti ómnia peccáta eórum.

Mitigáſti omnem iram tuam, * avertíſti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus ſalutáris noſter, * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum iraſcéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérſus vivificábis nos; * & plebs tua lætábitur in te.

Oſténde nobis, Dómine, miſericórdiam tuam; * & ſalutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam,

Et ſuper ſanctos ſuos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum ſalutáre ipſíus; * ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi; * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt, * & juſtítia de cœlo proſpéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit, * & ponet in via greſſus ſuos.

PSALMUS 85.

Per fidem gentes illuminari rogat Chriſtus.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaúdi me; * quóniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum; * ſalvum fac ſervum tuum, Deus

meus, ſperántem in te.

Miſerére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die; * lætífica ánimam ſervi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi:

Quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis; * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Aúribus pércipe, Dómine, oratiónem meam; * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te; * quia exaudíſti me.

Non eſt ſimilis tuî in diis, Dómine; * & non eſt ſecúndùm ópera tua.

Omnes gentes, quaſcúmque feciſti, vénient, & adorábunt coram te, Dómine; * & glorificábunt nómen tuum;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus ſolus.

Deduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætetur cor meum, ut tímeat nomen tuū.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum;

Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me, * & eruíſti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga poténtium quæſiérunt ánimam meam; * & non propoſuérunt te in conſpéctu ſuo.

Et tu, Dómine, Deus miſerátor & miſéricors, * pátiens, & multæ miſericórdiæ, & verax.

Réſpice in me, & miſerére meî; * da impérium tuum púero tuo, & ſalvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur; * quóniam tu, Dómine, adjuvíſti me, & conſolátus es me.

P s a l m u s 89.

Fugax hominum vita: gratiæ Dei ſplendor invocatur.

Dómine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priúſquàm montes fíerent, aut formarétur terra & orbis, * à ſæculo & uſque in ſæculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem; * & dixíſti: Convertímini, fílii hóminū.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies heſtérna quæ prætériit, & cuſtódia in nocte;

Quæ pro níhilo habéntur, * eórum anni erunt.

Manè ſicut herba tránſeat, manè flóreat, & tránſeat; * veſperè décidat, indúret & areſcat;

Quia defécimus in ira tua, * & in furóre tuo turbati ſumus.

Poſuíſti iniquitátes noſtras in conſpéctu tuo, * ſæculum noſtrum in illuminatióne vultûs tui;

Quóniam omnes dies noſtri defecérunt, * & in ira tua defécimus.

Anni noſtri, ſicut aránea meditabúntur: * dies annórum noſtrórum in ipſis, ſeptuaginta anni:

Si autem in potentátibus, octogínta anni; * & ámpliùs eórum labor & dolor:

Quóniam ſupervenit manſuetúdo, * & corripiémur.

Quis novit poteſtatem iræ tuæ, * & præ timore tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam ſic notam fac, * & erudítos corde in ſapiéntia.

Convértere, Dómine, úſquequò? * & deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos.

Repléti ſumus manè miſericórdiâ tuâ; * & exultávimus, & delectáti ſumus ómnibus diébus noſtris.

Lætáti ſumus pro diébus quibus nos humiliáſti, * annis quibus vídimus mala.

Réſpice in ſervos tuos, & in opera tua; * & dirige fílios eórum.

Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos; * & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos; & opus mánuum noſtrárum dirige.

Ant. Deduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua *Pſ.* 85. 11.

℣. Bonum eſt pſállere nómini tuo, Altíſſime; ℟. Ad annuntiándum veritátem tuã per noctem. *Pſ.* 91. 2. 3.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Magnificáta eſt uſque ad cœlos miſericórdia tua; ℟. Et uſque ad nubes véritas tua. *Pſ.* 56. 11.

Ant. t. 1. *E.* Accédite ad eum.

PSALMUS 33.

Deus juſtorum lumen & tutela; impiorum everſor.

Benedícam Dóminum in omni témpore; * ſemper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * aúdiant manſuéti, & lætentur.

Magnificáte Dominum mecum; * & exaltémus nomen ejus in idípſum.

Exquiſívi Dóminum, & exaudívit me; * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accedite ad eum, & illuminámini; * & fácies veſtræ non confundéntur.

Iſte pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum, * & de omnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum.

Immittet angelus Dómini in circúitu timéntiũ eum; * & erípiet eos.

Guſtáte, & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus: * beátus vir qui ſperat in eo.

Timete Dóminum, omnes ſancti ejus; * quóniam non eſt inopia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & eſuriérunt; * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte,

Veníte, filii, audíte me: * timórẽ Dómini docébo vos.

Quis eſt homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo, * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perſéquere eam.

Oculi Dñi ſuper juſtos; * & aures ejus in preces eórũ.

Vultus autem Dómini ſuper faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriã eorũ.

Clamavérunt juſti, & Dóminus exaudívit eos, * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta eſt Dóminus iis qui tribuláto ſunt corde, * & húmiles ſpíritu ſalvábit.

Multæ tribulatiónes juſtórum; * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Cuſtódit Dóminus ómnia oſſa eórum; * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péſſima: * & qui odérunt juſtum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas ſervórum ſuórum; * & non delínquent omnes qui ſperant in eo.

Ant. Accédite ad eum, & illuminámini: & fácies veſtræ non confũdéntur *v.* 6.

Ant. *t.* 6. *A.* Cognoſcámus.

PSALMUS 66.

Ut ab omnibus gentibus cognoſcatur & laudetur Deus, exoptat anima.

DEus miſereátur noſtri, & benedícat nobis: * illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtri;

Ut cognoſcámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Lætétur & exúltent gentes: * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedícat nos Deus, Deus noſter, benedícat nos Deus: * & métuant eum omnes fines terræ.

Ant. Cognoſcámus, Dómine, in terra viam tuam, in ómnibus géntibus ſalutáre tuum. *v.* 3.

Ant. *t.* 5. *A.* In colúmna

PSALMUS 98.

Chriſti poteſtas: ejus veſtigia adoranda: patribus locutus eſt.

DOminus regnávit, iraſcántur pópuli; * qui ſedet ſuper Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excélſus ſuper omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile & ſanctum eſt; * & honor regis judícium díligit.

Tu paráſti directiónes; *

judícium & juſtítiam in Jacob tu fecíſti.

Exaltáte Dóminum Deum noſtrum; * & adoráte ſcabéllum pedum ejus, quóniam ſanctum eſt.

Móyſes & Aáron in ſacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipſe exaudiébat eos; * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Cuſtodiébant teſtimónia ejus, * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noſter, tu exaudiébas eos; * Deus, tu propítius fuíſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum noſtrum, & adoráte in monte ſancto ejus; * quóniam ſanctus Dñs Deus noſter.

Ant. In colúmna nubis loquebátur ad eos, cuſtodiébant teſtimónia ejus, & præcéptum quod dedit illis. ℣. 7.

Ant. 2. d. Pater.

CANTICUM EZECHIÆ. *Iſa.* 38.

Ego dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi: * quæſívi reſíduum annórum meórum.

Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium; * non aſpíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta eſt, & convolúta eſt à me, * quaſi tabernáculum paſtórum.

Præcíſa eſt velut à texénte vita mea; dum adhuc ordírer ſuccídit me: * de manè uſque ad véſperam finies me.

Sperábam uſque ad manè: * quaſi leo ſic contrívit ómnia oſſa mea.

De manè uſque ad veſperam finies me: * ſicut pullus hirúndinis ſic clamabo, meditábor ut colúmba.

Attenuáti ſunt óculi mei, * ſuſpiciéntes in excélſum.

Dómine, vim pátior, reſpónde pro me: * Quid dicam, aut quid reſpondébit mihi, cùm ipſe fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, ſi ſic vívitur, & in tálibus vita ſpíritûs mei, corrípies me, & vivificábis me: * ecce in pace amaritúdo mea amaríſſima.

Tu autem eruíſti ánimam meam ut non períret; * projecíſti poſt tergum tuum ómnia peccáta mea:

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te; * non expectábunt, qui deſcéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipſe confitébitur tibi, ſicut & ego hódie: * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, ſalvum me fac; * & pſalmos noſtros cantábimus cunctis diébus vitæ noſtræ in domo Dómini.

Ant. Pater fíliis notam

Sciét verîtátem tuam, Dómine. *Iſai.* 38. 19.

In Feſtis dicitur:

CANTICUM ECCLI. 36.

MIſerére noſtrî, Deus ómnium, & réſpice nos; * & oſtende nobis lucem miſeratiónum tuárum:

Et immítte timórem tuum ſuper gentes quæ non exquiſiérunt te, * ut cognóſcant quia non eſt Deus, niſi tu, & enárrent magnália tua.

Alleva manum tuam ſuper gentes aliénas, * ut vídeant poténtiam tuam.

Sicut enim in conſpéctu eórum ſanctificátus es in nobis, * ſic in conſpéctu noſtro magnificáberis in eis;

Ut cognóſcant te, * ſicut & nos cognóvimus, quóniam non eſt Deus præter te, Dñe.

Innova ſigna, & immúta mirabília: * glorífica manum, & bráchium dextrum.

Excita furórem, & effúnde iram: * tolle adversárium, & afflíge inimícum.

Feſtina tempus, & meménto finis, * ut enárrent mirabília tua.

In ira flammæ devorétur qui ſalvátur; * & qui péſſimant plebem tuam, invéniant perditiónem.

Cóntere caput príncipum inimicórum, * dicéntium: Non eſt álius præter nos.

Cóngrega omnes tribus Jacob, * ut cognóſcant quia non eſt Deus, niſi tu, & enárrent magnália tua;

Et hæreditábis eos, * ſicut ab inítio.

Miſerére plebi tuæ, ſuper quam invocátum eſt nomen tuum, * & Iſrael, quem coæquáſti primogénito tuo.

Miſerére civitáti ſanctificatiónis tuæ Jeruſalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * & gloriâ tuâ pópulum tuum.

Aña 3. A. Notum fecit.

PSALMUS 97.

Laudatur Chriſtus, quod gentibus notum fecerit ſalutare ſuum.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus, * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dñs ſalutáre ſuum; * in conſpéctu géntium revelávit juſtitiam ſuã.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, * & veritátis ſuæ dómui Iſrael.

Vidérunt omnes términi terræ * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo, omnis terra; * cãtáte, & exultáte, & pſallite.

Pſállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce pſalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ corneæ.

Jubiláte in conſpéctu Regis Dómini, * moveátur mare, & plenitúdo ejus; orbis terrárũ & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpéctu Dómini; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum; in conſpéctu géntium revelávit juſtítiam ſuam. *v.* 2.

Capitulum. Rom. 13. 12. 13.

NOx præcéſſit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis. Sicut in die honeſtè ambulémus.

℣. Fáciem tuam illúmina ſuper ſervum tuum,

℞. Et doce me juſtificatiónes tuas. *Pſ.* 118. 135.

Ad Benedic. *Ant. t.* 1. *F* Illumináre his qui in ténebris ſedent, ad dirigéndos pedes noſtros. *Luc.* 1. 79.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

AD templa nos rurſum vocat
Suo redux ſol lúmine;
Nováſque pro læto monet
Reférre grates múnere.

Laudéris ætérnùm, Deus,
Qui veritátis lúmine
Mentis ténebras ámoves,
Salútis & monſtras viam.

Præſta, fides non óccubet,
Si cúltui deſit tuo,
Quid noſtra vox, ni tínniens
Vanas per auras cymbalum?

Vires leonum per fidem
Vicére ſancti: hoc manus
Protécta ſcuto, nóxios
Retúndat hoſtis ímpetus.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Infúſa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

Ant. t. 7. *C.* Quanta.

PSALMUS 77.

Ad audiendam legem Dei invitatio; beneficia Judæis præſtita.

ATténdite, pópule meus, legem meam; * inclináte aurem veſtram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum; * loquar propoſitiónes ab inítio.

Quanta audívimus, & cognovimus ea, * & patres noſtri narravérunt nobis.

Non ſunt occultáta à fíliis eórum * in generatióne áltera;

Narrántes laudes Dómini, & virtútes ejus, * & mirabília ejus quæ fecit.

Et ſuſcitávit teſtimónium in Jacob, * & legem póſuit in Iſrael.

Quanta mandávit pátribus noſtris nota fácere ea filiis ſuis, * ut cognóſcat generátio áltera:

Fílii qui naſcéntur, & exúrgent, * & narrabunt fíliis ſuis;

Ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcántur óperum Dei, * & mandáta ejus exquírant;

Ne fiant ſicut patres eórum, * generátio prava & exáſperans:

Generátio quæ non diréxit cor ſuum, * & non eſt créditus cum Deo ſpíritus ejus.

Diviſio Pſalmi 77.

FIlii Ephrem intendentes & mittentes arcum, *

ſunt in die belli.
:ſtodierunt teſtamén-
i, * & in lege ejus
nt ambuláre.
líti ſunt benefactó-
s, * & mirabílium e-
oſténdit eis.
m pátribus eórum fe-
bília in terra Ægyp-
campo Táneos.
rúpit mare, & per-
os; * & ſtátuit aquas
utre.
edúxit eos in nube
& totâ nocte in il-
ióne ignis.
rúpit petram in eré-
t adaquávit eos velut
ò multa.
dúxit aquam de pe-
& dedúxit tamquam
aquas.
poſuérunt adhuc pec-
; * in iram excitavé-
xcélſum in inaquó-

ntavérunt Deum in
s ſuis, * ut peterent
imábus ſuis.
malè locúti ſunt de
dixérunt: Numquid
Deus paráre menſam
rto?
iam percúſſit petram,
runt aquæ, * & tor-
inundavérunt,
quid & panem pó-
re? * aut paráre men-
pulo ſuo?
audívit Dóminus, &
: * & ignis accen-
in Jacob, & ira aſ-
in Iſrael;
non credidérunt in

Deo, * nec ſperavérunt in ſalutári ejus.

Et mandávit núbibus déſuper, * & jánuas cœli apéruit;

Et pluit illis manna ad manducándum, * & panem cœli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo: * cibária miſit eis in abundántia.

Altera diviſio Pſalmi 77.

TRánſtulit (Dóminus) Auſtrum de cœlo; * & indúxit in virtúte ſua Africum.

Et pluit ſuper eos ſicut púlverem carnes, * & ſicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio caſtrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, & ſaturáti ſunt nimis, & deſidérium eorum áttulit eis; * non ſunt fraudáti a deſidério ſuo.

Adhuc eſcæ eórum erant in ore ipsórum, * & ira Dei aſcéndit ſuper eos.

Et occídit pingues eórum, * & eléctos Iſrael impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc, * & non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum cum feſtinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum; * & revertebántur, & dilúculò veniébant ad eum.

Et rememoráti ſunt quia Deus adjútor eſt eorum, * & Deus excélſus redémptor eórum eſt.

Et dilexérunt eum in ore ſuo: * & linguâ ſuâ mentíti ſunt ei.

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti ſunt in teſtaménto ejus.

Ipſe autem eſt miséricors, & propítius fiet peccátis eórum, * & non diſpérdet eos.

Gloria, &c.

Ant. Quanta mandávit pátribus noſtris nota fácere ea fíliis ſuis. *v.* 5.

In Feriali Officio Capitulum. Prov. 6. 23.

MAndátum lucérna eſt, & lex lux, & via vitæ increpátio diſciplínæ.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

VOtis favéto, Spíritus,
Promiſſa terris véritas;
Te luce, mundi prœmia
Noſtris nihil ſint méntibus.

Da, nos fides velócibus
Ad ſumma pennis évehat;
Solúmque, victrix ſénſuum,
Curet Deum te quærere.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Infúſa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

Ant. t. 7. C. Pavit eos.

Ex Psalmo 77. Et

ABundávit (Dóminus) ut avérteret iram ſuã, * & non accéndit omnem iram ſuam.

Et recordátus eſt quia caro ſunt, * ſpíritus vadens, & non rédiens.

Quoties exacerbavérunt eum in deſérto? * in iram concitavérunt eum in inaquóſo?

Et convérſi ſunt, & tentavérunt Deum, * & ſanctum Iſrael exacerbavérunt.

Non ſunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulantis;

Sicut póſuit in Ægypto ſigna ſua, * & prodígia ſua in campo Táneos.

Et convértit in ſánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum, ne bíberent.

Miſit in eos cœnomyiam, & comédit eos; * & ranam, & diſpérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * & labóres eórum locúſtæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * & moros eórũ in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum, * & poſſeſſiónem eórum igni.

Miſit in eos iram indignatiónis ſuæ; * indignatiónem, & iram, & tribulatiónem, immiſſiónes per angelos malos.

Viam fecit ſémitæ iræ ſuæ, & non pepércit à morte animábus eórum, * & juménta eórum in morte conclúſit;

Et percúſſit omne primogénitum in terra Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 77. Et

ABſtulit (Dóminus) ſicut oves pópulũ ſuũ, * & perdúxit eos tamquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in ſpe, & non timuérunt; * & inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem ſanctificationis ſuæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum gentes; * & ſorte divíſit eis terram in funículo diſtributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Iſrael.

Et tentavérunt, & exacerbavérunt Deum excélſum; * & teſtimónia ejus non cuſtodiérunt.

Et avertérunt ſe, & non ſervavérunt pactum: * quemádmodum patres eórum, convérſi ſunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus ſuis, * & in ſculptílibus ſuis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, & ſprevit, * & ad nihilum redégit valdè Iſrael.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum ſuum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórũ, * & pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúſit in gládio pópulum ſuum, * & hæreditatem ſuam ſprevit.

Júvenes eórum comédit ignis, * & vírgines eórum non ſunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt, * & víduæ eórum non plorabántur.

Altera diviſio Pſalmi 77. Et

EXcitátus eſt tamquam dórmiens Dóminus, * tamquam potens crapulátus à vino.

Et percúſſit inimícos ſuos in poſterióra: * oppróbrium ſempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joſeph, * & tribum Ephraim non elégit;

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit ſicut unicórnium ſanctificium ſuum * in terra quam fundávit in ſæcula:

Et elégit David ſervum ſuum, * & ſuſtulit eum de grégibus óvium.

De poſt fœtántes accépit eum, * páſcere Jacob ſervũ ſuum, & Iſrael hæreditátem ſuam.

Et pavit eos in innocéntia cordis ſui, * & in intelléctibus mánuum ſuárum dedúxit eos. Glória, &c.

Ant. Pavit eos Dóminus in innocéntia cordis ſui, & in intelléctibus mánuum ſuárum dedúxit eos. *v.* 72.

Capitulum. I. *Joan.* I. 5.

HÆc eſt annuntiátio, quã audívimus ab eo, & annuntiámus vobis: Quóniam Deus lux eſt, & ténebræ in eo non ſunt ullæ.

℟. *br.* Lucérna pedibus meis * Verbum tuum : Lucérna.

℣. Et lumen sémitis meis.* Verbum. Glória Lucérna. *Pſ.* 118. 105.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine,

℟. Et de lege tua docúeris eum. *Pſ.* 93. 12.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

FUlgens poli ſol cúlmine
Ignes, Deus, quot éxerit,
Tot vócibus te prædicat,
Tot penicíllis éxhibet.

At ígnibus qui píngeris,
Ignes amóris éxcita:
Illámque votis da fidem,
Cui comes ſit cháritas.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Infúſa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

Ant. t. 5. *A* Dominus.

PSALMUS 67.

Carmen triumphale de Chriſti victoriis, & de Eccleſiæ per Evangelii prædicationem diffuſione.

EXúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus; * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus:

Sicut déficit fumus, defíciant: * ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei, * & delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, pſálmum dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui aſcéndit ſuper occáſum, Dóminus nomen illi.

Exultáte in conſpéctu ejus, * turbabúntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco ſancto ſuo; * Deus qui inhabitáre facit uníus moris in domo;

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * ſimíliter eos qui exáſperant, qui hábitant in ſepúlchris.

Deus, cùm egrederéris in conſpéctu pópuli tui, * cùm pertransíres in desérto,

Terra mota eſt, étenim cœli diſtillavérunt à facie Dei Sínaï, * à facie Dei Iſrael.

Plúviam voluntáriam ſegregábis, Deus, hæreditátí tuæ; * & infirmáta eſt: tu verò perfeciſti eam.

Animália tua habitábunt in ea; * paráſti in dulcédine tua paúperi, Deus.

Diviſio Pſalmi 67.

DOminus dabit verbum evangelizántibus * virtúte multâ.

Rex virtútum dilécti, dilécti; * & ſpeciei domûs dividere ſpólia.

Si dormiátis inter médios cleros, * pennæ columbæ deargentátæ, & poſterióra dorſi ejus in pallóre auri.

Dum diſcérnit cœléſtis reges ſuper eam, * nive dealbabúntur in Selmon.

Mons Dei, mons pinguis, * mons coagulatus, mons pinguis:

Ut quid ſuſpicámini mon-

tes coagulátos? * mons in quo beneplácitum eſt Deo habitáre in eo; étenim Dóminus hábitabit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántiū: * Dóminus in eis in Sina, in ſancto.

Aſcendíſti in altum, cepíſti captivitátem: * accepíſti dona in homínibus:

Etenim non credéntes * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie; * próſperum iter fáciet nobis Deus ſalutárium noſtrórum.

Deus noſter, Deus ſalvos faciéndi; * & Dómini Dómini exitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum ſuórum; * vérticem capílli perambulántium in delíctis ſuis.

Dixit Dóminus: Ex Baſan convértam, * convértam in profúndum maris;

Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipſo.

Vidérunt ingréſſus tuos, Deus, * ingréſſus Dei mei, regis mei qui eſt in ſancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti pſallentibus, * in médio juvenculárum tympaniſtriárum.

Altera diviſio Pſalmi 67.

IN Eccléſiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Iſrael.

Ibi Bénjamin adoleſcéntulus * in mentis excéſſu.

Príncipes Juda duces eórum; * príncipes Zabúlon, príncipes Nephtali.

Manda, Deus, virtuti tuæ; * confírma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Jeruſalem, * tibi offerent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórū in vaccis populórum, * ut exclúdant eos qui probáti ſunt argénto.

Diſſipa gentes quæ bella volunt: * vénient legáti ex Ægypto; Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo, * psállite Dómino;

Psállite Deo, qui aſcéndit ſuper cœlum cœli ad Oriéntem, * ecce dabit voci ſuæ vocem virtútis.

Date glóriam Deo; * ſuper Iſrael magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis; Deus Iſrael ipſe dabit virtútem, & fortitúdinem plebi ſuæ: * benedíctus Deus.

Ant. Dóminus dabit verbum evangelizántibus virtúte multâ. *v.* 12.

Capitulum. 2. Cor. 4. 6.

DEus, qui dixit de ténebris lucē ſplendéſcere, ipſe illúxit in córdibus noſtris, ad illuminatiónem ſciéntiæ claritátis Dei.

℟. *br.* Æquitas teſtimónia tua * In ætérnum. Æquitas.

℣. Intelléctum da mihi, & vivam. In ætérnum.

Glória. Æquitas. *Pſ.* 118. 144.

℣. Juſtitia tua, juſtitia in

æternum. ℟. Et lex tua véritas. *Pſ.* 118. 142.

AD NONAM.

HYMNUS.

LAbénte lucis ſídere,
Ne noſcat occíſum fides
Vigil; tuî nec immemor,
Umquam, Deus, ſit Numinis.
Inter procellas ſæculi
Stet pulſa rupes æquore,
Præſtaque ſanctam dégener
Ne vita deturpet fidem.
Sit laus Patri, laus Filio,
Par ſit tibi laus, Spiritus,
Infuſa per quem cordibus
Relúcet imis véritas. Amen.

Ant. 1. 6. a. Deus.

PSALMUS 70.

Se à Deo edoctam dicit Eccleſia: contra inimicos ſuos auxilium rogat.

IN te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnum: * in juſtítia tua líbera me, & éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * & ſalva me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum; * ut ſalvũ me fácias,

Quóniam firmaméntum meum, * & refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agéntis, & iníqui;

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine; * Dómine, ſpes mea à juventúte mea.

In te confirmátus ſum ex útero; de ventre matris meæ tu es protéctor meus; * in te cantátio mea ſemper.

Tamquam prodígium factus ſum multis, * & tu adjutor fortis.

Diviſio Pſalmi 70.

REpleátur os meum laude, * ut cantem glóriã tuam, totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore ſenectútis; * & cùm defécerit virtus mea, ne derelínquas me;

Quia dixérunt inimíci mei mihi; * & qui cuſtodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes: Deus derelíquit eum; perſequímini, & comprehéndite eum; * quia non eſt qui erípiat.

Deus, ne elongéris à me; * Deus meus, in auxílium meũ réſpice.

Confundántur, & defíciant detrahentes ánimæ meæ; * operiántur confuſióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem ſemper ſperábo, * & adjíciam ſuper omnem laudem tuam.

Os meum annuntiábit juſtítiam tuam, * totâ die ſalutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine, memorábor juſtítiæ tuæ ſolíus.

Altera diviſio Pſalmi 70.

DEus, docuíſti me á juventúte mea; * & uſ-

que nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et uſque in ſenéctam & ſénium, * Deus, ne derelínquas me;

Donec annúntiem bráchiũ tuum * generatióni omni quæ ventúra eſt,

Poténtiam tuam, & juſtítiam tuam, Deus, uſque in altíſſima, quæ feciſti magnália: * Deus, quis ſímilis tibi?

Quantas oſtendíſti mihi tribulatiónes multas & malas? * & convérſus, vivificáſti me, & de abyſſis terræ íterum reduxíſti me.

Multiplicáſti magnificéntiam tuam; * & convérſus conſolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vaſis pſalmi veritátem tuam, Deus; * pſallam tibi in cíthara, Sanctus Iſrael.

Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi; * & ánima mea quam redemíſti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur juſtítiam tuã, * cùm confúſi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. Deus, docuíſti me à juventúte meâ; & uſque nunc pronuntiábo mirabília tua. *v.* 17.

Capitulum. Coloſſ. 1. 12. 13.

GRátias agéntes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctórum in lúmine; qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum.

℟. *br.* Exórtum eſt in ténebris * Lumen rectis. Exórtum. ℣. Miſéricors, & miserátor, (Dóminus) * Lumen. Glória. Exórtum. *Pſ.* 111. 4.

℣. Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Domine: ℟. Dedíſti lætítiam in corde meo. *Pſ.* 4. 7.

AD VESPERAS.

Ant. t. 1. D. Crédidi.

PSALMUS 115.

Ob firmam fidem, ſibi auxilium Dei ſpondet juſtus.

CRédidi, propter quod locútus ſum; * ego autem humiliátus ſum nimis.

Ego dixi in excéſſu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dño * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem ſalutáris accípiã, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dño reddam coram omni pópulo ejus: * pretióſa in conſpéctu Dómini mors ſanctórum ejus.

O Dómine, quia ego ſervus tuus; * ego ſervus tuus & fílius ancíllæ tuæ.

Dirupíſti víncula mea; * tibi ſacrificábo hoſtiam laudis, & nomen Dñi invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conſpéctu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jeruſalẽ.

Ant. Crédidi, propter quod locútus ſum. *v.* 10.

Ant. t. 2. d. Confirmáta eſt.

PSALMUS 116.

Quòd gentibus innotuerit veritas; Dei laudatio.

LAudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli;

Quóniam confirmáta eſt ſu-

per nos miſericórdia ejus; * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Confirmáta eſt ſuper nos miſericordia ejus; & véritas Dómini manet in ætérnum. *v.* 2.

Ant. t. 3. *A.* Magnificávit.

PSALMUS 125.

Apoſtolorum labores multi; ſed meſſis abundans.

IN convertendo Dóminus captivitátem Sion, * facti ſumus ſicut conſoláti.

Tunc replétum gaúdio os noſtrum, * & lingua noſtra exultatióne:

Tunc dicent inter gentes; * Magnificavit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum: * facti ſumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem noſtram, * ſicut torrens in auſtro.

Qui ſéminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant, & flebant, * mittentes sémina ſua;

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portantes manípulos ſuos.

Ant. Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum: facti ſumus lætántes. *v.* 3.

Ant. t. 3. *A.* Confitémini.

PSALMUS 135.

Ex operibus mirandis laudatur Dominus.

COnfitémini Dño quóniam bonus; * quóniam in ætérnũ miſericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Confitemini Dómino dominórum; * quoniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui facit mirabilia magna ſolus; * quóniam in ætérnum miſericordia ejus;

Qui fecit cœlos in intelléctu; * quoniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui firmávit terram ſuper aquas; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui fecit luminária magna; * quóniam in ætérnum miſericordia ejus;

Solem in poteſtátem diéi; * quoniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Lunam & ſtellas in poteſtátem noctis; * quoniam in ætérnum miſericordia ejus;

Qui percúſſit Ægyptum cum primogénitis eórum; * quóniam in ætérnum miſericordia ejus;

Qui edúxit Iſrael de médio eórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

In manu potenti, & bráchio excelſo; * quóniam in ætérnum miſericordia ejus;

Qui divíſit mare rubrum in diviſiónes; * quoniam in ætérnũ miſericórdia ejus;

Et edúxit Iſrael per médium ejus; * quoniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Et excúſſit Pharaónem, & virtútem ejus in mari rubro; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui tradúxit pópulum ſuũ

per deſértum; * quóniam in ætérnum miſericordia ejus;

Qui percúſſit reges magnos; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Et occídit reges fortes; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Sehon regem Amorrhæórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Et Og regem Baſan; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Et dedit terram eórum hæreditatem; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Hæreditátem Iſrael ſervo ſuo; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Quia in humilitáte noſtra memor fuit noſtri; * quóniã in ætérnum miſericordia ejus;

Et redémit nos ab inimícis noſtris; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui dat eſcam omni carni; * quóniã in ætérnum miſericórdia ejus;

Confitemini Deo cœli; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Confitémini Dómino dóminórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Ant. Confitémini Domino qui fecit ſolem in poteſtátem diéi; lunam & ſtellas in poteſtátem noctis. *v.* 1. 7. 8. 9.

Ant. c. 5. *A* Non fecit.

PSALMUS 147.

Eccleſia ad laudes Dei invitatur, quòd ei eloquia ſua commiſerit.

LAuda, Jeruſalem, Dóminum, * lauda Deum tuum, Sion,

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum; * benedixit fíliis tuis in te:

Qui póſuit fines tuos pacẽ;* & ádipe frumẽti sátiat te:

Qui emíttit elóquium ſuum terræ; * velóciter currit ſermo ejus:

Qui dat nivem ſicut lanã; * nébulam ſicut cínerẽ ſpargit:

Mittit cryſtállum ſuam ſicut buccellas; * ante fáciem frigoris ejus quis ſuſtinébit?

Emíttet verbum ſuum, & liquefáciet ea; * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ:

Qui annúntiat verbum ſuũ Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſrael.

Non fecit táliter omni natióni; * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

Ant. Non fecit táliter omni nationi; & judicia ſua non manifeſtávit eis. *v.* 20.

Capitulum. Eph. 6. 14. 16.

STate ergo ſuccíncti lumbos veſtros in veritate, & indúti loricã juſtítiæ, in ómnibus ſuméntes ſcutũ fídei.

HYMNUS.

O Quanta ſurgit glória
Tibi, Creator síderũ!
His te Deum micántibus
Offers legéndum litteris.
Vis: luna, ſolque pródeunt;
Stellæ repónunt, ádſumus;
Deducis hinc volúbiles
Naſcéntis ævi círculos.
At ſempitérna veritas,

Cum per fidem nos édoces,
Ades, Deus, lux méntium
Noſtriſque lumen ſemitis.
Caliginoſos ſæculi
Nos inter æſtus dirige,
Quæ te fideli præviam
Lucerna nudas pectori.
Credo, Deus, ſed debilem
Auge fidem, quà nitor:
Hæc lumen addat mentibus,
Cordique robur inſerat.
Scutum fides nos induat,
Quo conſecrâri milites,
Divina Chriſti prælia
Non deſerâmus transfugæ.
Sit ſumma Patri glória:
Sit ſumma Nato, qui fidem
Cruore quæſivit ſuo:
Par ſit tibi laus, Spiritus.
Amen

℣. Diſciplinam, & ſcientiam doce me; ℟. Quia mandatis tuis credidi. *Pſalm.* 118. 66.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 6. Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. *Luc.* 1. 47.

FERIA QUINTA.

Dixit Deus: Producant aquæ, &c. Gen. 1. *Eâdem die animæ cibum Chriſtus Euchariſtiam inſtituit.*

OFFICII FINIS.

Deus in ſua erga homines charitate adorandus: hinc amor Dei & proximi.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitat. Deum, qui charitas eſt, * Venite, adoremus. I. *Joan.* 4. 16.

Pſ. 94. Venite. *pag.* 2.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. t. 4. e. Ure.

PSALMUS 25.

Quam ſuave piæ conſcientiæ teſtimonium: decorem domus Dei diligit juſtus.

JUdica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum; * & in Domino ſperans, non infirmabor.

Proba me, Domine, & tenta me: * ure renes meos, & cor meum:

Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, * & complacui in veritate tua.

Non ſedi cum concilio vanitatis; * & cum iniqua gerentibus non introibo.

Odivi eccleſiam malignantium; * & cum impiis non ſedebo.

Lavabo inter innocentes manus meas; * & circumdabo altare tuum, Domine;

Ut audiam vocem laudis, * & enarrem univerſa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuæ, * & locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam; * & cum viris ſanguinum vitam meam,

In quorum manibus iniquitates ſunt; * dextera eorum repleta eſt muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum: * redime me, & miſerere mei.

Pes meus ſtetit in directo: * in eccleſiis benedicam te, Domine.

PSALMUS 39.

Antiquarum hoſtiarum loco ſe ſubſtituit Christus: ipſe obedientiæ typus.

EXpéctans expectávi Dóminũ, * & inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas; * & edúxit me de lacu miſériæ & de luto fæcis.

Et ſtátuit ſuper petram pedes meos: * & diréxit greſſus meos.

Et immíſit in os meum cánticum novum, * carmen Deo noſtro.

Vidébunt multi & timébunt, * & ſperábunt in Dño.

Beátus vir, cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus, * & non reſpéxit in vanitátes & insánias falſas.

Multa feciſti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua; * & cogitatiónibus tuis non eſt qui ſímilis ſit tibi.

Annuntiávi & locútus ſum: * multiplicáti ſunt ſuper númerum.

Sacrificiũ & oblatiónẽ noluíſti;* aures autẽ perfeciſti mihi.

Holocauſtum & pro peccáto non poſtulaſti; * tunc dixi; Ecce vénio.

In cápite libri ſcriptum eſt de me, ut fácerem voluntátem tuã: * Deus meus, vólui, & legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi juſtítiam tuam in eccléſia magna; * ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu ſciſti.

Juſtítiã tuam non abſcóndi in corde meo; * veritátem tuam & ſalutáre tuum dixi.

Non abſcóndi miſericórdiam tuam, & veritátem tuam * à concílio multo.

Tu autem, Dñe, ne longè fácias miſeratiónes tuas à me: * miſericórdia tua & véritas tua ſemper ſuſcepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non eſt númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ; & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ ſunt ſuper capíllos cápitis mei; * & cor meum dereliquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me: * Dómine, ad adjuvándum me réſpice.

Confundántur & revereántur ſimul, qui quærunt ánimam meã, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórſum, & revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféſtim confuſiónem ſuam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent, & læténtur ſuper te omnes quæréntes te; * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego autem mendícus ſum, & pauper: * Dóminus ſollícitus eſt mei.

Adjútor meus, & protéctor meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

PSALMUS 44.

Carmen nuptiale: Christi, & eccleſiæ dotes.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego

ópera mea regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ * velociter ſcribéntis.

Specióſus formâ præ fíliis hóminum; diffuſa eſt grátia in labiis tuis: * proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum, * Potentiſſime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ inténde, * proſperè procéde,

Et regna propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli ſub te cadent, in corda inimicorum regis.

Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexiſti juſtítiam, & odíſti iniquitátẽ: proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ conſórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cáſia à veſtiméntis tuis, à dómibus ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Aſtitit regína à dextris tuis in veſtítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam; * & oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui:

Et concupíſcet Rex decórem tuum; * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus; * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines poſt eam; * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne; * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi filii: * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in ſæculum ſæculi.

Ant. Ure renes meos & cor meum, Dómine. *Pſ.* 25. 2.

PRO II. NOCTURNO.

Ant 1. 7. *D.* Dominus.

PSALMUS 45.

Eccleſia ex Dei tutelà & beneficiis inconcuſſa.

DEus noſter refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra, * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ ſunt aquæ eorum: * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat

civitatem

civitátem Dei: * ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbatæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna: * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dñus virtútum nobíſcum, * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Venite, & videte opera Dómini, quæ poſuit prodígia ſuper terram; * aúferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma; * & ſcuta combúret igni.

Vacate, & vidéte quóniam ego ſum Deus; * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dñus virtútum nobíſcum, * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

PSALMUS 47.

Mirabilis Chriſti in Eccleſiam beneficentia.

MAgnus Dóminus, & laudabilis nimis, * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur, * cum ſuſcipiet eã.

Quoniam ecce reges terræ congregáti ſunt; * convenérunt in unum.

Ipſi vidéntes ſic admiráti ſunt, * conturbáti ſunt, commóti ſunt.

Tremor apprehéndit eos: * ibi dolóres ut parturiéntis.

In ſpíritu vehementi * cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtutum, in civitate Dei noſtri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suſcépimus, Deus, miſericórdiam tuam * in medio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ: * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent filiæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & complectímini eam; * narrate in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus, & diſtribuite domos ejus, * ut enarrétis in progénie áltera;

Quoniam hic eſt Deus, Deus noſter in ætérnum, & in ſæculum ſæculi: * ipſe reget nos in ſæcula.

PSALMUS 60.

Juſtus ab inimicis liberatus: Chriſti regnum æternum.

EXaúdi, Deus, deprecatiónem meam; * inténde oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi, dum anxiarétur cor meũ; * in petra exaltáſti me.

Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea, * turris fortitúdinis a facie inimíci.

Inhabitabo in tabernáculo tuo in ſæcula; * prótegar

in velaménto alárum tuárum;

Quóniam tu, Deus meus, exaudíſti oratiónem meam, * dedíſti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies ſuper dies regis adjícies, * annos ejus uſque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conſpéctu Dei: * miſericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

Sic pſalmum dicam nómini tuo in ſæculum ſæculi; * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Dóminus virtútum nobíſcum, ſuſcéptor noſter Deus Jacob. *Pſ.* 45. 12.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. t. 5. a. Grátiam.

PSALMUS 71.

Chriſti regnum pacificum, amplum, & omni bonorum copiâ felix.

DEus, judícium tuum regi da; * & juſtítiam tuam fílio regis,

Judicáre pópulum tuum in juſtítia, * & paúperes tuos in judício.

Suſcípiant montes pacem pópulo, * & colles juſtítiam.

Judicábit paúperes pópuli, & ſalvos fáciet fílios paúperum, * & humiliábit calumniatórem;

Et permanébit cum ſole, & ante lunam; * in generatióne & generatiónem.

Deſcéndet ſicut plúvia in vellus, * & ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram.

Oriétur in diébus ejus juſtítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari uſque ad mare; * & à flúmine uſque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharſis & ínſulæ múnera ófferent, * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ; * omnes gentes sérvient ei;

Quia liberábit paúperem à poténte; * & paúperem cui non erat adjútor.

Parcet paúperi & ínopi, * & ánimas paúperum ſalvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eorum; * & honorábile nomen eórũ coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipſo ſemper; * totâ die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terrâ in ſummis montium, ſuperextollétur ſuper Líbanum fructus ejus: * & florébunt de civitáte ſicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in ſæcula: * ante ſolem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, * omnes gentes magnificabũt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſrael, * qui facit mirabília ſolus.

Et benedíctum nomen majeſtátis ejus in ætérnum; * & replébitur majeſtáte ejus omnis terra: Fiat, fiat.

PSALMUS 83.

Ex ſummis domûs Dei bonis, vehementer in atria Domini deſiderat juſtus.

QUàm diléćta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíſcit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivũ.

Etenim paſſer invénit ſibi domum, * & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! * in ſæcula ſæculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus eſt auxílium abs te: * aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit in valle lacrymárum, in loco quem póſuit.

Etenim benedićtiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem; * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, * exaúdi oratiónem meam; * aúribus pércipe, Deus Jacob.

Protéćtor noſter, áſpice, Deus, * & réſpice in fáciem Chriſti tui;

Quia mélior eſt dies una in átriis tuis * ſuper míllia.

Elegi abjéćtus eſſe in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum;

Quia miſericórdiam & veritátem díligit Deus; * grátiam & glóriam dabit Dóminus:

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui ſperat in te.

PSALMUS 86.

Quantùm Eccleſiam prædiligit Chriſtus.

FUndaménta ejus in móntibus ſanćtis: * díligit Dóminus portas Sion ſuper ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dićta ſunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, * ſciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illìc.

Numquid Sion dicet; Homo & homo natus eſt in ea; * & ipſe fundávit eam Altíſſimus?

Dóminus narrábit in ſcriptúris populórum, & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio eſt in te.

Ant. Grátiam & glóriam dabit Dóminus. *Pſ.* 83. 12.

℣. In die mandávit Dó-

minus miſericórdiam ſuam; ℟. Et noćte cánticum ejus. Pſ. 41. 9.

AD LAUDES.

℣. Sacerdos. Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam; ℟. Quia in te ſperavi. Pſ. 142. 8.

Ant. t. 1. d. Parátum

PSALMUS 107.

Ad Dei autem paratum cor justi: vana ſalus hominis; ſalus ſalvans Deus.

PAratũ cor meum, Deus, parátũ cor meum: * cantábo, & pſallã in gloria mea.

Exúrge, glória mea: exúrge, pſaltérium & cithara: * exúrgam dilúculo.

Confitebor tibi in pópulis, Dómine, * & pſallam tibi in natiónibus;

Quia magna eſt ſuper cœlos miſericórdia tua; * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & ſuper omnem terram glória tua.

Ut liberéntur diléćti tui, * ſalvum fac dexterâ tuâ, & exaúdi me.

Deus locútus eſt in ſanćto ſuo; * exultábo & dividam Síchimam, & convallem tabernaculórum dimétiar.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes; * & Ephraim ſuſcéptio cápitis mei;

Juda rex meus; * Moab lebes ſpei meæ;

In Idumæam exténdam calceaméntum meum: * mihi alienígenæ amíci fаćti ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munitam? * quis dedúcet me uſque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repuliſti nos, * & non exibis, Deus, in virtútibus noſtris?

Da nobis auxilium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem, * & ipſe ad nihilum dedúcet inimícos noſtros.

Ant. Parátum cor meum, Deus; cantabo, & pſallam in gloria mea. *v.* 2.

Ant. t. 6. f. Laudáte.

PSALMUS 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio.

JUbiláte Deo, omnis terra, * ſervíte Domino in lætítia.

Introíte in conſpéćtu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus; ipſe fecit nos, & non ipſi nos: * pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus.

Introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus; * in ætérnũ miſericórdia ejus, & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus. *v.* 4. 5.

Ant. t. 5. a. Cibávit.

PSALMUS 80.

Exultandum Deo qui tot beneficia contulit.

EXultáte Deo adjutóri noſtro, * jubiláte Deo Jacob.

Súmite pſalmum, & date tympanum; * pſaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tubâ, * in insígni die ſolemnitátis veſtræ:

Quia præcéptum in Iſrael eſt, * & judícium Deo Jacob.

Teſtimónium in Joſeph póſuit illud, cùm exíret de terrâ Ægypti: * linguâ quam non nòverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorſum ejus, * manus ejus in cophino ſerviérunt.

In tribulatióne invocáſti me, & liberávi te; * exaudívi te in abſcóndito tempeſtátis, probávi te apud aquã contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & conteſtábor te, * Iſrael, ſi audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti; * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meã, * & Iſrael non inténdit mihi.

Et dimíſi eos ſecúndùm deſidéria cordis eórum, * ibunt in adinvẽtionibus ſuis.

Si pópulus meus audíſſet me, * Iſrael ſi in viis meis ambuláſſet,

Pro níhilo fórſitan inimícos eórum humiliáſſem, * & ſuper tribulántes eos miſíſſem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti ſunt ei; * & erit tempus eórum in ſæcula.

Et cibàvit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle ſaturávit eos.

Ant. Cibávit eos ex ádipe fruménti; & de petra, melle ſaturávit eos. *v.* 17.

Ant. 1. 3. *A.* Hauriétis.

CANTICUM ISAIÆ 12.

CONfitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi: * convérſus eſt furor tuus, & conſolátus es me.

Ecce Deus ſalvátor meus; * fiduciáliter agam, & non timébo:

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus eſt mihi in ſalútem.

Hauriétis aquas in gaúdio de fontibus Salvatóris; * & dicétis in die illâ: Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * meméntote quóniam excélſum eſt nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magníficè fecit: * annuntiáte hoc in univérſa terra.

Exúlta & lauda, habitátio Sion, * quia magnus in médio tuî ſanctus Iſrael.

Ant. Hauriétis aquas in gaúdio de fóntibus Salvatóris. *Iſ.* 12. 3.

In Feſtis dicitur, CANTICUM *Tob.* 13.

BEnedícite Dñm, omnes elécti ejus: * ágite dies lætítiæ, & confitémini illi.

Jerúſalem cívitas Dei, * caſtigávit te Dóminus in opé-

ribus mánuum tuárum.

Confitére Dómino in bonis tuis, * & bénedic Deum ſæculórum,

Ut reædíficet in te tabernáculum ſuum, & révocet ad te omnes captívos, * & gaúdeas in ómnia ſæcula ſæculórum.

Luce ſpléndidâ fulgébis: * & omnes fines terræ adorábunt te.

Natiónes ex longínquo ad te vénient: * & múnera deferéntes adorábunt in te Dóminum,

Et terram tuã in ſanctificatióne habébunt. * Nomen enim magnũ invocábunt in te.

Maledícti erunt qui contémpſerint te; & condemnáti erunt omnes qui blaſphemáverint te; * benedictíque erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in fíliis tuis; * quóniam omnes benedicéntur, & congregabuntur ad Dóminum.

Glória Patri, &c.

Ant. t. 3. A. Regnábit.

PSALMUS 145.

Non homínibus fidendum, ſed Deo, cujus opera & beneficia narrantur.

LAuda, ánima mea, Dóminũ; * laudabo Dóminum in vita mea; pſallã Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuam: * *in illa die períbunt omnes* cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis ſunt:

Qui cuſtódit veritátem in ſæculum, facit judícium injúriam patiéntibus; * dat eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſolvit compedítos: * Dñus illúminat cæcos:

Dóminus érigit eliſos: * Dóminus díligit juſtos:

Dóminus cuſtódit ádvenas; pupíllum & víduam ſuſcípiet; * & vias peccatórum diſpérdet.

Regnábit Dóminus in ſæcula Deus tuus, Sion, * in generatióne & generatiónem.

Ant. Regnábit Dóminus in ſæcula Deus tuus, Sion. *v.* 10.

Capitulum. Deut. 10. 12.

ISrael, quid Dóminus Deus petit à te, niſi ut tímeas Dóminum Deum tuum, & ámbules in viis ejus, & díligas eum, ac sérvias Dómino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota ánima tua?

℣. Quàm bonus Iſrael Deus,
℟. His qui recto ſunt corde!
Pſ. 72. 1.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *F.* Eréxit cornu ſalútis nobis, in domo David púeri ſui. *Luc.* 1. 69.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

TErris redux ſol émicat; Aris litándus mox adeſt Chriſtus: miníſtri Núminis,

Hymnos ſacris præmittite.
Non læſa tortóris manu
Procúmbit inſons hóſtia:
Hæc incruénto cæditur
Amóris enſe víctima.
Qui charitáte præviâ
Nos, Chriſte, tantùm diligis,
Te quanta nobis óptimum
Probant paréntem pígnora!
Ad hunc canálē, quo fluūt
Noſtræ ſalútis rívuli,
Mens currat, & cæléſtium
Prælíbet undas flúminum.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Per quem refúſa córdibus
Ardeſcit imis cháritas. Amen.

Ant. t. 5. a. Miſericórdias.

PSALMUS 88.

Miſericordiæ Dei canticum: promiſſiones Davidi factæ; Chriſtum differri humilis querela.

MIſericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem & generatiónem, * annuntiábo veritátem tuam in ore meo;

Quóniam dixíſti: In ætérnum miſericórdia ædificábitur in cœlis; * præparábitur véritas tua in eis.

Diſpóſui teſtaméntū eléctis meis; * jurávi David ſervo meo: Uſque in ætérnum præparábo ſemen tuum;

Et ædificábo in generatiónem & generatiónem * ſedem tuam.

Confitebúntur cœli mirabilia tua, Dómine; * étenim veritátem tuam in eccléſia ſanctórum;

Quóniam quis in núbibus æquabitur Dómino, * ſímilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in concílio ſanctórū, * magnus & terríbilis ſuper omnes, qui in circúitu ejus ſunt.

Dómine Deus virtútum, quis ſímilis tibi? * potens es, Dómine, & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris poteſtáti maris; * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliáſti ſicut vulnerátum, ſupérbum: * in bráchio virtútis tuæ diſperſíſti inimícos tuos.

Tui ſunt cœli, & tua eſt terra; orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundaſti; * Aquilónem & mare tu creáſti.

Thabor & Hermon in nómine tuo exultabunt; * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua; * juſtítia & judícium præparátio ſedis tuæ.

Miſericórdia & véritas * præcédent fáciem tuam.

Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalmi 88.

BEátus pópulus, * qui ſcit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, & in nómine tuo exultábunt totâ die; * & in juſtítia tua exaltabúntur;

Quóniam glória virtútis eórum tu es; * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu noſtrum;

Quia Dómini eſt aſſúmptio noſtra, * & ſancti Iſrael regis noſtri.

Tunc locútus es in viſióne ſanctis tuis, & dixiſti: * Póſui adjutórium in poténte, & exaltávi electum de plebe meâ.

Invéni David ſervū meū, * óleo ſancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium meum confortábit eum.

Nihil proficiet inimícus in eo, * & filius iniquitatis non apponet nocére ei.

Et concidam à facie ipſíus inimícos ejus, * & odientes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, & miſericordia mea cum ipſo; * & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, & in flumínibus déxteram ejus.

Ipſe invocábit me: * Pater meus es tu, Deus meus, & ſuſceptor ſalútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excélſum præ régibus terræ;

In æternum ſervábo illi miſericórdiam meam, * & teſtaméntum meum fidéle ipſi.

Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, * & thronum ejus ſicut dies cœli.

Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, * & in judíciis meis non ambuláverint;

Si juſtitias meas profanáverint, * & mandáta mea non cuſtodierint:

Viſitábo in virga iniquitátes eórum, * & in verbéribus peccáta eórum:

Miſericórdiam autem meā non diſpérgam ab eo; * neque nocébo in veritate mea;

Neque profanábo teſtaméntum meum, * & quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Glória Patri, &c.

Altera Diviſio Pſalmi 88.

Semel juravi in ſancto meo, ſi David méntiar; * Semen ejus in ætérnū manébit;

Et thronus ejus ſicut ſol in conſpéctu meo, & ſicut luna perfécta in ætérnum: * & teſtis in cœlo fidelis.

Tu verò repuliſti & deſpexíſti; * diſtuliſti Chriſtum tuum.

Evertíſti teſtaméntum ſervi tui, * profanáſti in terra ſanctuárium ejus.

Deſtruxíſti omnes ſepes ejus; * poſuiſti firmamentum ejus formidinem:

Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam; * factus eſt opprobrium vicinis ſuis.

Exaltáſti déxteram depriméntiū eum; lætificaſti omnes inimicos ejus;

Avertíſti adjutórium gládii ejus, * & non eſt auxiliátus ei in bello:

Deſtruxiſti eum ab emundatione; * & ſedem ejus in terram collisíſti:

Minoráſti dies témporis

ejus: * perfudíſti eum confuſióne.

Uſquequò, Dómine, avértis in finem? * exardéſcet ſicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea ſubſtántia: * numquid enim vanè conſtituíſti omnes fílios hóminum?

Quis eſt homo, qui vivet, & non vidébit mortem? * éruet ánimam ſuam de manu ínferi.

Ubi ſunt miſericórdiæ tuæ antíquæ, Domine, * ſicut juráſti David in veritáte tua?

Memor eſto, Domine, opprobrii ſervórum tuórũ, * quod contínui in ſinu meo, multárum géntium;

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quod exprobravérunt cõmutatiónem Chriſti tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum: * fiat, fiat.

Glória, &c.

Ant. Miſericórdias Dómini in ætérnum cantábo. *v.* 2.

In Feriali Officio Capitulum. Iſ. 55. 1.

OMnes ſitiéntes, veníte ad aquas: & qui non habétis argentum, properáte, émite, & comedite.

Reliqua ut ad Feriam 2.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

O Qui ſcates fons grátiæ,
Votis favéto, Spíritus;
Verſáre mentes éfficax
Nutu, rebelles állice.
Tu pectus aufer sáxeum,
Tu cárneum pectus crea;
Nobíſque ſis, quâ férvidi
Te diligamus, charitas.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spiritus,
Afflante quo, mentes ſacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

Ant. t. 3. *E.* Lætétur.

PSALMUS 104.

Beneficia Iſraeli collata enumerantur.

COnfitémini Dómino, & invocáte nomen ejus; * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & psállite ei; * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine ſancto ejus; * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini; * quærite fáciem ejus ſemper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia ejus & judícia oris ejus,

Semen Abraham, ſervi ejus; * fílii Jacob elécti ejus.

Ipſe Dóminus Deus noſter; * in univérſa terra judícia ejus.

Memor fuit in ſæculum teſtaménti ſui; * verbi quod mandávit in mille generatiónes,

Quod diſpóſuit ad Abraham; * & juraménti ſui ad Iſaac;

Et ſtátuit illud Jacob in præcéptum, * & Iſrael in teſtaméntum ætérnum;

Dicens: Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hæreditátis veſtræ.

Cùm eſſent número brevi, pauciſſimi, * & íncolæ ejus;

Et pertranſiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis; * & corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere chriſtos meos, * & in prophétis meis nolíte malignári. Glória.

Diviſio Pſalmi 104. Et

Vocávit (Dóminus) famem ſuper terram, * & omne firmaméntum panis contrívit.

Miſit ante eos virum; * in ſervum venúmdatus eſt Joſeph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránſiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum; * miſit rex; & ſolvit eum; princeps populórum, & dimíſit eum.

Conſtítuit eum Dóminum domûs ſuæ, * & príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ;

Ut erudíret príncipes ejus ſicut ſemetípſum, * & ſenes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Iſrael in Ægyptum; * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum ſuum vehemēter: * & firmávit eum ſuper inimícos éjus.

Convértit cor eórum, ut odírent pópulum ejus, * & dolum fácerent in ſervos ejus.

Glória.

Altera diviſio Pſalmi 104.

Miſit (Dóminus) Moyſen ſervum ſuum, * Aáron, quem elégit ipſum.

Poſuit in eis verba ſignórum ſuórum, * & prodigiórū in terra Cham.

Miſit ténebras, & obſcurávit; * & non exacerbávit ſermónes ſuos.

Convértit aquas eórum in ſánguinē; * & occídit piſces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, & venit cœnomyía & cíniphes * in ómnibus fínibus eórum.

Póſuit plúvias eórum grándinem; * ignem comburéntem in terra ipsórum.

Et percúſſit víneas eórum, & ficúlneas eórum; * & contrívit lignum fínium eórum.

Dixit, & venit locúſta, & bruchus, * cujus non erat númerus,

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * & comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percúſſit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto & auro; * & non erat in tríbubus eórum infírmus.

Lætáta eſt Ægyptus in profectione eórum, * quia incúbuit timor eórum ſuper eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum; * & ignem

ut lucéret eis per noctem.

Petiérũt, & venit cotúrnix;* & pane cœli ſaturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ; * abiérunt in ſicco flúmina;

Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui, * quod hábuit ad Abraham púerum ſuum:

Et edúxit pópulum ſuum in exultatióne;* & electos ſuos in lætítia:

Et dedit illis regiónes géntium; * & labóres populórũ poſſedérunt;

Ut cuſtódiant juſtificatiónes ejus, * & legem ejus requírant. Glória, &c.

Ant. Lætétur cor quæréntium Dóminum. *v.* 3.

Capítulum. 1. *Joan.* 4. 16.

DEus cháritas eſt: & qui manet in charitáte in Deo manet, & Deus in eo.

℟. *br.* Díligam te, Dómine, * Fortitúdo mea. Díligam. ℣. Dóminus firmaméntum meum & refúgium meum. * Fortitúdo mea: Glória Patri, &c. Díligam *Pſal.* 17. 2. 3.

℣. Mihi autem adhærére Deo bonum eſt: ℟. Pónere in Dómino ſpem meam. *Pſ.* 72. 28.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

QUo dante ſol ardet, Deus,
Ignes malignos cómprime;
Ne membra rixæ dívidant
Quæ panis unus cólligat.
Quæ Numen unum máximum
Simulque fratres díligit,
Ramis duóbus múltiplex
Eſt una virtus cháritas.
Tibi, Pater, ſit glória,
Par Fílio, cum Spíritu,
Qui pacis auctor mútuis
Fratres revíncis néxibus.
Amen.

Ant. *t.* 7. c. Víſita nos.

PSALMUS 105.

Bonitas Dei: Judæorum ingratus animus.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas faciet omnes laudes ejus?

Beáti qui cuſtódiunt judícium, * & fáciunt juſtítiam in omni témpore.

Meménto noſtrî, Dómine, in beneplácito pópuli tui, * víſita nos in ſalutari tuo,

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándũ in lætítia gentis tuæ; * ut laudéris cum hæreditáte tuâ. Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 105.

PEccávimus cum pátribus noſtris, * injúſtè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres noſtri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua; * non fuérunt mémores multitúdinis miſericórdiæ tuæ:

Et irritavérunt aſcendéntes in mare * mare rubrum;

Et ſalvávit eos propter nomen ſuum: * ut notam fáceret poténtiam ſuam;

Et increpuit mare rubrum, & exſiccátum eſt; * & dedúxit eos in abyſſis ſicut in deſérto;

Et ſalvávit eos de manu odiéntium, * & redémit eos de manu inimíci:

Et opéruit aqua tribulántes eos; * unus ex eis non remánſit.

Et credidérunt verbis ejus, * & laudavérunt laudem ejus.

Citò fecérunt; oblíti ſunt óperum ejus; * & non ſuſtinuérunt consílium ejus;

Et concupiérunt concupiſcéntiam in deſérto; * & tentavérunt Deum in inaquóſo;

Et dedit eis petitiónem ipsórum, * & miſit ſaturitatem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móyſen in caſtris, * Aáron ſanctum Dómini.

Apérta eſt terra, & deglutívit Dathan, * & opéruit ſuper congregatiónem Abiron;

Et exárſit ignis in ſynagóga eórum, * flamma combúſſit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb; * & adoravérũt ſculptile;

Et mutavérunt glóriam ſuam * in ſimilitúdinem vítuli comedéntis fœnum.

Oblíti ſunt Deum qui ſalvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham, terribília in mari rubro.

Et dixit ut diſpérderet eos, * ſi non Móyſes eléctus ejus ſtetiſſet in confractióne, in conſpéctu ejus, ut avérteret iram ejus, ne diſpérderet eos;

Et pro níhilo habuérunt terram deſiderábilem: * non credidérunt verbo ejus.

Et murmuravérũt in tabernáculis ſuis; * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum ſuam ſuper eos, * ut proſtérneret eos in deſérto;

Et ut dejíceret ſemen eórum in natiónibus, * & diſpérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti ſunt Beélphegor, * & comedérunt ſacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus ſuis: * & multiplicáta eſt in eis ruína.

Et ſtetit Phínees, & placávit; * & ceſſávit quaſsátio:

Et reputátũ eſt ei in juſtítiam, * in generatiónem & generatiónem uſque in ſempitérnum.

Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis; * & vexátus eſt Móyſes propter eos;

Quia exacerbavérunt ſpíritum ejus; * & diſtínxit in lábiis ſuis. Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 105.

NOn diſperdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

Et commíxti ſunt inter gentes, * & didicérunt ópera eórum.

Et ſerviérunt ſculptílibus eórum; * & factum eſt illis in ſcándalum;

Et immolavérunt fílios

ſuos, * & filias ſuas dæmoniis;

Et effudérunt ſánguinem innocéntem; * ſánguinem filiórum ſuórum, & filiárũ ſuárum, quas ſacrificavérunt ſculptílibus Chánaan.

Et inféćta eſt terra in ſanguínibus, & contamináta eſt in opéribus eórum; * & fornicáti ſunt in adinventiónibus ſuis.

Et irátus eſt furóre Dóminus in pópulum ſuum,* & abominátus eſt hæreditátem ſuam.

Et trádidit eos in manus géntium; * & domináti ſunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, * & humiliáti ſunt ſub mánibus eórum.

Sæpe liberávit eos: * ipſi autem exacerbavérunt eum in consílio ſuo; & humiliáti ſunt in iniquitátibus ſuis.

Et vidit cùm tribularéntur, * & audívit oratiónem eórum;

Et memor fuit teſtaménti ſui; * & pœnítuit eum secúndùm multitúdinem miſericórdiæ ſuæ.

Et dedit eos in miſericórdias, * in conſpéćtu ómniũ qui céperant eos.

Salvos nos fac, Domine Deus noſter, * & cóngrega nos de natiónibus;

Ut confiteámur nómini ſanćto tuo, * & gloriémur in laude tua.

Benedíćtus Dóminus Deus Iſrael à ſæculo & uſque in ſæculum; * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat. Gloria, &c.

Ant. Viſita nos in ſalutári tuo, Dómine, ad videndum in bonitáte elećtórum tuórum. *v.* 4. 5.

Capitulum. I. *Cor.* 10. 17.

UNus panis, unum corpus multi ſumus omnes qui de uno pane participámus.

℟. *br.* Propter fratres meos, & próximos meos, * Loquébar pacem de te. Propter.

℣. Propter domum Dómini Dei noſtri, quæſívi bona tibi. * Loquebar. Gloria Patri. Propter. *Pſ.* 121. 8. 9.

℣. Ecce quàm bonum, & quàm jucúndum, ℟. Habitáre fratres in unũ. *Pſ.* 132. 1.

AD NONAM.

HYMNUS.

DUm ſol recédit, próximo
Locum relínquens véſperi,
Ne delitéſce méntibus,
Lux vera, Chriſti gratia.

Erróris expers ámbulat
Quicúmque te currit duce,
A calle dévius perit
Te quiſquis amens ábdicat.

Laus ſit Patri cum Fílio:
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Qui luce greſſus prævià
Noſtros benígnè dírigis.
Amen.

Ant. *t.* 6. f. Confitémini.

PSALMUS 106.

Deus ſuos bonis cumulare amat.

COnfitémini Dño quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

minus miſericórdiam ſuam; ℟. Et noƈte cánticum ejus. Pſ. 41. 9.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdos.* Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam; ℟. Quia in te ſperávi. Pſ. 142. 8.

Ant. t. 1. d. Parátum

PSALMUS 107.

Ad Dei autum paratum cor juſti: vana ſalus hominis; ſolus ſalvans Deus.

PArátũ cor meum, Deus, parátũ cor meum: * cantábo, & pſallã in gloria mea.

Exúrge, glória mea: exúrge, pſaltérium & cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & pſallam tibi in natiónibus;

Quia magna eſt ſuper cœlos miſericórdia tua; * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus,* & ſuper omnem terram glória tua.

Ut liberéntur diléƈti tui, * ſalvum fac déxterâ tuâ, & exaúdi me.

Deus locútus eſt in ſanƈto ſuo; * exultábo & dívidam Síchimam, & convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes; * & Ephraim ſuſcéptio cápitis mei;

Juda rex meus; * Moab lebes ſpei meæ;

In Idumæam exténdam calceaméntum meum: * mihi alienígenæ amíci faƈti ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munitam? * quis dedúcet me uſque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulíſti nos, * & non exíbis, Deus, in virtútibus noſtris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem, * & ipſe ad níhilum dedúcet inimícos noſtros.

Ant. Parátum cor meum, Deus; cantábo, & pſallam in gloria mea. *v.* 2.

Ant. t. 6. f. Laudáte.

PSALMUS 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio.

JUbiláte Deo, omnis terra, * ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpéƈtu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus; ipſe fecit nos, & non ipſi nos: * pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus.

Introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus; * in ætérnũ miſericórdia ejus, & uſque in generationem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus. *v.* 4. 5.

Ant. t. 5. a. Cibávit.

PSALMUS 80.

Exultandum Deo qui tot beneficia contulit.

EXultáte Deo adjutóri noſtro, * jubiláte Deo Jacob.

Súmite pſalmum, & date tympanum; * pſaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tubâ, * in insígni die ſolemnitátis veſtræ:

Quia præcéptum in Iſrael eſt, * & judícium Deo Jacob.

Teſtimónium in Joſeph póſuit illud, cùm exíret de terrâ Ægypti: * linguâ quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorſum ejus, * manus ejus in cophino ſerviérunt.

In tribulatióne invocáſti me, & liberávi te; * exaudívi te in abſcóndito tempeſtátis, probávi te apud aquã contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & conteſtábor te, * Iſrael, ſi audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti; * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meã, * & Iſrael non inténdit mihi.

Et dimíſi eos ſecúndùm deſidéria cordis eórum, * ibunt in adinvẽtiónibus ſuis.

Si pópulus meus audíſſet me, * Iſrael ſi in viis meis ambuláſſet,

Pro níhilo fórſitan inimícos eórum humiliáſſem, * & ſuper tribulántes eos miſíſſem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti ſunt ei; * & erit tempus eórum in ſæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle ſaturávit eos.

Ant. Cibávit eos ex ádipe fruménti; & de petra, melle ſaturávit eos. *v.* 17.

Ant. t. 3. *A.* Hauriétis.

CANTICUM ISAIÆ 12.

CONfitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi: * convérſus eſt furor tuus, & conſolátus es me.

Ecce Deus ſalvátor meus; * fiduciáliter agam, & non timébo:

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus eſt mihi in ſalútem.

Hauriétis aquas in gaúdio de fóntibus Salvatóris; * & dicétis in die illâ: Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * mementote quóniam excélſum eſt nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit: * annuntiáte hoc in univérſa terra.

Exúlta & lauda, habitátio Sion, * quia magnus in médio tuî ſanctus Iſrael.

Ant. Hauriétis aquas in gaúdio de fóntibus Salvatóris. *Iſ.* 12. 3.

In Feſtis dicitur, CANTICUM *Tob.* 13.

BEnedícite Dñm, omnes elécti ejus: * ágite dies lætítiæ, & confitémini illi.

Jeruſalem cívitas Dei, * caſtigávit te Dóminus in opé-

tiæ; ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

H Y M N U S.

A Quæ vocáti flúctibus
Piſces natant, volant aves:
Utrúmque mortáli genus
Parátur eſca córpori.
Sed quis parátur cœlitùs
Menti cibus! vos Angeli,
Stupéte vero véſcimur,
Quo vos beáti Númine.
O mira Chriſti cháritas
Tantùm tuos quæ díligis!
Corpus, futúram víctimam,
Noſtris cibum das méntibus.
Splendóris ímmemor tuî
Noſtræ ſalútis ánxius,
Ut nos ad alta provehas,
Ad ima deſcéndis, Deus.
Per mille fuſum vúlnera
Orbi rependis sánguinem:
Hoc fonte currens grátia
Terras inúndans írrigat.
Beáta gens, quam pródigâ
Ditáre non ceſſas manu!
Amóris hæc memor tuî,
Amoris & reddat vices.
Sit laus Patri, laus Filio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Per quem refúſa córdibus
Ardéſcit imis cháritas.
Amen.

℣. Beáta gens, cujus eſt Dóminus, Deus ejus; ℟. Pópulus, quem elégit in hæreditátem ſibi. *Pſ.* 32. 12.

Ad Magnificat: *Ant. t.* 1. *F.* Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. *Luc* 1. 49.

FERIA SEXTA.

Ait Deus: Faciamus hominem, &c: etiam Feriâ ſextâ hominem devium Chriſtus redemit.

OFFICII FINIS.

Deus in ſuâ erga peccatores miſericordiâ adorandus: hinc peccatorum pœnitentia; in adverſis patientia.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Redemptórem noſtrum Dóminum; * Veníte, adorémus. *Iſa.* 47. 4.

Pſ. 94. Veníte. *pag.* 2.

PRO I. NOCTURNO.

Ant t. 4. *A.* Eripe.

P S A L M U S 6.

Oratio pœnitentis miſericordiam Dei implorantis.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére mei, Dómine, quóniam infírmus ſum; * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu, Dómine, úſquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam;

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tui: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laboravi in gémitu meo, lavabo per ſíngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quoniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dominus deprecationem meam: * Dominus oratiónem meã ſuſcépit.

Erubéſcant & conturbentur vehemènter omnes inimíci mei; * convertántur & erubéſcant valde velóciter.

P S A L M U S 31.

Pia adhortatio, ut quiſque ſe a peccatis abſtrahat.

BEati quorum remíſſæ ſunt iniquitátes, * & quorum tecta ſunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dominus peccatũ, * nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quoniã tacui, inveteravérunt oſſa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua,* convérſus ſum in ærúmna mea, dum configitur ſpina.

Delíctum meum cógnitũ tibi feci, * & injuſtítiam meã non abſcóndi.

Dixi: Confitébor advérsùm me injuſtítiam meam Dómino; * & tu remiſiſti impietátem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus, * in tempore opportúno.

Verùmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refugium meũ à tribulatióne, quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & inſtruam te in via hac quâ gradiéris: * firmabo ſuper te óculos meos.

Nolíte fieri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intellectus.

In camo & fræno maxillas eórum conſtringe, * qui non appróximant ad te.

Multa flagella peccatoris; * ſperantem autem in Domino miſericordia circúmdabit.

Lætamini in Dómino, & exultáte, juſti, * & gloriámini, omnes recti corde.

P S A L M U S 37.

Mala vitæ ſuſtinendi in peccatorum vindictam.

DOmine, ne in furore tuo arguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam ſagíttæ tuæ infíxæ ſunt mihi, * & confirmáſti ſuper me manum tuã.

Non eſt ſánitas in carne mea à facie iræ tuæ; * non eſt pax óſſibus meis à facie peccatórum meórum;

Quóniam iniquitates meæ ſupergréſſæ ſunt caput meũ,* & ſicut onus grave graváta ſunt ſuper me.

Putruérunt, & corrúptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem: * totâ die contriſtatus ingrediébar;

Quóniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus; * & non eſt ſánitas in carne mea.

Afflíctus ſum, & humiliátus ſum nimis; * rugiebam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne deſidérium meum; * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Amíci mei, & próximi mei, * advérsum me appropinquavérunt & ſtetérunt;

Et qui juxta me erant, de longè ſteterunt; * & vim faciébant qui quærebant ánimam meam;

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes; * & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tamquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuum:

Et factus ſum ſicut homo non aúdiens, * & non habens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, ſperavi; * tu exaúdies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo ſupergaúdeant mihi inimíci mei; * & dum commovéntur pedes mei, ſuper me magna locúti ſunt;

Quóniam ego in flagélla parátus ſum, * & dolor meus in conſpéctu meo ſemper.

Quóniam iniquitátē meam annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti ſunt ſuper me; * & multiplicati ſunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam ſequebar bonitatē.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus, * ne diſcéſſeris à me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus ſalútis meæ.

Ant. Eripe, Dómine, ánimam meam; ſalvum me fac propter miſericórdiam tuā. *Pſ. 6. v. 5.*

PRO II. NOCTURNO.

Ant. t. 8. C. Dixi: Dómine.

Psalmus 40.

Eleemoſynæ meritum: Judæ proditio.

BEátus qui intélligit ſuper egénum & paúperem; * in die mala liberabit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum; & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicorum ejus.

Dóminus opem ferat illi ſuper lectum dolóris ejus; * univérſum ſtratum ejus verſáſti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miſerére meî; * ſana ánimā meam, quia peccávi tibi.

Inimici mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & períbit nomen ejus?

Et ſi ingrediebatur ut vidéret, vana loquebatur; * cor ejus congregavit iniquitatem ſibi.

Egrediebátur foràs; * & loquebatur in idipſum.

Advérsùm me ſuſurrábant

omnes inimíci mei; * advérſùm me cogitabāt mala mihi.

Verbum iníquum conſtituérunt advérſùm me: * numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo ſperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit ſuper me ſupplantationem.

Tu autem, Dómine, miſerére mei, & reſúſcita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluíſti me; * quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me.

Me autem propter innocéntiam ſuſcepíſti; * & confirmáſti me in conſpéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſrael a ſæculo, & uſque in ſæculum; * Fiat, fiat.

PSALMUS 54.

A fictis amicis ſervari orat Chriſtus.

Exaúdi, Deus, oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónem meam;* intende mihi, & exaúdi me.

Contriſtátus ſum in exercitatióne mea; * & conturbátus ſum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris;

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes; * & in ira moléſti erant mihi.

Cor meum conturbátum eſt in me; & formído mortis cécidit ſuper me.

Timor & tremor venérunt ſuper me; * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ? * & volabo, & requiéſcam.

Ecce elongávi fúgiens; * & manſi in ſolitúdine.

Expectábam eum qui ſalvum me fecit * à puſillanimitáte ſpíritûs, & tempeſtáte.

Præcipita, Dómine, divide linguas eorum; * quóniam vidi iniquitatem & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam ſuper muros ejus iníquitas; * & labor in médio ejus, & injuſtitia.

Et non defécit de platéis ejus * uſúra & dolus.

Quóniam ſi inimicus meus maledixíſſet mihi, * ſuſtinuíſſem útique;

Et ſi is, qui óderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, * abſcondíſſem me forſitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus & notus meus,

Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum conſénſu.

Véniat mors ſuper illos, * & deſcéndant in inférnum vivéntes;

Quóniam nequítiæ in habitáculis eorum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi; * & Dominus ſalvábit me.

Véſperè, & manè, & merídie narrábo & annūtiabo;*

& exaúdiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropínquant mihi ;* quóniam inter multos erant mecum.

Exaudiet Deus, & humiliábit illos, * qui eſt ante ſæcula.

Non énim eſt illis commutátio, & non timuérunt Deũ;* extendit manum ſuam in retribuéndo.

Contaminavérunt teſtamẽtum ejus, diviſi ſunt ab ira vultûs ejus; * & appropinquávit cor illíus.

Mollíti ſunt ſermónes ejus ſuper óleum; * & ipſi ſunt jácula.

Jacta ſuper Dóminum curam tuam, & ipſe te enútriet: * non dabit in ætérnum fluctuatiónem juſto.

Tu verò, Deus, * dedúces eos in púteum intéritûs.

Viri ſánguinum & dolóſi non dimidiábunt dies ſuos; * ego autem ſperábo in te, Dómine.

P s a l m u s 58.

Eccleſiæ zelus adversùs impios.

Eripe me de inimícis meis, Deus meus; * & ab inſurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * & de viris ſánguinum ſalva me;

Quia ecce cepérunt ánimam meam; * irruérunt in me fortes;

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine; * ſine iniquitáte cucúrri, & diréxi.

Exúrge in occúrſum meum; & vide; * & tu, Dómine Deus virtútum, Deus Iſrael,

Inténde ad viſitándas omnes gentes: * non miſereáris ómnibus qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad véſperam; & famem patiéntur ut canes, & circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore ſuo, & gládius in lábiis eórum; * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam, quia Deus ſuſcéptor meus es: * Deus meus, miſericórdia ejus prævéniet me.

Deus oſténdet mihi ſuper inimícos meos, * ne occídas eos, nequándo obliviſcántur pópuli mei.

Diſpérge illos in virtúte tua, * & depóne eos, protéctor meus, Dómine.

Delíctum oris eórum, ſermónem labiórum ipſórum, * & comprehendántur in ſupérbia ſua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabúntur in conſummatióne, * in ira conſummatiónis, & non erunt.

Et ſcient, quia Deus dominábitur Jacob, * & fínium terræ.

Converténtur ad véſperam; & famem patiéntur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

Ipſi diſpergéntur ad manducándum; * ſi verò non fuerint ſaturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, * & exultabo manè miſericórdiam tuam;

Quia factus es ſuſceptor meus & refúgium meum, * in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es; * Deus meus, miſericórdia mea.

Ant. Dixi: Dómine, miſerére meî: ſana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Pſ.* 40. 5.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. 1. 2. *D.* Da nobis.

PSALMUS 59.

Synagogæ afflict. & flebilis querimonia: auxilii divini deprecatio.

DEus, repuliſti nos, & deſtruxíſti nos; * irátus es, & miſértus es nobis.

Commovíſti terram, & conturbáſti eam: * ſana contritiónes ejus, quia commóta eſt.

Oſtendíſti pópulo tuo dura; * potáſti nos vino compunctiónis.

Dedíſti metuéntibus te ſignificatiónem; * ut fúgiant à fácie arcûs;

Ut liberéntur dilécti tui: * ſalvum fac déxterâ tuâ, & exáudi me.

Deus locútus eſt in ſancto ſuo; * Lætábor & partíbor Síchimam, & convállem tabernaculórum metíbor.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes, * & Ephraim fortitúdo cápitis mei;

Juda rex meus, * Moab olla ſpei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum; * mihi alienígenæ ſubditi ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me uſque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulíſti nos? * & non egrediéris, Deus, in virtútibus noſtris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * & ipſe ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

PSALMUS 69.

Chriſti ſibi opem poſcentis oratio.

DEus, in adjutórium meum inténde: * Dómine, ad adjuvándum me feſtína.

Confundántur, & revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórſum, & erubéſcant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur ſtatim erubeſcéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te; * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper ſum; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, & liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

P S A L M U S 87.

Chriſtus ab inimicis vexatus, ab amicis derelictus, ſe Deo commendat.

DOmine Deus ſalútis meæ, * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conſpéctu tuo orátio mea; * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia repléta eſt malis ánima mea; * & vita mea inférno appropinquávit.

Æſtimátus ſum cum deſcendéntibus in lacum; * factus ſum ſicut homo ſine adjutório, inter mortuos liber;

Sicut vulneráti dormiéntes in ſepúlchris, quorum non es memor ámpliùs; * & ipſi de manu tua repúlſi ſunt.

Poſuérunt me in lacu inferióri, * in tenebróſis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus eſt furor tuus, * & omnes fluctus tuos induxíſti ſuper me.

Longè feciſti notos meos à me; * poſuérunt me abominatiónem ſibi.

Tráditus ſum, & non egrediébar; * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, totâ die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília, * aut médici ſuſcitábunt, & confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in ſepúlchro miſericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoſcéntur in ténebris mirabília tua, * & juſtítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi; * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam, * avertis fáciem tuam à me?

Pauper ſum ego, & in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem, humiliátus ſum & conturbátus.

In me tranſiérunt iræ tuæ; * & terróres tui conturbavérunt me:

Circumdedérunt me ſicut aqua totâ die; * circumdedérunt me ſimul.

Elongaſti à me amícum & próximum, * & notos meos à miséria.

Ant. Da nobis auxílium de tribulatióne; quia vana ſalus hóminis. *Pſ.* 59. 13.

℣. Lavábo per ſíngulas noctes lectum meum, ℟. Lácrymis meis ſtratum meum rigábo. *Pſ.* 6. 7.

A D L A U D E S.

℣. *Sacerdot.* Manè aſtábo tibi, & videbo; ℟. Quóniam non Deus volens iniquitátem tu es. *Pſ.* 5. 5.

Ant. t. 8. *C.* Cor contrítum.

P S A L M U S 50.

Pœnitentis anima amara contritio.

MIſerére meî, Deus, * ſecúndùm magnâ miſericórdiam tuam;

Et ſecundum multitúdi-

nem miſeratiónum tuárũ, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte meâ, * & à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátẽ meam ego cognóſco, * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas, cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexiſti: * incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſſópo, & mundábor: * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam; * & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte faciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * & ſpíritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; * & ſpíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluiſſes, ſacrifícium dediſſem útique; * holocaúſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus; * cor contrítũ & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion; * ut ædificéntur muri Jeruſalẽ.

Tunc acceptábis ſacrifíciũ juſtítiæ, oblationes & holocaúſta; * tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

Ant. Cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies. *v.* 19.

In Feſtis loco Pſalmi Miſerére, *dicitur Pſ.* 92. Dóminus regnávit decórem, &c. *in Dominicâ ad Laudes pag.* 9.

Ant. 1. 7. *C.* Dómine.

PSALMUS 5.

Contra malignos auxilium deprecatur juſtus.

VErba mea aúribus pércipe, Dómine; * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus;

Quóniam ad te orábo; * Dómine, manè exaúdies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus; * neque permanébunt injúſti ante óculos tuos.

Odiſti omnes qui operántur iniquitátẽ; * perdes om-

nes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & doióſum * abominábitur Dóminus;

Ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.

Dómine, deduc me in juſtítia tua: * propter inimícos meos dírige in conſpéctu tuo viam meam;

Quóniam non eſt in ore eórum véritas; * cor eórum vanum eſt.

Sepúlchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis dolóſè agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis; ſecúndùm multitudinem impietátum eórum expélle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui ſperant in te; * in ætérnum exultábunt; & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuũ; * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ * coronáſti nos.

Ant. Dómine, intéllige clamórem meum. *v.* 2.

Ant. t. 2. *D.* Citò.

P s a l m u s 78.

Urbis & templi vaſtitas: perſecutiones prædictæ.

Deus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum ſanctum tuum, * poſuérunt Jeruſalem in pomórum cuſtódiam.

Poſuérunt morticína ſervórum tuórum, eſcas volatílibus cœli, * carnes ſanctórum tuórum béſtiis terræ.

Effudérunt ſánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jeruſalem; * & non erat qui ſepelíret.

Facti ſumus oppróbrium vicínis noſtris; * ſubſannátio & illúſio his qui in circúitu noſtro ſunt.

Uſquequò, Dómine, iraſcéris in finem, * accendétur, velut ignis, zelus tuus?

Effúnde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt;

Quia comedérunt Jacob, * & locum ejus deſolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquarum, citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ; * quia paupe res facti ſumus nimis.

Adjuva nos, Deus ſalutáris noſter; & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos; * & propítius eſto peccátis noſtris propter nomen tuum;

Ne fortè dicant in géntibus: * Ubi eſt Deus eórum?

Et innotéſcat in natiónibus coram óculis noſtris * últio sánguinis ſervórum tuórum, qui effúsus eſt:

Intróeat in conſpéctu tuo gémitus compeditórum; *

ſecúndùm magnitúdinẽ bráchii tui póſſide filios mortificatórum;

Et redde vicínis noſtris séptuplum in ſinu eórum; * impropérium ipsórum quod exprobravérunt tibi, Dñe.

Nos autem pópulus tuus, & oves paſcuæ tuæ, * confitébimur tibi in ſæculum.

In generatiónem & generatiónem, * annuntiábimus laudem tuam.

Ant. Citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ; quia paúperes facti ſumus nimis. *v.* 8.

Ant t. 4. A. Cum irátus.

CANTICUM Habacuc. 3.

DOmine, audívi auditiónem tuam, * & tímui.

Dómine, opus tuum, * in médio annorum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies: * cùm irátus fúeris, miſericórdiæ recordáberis.

Deus ab Auſtro véniet, * & Sanctus de monte Pharan.

Opéruit cœlos glória ejus, * & laudis ejus plena eſt terra.

Splendor ejus ut lux erit, * córnua in mánibus ejus:

Ibi abſcóndita eſt fortitúdo ejus: * ante fáciem ejus ibit mors;

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus, * ſtetit, & menſus eſt terram.

Aſpéxit, & diſſólvit gentes; * & contríti ſunt montes ſæculi.

Incurváti ſunt colles mundi * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiopiæ: * turbabúntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine? * aut in flumínibus furor tuus? vel in mari indignátio tua?

Qui aſcéndes ſuper equos tuos; * & quadrígæ tuæ, ſalvátio.

Súſcitans ſuſcitábis arcum tuum, * juraménta tríbubus, quæ locútus es.

Flúvios ſcíndes terræ; vidérunt te, & doluérunt montes; * gurges aquárum tránſiit.

Dedit abyſſus vocem ſuã; * altitúdo manus ſuas levávit.

Sol & luna ſtetérunt in habitáculo ſuo: * in luce ſagittárum tuárum ibunt, in ſplendóre fulgurántis haſtæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram: * in furóre obſtupefácies gentes.

Egréſſus es in ſalútem pópuli tui, * in ſalútem cum chriſto tuo.

Percuſſiſti caput de domo ímpii; * denudáſti fundaméntũ ejus uſque ad collum.

Maledixíſti ſceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad diſpergéndum me.

Exultátio eórum, * ſicut ejus qui dévorat paúperem in abſcóndito.

Viam feciſti in mari equis

tuis, * in luto aquarum multarum.

Audívi, & conturbátus eſt venter meus: * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediatur putredo in óſſibus meis, * & ſubter me ſcateat;

Ut requiéſcam in die tribulationis; * ut aſcendam ad pópulum accinctum noſtrum.

Ficus enim non florébit; * & non erit germen in vineis.

Mentiétur opus olívæ; * & arva non áfferent cibum.

Abſcindétur de ovili pecus; * & non erit armentum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudebo, * & exultábo in Deo Jeſu meo.

Deus Dóminus, fortitúdo mea, * & ponet pedes meos quaſi cervorum;

Et ſuper excélſa mea deducet me victor * in pſálmis canentem. Glória.

Ant. Cùm irátus fúeris, miſericordiæ recordaberis. *v.* 2.

In Feſtis dicitur CANTICUM *Tob.* 13. 1.

MAgnus es, Dómine, in ætérnum, * & in ómnia ſæcula regnum tuum;

Quóniam tu flagéllas & ſalvas; dedúcis ad ínferos & redúcis: * & non eſt qui effúgiat manum tuam.

Confitemini Dómino, fílii Iſrael, * & in conſpéctu géntium laudáte eum;

Quóniam ídeò diſpérſit vos inter gentes quæ ignórant eum; * ut vos enarrétis mirabília ejus;

Et faciatis ſcire eos, * quia non eſt alius Deus omnipotens præter eum.

Ipſe caſtigávit nos propter iniquitates noſtras; * & ipſe ſalvabit nos propter miſericórdiam ſuam.

Aſpicite ergo quæ fecit nobíſcum, & cum timore & tremore confitémini illi; * regémque ſæculórum exaltáte in opéribus veſtris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitebor illi; * quóniam oſtendit majeſtátem ſuam in gentem peccatrícem.

Convertímini ítaque, peccatores, & fácite juſtítiam coram Deo, * credentes quòd fáciat vobiſcum miſericórdiam ſuam.

Ego autem, & ánima mea * in eo lætabimur. Glória.

Ant. t. 7. *A.* Benedícite.

PSALMUS 95.

Cantatur per Chriſtum facta ſalus: ipſe judex venturus.

CAntáte Dómino cánticum novum; * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem ſalutare ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus; * in ómnibus pópulis mirabília ejus;

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis; *

terribilis eſt ſuper omnes deos;

Quóniam omnes dii géntium dæmonia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Confeſſio & pulchritúdo in conſpéctu ejus; * ſanctimónia & magnificéntia in ſanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóſtias, & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérſa terra; * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur; * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætęntur cœli, & exúltet terra; commoveátur mare, & plenitúdo ejus; * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis ſunt;

Tunc exultábunt ómnia ligna ſylvarum à fácie Dómini, quia venit: * quóniã venit judicáre terram:

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte ſua.

Ant. Benedícite nómini ejus; annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus ℣. 2.

Capitulum. Iſa. 53. 5.

IPſe vulnerátus eſt propter iniquitátes noſtras, attrítus eſt propter ſcélera noſtra: diſciplína pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.

℣. Apud Dóminum miſericórdia: ℟. Et copioſa apud eum redemptio. *Pſ* 129. 7.

Ad Bened. *Ant. t.* 4. *E.* Dominus Deus Iſrael fecit redemptiónem plebis ſuæ. *Luc.* 1. 68.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

NOvam redúxit ſol diem:
Mortis tuæ per gratiam,
O Chriſte, vitæ rédditos
Novis tuére viribus.

Livóre ſanátos tuo,
Tuóque lotos ſánguine,
Peccando ne novam ſinas,
Paráre nos tibi crucem.

Per damna, per penúrias
Vitæque per diſcrímina,
Da, militémus súbditis
Tibi, Redémptor, cordibus.

Crux eſt gradus, quâ téndere
Ad alta fas eſt átria:
Cœli futúris álterum
Iter negátur cívibus.

O ſempitérna Trínitas,
Nos ferre lætos fac crucem:
Spinis coronátum caput
Membris ruberet mollibus.
Amen.

Ant. t. 8. *C.* Dómine.

PSALMUS 108.

Chriſtus Judæ proditori, aliiſque impiis dignas pœnas; ſibi autem ſalutem precatur.

DEus, laudem meam ne tacúeris; * quia os peccatóris, & os dolóſi ſuper me apértum eſt.

Locúti ſunt advérsum me linguâ dolósâ, & ſermónibus ódii circumdedérunt me; * & expugnavérunt me gratìs.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi; * ego autem orábam.

Et poſuérunt advérsùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne mea.

Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalmi 108.

CONſtítue (Dómine) ſuper eum peccatórem; * & diábolus ſtet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * & orátio ejus fiat in peccátum:

Fiant dies ejus pauci; * & epiſcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur fílii ejus, & mendícent, * & ejiciántur de habitatiónibus ſuis.

Scrutétur fœnerátor omnem ſubſtántiam ejus, * & dirípiant aliéni labóres ejus.

Non ſit illi adjútor, * nec ſit qui miſereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum; * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam redeat iníquitas patrum ejus in conſpéctu Dómini; * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum ſemper; * & diſpéreat de terra memória eórum;

Pro eo quòd non eſt recordátus fácere miſericórdiam; * & perſecútus eſt hóminem ínopem, & mendícum, & compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, & véniet ei; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem ſicut veſtiméntum; * & intravit ſicut aqua in interióra ejus, & ſicut óleum in óſſibus ejus.

Fiat ei ſicut veſtiméntum, quo operítur, * & ſicut zona quâ ſemper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * & qui loquúntur mala advérsus ánimam meã.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum; * quia ſuávis eſt miſericórdia tua. Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 108.

LIbera me, quia egénus & pauper ego ſum; * & cor meum conturbatum eſt intra me.

Sicut umbra, cùm declínat, ablátus ſum; * & excuſſus ſum ſicut locúſtæ.

Genua mea infirmata ſunt à jejúnio, * & caro mea immutata eſt propter óleum.

Et ego factus ſum oppróbrium illis; * vidérunt me, & movérunt cápita ſua.

Adjuva me, Dómine Deus meus; * ſalvum me fac ſe-

cúndùm miſericórdiam tuã.

Et ſciant quia manus tua hæc; * & tu, Dómine, fe-ciſti eam.

Maledícent illi, & tu bene-díces: * qui inſurgunt in me, confundántur; ſervus autem tuus lætábitur.

Induántur, qui détrahunt mihi, pudóre; * & operiántur ſicut diplöide confuſióne ſuâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudabo eum;

Quia aſtitit à dextris páu-peris, * ut ſalvam fáceret à perſequéntibus ánimam meã.

Ant. Dómine, fac mecum propter nomen tuum; quia ſuávis eſt miſericórdia tua. ℣. 21.

In Feriali Officio Capitulum. 1. *Petr.* 2. 20. 21.

SI bene faciéntes patiénter ſuſtinétis; hæc eſt grátia apud Deum; in hoc enim vocáti eſtis.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

O Spíritus qui póſtulas
Miris gemens ſuſpíriis!
Chriſti fluéntis úberes
Fructus rependе ſanguinis.

Cruóre dum litans ſuo
Fit noſtra Chriſtus víctima,
Deo placentes hóſtias
Mentes amore conſecra.

Laus ſit Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Qui parta Chriſti ſánguine
Nobis rependis præmia.
Amen.

Ant. t. 4. *E.* In multitúdine.

PSALMUS 68.

Variæ paſſionis Chriſti circumſtantiæ.

SAlvum me fac, Deus; * quoniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meã.

Infixus ſum in limo profúndi, * & non eſt ſubſtántia.

Veni in altitúdinem maris, * & tempeſtas demérſit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ; * defecérunt óculi mei, dum ſpero in Deum meum.

Multiplicáti ſunt ſuper capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti ſunt qui perſecúti ſunt me inimíci mei injúſtè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu ſcis inſipiéntiam meam; * & delícta mea à te non ſunt abſcóndita.

Non erubéſcant in me qui expéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur ſuper me, * qui quærunt te, Deus Iſrael;

Quóniam propter te ſuſtínui opprobrium, * opéruit confúſio fáciem meam.

Extráneus factus ſum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ;

Quóniam zelus domûs tuæ comedit me, * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt ſuper me.

Et opérui in jejúnio ánimám meam; * & factum eſt in opprobrium mihi.

Et poſui veſtiméntum meū cilícium; & factus ſum illis in parábolam.

Advérſum me loquebántur qui ſedebant in porta; * & in me pſallebant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meā ad te, Dómine: * tempus beneplácitì, Deus.

In multitúdine miſericórdiæ tuæ exaudi me, * in veritáte ſalútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infígar: * libera me ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéſtas aquæ, neque abſórbeat me profúndum, * neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum. Gloria, &c.

Divíſio Pſalmi 68.

EXaúdi me, Dómine, quóniam benígna eſt miſericórdia tua; * ſecúndùm multitúdinem miſerationum tuárum réſpice in me.

Et ne avértas fáciem tuam à púero tuo; * quóniam tríbulor, velóciter exaúdi me.

Intende ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu ſcis impropériū meū, & confuſiónem meam, * & reveréntiam meam.

In conſpéctu tuo ſunt omnes qui tríbulant me: * impropérium expectávit cor meum, & miſeriam.

Et ſuſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit; * & qui conſolarétur, & non invéni.

Et dedérunt in eſcam meā fel; * & in ſiti mea potavérunt me acéto.

Fiat menſa eórum coram ipſis in láqueum, * & in retributiónes, & in ſcándalum.

Obſcuréntur óculi eórum ne vídeant; * & dorſum eórum ſemper incúrva.

Effúnde ſuper eos iram tuam; * & furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum deſérta; * & in tabernáculis eórum non ſit qui inhábitet;

Quóniam quem tu percuſſíſti, perſecuti ſunt; * & ſuper dolorem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem ſuper iniquitátem eórum; * & non intrent in juſtítiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium; & cum juſtis non ſcribántur. Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 68.

EGo ſum pauper & dolens: * ſalus tua, Deus, ſuſcépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificabo eum in laude.

Et placébit Deo ſuper vítulum novéllum, * cornua producéntem & úngulas.

Vídeant paúperes, & læténtur:

téntur: * quærite Deum, & vivet ánima veſtra;

Quóniam exaudívit paúperes Dóminus, * & vinctos ſuos nón deſpéxit.

Laudent illum cœli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis;

Quóniam Deus ſalvam fáciet Sion, * & ædificabúntur civitátes Juda:

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et ſemen ſervórum ejus poſſidébit eam; * & qui díligunt nomen ejus, habitabunt in ea.

Glória, &c.

Ant. In multitúdine miſericórdiæ tuæ exaúdi me, in veritáte ſalútis tuæ. *v.* 14.

Capitulum. I. *Tim.* 2. 5. 6.

Unus mediátor Dei & hóminum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptiónem ſemetípſum pro ómnibus.

℟. *br.* Redemptiónem miſit (Dóminus) * Pópulo ſuo. Redemptiónem.

℣. Mandávit in ætérnum teſtamentum ſuum. * Pópulo ſuo. Gloria. Redemptiónem. *Pſ.* 110. 9.

℣. Exultábunt lábia mea cùm cantavero tibi; ℟. Et ánima mea quam redemíſti. *Pſ.* 70. 23.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

Qui ſolis ignes das, Deus,
Ignes coérce nóxios:
Lethále virus éxulet,
Quo pectus ardet ínvidum.
Extíngue bella plúrimis
Exóſa jam cruóribus
Tuóque germen lítium
Agro nocívum ſúbmove.
O Trínitas, unus Deus,
Te deprecámur ſúpplices,
Unum quibus Chriſtus caput,
Uno movéri ſpíritu. Amen.

Ant. t. 2. *D.* Ne elongáveris.

PSALMUS 21.

Chriſtus moriturus Patrem in cruce obſecrat, ut ſibi adſit.

Deus, Deus meus, réſpice in me; quare me dereliquíſti? * longe à ſalúte mea verba delictorum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, & non exaúdies; * & nocte, & non ad inſipiéntiam mihi.

Tu autem in ſancto hábitas, * laus Iſrael.

In te ſperavérunt patres noſtri; * ſperavérunt, & liberaſti eos.

Ad te clamavérunt, & ſalvi facti ſunt: * in te ſperavérunt, & non ſunt confúſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo, * oppróbrium hóminum, & abjectio plebis.

Omnes vidéntes me, deriſérunt me; * locúti ſunt labiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * ſalvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxíſti me de ventre; * ſpes mea ab ubéribus matris meæ;

In te projéctus ſum ex útero; * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Glória, &c.

Divíſio Pſalmi 21.

NE diſcéſſeris à me, quóniam tribulatio próxima eſt, * quóniam non eſt qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi; * tauri pingues obſedérunt me.

Aperuérunt ſuper me os ſuum, * ſicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúſus ſum; * & diſpérſa ſunt ómnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tamquam cera liquéſcens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faúcibus meis; * & in púlverem mortis deduxíſti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi; * concílium malignantium obſedit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos; * dinumeravérunt ómnia oſſa mea.

Ipſi verò conſideravérunt & inſpexérunt me: * diviſérunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me; * ad defenſiónem meá cónſpice.

Erue à framea, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * & a córnibus unicórnium humilitatem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio ecclésiæ laudábo te.

Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 21.

QUi timétis Dóminum, laudáte eum; * univérſum ſemen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne ſemen Iſrael; * quóniam non ſprevit, neque deſpéxit deprecatiónem paúperis;

Nec avertit fáciem ſuam à me; * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in eccléſia magna: * vota mea reddam in conſpéctu timéntiũ eum.

Edent paúperes, & ſaturabúntur; & laudabunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in ſæculum ſæculi.

Reminiſcéntur & converténtur ad Dóminum * univérſi fines terræ.

Et adorabunt in conſpéctu ejus * univérſæ famíliæ géntium;

Quoniam Dómini eſt regnum; * & ipſe dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conſpectu ejus cadent omnes qui deſcendunt in terram.

Et ánima mea illi vivet; * & ſemen meum ſerviet ipſi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra; * & annuntiábunt cœli juſtítiam ejus pópulo qui naſcétur, quem fecit Dóminus.

Glória, &c.

Ant. Ne elongáveris, Dómine, auxílium tuum à me. *v.* 20.

Capitulum. Heb. 12. 2. 3.

ASpiciéntes in Auctórem fídei, & conſummatórem Jeſum, qui propóſito ſibi gaúdio ſuſtínuit crucem, confuſióne contemptâ: recogitáte eum.

℟. *br.* Ego dixi; Dómine, * Miſerére meî. Ego. ℣. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. * Miſerére. Glória. Ego. *Pſ.* 40. 5.

℣. Dixi; Confitébor injuſtítiam meam Dómino: ℟. Et tu remiſíſti impietátem peccáti mei. *Pſ.* 31. 5.

AD NONAM.

HYMNUS.

EN orbe noſtro ſol fugit:
Ætérne, tu ſplendor Patris,
Si, Chriſte, nobis óccubes,
Mox cordis umbrat cæcitas.
Quid ergo ceſſas? íngruunt.
Intus, foris perícula
Hoſtine præda línquimur,
Tuo redémpti ſánguine?
Turbáta quid mens flúctuat?
Curâ patérnâ nos regis;
Deus, patérnè quos amas
Tuo beábis lúmine. Amen.

Ant. t. 6. f. In manus tuas.

PSALMUS 30.

Ultima verba Chriſti morientis, & ſe Deo in morte committentis.

IN te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnũ: * in juſtítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuã, * accélera ut éruas me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii; * ut ſalvum me fácias;

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abſcondérunt mihi; * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas commméndo ſpíritum meum: * redemíſti me, Dómine Deus veritátis.

Odíſti obſervántes vanitátes * ſupervácuè.

Ego autem in Dómino ſperávi: * exultábo & lætábor in miſericórdia tua;

Quóniam reſpexíſti humilitátem meam, * ſalváſti de neceſſitátibus ánimam meã;

Nec concluſíſti me in mánibus inimíci; * ſtatuíſti in loco ſpatióſo pedes meos.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 30.

MIſerére meî, Dómine, quóniam tríbulor: * conturbátus eſt in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus;

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea, * & oſſa mea conturbáta ſunt.

Super omnes inimícos meos factus ſum opprobriũ, & vicínis meis valde; * & timor notis meis.

Qui vidébant me, * forìs fugérunt à me.

Oblivióni datus ſum tamquam mortuus à corde; * factus ſum tamquam vas pérditum;

Quoniam audívi vituperationem multórum commorántium in circúitu: * in eo dum convenírent ſimul advérsùm me, accípere ánimam meam conſiliáti ſunt.

Ego autem in te ſperávi, Dómine; * dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à perſequéntibus me.

Illúſtra fáciem tuam ſupér ſervum tuum: * ſalvum me fac in miſericórdia tua.

Domine, non confúndar quóniam invocávi te; * erubéſcant ímpii, & deducántur in infernum.

Muta fiant lábia dolóſa, * quæ loquúntur advérsus juſtum iniquitátem, in ſupérbia, & in abuſione.

Gloria, &c.

Altera diviſio Pſalmi 30.

QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abſcondíſti timéntibus te!

Perfecíſti eis qui ſperant in te, * in conſpéctu filiórum hóminum.

Abſcóndes eos in abſcóndito faciéi tuæ, * à conturbatióne hóminum.

Proteges eos in tabernáculo tuo, * à contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus; * quoniam mirificávit miſericórdiam ſuam mihi in civitáte muníta.

Ego autem dixi in excéſſu mentis meæ: * Projéctus ſum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudíſti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes ſancti ejus; * quóniam veritátem requíret Dóminus, & retríbuet abundánter faciéntibus ſupérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor veſtrum, * omnes qui ſperátis in Dómino.

Glória, &c.

Ant. In manus tuas commendo ſpíritum meum. *v. 6.*

Capitulum. 2. Cor. 5. 15.

PRo ómnibus mórtuus eſt Chriſtus; ut, & qui vivunt, jam non ſibi vivant; ſed ei, qui pro ipſis mórtuus eſt.

℟. *br.* Ampliùs lava me * Ab iniquitáte mea. Ampliùs.
℣. Et à peccáto meo munda me. * Ab iniquitáte. Glória. Ampliùs. *Pſ. 50. 4.*

℣. Tibi ſoli peccávi, ℟. Et malum coram te feci. *Pſ. 50. 6.*

AD VESPERAS.

Ant. t. 4. E. Dóminus.

PSALMUS 128.

Recentis eccleſiæ prælia.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Iſrael.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea; * etenìm non potuérunt mihi.

Supra dorſum meum fabricavérunt peccatóres; * prolongavérunt iniquitátem ſuam.

Dóminus juſtus concídit cervíces peccatórum; * confundántur & convertántur retrórsùm omnes qui odérunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectórum, * quod priùſquam evellátur, exáruit;

De quo non implévit manum ſuam qui metit; * & ſinum ſuum qui manípulos cólligit:

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Dómini ſuper vos; * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Dóminus juſtus concídit cervíces peccatórum. *v.* 4.

Ant. t. 8. C. Ipſe rédimet.

PSALMUS 129.

Redemptio pœnitenti à Chriſto promiſſa.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exaúdi vocem meã.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſervéveris, Dómine; * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt; * & propter legem tuã ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus: * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſrael in Dómino;

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio;

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Ipſe rédimet Iſrael ex ómnibus iniquitátibus ejus. *v.* 8.

Ant. t. 2. D. Speret.

PSALMUS 130.

Humilitas, gratum Deo ſacrificium.

DOmine, non eſt exaltátum cor meum; * neque eláti ſunt óculi mei;

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus ſuper me.

Si non humíliter ſentiébam, * ſed exaltávi ánimã meam;

Sicut ablactátus eſt ſuper matre ſua, * ita retributio in ánima mea:

Speret Iſrael in Dómino, * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

Ant. Speret Iſrael in Dómino. *v.* 3.

Ant. t. 8. C. Ne tradas.

PSALMUS 139.

Se ab improbis defendi precatur Christus.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo; * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde; * totâ die conſtituébant prælia.

Acuérunt linguas ſuas ſicut ſerpéntis; * venénum áſpidum ſub lábiis eórum.

Cuſtódi me, Dómine, de manu peccatóris; * & ab homínibus iníquis éripe me,

Qui cogitavérunt ſupplantáre greſſus meos; * abſcondérunt ſupérbi láqueum mihi;

Et funes extendérunt in láqueum; * juxta iter ſcándalum poſuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu; * exaúdi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine, virtus ſalútis meæ, * obumbráſti ſuper caput meum in die belli:

Ne tradas me, Dómine, à deſidério meo peccatóri; * cogitavérunt contra me; ne derelínquas me, ne fortè exalténtur.

Caput circúitus eórum; * labor labiórum ipſórum opériet eos.

Cadent ſuper eos carbónes; in ignem dejícies eos; * in miſériis non ſubsíſtent.

Vir linguóſus non dirigétur in terra; * virum injúſtum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * & vindíctam paúperum.

Verúmtamen juſti confitebúntur nómini tuo; * & habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Ne tradas me, Dómine, à deſidério meo peccatóri. *v.* 9.

Ant. t. 7. C. Elevátio.

PSALMUS 140.

In adverſis patientia.

DOmine, clamávi ad te, exaúdi me; * inténde voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea ſicut incénſum in conſpéctu tuo: * elevátio manuum meárum, ſacrifícium veſpertínum.

Pone, Dómine, cuſtódiã ori meo, * & óſtium circumſtántiæ labiis meis.

Non declines cor meum in verba malítiæ, * ad excuſándas excuſatiónes in peccátis,

Cum homínibus operántibus iniquitátem; * & non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me juſtus in miſericórdia, & increpábit me; * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum;

Quóniam adhuc & orátio mea * in beneplácitis eórum.

Abſórpti ſunt juncti petræ júdices eórum; * aúdient

verba mea, quoniam potuérunt.

Sicut craſſitúdo terræ erúpta eſt ſuper terram; * diſſipáta ſunt oſſa noſtra ſecus infernum.

Quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei; * in te ſperávi, non auferas ánimam meam.

Cuſtódi me à láqueo quem ſtatuérunt mihi, * & a ſcándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatores: * ſinguláriter ſum ego, donec tranſeam.

Ant. Elevatio mánuum meárum, ſacrificium veſpertínum. *v.* 2.

Capitulum. Hebr. 12. 5. 6.

VObis tamquam filiis loquitur (Deus,) dicens: Fili mi, noli neglígere diſciplínam Dómini: neque fatigéris dum ab eo argúeris: quem enim díligit Dóminus, caſtigat.

HYMNUS.

HOmo creátur ínnocens,
Spirans imágo Núminis;
Terréſtre córporis lutum
Cœléſtis afflat Spíritus.

Heu, cæca cordis právitas!
Jugum rebéllis éxcutit,
Deo ſuperbus nec timet
Æquáre pulvis vérticem.

Hinc quanta lædunt vúlnera!
Quanti labóres ópprimunt!
Ni, Chriſte, læſos ſúbleves,
Spes tota ſontes déſerit.

Amóris ô miráculum!
Mortális en ultrò Deus,
Culpæ gerens imáginem,
Pœnam nocéntum ſúſtinet.

Tantone noſtra débuit
Salus parari pígnore?
Cur totus it venis cruor?
Guttam dediſſe ſufficit.

Homo, valóre víctimæ
Culpæ reátum póndera;
Tanto redémpta ſánguine,
Quantis piánda lúctibus!

Qui Filium tradit, Patri,
Natoque ſit laus víctimæ,
Par ſit tibi laus, qui ſacram
Succéndis aram, Spíritus.
Amen.

℣. Ego in flagélla parátus ſum: ℟. Et dolor meus in conſpéctu meo ſemper. *Pſ.* 37. 18.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 8. *c.* Suſcépit Iſrael púerum ſuū, recordatus miſericordiæ ſuæ. *Luc.* 1. 54.

SABBATO.

Deus requievit ab omni opere, &c. Gen. 2.

OFFICII FINIS.

Deus remunerator in æterna, quam nobis paravit, requie laudandus: hinc æternæ beatitudinis deſiderium.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Deum qui inquiréntibus ſe remunerátor eſt, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 11. 6.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. t. 3. *a.* Quis requiéſcet.

PSALMUS 14.

Quibus virtutum exercitiis ſalus obtineatur.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? *

aut quis requiéſcet in monte ſancto tuo?

Qui ingréditur ſine mácula,* & operátur juſtítiam;

Qui lóquitur veritátem in corde ſuo; * qui non egit dolum in lingua ſua,

Nec fecit próximo ſuo malum, * & oppróbrium non accépit advérsùs próximos ſuos.

Ad níhilum dedúctus eſt in conſpéctu ejus malígnus; * timéntes autem Dóminum gloríficat:

Qui jurat próximo ſuo, & non décipit; * qui pecúniã ſuam non dedit ad uſúram, & múnera ſuper innocéntẽ non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

P s a l m u s 16.

Juſtus ab inimicis liberari poſcit: beatitudinis ſpes.

EXaúdi, Dómine, juſtítiam meam: * inténde deprecatiónem meam.

Aúribus pércipe oratiónẽ meam, * non in lábiis dolóſis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probaſti cor meum, & viſitáſti nocte: * igne me examinaſti; & non eſt inventa in me iníquitas;

Ut non loquatur os meũ ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum ego cuſtodívi vias duras.

Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis, * ut non moveántur veſtígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudíſti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi; & exaúdi verba mea.

Mirífica miſericórdias tuas, * qui ſalvos facis ſperántes in te.

A reſiſténtibus déxteræ tuæ cuſtódi me, * ut pupíllam oculi.

Sub umbra alárum tuárũ prótege me, * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meã circumdedérunt; ádipem ſuũ concluſérunt: * os eórum locútum eſt ſupérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos ſuos ſtatuérunt declináre in terram.

Suſcepérunt me ſicut leo parátus ad prædam, * & ſicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge, Dómine, præveni eum, & ſupplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abſcónditis tuis adimplétus eſt venter eórum.

Saturáti ſunt fíliis; * & dimiſérunt relíquias ſuas párvulis ſuis.

Ego autem in juſtítia apparebo conſpéctui tuo: * ſatiábor cùm apparúerit glória tua.

PSALMUS 26.

Fidelium fortitudo ex Deo; æternæ vitæ quærenda bona.

DOminus illuminátio mea, & ſalus mea; * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum appròpiant ſuper me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipſi infirmáti ſunt, & cecidérunt.

Si consíſtant advérsùm me caſtra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & víſitem templum ejus;

Quóniam abſcóndit me in tabernáculo ſuo: * in die malórum protexit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me; * & nunc exaltávit caput meũ ſuper inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis; * cantábo, & pſalmum dicam Dómino.

Exaúdi, Dómine, vocem meam, quâ clamávi ad te: * miſerere meî, & exaúdi me.

Tibi dixit cor meum; Exquiſívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me; * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto; * ne derelínquas me, neque deſpícias me, Deus ſalutáris meus;

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem aſſúmpſit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua; * & dírige me in ſémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me; * quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age; & confortétur cor tuum, * & ſúſtine Dóminum.

Ant. Quis requiéſcet in monte ſancto tuo? qui ingréditur ſine mácula. *Pſ.* 14. 1. 2.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. *t.* 6. f. Apud te.

PSALMUS 35.

Impiorum malitia: juſtitia Dei: juſtorum gloria.

DIxit injúſtus, ut delínquat in ſemetípſo: * non eſt timor Dei ante óculos ejus;

Quóniam dolósè egit in conſpéctu ejus; * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Quique terrígenæ, & filii hóminum, * ſimul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur ſapiéntiam; & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam; * apériam in pſaltério propoſitionē meam.

Cur timébo in die mala? * Iníquitas calcánei mei circumdabit me.

Qui confídunt in virtúte ſua, * & in multitúdine divitiárum ſuárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo: * non dabit Deo placatiónem ſuam,

Et prétium redemptiónis ánimæ ſuæ: * & laborábit in ætérnum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, * cùm víderit ſapiéntes moriéntes:

Simul insípiens & ſtultus períbunt; * & relínquent aliénis divítias ſuas;

Et ſepúlchra eórum domus illórum in ætérnum; tabernácula eórum in progénie & progénie: * vocavérunt nómina ſua in terris ſuis.

Et homo, cùm in honóre eſſet, non intelléxit: * comparátus eſt juméntis inſipiéntibus, & símilis factus eſt illis.

Hæc via illórum ſcándalum ipſis: * & póſtea in ore ſuo complacébunt.

Sicut oves in inférno póſiti ſunt: * mors depáſcet eos.

Et dominabúntur eórum juſti in matutíno; * & auxílium eórum veteráſcet in inférno à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

Ne timúeris cùm dives factus fúerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam cùm interíerit, non ſumet ómnia; * neque deſcéndet cum eo glória ejus:

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur; * confitébitur tibi cùm beneféceris ei.

Introíbit uſque in progénies patrum ſuórum; * & uſque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre eſſet, non intelléxit: * comparátus eſt juméntis inſipiéntibus, & símilis factus eſt illis.

PSALMUS 57.

Malorum ſupplicia, bonorumque præmia, Deum juſtum arguunt.

SI verè útique juſtítiam loquimini, * recta judicáte, fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injuſtítias manus veſtræ concínnant.

Alienáti ſunt peccatóres à vulva; erravérunt ab útero; * locúti ſunt falſa.

Furor illis ſecúndum ſimilitúdinem ſerpéntis ; * ſicut áſpidis ſurdæ , & obturántis aures ſuas ,

Quæ non exaudiet vocem incantántium , * & venéfici incantántis ſapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipſorum ; * molas leónum confringet Dóminus.

Ad níhilum devénient tamquam aqua decúrrens : * inténdit arcum ſuum, donec infirméntur.

Sicut cera quæ fluit, auferéntur: * ſupercécidit ignis, & non vidérunt ſolem

Priúsquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, * ſicut vivéntes, ſic in ira abſórbet eos.

Lætábitur juſtus cùm víderit vindíctam ; * manus ſuas lavábit in ſánguine peccatóris.

Et dicet homo : Si útique eſt fructus juſto ; * útique eſt Deus júdicans eos in terra.

P S A L M U S 79.

Miſeriarum finis per Chriſti adventum exoratur.

QUi regis Iſraël, inténde ; * qui dedúcis velut ovem, Joſeph :

Qui ſedes ſuper Chérubim, * manifeſtáre coram Ephraim, Benjamin, & Manáſſe.

Excita poténtiam tuam ; & veni , * ut ſálvos fácias nos.

Deus, convérte nos, * & oſténde faciem tuam ; & ſalvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quoúſque iraſceris ſuper oratiónem ſervi tui ?

Cibábis nos pane lacrymárum , * & potum dabis nobis in lácrymis in menſúra ?

Poſuiſti nos in contradictiónem vicínis noſtris ; * & inimici noſtri ſubſannavérunt nos.

Deus virtútum, convérte nos ; * & oſtende faciem tuam ; & ſalvi erimus.

Víneam de Ægypto tranſtuliſti : * ejeciſti gentes, & plantáſti eam.

Dux itíneris fuíſti in conſpéctu ejus ; * plantaſti radíces ejus ; & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus , * & arbúſta ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites ſuos uſque ad mare ; * & uſque ad flumen propágines ejus.

Ut quid deſtruxiſti macériam ejus ; * & vindémiant eam omnes qui prætergrediúntur viam ?

Exterminávit eam aper de ſylva, * & ſinguláris ferus depáſtus eſt eam.

Deus virtútum, convértere ; * réſpice de cœlo , & vide , & víſita víneam iſtam :

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua , * & ſuper filium hóminis quem confirmáſti tibi.

Incénſa igni, & ſuffóſſa: * ab increpatióne vultûs tui peribunt.

Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, * & ſuper filium hóminis quem confirmaſti tibi.

Et non diſcédimus à te; * vivificábis nos, & nomen tuum invocabimus.

Dómine Deus virtútum, convérte nos, * & oſténde fáciem tuam; & ſalvi érimus

Ant. Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, cùm accéperit me. *Pſ.* 48. 16.

℣. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte; ℟. Dum dícitur mihi quótídie: Ubi eſt Deus tuus? *Pſ.* 41. 4.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Repléti ſumus manè miſericordiâ tuâ:

℟. Et exultavimus, & delectáti ſumus ómnibus diébus noſtris. *Pſ.* 89. 14.

Ant. t. 1. *irreg.* Innocens.

PSALMUS 23.

Dei imperium in omnia: ſolus juſtus ſtabit in loco ſancto: Chriſti ad cœlos aſcenſus.

DOmini eſt terra, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & univérſi qui hábitant in eo;

Quia ipſe ſuper mária fundávit eum, * & ſuper flúmina præparávit eum.

Quis aſcendet in montem Dómini? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens mánibus, & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimã ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, veſtras; & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, veſtras; & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ.

Ant. Innocens mánibus, & mundo corde, hic accípiet benedictiónem à Dómino. *v.* 4. 5.

Ant. t. 1. *F.* Tu reddes.

PSALMUS 61.

Vanus impii conatus adversùs juſtum: divitiæ contemnendæ: Deus juſtus remunerator.

NOnne Deo ſubjécta erit ánima mea? * ab ipſo enim ſalutare meum;

Nam & ipſe Deus meus, & ſalutáris meus; * ſuſcéptor meus, non movébor ámplius.

Quoúſque irrúitis in hóminem? * interfícitis uni-

vérſi vos, tamquam parieti inclináto, & macériæ depulſæ?

Verúmtamen prétium meũ cogitavérunt repellere; cucúrri in ſiti: * ore ſuo benedicébant, & corde ſuo maledicébant.

Verúmtamen Deo ſubjécta eſto, ánima mea; * quóniã ab ipſo patiéntia mea.

Quia ipſe Deus meus, & ſalvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo ſalutáre meum, & glória mea; * Deus auxílii mei; & ſpes mea in Deo eſt.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; effúndite coram illo corda veſtra: * Deus adjútor noſter in ætérnũ.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in ſtatéris, * ut decípiãt ipſi de vanitáte in idipſũ.

Nolíte ſperáre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíſcere: * divítiæ ſi áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus eſt Deus, duo hæc audívi; quia potéſtas Dei eſt, & tibi, Dómine, miſericórdia; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera ſua.

Ant. Tu reddes, Dómine, unicuíque juxta ópera ſua. *v.* 13.

Ant. t. 1. d. Pſallam.

PSALMUS 100.

Miſericordiæ & juſtitiæ divinæ laus: bene vivendi norma.

MIſericórdiã & judíciũ * cantábo tibi, Dómine.

Pſallam, & intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injuſtam; * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæſit mihi cor pravum: * declinántem à me malígnum non cognoſcébã.

Detrahéntem ſecrétò próximo ſuo, * hunc perſequébar.

Supérbo óculo & inſatiábili corde; * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut ſedeant mecum; * ámbulans in via immaculáta, hic mihi miniſtrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit ſupérbiam: * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conſpéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébã omnes peccatóres terræ, * ut diſpérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Ant. Pſallam, & intélligam in via immaculáta, quando vénies ad me. *v.* 1. 2.

Ant. t. 6. f. Pars autem.

CANTICUM MOYSI *Deut.* 32.

AUdíte, cœli, quæ loquor: * aúdiat terra verba oris mei.

Concréſcat ut plúvia doctrína mea; * fluat ut ros elóquium meum,

Quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper grámina: * quia nomen Dómini invocábo.

Date magnificéntiam Deo noſtro: * Dei perfécta ſunt ópera, & omnes viæ ejus judícia.

Deus fidélis, & abſque ulla iniquitáte, juſtus & rectus; * peccavérunt ei, & non filii ejus in sórdibus.

Generátio prava atque pervérſa, * hæccine reddis Dómino, pópule ſtulte & inſípiens?

Numquid non ipſe eſt pater tuus, * qui poſsédit te, & fecit, & creávit te?

Meménto diérum antiquórum: * cogita generatiónes ſíngulas.

Intérroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; * majóres tuos; & dicent tibi:

Quando dividébat Altíſſimus gentes, * quando ſeparábat filios Adam,

Conſtítuit términos populórum * juxta númerum filiorum Iſrael.

Pars autem Dómini, pópulus ejus; * Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, & vaſtæ ſolitudinis:

Circumdúxit eum, & dócuit, * & cuſtodívit quaſi pupíllam óculi ſui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos ſuos, * & ſuper eos volitans,

Expándit alas ſuas, & aſſúmpſit eum, * atque portávit in húmeris ſuis.

Dóminus ſolus dux ejus fuit; * & non erat cum eo Deus aliénus:

Conſtítuit eum ſuper excélſam terram, * ut comé deret fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra, * oleúmque de ſaxo duríſſimo.

Bútyrum de arménto, & lac de óvibus * cum ádipe agnórum & aríetum filiórum Baſan:

Et hircos cum medúlla trítici; * & sánguinem uvæ biberet meraciſſimum.

Incraſſatus eſt diléctus, & recalcitrávit: * incraſſátus, impinguátus, dilatátus.

Derelíquit Deum factórem ſuum, * & receſſit à Deo ſalutári ſuo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, * & in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt:

Immolavérunt dæmóniis, & non Deo; * diis quos ignorábant:

Novi recentésque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit, dereliquiſti, * & oblitus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus eſt; * quia provocavérunt eum filii ſui, & filiæ.

Et ait: Abſcóndam fáciem meam ab eis, * & conſiderábo noviſſima eórum:

Generátio enim pervérſa eſt,

eſt, * & infidéles filii:

Ipſi me provocavérunt in eo qui non erat Deus, * & irritavérunt in vanitátibus ſuis;

Et ego provocábo eos in eo qui non eſt pópulus, * & in gente ſtulta irritábo illos.

Ignis ſuccénſus eſt in furóre meo, * & ardébit uſque ad inférni novíſſima:

Devorabítque terram cum gérmine ſuo, * & móntium fundaménta combúret.

Congregábo ſuper eos mala; * & ſagíttas meas complébo in eis.

Conſuméntur fame, * & devorábunt eos aves morſu amaríſſimo:

Dentes beſtiárum immíttam in eos, * cum furóre traheéntium ſuper terram, atque ſerpéntium.

Foris vaſtábit eos gládius, & intus pavor, * júvenem ſimul ac vírginem, lacténtem cum hómine ſene.

Dixi: Ubinam ſunt? * ceſſare fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli; * ne fortè ſuperbírent hoſtes eórum,

Et dícerent: Manus noſtra excélſa, * & non Dóminus fecit hæc ómnia.

Gens abſque consílio eſt, & ſine prudéntia: * útinam ſáperent, & intellígerent, ac noviſſima providérent!

Quómodo perſequátur unus mille, * & duo fugent decem míllia?

Nonne ídeò, quia Deus ſuus véndidit eos, * & Dominus conclúſit illos?

Non enim eſt Deus noſter ut dii eórum: * & inimíci noſtri ſunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * & de ſuburbánis Gomórrhæ:

Uva eórum, uva fellis, * & botri amaríſſimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum aſpidum inſanábile.

Nonne hæc cóndita ſunt apud me, * & ſignáta in theſáuris meis?

Mea eſt últio, & ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxtà eſt dies perditiónis; * & adéſſe feſtínant témpora.

Judicábit Dominus pópulum ſuum, * & in ſervis ſuis miſerébitur:

Vidébit quòd infirmáta ſit manus, * & clauſi quoque defecérunt, reſiduíque conſúmpti ſunt.

Et dicet: Ubi ſunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum:

Surgant, & opitulentur vobis, * & in neceſſitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego ſim ſolus, * & non ſit álius Deus præter me;

Ego occídam, & ego ví-

vere fáciam; percútiam, & ego ſanábo; * & non eſt qui de manu mea poſſit erúere.

Levábo ad cœlum manum meam, * & dicam: Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóſtibus meis;* & his qui odérunt me, retríbuam:

Inebriábo ſagíttas meas ſánguine,* & gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum,* & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia ſánguinem ſervórum ſuórum ulciſcétur;

Et vindíctam retríbuet in hóſtes eórum, * & propítius erit terræ pópuli ſui.

Glória, &c.

Ant. Pars autem Dómini, pópulus ejus; Jacob funículus hæreditátis ejus. *v.* 9.

In Feſtis dicitur: CANTICUM *Iſa.* 26.

URbs fortitúdinis noſtræ Sion: * Salvator ponétur in ea murus & antemurále.

Aperíte portas, * & ingrediátur gens juſta, cuſtódiens veritátem.

Vetus error ábiit: ſervábis pacem; * pacem, quia in te ſperávimus.

Sperâſtis in Dómino in ſæculis ætérnis, * in Dómino Deo forti in perpétuum;

Quia incurvábit habitántes in excélſo, * civitátem ſublímem humiliábit.

Humiliábit eam uſque ad terram, * detrahet eam uſque ad púlverem.

Conculcábit eam pes, * pedes paúperis, greſſus egenórum.

Sémita juſti recta eſt, * rectus callis juſti ad ambulándum.

Et in sémita judiciórum tuórum, Dómine, ſuſtinúimus te: * nomen tuum, & memoriále tuum in deſidério ánimæ.

Anima mea deſiderávit te in nocte:* ſed & ſpíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te.

Cùm féceris judícia tua in terra, * juſtítiam diſcent habitatóres orbis.

Misereámur ímpio, & non diſcet juſtítiam: * in terra ſanctórum iníqua geſſit, & non vidébit glóriam Dómini.

Dómine, exaltétur manus tua; * & non vídeant:

Vídeant, & confundántur zelántes pópuli; * & ignis hoſtes tuos dévoret.

Dómine, dabis pacem nobis; * ómnia enim ópera noſtra operátus es nobis.

Ant. t. 5. a. Exultabunt.

PSALMUS 149.

Deo ſanctorum remuneratori magnifico canticum.

CAntáte Dómino cánticum novum; * laus ejus in ecclésia ſanctórum.

Lætétur Iſrael in eo qui

ſecit eum ; * & filii Sion exúltent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro ; * in tympano & pſaltério pſallant ei ;

Quia beneplacitum eſt Dño in pópulo ſuo, * & exaltábit manſuetos in ſalútem.

Exultábunt ſancti in glória ; * lætabúntur in cubílibus ſuis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum ; * & gladii ancípites in mánibus eórum,

Ad faciéndam vindictam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis :

Ad alligándos reges eórum in compédibus, * & nobiles eórum in manicis ferreis ;

Ut faciant in eis judícium conſcríptum : * glória hæc eſt ómnibus ſanctis ejus.

Ant. Exultábunt ſancti in glória ; lætabúntur in cubílibus ſuis. *v.* 5.

Capitulum. Sap. 5. 15. 16.

SPes ímpii tamquam lanúgo eſt, quæ a vento tóllitur : juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dóminum eſt merces eórum.

℣. Quemadmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ℟. Ita desíderat ánima mea ad te, Deus. *Pſ.* 41. 2.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Serviámus illi in ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, ómnibus diébus noſtris. *Luc.* 174. 75.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

DUm ſolis orti lux micat,
Menti recúrrat hæc dies,
Quam vix adúmbrat ſplendida
Flammántis aſtri cláritas.

Caduca nobis præmia
Offert levis mundi favor :
Perénne pondus glóriæ
Æquantne nugæ ſæculi ?

Quis det mihi velócibus
Pennis colúmbæ rémigem !
Surgam volatu líbero,
Mundi fugácis immemor.

Huc vota tendunt córdium :
Sed hæc negatur glória ;
Ni fervidi pro præmio
Nunc præliémur milites.

Felix labor, quem Númine,
Deus, remúneras tuo !
Fac tanta nos pro víribus
Cœli meréri gaúdia. Amen.

Ant. t. 4. e. Bráchium.

PSALMUS 43.

Patres beneficiis cumulati : ob religionem & futuram requiem omnia ſuſtinenda.

DEus, aúribus noſtris audívimus, patres noſtri annuntiavérunt nobis opus, * quod operátus es in diébus eórum, & in diébus antíquis.

Manus tua gentes diſpérdidit, & plantáſti eos : * afflixíſti pópulos, & expuliſti eos.

Nec enim in gládio ſuo poſſedérunt terram, * & bráchium eórum non ſalvávit eos :

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui ; * quóniam complacuíſti in eis.

Tu es ipſe rex meus &

vere fáciam; percútiam, & ego ſanábo; * & non eſt qui de manu mea poſſit erúere.

Levábo ad cœlum manum meam, * & dicam: Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóſtibus meis;*& his qui odérunt me, retríbuam:

Inebriábo ſagíttas meas ſánguine,*& gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum,* & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia sánguinem ſervórum ſuórum ulciſcétur;

Et vindíctam retríbuet in hóſtes eórum, * & propítius erit terræ pópuli ſui.

Glória, &c.

Ant. Pars autem Dómini, pópulus ejus; Jacob funículus hæreditátis ejus. *v.* 9.

In Feſtis dicitur: CANTICUM *Iſa.* 26.

URbs fortitúdinis noſtræ Sion: * Salvator pónetur in ea murus & antemurale.

Aperíte portas, * & ingrediátur gens juſta, cuſtódiens veritátem.

Vetus error ábiit: ſervábis pacem; * pacem, quia in te ſperávimus.

Sperâſtis in Dómino in ſæculis ætérnis, * in Dómino Deo forti in perpétuum;

Quia incurvábit habitántes in excélſo, * civitátem ſublímem humiliábit.

Humiliábit eam uſque ad terram, * detrahet eam uſque ad púlverem.

Conculcábit eam pes, * pedes paúperis, greſſus egenórum.

Sémita juſti recta eſt, * rectus callis juſti ad ambulándum.

Et in sémita judiciórum tuórum, Dómine, ſuſtinúimus te: * nomen tuum, & memoriále tuum in deſidério ánimæ.

Anima mea deſiderávit te in nocte:* ſed & ſpíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te.

Cùm féceris judícia tua in terra, * juſtítiam diſcent habitatóres orbis.

Miſereámur ímpio, & non diſcet juſtítiam: * in terra ſanctórum iníqua geſſit, & non videbit glóriam Dómini.

Dómine, exaltétur manus tua; * & non videant:

Vídeant, & confundantur zelántes pópuli; * & ignis hoſtes tuos dévoret.

Dómine, dabis pacem nobis; * ómnia enim ópera noſtra operátus es nobis.

Ant. t. 5. a. Exultabunt.

PSALMUS 149.

Deo ſanctorum remuneratori magnifico canticum.

CAntáte Dómino cánticum novum; * laus ejus in eccléſia ſanctórum.

Lætétur Iſrael in eo qui

AD TERTIAM.

HYMNUS.

COeléſtis auctor grátiæ, Qui nos adóptas fílios, Fac, mens ſuî jam nil memor Domos repóſcat pátrias.

Adoptiónem flétibus Efflagitámus íntegram, Cui nos ſacráto, Spíritus, Prædeſtinâſti pígnore.

Da nos, Deus, qui túrbidâ Jactámur undâ ſæculi; Cœli ſedéntes líttore, Pleno fruámur ótio. Amen.

Ant. t. 7. C. Deus.

PSALMUS 72.

Si improbi in hac vita felices; probi, quòd ſua quemque præmia maneant, conſolatione levantur.

QUàm bonus Iſrael Deus * his qui recto ſunt corde!

Mei autem penè moti ſunt pedes, * penè effúſi ſunt greſſus mei;

Quia zelávi ſuper iníquos, * pacem peccatórum videns:

Quia non eſt reſpéctus morti eórum, * & firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non ſunt, * & cum homínibus non flagellabúntur.

Ideò ténuit eos ſupérbia; * opérti ſunt iniquitáte & impietáte ſuâ.

Pródiit quaſi ex ádipe iníquitas eorum; * tranſiérunt in affectum cordis:

Cogitavérunt, & locúti ſunt nequítiam; * iniquitátem in excélſo locúti ſunt.

Poſuérunt in cœlum os ſuum, * & lingua eórum transívit in terra.

Ideò convertétur pópulus meus hic; * & dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt; Quómodo ſcit Deus? * &, Si eſt ſciéntia in Excélſo? Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 72.

ECce ipſi peccatóres, & abundantes in ſæculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergo ſine cauſa juſtificávi cor meum, * & lavi inter innocéntes manus meas;

Et fui flagellátus totâ die, * & caſtigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo ſic; * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Exiſtimábam ut cognóſcerem hoc; * labor eſt ante me,

Donec intrem in ſanctuárium Dei, * & intélligam in novíſſimis eórum.

Verúmtamen propter dolos poſuíſti eis; * dejecíſti eos dum allevaréntur.

Quomodo facti ſunt in deſolatiónem! * súbitò defecérunt; periérunt propter iniquitátem ſuam.

Velut ſomnium ſurgéntium, Domine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges;

Quia inflammátum eſt cor meum, & renes mei commutáti ſunt; * & ego ad ní-

hilum redáctus ſum, & neſcívi.

Ut juméntum factus ſum apud te; * & ego ſemper tecum. Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 72.

TEnuíſti, (Dómine,) manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxíſti me, * & cum glória ſuſcepíſti me.

Quid enim mihi eſt in cœlo? * & à te quid volui ſuper terram?

Defécit caro mea, & cor meum; * Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in ætérnum.

Quia ecce qui elóngant ſe à te, períbunt; * perdidíſti omnes qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum eſt, * ponere in Domino Deo ſpem meam;

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis filiæ Sion. Glória, &c.

Ant. Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in æternum. *v.* 26.

Capitulum. 1. *Cor.* 9. 24.

NEſcítis quòd ii qui in ſtádio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus áccipit bravíum? Sic cúrrite ut comprehendatis.

℟. *bre.* Sitívit in te ánima mea, * Deus meus. Sitívit.

℣. Quàm multipliciter tibi caro mea, * Deus. Glória. Sitívit. *Pſ* 62. 2.

℣. Quàm dilecta tabernácula tua, Dómine virtutum!

℟. Concupíſcit & déficit ánima mea in átria Dómini. *Pſ.* 83. 2. 3.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

QUi luce vincis sídera
O Chriſte, quid tardat dies,
Quo nos amóris, & tui
Vultûs beabis lumine.

Tunc ſancta quæ calígine
Noctis teguntur dógmata,
Ruptis apertà nubibus
Pleno patébunt in die.

Nunc illa venalis patet
Multo labóre glória:
Hanc promereri, Trínitas,
Tuam dabis per grátiam.
Amen.

Ant. t. 3. *a.* Dedíſti.

PSALMUS 60.

In Deo ſpes animæ oppreſſæ: Chriſti regnum æternum.

EXaúdi, Deus, deprecatiónem meam; * inténde oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi, dum anxiarétur cor meũ; * in petra exaltaſti me.

Deduxíſti me, quia factus es ſpes mea, * turris fortitudinis à fácie inimici.

Inhabitabo in tabernáculo tuo in ſæcula; * prótegar in velamento alarum tuarum;

Quóniam tu, Deus meus, exaudíſti orationem meam, * dedíſti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies ſuper dies regis adjícies, * annos ejus uſque in diem generationis & generationis.

Pérmanet in ætérnum in conſpectu Dei: * miſericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

Sic pſalmum dicam nómini tuo in ſæculum ſæculi; * ut reddam vota mea de die in diem.

PSALMUS 85.

De fide gentium vaticinium: ſe in æternum à periculis liberandum orat, & ſperat juſtus.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaúdi me; * quóniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum; * ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperántem in te.

Miſerére meì, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die; * lætífica ánimam ſervi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi:

Quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis; * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Aúribus pércipe, Dómine, oratiónem meam; * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te; * quia exaudíſti me.

Non eſt símilis tuì in diis, Dómine, * & non eſt ſecúndùm ópera tua.

Omnes gentes, quaſcúmque feciſti, venient, & adorábunt coram te, Dómine, * & glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus ſolus.

Diviſio Pſalmi. 85.

DEduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritate tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum;

Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me, * & eruíſti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga poténtium quæſiérunt ánimam meam; * & non propoſuérunt te in conſpectu ſuo.

Et tu, Dómine, Deus miſerátor & miſéricors, * pátiens, & multæ miſericórdiæ, & verax.

Réſpice in me, & miſerére meì; * da impérium tuum púero tuo, & ſalvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur; * quóniam tu, Dómine, adjuvíſti me, & conſolátus es me.

Ant. Dedíſti hæreditátem timéntibus nomen tuum. *Pſ.* 60. 6.

Capitulum. 2. PETRI. I. 10.

SAtágite, ut per bona ópera certam veſtram vo-

catiónem & electiónem faciátis: hæc enim faciéntes, non peccábitis aliquándo.

℟. *br.* Inebriabúntur, Dómine, * Ab ubertáte domûs tuæ. Inebriabúntur. ℣. Torrénte voluptátis tuæ potábis eos. Ab ubertáte. Glória. Inebriabúntur. *Pſ.* 35. 9.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, ℟. Quám abſcondíſti timéntibus te! *Pſ.* 30. 20.

AD NONAM.

HYMNUS.

Dum ſol ad umbras lábitur,
Tu méntium lux, grátia,
Cœli viam ne déſinas
Tuo docére lúmine.

Cingunt iter perícula:
Tu lúbricos firma pedes;
Et certióre férvidi
Pergémus ad metam gradu.

O Trine, qui regnas, Deus,
Fructus adauge, quos petis,
Mox dona, juſtus árbiter,
Cœlo coronábis tua. Amen.

Ant. t. 1. *irreg.* Conſolatiónes.

PSALMUS 93.

Deus ſuperborum quondam vindex, & juſtorum conſolator.

Deus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram; * redde retributiónem ſupérbis.

Uſquequò peccatóres, Dómine, * uſquequò peccatóres gloriabúntur?

Effabúntur & loquéntur iniquitátem,* loquéntur omnes qui operántur injuſtítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt, * & hæreditátem tuam vexavérunt:

Víduam & ádvenam interfecérunt, * & pupíllos occidérunt:

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, inſipiéntes in pópulo, * & ſtulti, aliquándo ſápite.

Qui plantávit aurem, non aúdiet? * aut qui finxit óculum, non conſíderat?

Qui córripit gentes, non árguet? * qui docet hóminem ſciéntiam?

Dóminus ſcit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ ſunt. Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 93.

Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, * & de lege tua docúeris eum;

Ut mitiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem ſuam, * & hæreditátem ſuam non derelínquet;

Quoadúſque juſtítia convertátur in judícium; * & qui juxta illam omnes qui recto ſunt corde.

Quis conſúrget mihi advérſùs malignántes? * aut quis ſtabit mecum advérſùs operántes iniquitátem?

Niſi quia Dóminus adjúvit me, * paulòminùs habi-

táſſet in inférno ánima mea.

Si dicébam: Motus eſt pes meus; * miſericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * conſolatiónes tuæ lætificavérunt ánimā meam.

Numquid adhæret tibi ſedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam juſti, * & ſánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus eſt mihi Dóminus in refúgium, * & Deus meus in adjutóriū ſpei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum; & in malítia eórum diſpérdet eos; * diſpérdet illos Dóminus Deus noſter. Glória, &c.

PSALMUS 125.

Poſt labores merces & ſolatium.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion, * facti ſumus ſicut conſoláti.

Tunc replétum eſt gáudio os noſtrum, * & lingua noſtra exultatióne:

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum; * facti ſumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem noſtrā, * ſicut torrens in auſtro.

Qui ſéminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant, & flebant, * mitténtes sémina ſua;

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos ſuos.

Ant. Conſolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam. *Pſ.* 93. 19.

Capitulum. Coloſſ. 3. 17.

OMne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jeſu Chriſti, grátias agéntes Deo & Patri per ipſum.

℞. *br.* Clamávi ad te, Dómine, dixi: *Tu es ſpes mea. Clamávi. ℣. Pórtio mea in terra vivéntium: * Tu es. Glória. Clamávi. *Pſ.* 141. 6.

℣. Ego autem in juſtítia apparébo; ℞. Satiábor cùm appáruerit glória tua. *Pſ.* 16. 15.

AD VESPERAS.

Ant. 8. 1. f. Convértere.

PSALMUS 114.

Chriſtus mortis victor: æternæ vitæ deſiderium.

DIléxi, * quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ;

Quia inclinávit aurem ſuā mihi, * & in diebus meis invocabo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimā meam; * miséricors Dóminus, & juſtus, & Deus noſter miserétur.

Cuſtodiens párvulos Dó-

minus, * humiliátus ſum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus beneſecit tibi;

Quia erípuit ánimã meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapſu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam. *v.* 7.

Ant. t. 3. *E.* Heu mihi.

PSALMUS 119.

Juſti patientia: vitæ præſentis miſerias luget.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolóſa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguã dolóſam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus deſolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt! * habitávi cum habitántibus Cedar; multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Heu mihi, incolátus meus prolongátus eſt. *v.* 5.

Ant. t. 1. d. Si oblítus.

PSALMUS 136.

Flebilis captivi populi querimonia, dum recordaretur Sion.

SUper flúmina Babylónis illic sédimus, * & flévimus cùm recordarémur Sion.

In ſalícibus, in médio ejus, * ſuſpendimus órgana noſtra:

Quia illìc interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantionum;

Et qui abduxérunt nos; * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna,

Si oblítus fúero tuî, Jerúſalem, * oblivióni detur déxtera mea:

Adhæreat lingua mea faúcibus meis, * ſi non meminero tuî;

Si non propoſúero Jerúſalem * in princípio lætítiæ meæ.

Memor eſto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúſalem;

Qui dicunt; Exinaníte, exinaníte * uſque ad fundaméntum in ea.

Filia Babylónis míſera; * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuíſti nobis:

Beatus qui tenébit, * & allídet párvulos tuos ad petram.

Ant. Si oblítus fúero tuî, Jerúſalem, oblivióni detur déxtera mea. *v.* 5.

Ant. t. 3. a. Me expéctant.

PSALMUS 141.

Ab impiis liberari, & Deo frui poſcit anima fidelis.

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad

Dóminum deprecátus ſum ;

Effúndo in conſpéctu ejus oratiónem meam, * & tribulatiónem meam ante ipsũ pronúntio,

In deficiéndo ex me ſpíritum meum ; * & tu cognovíſti sémitas meas.

In via hac quâ ambulábam, * abſconderunt láqueũ mihi.

Conſiderábam ad déxteram, & vidébam ; * & non erat qui cognóſceret me.

Périit fuga à me, * & non eſt qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine ; * dixi : Tu es ſpes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam, * quia humiliátus ſum nimis.

Líbera me à perſequéntibus me, * quia confortáti ſunt ſuper me.

Educ de cuſtódia ánimam meam, ad confiténdum nómini tuo ; * me expéctant juſti, donec retríbuas mihi.

Ant. Me expéctant juſti, donec retríbuas mihi. *ṽ.* 8.

Ant. t. 6. *ſ.* Beátus.

PSALMUS 143.

Victoria ab hoſtibus, Dei donum eſt.

BEnedictus Dñus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * & dígitos meos ad bellum.

Miſericórdia mea, & refúgium meum ; * ſuſcéptor meus, & liberátor meus ;

Protector meus, & in ipſo ſperávi ; * qui ſubdit pópulum meum ſub me.

Dómine, quid eſt homo, quia innotuíſti ei ? * aut fílius hóminis, quia réputas eum ?

Homo vanitáti símilis factus eſt ; * dies ejus ſicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, & deſcénde ; * tange montes, & fumigábunt.

Fulgura coruſcatiónem, & diſſipabis eos ; * emítte ſagittas tuas, & conturbabis eos.

Emítte manum tuam de alto ; éripe me, & líbera me de aquis multis, * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum eſt vanitátem, * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Deus, cánticum novum cantábo tibi, * in pſaltério decachórdo pſallam tibi,

Qui das ſalútem régibus, * qui redemíſti David ſervum tuum de gládio malígno,

Eripe me, & érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum eſt vanitátem ; * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis ;

Quorum fílii ſicut novéllæ plantatiónes * in juventúte ſua :

Fíliæ eórum compóſitæ, * circumornátæ ut ſimilitúdo templi :

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud :

Oves eórum fœtóſæ, abun-

dantes in egréſſibus ſuis ; * boves eórum craſſæ :

Non eſt ruína macériæ , neque tránſitus , * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc ſunt : * beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Beatus populus , cujus Dominus Deus ejus. *v.* 15.

Capitulum. Heb. 4. 10. 11.

QUi ingreſſus eſt in réquiem ejus ; étiam ipſe requiévit ab opéribus ſuis , ſicut à ſuis Deus. Feſtinémus ergo ingredi in illam réquiem.

HYMNUS.

DIe quieſcis ſeptimo ,
Deus creator omnium ;
O quanta nobis hæc quies
Futúra ſpondet gaudia !

Carnis profundâ conditi
Demérgimur calígine :
Ætérnus at noctem ſuo
Fulgóre depéllet dies.

Hic mille per diſcrímina
Semen geméntes ſpárgimus :
Illìc , ovánte ſpléndidam
Geſtábimus meſſem manu.

Tunc gaúdiis mens ébria ,
Tuíque conſors ſábbati ,
Pacis , Deus , non déſinet
Sinu tuo quiéſcere.

O meta felix , pax ubi ,
Et vera nos manet quies ,
Ubi voluptátis ſacro
Torrénte potábis tuos !

Moráris , heu ! nimis diu ,
Moráris optátus dies !
Ut te fruámur , córporis
Quid impédimur póndere ?
Nunc exulámus anxii ,
O ſempitérna Trínitas ,
Fac , ardeámus nos jugo
Corruptiónis éximi. Amen.

℣. Quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ ?

℟. Volábo , & requiéſcã. *Pſ.* 54. 7.

Ad Magnif. *Ant. ut in Proprio.*

AD COMPLETORIUM PER HEBDOMADAM.

Pater. Ave.

COnverte nos , Deus ſalutáris noſter ; ℟. Et averte iram tuam à nobis. *Pſ.* 84. 5.

Deus , in adjutórium. Glória. Allelúia , *vel* , Laus tibi , Dómine , &c. *Deinde ſine Ant.*

PSALMUS 4.

In Deo , non in divitiis ſpes collocanda.

CUm invocárem , exaudívit me Deus juſtítiæ meæ : * in tribulatióne dilataſti mihi.

Miſerére meî , * & exaúdi oratiónem meam.

Filii hominum , úſquequò gravi corde ? * ut quid dilígitis vanitátem , & quæritis mendacium ?

Et ſcitóte quóniam mirificávit Dóminus ſanctũ ſuũ ; * Dóminus exaúdiet me , cùm clamávero ad eum.

Iraſcímini , & nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus veſtris , in cubílibus veſtris compungímini.

Sacrificáte ſacrifícium juſtítiæ , & ſperáte in Dómino : * multi dicunt : Quis

oſténdit nobis bona ?

Signátum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Dómine : * dediſti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei ſui * multiplicati ſunt.

In pace in idípſum * dórmiam, & requieſcam;

Quóniam tu, Dómine, ſingulàriter in ſpe * conſtituiſti me.

P s a l m u s 30.

Dei præſidio ſe commendat anima.

IN te, Dómine, ſperávi non confúndar in ætérnum: * in juſtítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut eruas me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii ; * ut ſalvum me fácias ;

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abſcondérunt mihi ; * quoniam tu es protéctor meus.

In manus tuas commén-do ſpíritum meum : * redemiſti me, Domine Deus veritátis.

P s a l m u s 90.

Nil timendum ſub Dei tutela: Angelorum cuſtodiæ commiſſus homo.

QUi hábitat in adjutório Altíſſimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Domino : Suſcéptor meus es tu, & refúgium meum ; * Deus meus, ſperabo in eum ;

Quóniam ipſe liberávit me de láqueo venántium, * & à verbo áſpero.

Scápulis ſuis obumbrábit tibi, * & ſub pennis ejus ſperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus ; * non timébis à timóre noctúrno,

A ſagítta volánte in die, à negotio perambulánte in ténebris, * ab incúrſu, & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis ; * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis conſiderábis, * & retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam, Tu es, Dómine, ſpes mea, * altíſſimum poſuíſti refúgium tuũ;

Non accédet ad te malum, * & flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo :

Quóniam Angelis ſuis mandávit de te, * ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis ;

In mánibus portábunt te, * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſilíſcum ambulábis, * & conculcábis leonem & dracónem.

Quóniam in me ſperávit, liberabo eum ; * protégam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, & ego exaúdiam eum : * cum ipſo ſum in tribulatióne, eripiã eum, & glorificabo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, * & oſtendam illi ſalutáre meum.

P S A L M U S 133.

Miniſtros ſuos ad Dei cultum hortatur Eccleſia.

ECce nunc benedícite Dóminum, * omnes ſervi Dómini,

Qui ſtatis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri ;

In nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta, * & benedícite Dominum.

Benedícat te Dominus ex Sion, * qui fecit cœlum & terram.

Poſt Glória Patri, *dicitur* : Alleluia, *vel*, Laus tibi, Dómine, Rex æternæ gloriæ, *pro diverſitate Temporis.*

H Y M N U S.

DUm noctis umbræ défluunt,
Lux ſancta nos illúminans,
Mentis ténebras ámove,
Noctémque pelle ſæculi.
Inſida deliquit dies ;
Delicta fletus expiet ;
Somno gravátos, ne novo
Nos lædat hoſtis vúlnere.
Nequiſſimi qui circuit
Ne complicemur retibus,
Improvidos tegas, Pater,
Tuis ſub alis ſuios.
Dum ſomnus artus óccupat,
Mens ſemper ad te ſit vigil :
Noſtrúmque nocte júgibus
Cor éxcubet ſuſpiriis.
Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Filio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc & per omne ſæculum.
Amen.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 5. 5. 6.

OMnes vos filii lucis eſtis, & filii diéi : non ſumus noctis, neque tenebrárum. Igitur non dormiámus ſicut & cæteri, ſed vigilémus, & ſóbrii ſimus. ℟. Deo grátias.

℣. Cuſtódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi :

℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos. *Pſ.* 16. 8.

Ant. t. 1. *irreg.* Sive vigilémus.

C A N T I C U M S I M E O N I S. *Luc.* 2.

NUnc dimittis ſervum tuum, Domine, * ſecundùm verbum tuum in pace ;

Quia vidérunt óculi mei * ſalutáre tuum,

Quod paraſti * ante fáciẽ ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Iſrael. Glória, &c.

Ant. Sive vigilémus, ſive dormiámus, ſimul cum Chriſto vivámus. 1. *Theſſ.* 5. 10.

Quando ad Primam dictæ ſunt preces, ſequentes dicuntur ad Complet. In Vigiliis, per Adventum, & Quadrageſimam, quan-

ſi Officium ſit de Feria, dicuntur flexis genibus: Kyrie, eléiſon, Chriſte, eléiſon, Kyrie, eléiſon.

Pater noſter. *Secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum. *Secretò.*

℣. Carnis reſurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Benedíctus es, Dómine Deus patrum noſtrórum: ℟. Et laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula. *Dan.* 3. 52.

℣. Benedíctum nomen glóriæ tuæ ſanctum; ℟. Et laudábile, & ſuperexaltátum in ómnibus ſæculis. *Dan.* 3. 52.

℣. Benedíctus es in firmaménto cœli: ℟. Et laudábilis, & glorióſus in ſæcula. *Dan.* 3. 56.

℣. Benedícat nos Deus noſter, ℟. Benedícat nos Deus. *Pſ.* 66. 7. 8.

Deindè dicitur: Confiteor. Miſereátur. Indulgentiam. *ut ad Primam.*

Poſtea hebdomadarius altâ voce proſequitur:

℣. Exaudi nos, Deus ſalutáris noſter, ℟. Spes ómniũ fínium terræ. *Pſ.* 64. 6.

℣. Miſerére noſtri, Dómine, ℟. Miſerére noſtri. *Pſ.* 122. 3.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos; ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

O R E M U S.

Viſita, quæſumus, Dómine, habitatiónem iſtam, & omnes insídias inimíci ab ea longè repelle: Angeli tui ſancti hábitent in ea, qui nos in pace cuſtódiant; & benedíctio tua ſit ſuper nos ſemper; Per Dóminum, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo gratias.

Submiſſiori voce: Grátia Dómini noſtri Jeſu-Chriſti, & cháritas Dei, & communicatio ſancti Spiritûs ſit cum ómnibus vobis. ℟. Amen. 2. *Cor.* 13. 13.

ANTIPHONA DE BEATA, AD DEVOTIONEM.

A Complet. Sabbati Trinitatis uſque ad Adventum, Ant.

SAlve, Regína, mater miſericórdiæ, Vita dulcédo & ſpes noſtra, ſalve. Ad te clamámus, éxules filii Evæ. Ad te ſuſpirámus, geméntes & flentes in hac lacrymárum valle. Eia ergo, Advocata noſtra, illos tuos miſericórdes óculos ad nos convérte. Et Jeſum benedíctũ fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſténde. O clemens. O pia. O dulcis Virgo María.

℣. Mémores erunt nóminis tui, ℟. Pópuli confitebúntur tibi. *Pſ.* 44. 18.

OREMUS.

OMnipotens ſempitérne Deus, qui glorióſæ Virginis matris Maríæ corpus & ánimam, ut dignum Filii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu ſancto cooperánte præparáſti: da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus piâ interceſſione ab inſtántibus malis, & à morte perpetua liberémur; Per eúmdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

ABSOLUTIONES ET BENEDICTIONES,

Dicendæ ante Lectiones.

DOMINICA,

Et in Officiis novem Lectionum, quæ non ſunt de Sanctis.

IN I. NOCTURNO:

& pro Feria 2. & 5.

Abſolutio. 2. *Mach.* 1. 3. 4.

ADaperiat Deus cor veſtrum in lege ſua, & in præcéptis ſuis: & det vobis cor ómnibus, ut colátis eum. ℟. Amen.

Benedictiones.

1. Deus, Dómini noſtri Jeſu Chriſti Pater gloriæ, det vobis ſpíritum ſapiéntiæ. *Eph.* 1. 17. ℟. Amen. *Et ſic ad ſequentes.*

2. Fílius Dei det nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum. 1. *Joan.* 5. 20.

3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan* 16. 13.

IN II. NOCTURNO:

& pro Feria 3. & 6.

Abſolutio. 3. *Reg.* 8. 58.

DEus noſter inclínet corda noſtra ad ſe; ut cuſtodiámus mandáta ejus. ℟. Amen.

Benedictiones.

4. Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti benedícat nos in omni benedictióne ſpirituáli. *Eph.* 1. 3.

5. Sciámus ſupereminéntem ſciéntiæ charitátem Chriſti; ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Eph.* 3. 19.

6. Unctio, quam accépimus à Deo, máneat in nobis, & dóceat nos de omnibus. 1. *Joan.* 2. 27.

IN III. NOCTURNO:

& pro Feria 4. & Sabbato.

Abſolutio. 2. *Mach.* 1. 2. 5.

DEus meminerit teſtaménti ſui, quod locútus eſt, & exaudiat oratiónes veſtras. ℟. Amen.

Benedictiones.

7. Detur tibi ſermo in apertióne oris tui cum fidúcia, notum fácere myſtérium Evangélii. *Eph.* 6. 19.

Feriâ 4. verò, & Sabbato dicitur: Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti det nobis Chriſtum habitare per fidem in córdibus noſtris. *Eph.* 3. 14. 16. 17.

8. Occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Filii Dei, ut non circumferamur omni vento doctrinæ. *Eph.* 4. 13. 14.

9. Deus ſpei répleat nos om-

ni gáudio & pace in credéndo, ut abundémus in ſpe, & virtúte Spiritùs ſancti. *Rom.* 15. 13.

Si pro ultima Lectione legatur aliud Evangelium, nona Benedictio erit:

Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. 2. *Cor.* 4. 4.

Si nona Lectio ſit de Sancto, nona Benedictio erit:

Digni habeámur regno Dei, cum vénerit in Sanctis ſuis admirábilis fieri. 2. *Theſſ.* 1. 5. 10.

Quando D. Epiſcopus Lectionem lecturus eſt, poſtquàm præmiſit ex more:

Jube, Dómne, benedícere.

Dignior poſt illum dicit:

Ora pro nobis, Pater.

Ipſe autem Epiſcopus reſpondet:

Oro ut cháritas veſtra magis ac magis abúndet in ſciéntia, & in omni ſenſu. *Philip.* 1. 9. *Chorus reſpondet:* Amen.

IN FESTIS B. MARIÆ

quæ ſunt novem Lectionum.

IN I. & III. NOCTURNO.

Abſolutiones & Benedictiones erunt ut ſuprà, ſed

IN II. NOCTURNO

ut ſequitur:

4. Nobíſcum ſit Deus qui in ancílla ſua adimplévit miſericórdiam, quam promíſit dómui Iſrael. *Judith.* 13. 13. 18.

5. Reſpíciat, qui hoſtem pópuli ſui per manum fœminæ percúſſit Dñus Deus noſter. *Jud.* 13. 7. 18. 19.

6. Invocet Dóminum, & loquatur Regi pro nobis, & líberet nos de morte. *Eſther.* 15. 3.

Si Officium de Beata tres habeat Lectiones tantùm ſine Evangelio, tres Benedictiones erunt de Beata ut ſuprà. Si verò tertia Lectio ſit de Evangelio dicitur pro 3. Benedict.

Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. 2. *Cor.* 4. 4.

IN FESTIS SANCTOR.

quæ ſunt novem Lectionum.

IN I. & III. NOCTURNO.

Benedictiones ut ſuprà in Officio trium Nocturnorum.

IN II. NOCTURNO.

4. Deus det nobis illuminátos óculos, ut ſciámus quæ ſit ſpes vocatiónis ejus in Sanctis. *Eph.* 1. 17. 18.

5. Dignos fáciat nos in partem ſortis Sanctórum, qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum. *Coloſ.* 1. 12. 13.

6. Aperiántur óculi noſtri, ut convertámur à ténebris ad lucem, & accipiámus ſortem inter Sanctos. *Act.* 26. 18.

IN FESTIS SANCTORUM,

quæ ſunt trium tantùm Lectionum, Benedictiones, ut ſuprà in 2. Nocturno pro Sanctis.

Si 3. Lectio ſit de Evangelio, 3. Benedictio erit. Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii, &c. *Ut ſuprà.*

PROPRIUM
DE
TEMPORE.

PARS ÆSTIVA.

IN FESTO SANCTÆ TRINITATIS.

Duplex j. Claſſ. Solemne minus.

AD I. VESPERAS.

Pſalmi de Sabbato.

Non eſt alius Deus præter Deum noſtrum : ipſe mirabilis in majeſtate, mirabilis in operibus.

Ant. t. 1. a. ISrael, Dóminus Deus noſter, Dóminus unus eſt. *Deuter.* 6. 4.

Ant. t. 3. A. Ipſe eſt Deus deórum, & Dóminus dominántium, Deus magnus, & potens. *Deut.* 10. 17.

Ant. t. 4. E. Excélſus, & ſublímus, hábitans æternitátem : & ſanctum nomen ejus. *Iſ.* 57. 15.

Ant. t. 7. c. Magnus conſílio, & incomprehenſíbilis cogitátu. *Jerem.* 32. 19.

Ant. t. 5. F. Fortíſſime, magne, & potens : Dóminus exercítuum nomen tibi. *Jerem.* 32. 18.

Capitulum. Iſ. 46. 9. 10.

EGo ſum Deus, & non eſt ultrà Deus, nec eſt ſímilis meî : annúntians ab exórdio noviſſimum, & ab inítio quæ necdum facta ſunt, dicens : Conſílium

meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.

℟. Non eſt ſímilis tui, Dómine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitúdine. * Quis non timébit te, ô Rex géntium? ℣. Magna & mirabília ſunt ópera tua, Dómine Deus omnípotens! juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſæculórũ. * Quis non. Glória. * Quis. *Jerem.* 10. 6. 7. *Apoc.* 15. 3.

HYMNUS.

O Quàm veréndis indúitur tuum
Numen tenébris! quàm ſacra te, Deus,
Calígo veſtit! nec treméndæ
Sancta licet penetráre noctis.

Per denſa quæ te núbila ſépiunt,
Si quando ruptis fúlgura núbibus
Emíſſa, Numen vix revélant:
Luce micans nímiâ latéſcis.

Humána mens, hîc alta Dei, pavens,
Miráre: lumen ni præeat fides,
Cæcútis; & te differéntem
Lucis imágine fallit error.

Hinc qui fidélis, fit puer ex fide,
Et dogma menti ſúſcipit ínvium:
Persóna triplex, Numen unum:
Hoc rátio ſtupet, hoc adórat.

Tu Trinitátis fons, Pater, única
Tu, Nate, proles, & Deus è Deo:
Tu pródiens par ex utróque,
Spíritus, es utriúſque nexus.

Major nec unus, témpore nec prior:
Æquále regnum, parque poténtia;
Huic prona cœli curvat aula:
Huic trémulis Séraphim ſub alis.

Laus ſumma Patri, qui Génitum dedit:
Qui nos redémit, glória Fílio:
Qui charitátis mittis ignes
Spíritus, & tibi laus in ævum. Amen.

℣. Omnia oſſa mea dicent: ℟. Dómine, quis ſímilis tibi? *Pſ.* 34. 10.

Ad Magnif. *Ant.* 1. 6. *F.* Appáruit Abrahæ Dóminus; cùmque eleváſſet óculos, apparuérunt ei tres viri ſtantes; quos adorávit in terram: & dixit: Dómine, ne tránſeas ſervum tuum. *Gen.* 18. 1. 2. 3.

Oratio ut in Laudibus.

Pro commem. Dominicæ. Venit Dóminus, & vocávit Sámuel: & ait Sámuel: Lóquere, Dómine, quia audit ſervus tuus. 1. *Reg.* 3. 10.

℣. Elevátio mánuum meárum. ℟. Sacrifícium veſpertínum. *Pſ.* 140. 2.

Oratio ut in Laudibus.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Pſalterio per annum.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Deum unum, Patrem, & Filium, & Spíritum ſanctum, * Veníte, adorémus. *Marc.* 12. 29. *&* *Matth.* 28. 19.

Pſalm. 94. Veníte. *pag.* 2.

Pſalmi de Dominica.

IN I. NOCTURNO.

In Patrem, per quem omnia, credite, & ipſum adorate.

Ant. t. 6. *f.* Numquid non pater unus ómnium noſtrũ? numquid non Deus unus creávit nos? *Malach.* 2. 10.

Ant. t. 5. *a.* Flecto génua mea ad Patrem Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis patérnitas in cœlis & in terra nominátur. *Epheſ.* 3. 14. 15.

Ant. t. 1. *irr.* Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt ómnia: ipſi glória in ſæcula. *Rom.* 11. 36.

℣. Quàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine! ℟. Omnia in ſapiéntia feciſti. *Pſ.* 103. 24.

Pater, *Abſolutiones & Benedictiones ut habentur poſt Pſalterium.*

Incipit liber primus Regum.

Lectio j. Cap. 1. 1. *ad* 8.

FUit vir unus de Ramathaim ſophim, de monte Ephraim, & nomen ejus Elcana, filius Jéroham, filii Elíu, filii Thohu, filii Suph, Ephratæus; & hábuit duas uxóres, nomen uni Anna, & nomen ſecúndæ Phenénna. Fuerúntque Phenénnæ fílii: Annæ autem non erant líberi. Et aſcendébat vir ille de civitáte ſua ſtatútis diébus, ut adoráret & ſacrificáret Dómino exercítuum in Silo. Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni, & Phínees, ſacerdótes Dómini. Venit ergo dies, & immolávit Elcana, deditque Phenénnæ uxóri ſuæ, & cunctis filiis ejus, & filiábus partes: Annæ autem dedit partem unam triſtis, quia Annam diligébat. Dóminus autem conclúſerat vulvam ejus. Affligébat quoque eam æmula ejus, & vehementer angébat, in tantùm, ut exprobráret quòd Dóminus concluſíſſet vulvam ejus: ſicque faciébat per ſíngulos annos, cùm redeúnte témpore aſcénderent ad templum Dómini; & ſic provocábat eam. Porrò illa flebat, & non capiébat cibum. Tu autem, Dómine, miſerére noſtri. ℟. Deo grátias.

℟. Dóminus Deus verus eſt: ipſe Deus vivens, & Rex ſempitérnus. * Dii, qui cœlos & terram non fecérunt, péreant. Qui facit terram in fortitúdine ſua, præparat orbem in ſapiéntia ſua, & prudéntiâ ſuâ exténdit cœlos; Dóminus exercítuum nomen illi. ℣. Unus Deus & Pater ómnium, qui eſt ſuper omnes. * Dii qui. Je-

rem. 10. 10. 11. 12. 16. *Eph.* 4. 6. *Lectio ij.* 8. *ad* 12.

DIxit ergo ei Elcana vir ſuus: Anna, cur fles? & quare non cómedis? & quamóbrem affligitur cor tuum? Numquid non ego mélior tibi ſum, quàm decem filii? Surréxit autem Anna poſtquam coméderat & bíberat in Silo. Et Heli ſacerdóte ſedénte ſuper ſellam ante poſtes templi Dómini, cùm eſſet Anna amáro ánimo, orávit ad Dóminum, flens lárgiter, & votum vovit, dicens: Dómine exercítuum, ſi reſpíciens víderis afflictiónem fámulæ tuæ, & recordátus meî fúeris, nec oblítus ancíllæ tuæ, dederíſque ſervæ tuæ ſexum virílem; dabo eum Dómino ómnibus diébus vitæ ejus, & novácula non aſcéndet ſuper caput ejus.

℞. Quis in núbibus æquábitur Dómino, símilis erit Deo in filiis Dei? * Deus, qui glorificátur in concílio Sanctórum, magnus & terríbilis ſuper omnes, qui in circúitu ejus ſunt. ℣. Ei, qui potens eſt ómnia fácere, ipſi glória in omnes generatiónes ſæculi. * Deus qui. *Pſ.* 88. 7. 8. *Eph.* 3. 20. 21.

Lectio iij. 20. *ad* 26.

ET factum eſt poſt círculum diérum, concépit Anna, & péperit filium, vocavítque nomen ejus Sámuel; eò quòd à Dómino poſtuláſſet eum. Aſcéndit autem vir ejus Elcana, & omnis domus ejus, ut immoláret Dómino hóſtiam ſolémnem, & votum ſuum, & Anna non aſcéndit; dixit enim viro ſuo: Non vadam donec ablactétur infans, & ducam eum, ut appáreat ante conſpéctũ Dómini, & máneat ibi júgiter. Et ait ei Elcana vir ſuus: Fac quod bonum tibi vidétur, & mane donec abláctes eum; precórque ut ímpleat Dóminus verbum ſuum. Manſit ergo múlier, & lactávit filium ſuum, donec amovéret eum à lacte. Et addúxit eum ſecum, poſtquam ablactáverat, in vítulis tribus, & tribus módiis farínæ, & ámphorâ vini, & addúxit eum ad domum Dómini in Silo. Puer autem erat adhuc infántulus: & immolavérunt vítulum, & obtulérunt púerum Heli.

℞. O altitúdo divitiárum ſapiéntiæ, & ſciéntiæ Dei: * Quàm incomprehenſibília ſunt judícia ejus, & inveſtigábiles viæ ejus! ℣. Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus; & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus. * Quàm. Glória. Quam. *Rom.* 11. 33. *Pſ.* 146. 5.

IN II. NOCTURNO.

In Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum, & hominum mediatorem credite.

Ant. t. 2. d. Hæc eſt vita ætérna: ut cognóſcant te, ſolum Deum verum, & quem

miſíſti, Jeſum Chriſtum. *Joan.* 17. 3.

Ant. t. 4. E. Deum nemo vidit umquam: unigénitus Fílius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrávit. *Joan.* 1. 18.

Ant. t. 7. a. Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit quóniam Jeſus eſt Fílius Dei? 1. *Joan.* 5. 5.

℣. Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi: ℟. Virga directiónis, virga regni tui. *Pſ.* 44. 7.

Ex libro ſancti Fulgéntii Epíſcopi, de fide, ad Petrum. *Cap.* 1.

Lectio iv.

FIdes, quam ſancti Patriárchæ atque Prophétæ ante Incarnatiónem Filii Dei divínitùs accepérunt, quam étiam ſancti Apóſtoli ab ipſo Dómino in carne póſito audiérunt, & Spíritûs ſancti magiſtério inſtrúcti, non ſolùm ſermóne prædicavérunt, verùm étiam ad inſtructiónem ſalubérrimam poſterórum, ſcriptis ſuis índitam reliquérunt, unum Deum prædicat Trinitátem, id eſt, Patrem, & Fílium, & Spíritum ſanctum. Sed Trínitas vera non eſſet, ſi una eadémque perſóna dicerétur Pater, & Fílius, & Spíritus ſanctus.

℟. Sapiéntia in multitúdine electórum habébit laudem, dicens: * Ego ex ore Altíſſimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram. ℣. Ex Deo procéſſi, & veni: ille me miſit. * Ego ex ore. *Eccli.* 24. 1. 4. 5. *Joan.* 8. 42.

Lectio v.

SI enim ſicut eſt Patris, & Filii, & Spíritûs ſancti una ſubſtántia, ſic eſſet una perſóna; nihil omninò eſſet, in quo veráciter Trínitas dicerétur. Rurſus Trínitas quidem eſſet vera; ſed unus Deus Trínitas ipſa non eſſet, ſi quemádmodum Pater, & Fílius, & Spíritus ſanctus perſonárum ſunt ab ínvicem proprietáte diſtíncti, ſic fuiſſent naturárum quoque diverſitáte diſcréti. Sed quia in illo uno vero Deo Trinitáte, non ſolùm quòd unus Deus eſt, ſed étiam quòd Trínitas eſt, naturáliter verum eſt: proptérea ipſe verus Deus in perſónis Trínitas eſt, & in una natúra unus eſt.

℟. Dóminus poſsédit me in inítio viárũ ſuárũ, ántequam quidquã fáceret à princípio: quando præparábat cœlos, áderam. * Cum eo eram cuncta compónens. ℣. Pater meus uſque modò operátur, & ego óperor; quæcúmque enim ille fécerit, hæc & Fílius ſimíliter facit. * Cum eo. *Proverb.* 8. 22. 27. 30. *Joan.* 5. 17. 19.

Lectio vj.

PEr hanc unitátem naturálem totus Pater in Fílio & Spíritu ſancto eſt, totus Fílius in Patre & Spíritu ſancto eſt, totúſque Spíritus ſanctus in Patre & Fi-

lio eſt. Nullus horum extra quémlibet ipsórum eſt: quia nemo álium aut præ cédit æternitáte, aut excédit magnitúdine, aut súperat poteſtáte: quia nec Fílio nec Spirítu ſancto, quantùm ad natúræ divínæ unitátem pértinet; aut antérior aut major Pater eſt: nec Filii æternitas atque imménſitas, velut antérior aut major, Spiritûs ſancti æternitátem immenſitatémque aut præcédere aut excédere naturáliter poteſt.

℟. Benedictus Deus, & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, * Qui elégit nos in ipſo, ut eſsémus ſancti & immaculáti in conſpectu ejus. ℣. Ecce Deus noſter iſte, expectávimus eum: exultábimus, & lætabimur in ſalutari ejus. * Qui elégit. Glória. Qui elégit. *Epheſ.* 1. 3. 4. *Iſ.* 25. 9.

IN III. NOCTURNO.

Credite & in Spiritum, per quem regenerati ſumus.

Ant. t. 5. *F.* O quàm bonus & ſuávis eſt, Domine, Spiritus tuus in ómnibus! *Sap.* 12. 1.

Ant. t. 6. *F.* Miſit Deus Spíritum Fílii ſui in corda veſtra, clamantem: Abba, Pater. *Galat.* 4. 6.

Ant. t. 3. *E.* Spíritus eſt pignus hæreditátis noſtræ, in laudem glóriæ Chriſti. *Eph.* 1. 13. 14.

℣. Verbo Dómini cœli firmáti ſunt, ℟. Et Spíritu oris ejus omnis virtus eorum. *Pſ.* 32. 6.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 28. 18.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Eúntes ergo docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris & Fílii, & Spiritûs ſancti. Et reliqua.

Homília ſancti Gregórii Nazianzéni. *Tract. de fide.*

Orat. 49.

QUis Catholicórum ignórat Patrem verè eſſe Patrem, Filium verè Fílium, & Spiritum ſanctum verè eſſe Spiritum ſanctum? ſicut ipſe Dominus ad Apóſtolos ſuos dicit: Eúntes, baptizáte omnes gentes in nómine Patris, & Fílii, & Spiritûs ſancti. Hæc eſt perfécta Trínitas in unitáte conſiſtens, quam ſcilicet unius ſubſtantiæ profitémur. Non enim nos ſecúndùm córporum conditiónem, diviſiónem in Deo facimus; ſed ſecúndùm divínæ natúræ potentiam, quæ in materia non eſt; & nóminum perſónas verè conſtáre crédimus; & unitatem divinitatis eſſe teſtámur.

℟. Chriſtus véniens evangelizavit pacem: * Quoniam per ipſum habémus acceſſum ambo in uno Spiritu ad Patrem. ℣. Recordatus eſt Dóminus pópuli ſui: poſuit in médio ejus Spíritum Sancti

ſui. * Quóniam per ipſum. *Epheſ.* 2. 17. 18. *Iſ.* 63. 11.

Lectio vij.

NEc extenſiónem partis alicújus ex parte, ut quidam putavérunt, Dei Fílium dícimus: nec verbum ſine re, velut ſonum vocis accípimus; ſed tria nómina, & tres perſónas uníus eſſe eſſéntiæ, uníus majeſtátis atque poténtiæ crédimus. Et ídeò unum Deum confitémur; quia únitas majeſtátis, plúrium vocábulo deos próhibet appellári. Déniquc Patrem & Fílium cathólicè nominámus; duos autem deos dícere, nec póſſumus, nec debémus. Non quòd Fílius Dei Deus non ſit; imò verus Deus de Deo vero: ſed quia non aliúnde, quàm de ipſo uno Patre, Dei Fílium nóvimus, perinde unū Deum dícimus. Hoc enim Prophétæ, hoc Apóſtoli tradidérunt; hoc ipſe Dóminus dócuit, cùm dicit: Ego & Pater unum ſumus. Unum ad unitátem divinitátis, ut dixi, refert: Sumus autem, perſónis aſſignat.

℟. Quæ Dei ſunt, nemo cognóvit, niſi Spíritus Dei: nos autem non ſpíritum hujus mundi accépimus, ſed Spíritum qui ex Deo eſt; * Ut ſciámus quæ à Deo donáta ſunt nobis. ℣. Ipſe dat ſapiéntiam ſapiéntibus: ipſe revélat profúnda, & abſcóndita. * Ut ſciámus. 1. *Cor.* 2. 11. 12. *Dan.* 2. 21. 22.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio ix. Cap. 6. 36.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Eſtóte miſericórdes, ſicut & Pater veſter miſéricors eſt. Et réliqua.

Homilia ſancti Clementis Papæ & Mártyris.

Epiſt 1. ad Cor. Cap. 13. & 14. ſcripta 1. ſæculo.

HUmiles ſimus, fratres, deponéntes omnem arrogántiam, & faſtum, & améntiam, & iras; præcípuè mémores ſermónum Domini Jeſu, quos locútus eſt, docens manſuetúdinem, & æquanimitátem. Sic enim dixit: Miſerémini, ut miſericórdiam conſequámini: dimíttite, ut dimittátur vobis. Sicut fácitis, ita fiet vobis; ſicut datis, ita dábitur vobis. Hoc præcépto & his mandátis ſtabiliámus nos; ſemper obediéntes ſimus ſanctis illíus elóquiis, humíliter de nobis ſentiéntes. Juſtum ergo ac pium eſt, viri fratres, Deo pótiùs obediéntes nos eſſe, quàm ſequi eos qui in ſupérbia & ſeditióne duces fuérunt abominándæ æmulatiónis. Detriméntum enim non leve, immò verò grande perículum ſuſtinébimus, ſi præcipitánter nos tradidérimus voluntátibus hóminum, qui ad contentiónem & ſeditiónem collímant. Benígni in-

ter nos ſimus juxta miſericórdiam & dulcédinem illíus qui fecit nos.

℟. Séraphim clamábant álter ad álterum : * Sanctu, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus exercítuum, † Plena eſt omnis terra glóriâ ejus. ℣. Tres ſunt qui teſtimónium dant in cœlo : Pater, Verbum, & Spíritus ſanctus : & hi tres unum ſunt. * Sanctus. Glória. † Plena eſt. *Iſ.* 6. 2. 3. 1. *Joan.* 5. 7.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Benedícat nos Deus, Deus noſter, benedícat nos Deus : ℟. Et métuant eum omnes fines terræ. *Pſ.* 66. 7. 8.

Pſalmi de Dominica.

In Trinitate unus Deus, tres perſonæ.

Ant. t. 1. *A.* SCimus quòd nullus eſt Deus, niſi unus ; nam etſi ſunt qui dicántur dii, ſive in cœlo, ſive in terra, nobis tamen unus Deus. 1. *Cor.* 8. 4. 5. 6.

Ant. t. 4. *E.* Nobis unus Deus, Pater, ex quo ómnia, & nos in illum. 1. *Cor.* 8. 6.

Ant. t. 5. *F.* Unus Dóminus Jeſus-Chriſtus, per quem ómnia, & nos per ipſum. 1. *Cor.* 8. 6.

Ant. t. 6. *F.* Unus Spíritus, unus Dóminus, una fides, unum baptíſma. *Eph.* 4. 4. 5.

Ant. t. 8. *G.* In Chriſto unxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit pignus Spíritûs in córdibus noſtris. 2. *Cor.* 1. 21. 22.

Capitulum. Epheſ. 3. 20. 21.

EI, qui potens eſt ómnia fácere ſuperabundánter quàm pétimus, aut intellígimus, ſecúndùm virtútem, quæ operátur in nobis : ipſi glória in Eccléſia, & in Chriſto Jeſu, in omnes generatiónes ſæculi ſæculórum. Amen.

℣. Confiteámur, Dómine, nómini ſancto tuo :

℟. Et gloriémur in laude tua. *Pſ.* 105. 47.

Ad Benedict. *Ant.* t. 7. *A.* Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui eſt, & qui ventúrus eſt. *Apoc.* 4. 8.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui dedíſti fámulis tuis in confeſſióne veræ fídei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóſcere, & in poténtia majeſtátis adoráre unitátem ; quæſumus, ut ejúſdem fídei firmitáte ab ómnibus ſemper muniámur advérſis ; Per Dóminum.

Pro Commemor. Dominicæ.

Nolíte condemnáre, & non condemnabímini : eâdem quippe menſúrâ, quâ menſi fuéritis, remetiétur vobis. *Luc.* 6. 37. 38.

℣. Manè aſtábo tibi, Dómine, & vidébo :

℟. Quóniam non Deus volens iniquitátem tu es. *Pſ.* 5. 5.

Oratio.

DEus in te ſperántium fortitúdo, adéſto propítius invocatiónibus noſtris; & quia ſine te nihil poteſt mortális infírmitas; præſta auxílium grátiæ tuæ; ut in exequéndis mandátis tuis & voluntáte tibi, & actióne placeámus; Per, &c.

AD PRIMAM.

Ant. Scimus.

Dicitur Symbolum, Quicúmque, *reliqua ut in Pſalterio.*

CANON

Ex Concílio Conſtantinopolitáno ſecúdo œcuménico.

Ann. 553. *Coll.* 8. *Can.* 1.

SI quis non confitétur Patris, & Fílii, & Spíritûs ſancti unam natúram, ſive ſubſtántiam, & unam virtútem, & poteſtátem, Trinitátem Conſubſtantiálem, unam Deïtátem in tribus ſubſiſténtiis ſive perſónis, adorándum; anathéma ſit.

AD TERTIAM.

Ant. Nobis unus.

Capitulum. 1. *Tim.* 6. 15. 16.

BEátus & ſolus potens, Rex regum, & Dóminus dominántium; qui ſolus habet immortalitátem, & lucem inhábitat inacceſſíbilem: cui honor, & impérium ſempitérnum.

℟. Deus in ſancto via tua: * Quis Deus magnus ſicut Deus noſter? † Tu es Deus qui facis mirabília: notam fecíſti in pópulis virtútem tuam. ℣. Tu in princípio, Dómine, terram fundáſti: & ópera mánuum tuárum ſunt cœli. * Quis Deus magnus. Glória. † Tu es Deus. *Pſ.* 76. 14. 15. *Hebr.* 1. 10.

℣. Quis loquétur poténtias Dómini?

℟. Audítas fáciet omnes laudes ejus? allelúia. *Pſ.* 105. 2.

AD SEXTAM.

Ant. Unus Dóminus.

Capitulum. Hebr. 1. 2. 3.

DEus locútus eſt nobis in Fílio, quem conſtítuit hærédē univerſórum, per quem fecit & ſæcula; qui cùm ſit ſplendor glóriæ, & figúra ſubſtántiæ ejus, portánſque ómnia verbo virtútis ſuæ, purgatiónem peccatórum fáciens, ſedet ad déxteram majeſtátis in excélſis.

℟. *br.* Tecum princípium in die virtútis tuæ: * Allel. allelúia. Tecum. ℣. In ſplendóribus ſanctórum ante lucíferum génui te. * Allelúia. Glória. Tecum. *Pſ.* 109. 3.

℣. Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu,

℟. Ego hódie génui te, allelúia. *Pſ.* 2. 7.

AD NONAM.

Ant. In Chriſto.

Capitulum. Epheſ. 3. 16. 17.

DEt vobis (Pater) ſecúndùm divítias glóriæ ſuæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Chriſtum habitáre per fidem in córdibus veſtris.

℟. *br.* Deus meus es tu: * Allelúia, allelúia. Deus. ℣. Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam. * Allelúia. Gloria. Deus. *Pſ.* 142. 10.

℣. Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; ℟. Et Spíritu principáli confírma me, allelúia. *Pſ.* 50. 14.

AD II. VESPERAS.

Pſalmi de Dominica.

Pater Creator, Filius Redemptor, Spiritus ſanctus Sanctificator noſter.

Ant. t. UNánimes uno 8. *C.* ore honorificétis Deum, & Patrem Dómini noſtri Jeſu Chriſti. *Rom.* 15. 6.

Ant. t. 5. *F.* Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium ſuum unigénitũ daret. *Joan.* 3. 16.

Ant. t. 6. *F.* Unus Deus, unus & mediátor Dei & hóminum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptiónem ſemetípſum pro ómnibus. 1. *Tim.* 2. 5. 6.

Ant. t. 1. *irr.* In uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti ſumus. 1. *Cor.* 12. 13.

Ant. t. 7. *D.* Salvos nos fecit Deus per lavácrum regeneratiónis & renovatiónis Spíritûs ſancti, quem effúdit in nos abúndè per Jeſum Chriſtum. *Tit.* 3. 5. 6.

Capitulum. Eph. 1. 17.

DEus Dómini noſtri Jeſu Chriſti Pater glóriæ, det vobis Spíritum ſapiéntiæ, & revelatiónis in agnitióne ejus.

HYMNUS.

Santol. Maglor.

O Luce quæ tuâ lates
Beáta ſemper Trínitas!
Te confitémur, crédimus,
Pióque corde quærimus.
O Sancte Sanctorum Pater!
O Nate de Deo Deus!
O charitátis vínculum,
Jungens utrúmque Spíritus!
Ut ſe videt totum Pater,
Coæva proles náſcitur;
Amórque quo ſe díligunt
Et ipſe procédit Deus.
Eſt totus in Nato Pater:
In Patre totus Fílius:
Natóque plenus ac Patre
Ineſt utríque Spíritus.
Quod Natus eſt, hoc Spíritus:
Hoc eſt utérque quod Pater;
Tres una ſumma Véritas,
Tres una ſumma Cháritas.
Ætérna Patri glória,
Natóque ſit cum Spíritu,
Qui vivit & regnat Deus
In ſæculórũ ſæcula. Amen.

℣. Benedíctum nomen majeſtátis ejus in ætérnum: ℟. Et replébitur majeſtáte ejus omnis terra. *Pſ.* 71. 19.

Ant. ad Magn. *t.* 5. *F.* Eúntes, docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris, & Fílii, & Spíritûs ſancti. *Math.* 28. 19.

Oratio ut in Laudibus.

Pro comm. Dominicæ. Perféctus omnis erit ſi ſit ſicut

magiſter ejus. *Luc.* 6. 40.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea, ℟. Sicut incénſum in conſpéctu tuo. *Pſ.* 140. 2.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

Completorium ut in Pſalterio.

IN FERIIS per annum.

Ad omnes Horas omnia ut in Pſalterio niſi aſſignentur Prop. Orat. Dom. præcedentis.

FERIA SECUNDA Infra Dominicam I. poſt Pentecóſten.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 2. 12. *ad* 18.

FIlii Heli, filii Bélial, neſcientes Dóminum, neque officium ſacerdótum ad populum: ſed quicúmque immolaſſet víctimam, veniébat puer ſacerdótis, dum coqueréntur carnes, & habébat fuſcínulam tridéntem in manu ſua, & mittébat eam in lebétem, vel in caldáriam, aut in ollam, ſive in cácabum; & omne quod levabat fuſcinula, tollébat ſacérdos ſibi: ſic faciébant univérſo Iſraéli venientium in Silo. Etiam ántequam adolérent ádipem, veniébat puer ſacerdótis, & dicébat immolánti: Da mihi carnem: ut coquam ſacerdóti; non enim accípiam à te carnem coctam, ſed crudam. Dicebátque illi ímmolans: Incendátur primùm juxta morem hódie adeps, & tolle tibi quantumcúmque deſíderat ánima tua. Qui reſpóndens, aiébat ei; Nequáquam; nunc enim dabis, alióquin tollam vi. Erat ergo peccátum puerórũ grande nimis coram Dómino; quia retrahébant hómines à ſacrifício Dómini.

℟. Non Deus volens iniquitátem tu es: neque permanébunt injúſti ante óculos tuos. * Odíſti omnes qui operántur iniquitátem: perdes omnes qui loquúntur mendácium. ℣. Scimus enim qui dixit: Mihi vindícta, & ego retríbuam. * Odíſti omnes. *Pſ.* 5. 5. 6. 7. *Hebr.* 10. 30.

Lectio ij. 18. *ad* 22.

SAmuel autem miniſtrábat ante fáciem Dómini, puer accínctus ephod líneo. Et túnicam parvam faciébat ei mater ſua, quam afferébat ſtatútis diébus, aſcéndens cum viro ſuo, ut immoláret hóſtiam ſolémnem. Et benedíxit Heli Elcanæ & uxóri ejus; dixítque ei: Reddat tibi Dóminus ſemen de muliere hac pro fœnore quod commodáſti Dómino. Et abiérunt in locum ſuum. Viſitávit ergo Dóminus Annam, & concépit, & péperit tres fílios, & duas fílias: & magnificátus eſt puer Sámuel apud Dóminum.

℟. Dñus in Sion magnus: Móyſes & Aáron in ſacerdótibus ejus. * Et Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus. ℣. Deus plebis Iſrael elégit patres noſtros: dedit júdices uſque ad Samuélem Prophé-

tam. * Et Sámuel. *Pſ.* 98. 2. 6. *Act.* 13. 17. 20.

Lectio iij. 22. *ad* 27.

HEli autem erat ſenex valdè, & audívit ómnia quæ faciébant filii ſui univérſo Iſraéli, & quómodo dormiébant cum muliéribus quæ obſervábant ad óſtium tabernáculi; & dixit eis: Quare fácitis res hujuſcémodi, quas ego áudio, res péſſimas ab omni pópulo? Nolíte, filii mei: non enim eſt bona fama, quam ego áudio, ut tránſgredi faciátis pópulum Dómini. Si peccáverit vir in virum, placári ei poteſt Deus: ſi autem in Dóminum peccáverit vir, quis orábit pro eo? Et non audiérunt vocem patris ſui; quia vóluit Dóminus occídere eos. Puer autem Sámuel proficiébat, atque creſcébat, & placébat tam Dómino, quàm homínibus.

℟. Diléctus à Dómino Deo ſuo Sámuel Prophéta Dómini, renovávit impérium: in lege Dómini congregatiónem judicávit, & * Cognitus eſt in verbis ſuis fidélis, quia vidit Deũ lucis. ℣. Fuit gratus Deo; & erat potens in verbis, & in opéribus ſuis. * Cógnitus eſt. Glória. * Cógnitus eſt. *Eccli.* 46. 16. 17. 18. *Act.* 7. 20. 22.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 14. *Can.* 2. *de Ext. Unct.*

SI quis díxerit ſacram infirmórũ unctiónem non conférre grátiam, nec remíttere peccáta, nec alleviáre infírmos; ſed jam ceſsáſſe, quaſi olim tantùm fúerit grátia curatiónum; anathéma ſit.

FERIA TERTIA

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 3. 1. *ad* 8.

PUer Sámuel miniſtrábat Dómino coram Heli, & ſermo Dómini erat pretióſus in diébus illis, non erat víſio maniféſta. Factum eſt ergo in die quadam, Heli jacébat in loco ſuo, & óculi ejus caligáverant, nec póterat vidére: lucérna Dei ántequam extingueretúr, Sámuel dormiébat in templo Dómini, ubi erat arca Dei. Et vocávit Dóminus Samuel. Qui reſpóndens, ait: Ecce ego. Et cucúrrit ad Heli, & dixit: Ecce ego, vocáſti enim me. Qui dixit: Non vocávi, revértere, & dormi. Et ábiit, & dormívit. Et adjécit Dóminus rurſum vocáre Samuélem. Conſurgénſque Sámuel ábiit ad Heli; & dixit: Ecce ego, quia vocáſti me. Qui reſpóndit: Non vocávi te, fili mi, revértere, & dormi. Porrò Sámuel necdum ſciébat Dóminum, neque revelátus fúerat ei ſermo Dómini.

℟. Benedíctus es, Dómine Deus Iſrael, ab ætérno in ætérnum: * Tua eſt, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória, & tibi laus. ℣. Magna & mirabília

ſunt ópera tua; juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſæculórum. * Tua eſt. 1. *Paral.* 29. 10. 11. *Apoc.* 15. 3.

Lectio ij. 8. *ad* 16.

ET adjécit Dóminus, & vocávit adhuc Samuélem tértiò. Qui consúrgens, ábiit ad Heli, & ait: Ecce ego; quia vocáſti me. Intelléxit ergo Heli, quia Dóminus vocáret púerum, & ait ad Samuélem: Vade, & dormi; & ſi deínceps vocáverit te, dices, Lóquere, Dñe, quia audit ſervus tuus. Abiit ergo Sámuel, & dormívit in loco ſuo. Et venit Dóminus, & ſtetit; & vocávit, ſicut vocáverat ſecúndò, Sámuel, Sámuel. Et ait Sámuel: Lóquere, Dómine, quia audit ſervus tuus. Et dixit Dóminus ad Samuélem: Ecce ego fácio verbum in Iſrael: quod quicúmque audíerit, tínnient ambæ aures ejus. In die illa ſuſcitábo advérsùm Heli ómnia quæ locútus ſum ſuper domum ejus: incípiam, & complébo. Prædíxi enim ei quòd judicatúrus eſſem domum ejus in ætérnum, propter iniquitátẽ, eò quòd nóverat indígnè ágere filios ſuos, & non corripúerit eos. Idcírco jurávi dómui Heli, quòd non expiétur iníquitas domûs ejus víctimis & munéribus uſque in ætérnum. Dormívit autem Sámuel uſque manè, aperuítque óſtia domûs Dómini. Et Sámuel timébat indicáre viſiónem Heli.

℟. Tuum, Dómine, regnum, & tu es ſuper omnes príncipes: tuæ divítiæ, & tua eſt glória: * Tu dominàris ómnium: in manu tua virtus & poténtia. ℣. Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi. * Tu domináris. 1. *Paral.* 29. 11. 12. *Hebr.* 1. 8.

Lectio iij. 16. *ad finem.*

VOcávit ergo Heli Samuélem, & dixit: Sámuel fili mi? Qui respondens, ait: Præſtò ſum. Et interrogávit eum: Quis eſt ſermo, quẽ locútus eſt Dñus ad te? Oro te, ne celáveris me: hæc fáciat tibi Deus, & hæc addat, ſi abſcónderis à me ſermónẽ, ex ómnibus verbis quæ dicta ſunt tibi. Indicávit ei ítaque Sámuel univérſos ſermónes, & non abſcóndit ab eo. Et ille reſpóndit: Dóminus eſt: quod bonum eſt in óculis ſuis fáciat. Crevit autem Sámuel, & Dóminus erat cum eo, & non cécidit ex ómnibus verbis ejus in terram. Et cognóvit univérſus Iſrael à Dan uſque Berſabée, quòd fidélis Sámuel Prophéta eſſet Dómini. Et áddidit Dóminus ut apparéret in Silo, quóniã revelátus fúerat Dñus Samuéli in Silo, juxta verbũ Dómini. Et evénit ſermo Samuélis univérſo Iſraéli.

℟. Hymnum novum cantémus Deo noſtro. * Adónaï Dómine, magnus es tu, & præclárus in virtúte tua.

℣. Dómine Deus omnípotens, qui es, & qui eras, & qui ventúrus es. * Adónaï. Glória. * Adónaï. *Judith.* 16. 15. 16. *Apoc.* 11. 17.

CANON

Ex Concílio Bituricénſi. *Ann.* 1584. *Tit.* 28. *Can.* 2.

DOceántur infírmi Extrémam-unctióne perceptúri, quis ſit ejus efféctus; & non eſſe expectándum, ad eam ſuſcipiéndam, vitæ finem.

FERIA QUARTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 4. 1. *ad* 5.

ET factum eſt in diebus illis, convenérunt Philíſthiim in pugnam; & egréſſus eſt Iſrael óbviàm Philíſthiim in prælium, & caſtrametátus eſt juxta lápidem adjutorii. Porrò Philiſthiim venérunt in Aphec, & inſtruxérunt áciem contra Iſrael. Inito autem certámine, terga vertit Iſrael Philiſthæis; & cæſa ſunt in illo certamine paſſim per agros, quaſi quátuor míllia virórum. Et revérſus eſt pópulus ad caſtra; dixerúntque majóres natu de Iſrael: Quare percúſſit nos Dóminus hódie coram Philíſthiim? Afferámus ad nos de Silo arcam fœderis Dómini, & véniat in médium noſtrî, ut ſalvet nos de manu inimicórum noſtrórum. Miſit ergo pópulus in Silo, & tulérunt inde arcam fœderis Dómini exercítuum ſedéntis ſuper Chérubim; erántque duo filii Heli cum arca fœderis Dei, Ophni & Phínees.

℟. Dóminus in Sion magnus, & excélſus ſuper omnes pópulos: confiteántur nómini tuo magno: * Quóniam terríbile, & ſanctum eſt. ℣. Quis non timébit te, Dómine, & magnificábit nomen tuum? * Quóniam. *Pſ.* 98. 2. 3. *Apoc.* 15. 4.

Lectio ij. 10. *ad* 15.

PUgnavérunt ergo Philíſthiim, & cæſus eſt Iſrael, & fugit unuſquíſque in tabernáculũ ſuũ: & facta eſt plaga magna nimis; & cecidérunt de Iſrael trigínta míllia péditũ. Et arca Dei capta eſt: duo quoque filii Heli mórtui sũt, Ophni, & Phínees. Currens autem vir de Benjamin ex ácie, venit in Silo in die illa, ſciſsâ veſte, & conſpérſus púlvere caput. Cùmque ille veniſſet, Heli ſedébat ſuper ſellam contra viam ſpectans Erat enim cor ejus pavens pro arca Dei. Vir autem ille poſtquam ingreſſus eſt, nuntiavit urbi; & ululavit omnis cívitas. Et audívit Heli ſónitum clamóris; dixítque: Quis eſt hic ſónitus tumúltûs hujus? At ille feſtinávit, & venit, & nuntiavit Heli.

℟. Non eſt ei bene qui aſsíduus eſt in malis: * Quóniam & Altiſſimus ódio habet peccatóres; & ímpiis & peccatóribus reddet vindíctam. ℣. Emundate manus, peccató-

peccatóres, purificáte corda, lugete, & ploráte. * Quóniam. *Eccli.* 12. 3. 4. *Jac.* 4. 8. 9.

Lectio iij. v. 15. *ad* 21.

HEli autem erat nonagínta & octo annórũ, & óculi ejus caligáverant, & vidére non póterat. Et dixit ad Heli: Ego ſum qui veni de prælio, & ego qui de ácie fugi hódie. Cui ille ait: Quid actum eſt, fili mi? Reſpondens autem ille qui nuntiábat, Fugit, inquit, Iſrael coram Philíſthiim, & ruína magna facta eſt in pópulo: ínſuper & duo fílii tui mórtui ſunt, Ophni & Phínees; & arca Dei capta eſt. Cùmque ille nomináſſet arcam Dei, cécidit de ſella retrórſum juxta óſtium, & fractis cervícibus, mórtuus eſt. Senex enim erat vir, & grandævus: & ipſe judicávit Iſrael quadragínta annis. Nurus autem ejus, uxor Phínees, prægnans erat, vicínaque pártui: & audíto núntio quòd capta eſſet arca Dei, & mórtuus eſſet ſocer ſuus, & vir ſuus, incurvávit ſe, & péperit; irrúerant enim in eam dolóres ſúbiti. In ipſo autem moménto mortis ejus, dixérunt ei quæ ſtabant circa eam: Ne tímeas, quia fílium peperíſti. Quæ non reſpóndit eis, neque animadvértit.

℟. Quómodo facti ſunt in deſolatiónem? ſúbitò defecérunt; periérunt propter iniquitátem ſuam. * Quia ecce, qui elóngant ſe à te períbunt: perdidíſti omnes qui fornicántur abs te. † Mihi autem adhærére Deo bonum eſt. ℣. Qui poſt carnem in concupiſcéntia immundítiæ ámbulant, hi in corruptióne ſua períbunt. * Quia. Glória. † Mihi autem. *Pſ.* 72. 19. 27. 28. 2. *Petr.* 2. 10. 12.

CANON

Ex Concílio Reménſi.

Ann. 1583. *Tit. de Extrema unct. Num.* 2.

PArochus non expéctet ut rogétur de ſacraménto Extrémæ-unctiónis; ſed ſedulitáte ſuâ prævéniat ægrótum de vita periclitántem: caveátque ne vel mors unctiónem prævéniat, vel, morbo invaleſcénte, ſemimórtuus non ſéntiat.


Sculp.

FERIA QUINTA IN SOLEMNITATE SANCTISSIMÆ EUCHARISTIÆ.

Duplex j. Claſſis.

SOLEMNE-MAJUS AD I. VESPERAS.

PSALMI DE FERIA.

Futurum in Euchariſtia convivium mirabile.

Ant. I. 5. *F.* FAciet Dñus ómnibus pópulis in monte Sion convívium pínguium, convívium medullatórum. *Iſ.* 25. 6.

Ant. t. I. *irr.* Vénient & laudábunt in monte Sion: & confluent ad bona Dómini, ſuper fruménto, & vino. *Jerem.* 31. 12.

Ant. t. 7. *a.* Erit ánima eórum quaſi hortus irríguus; & pópulus meus bonis meis adimplébitur. *Jer.* 31. 12. 14.

Ant. t. 3. *E.* Quid bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi fruméntum electórum, & vinum gérminans vírgines? *Zach.* 9. 17.

Ant. t. 6. *F.* Pinguis panis ejus; & præbébit delícias régibus. *Gen.* 49. 20.

Capitulum. Iſ. 55. 2.

AUdíte, audiéntes me, & comédite bonum; & delectábitur in craſſitúdine ánima veſtra.

℟. Parátum panem de cœlo præſtitíſti illis ſine labóre, * Omne delectaméntum in ſe habéntem, & omnis ſapóris ſuavitátem: † Subſtántia enim tua, Dómine, dulcédinem tuam, quam in filios habes, oſtendébat. ℣. Dómine, ſemper

[illegible] panem [illegible] Om-
[illegible] [illegible] Genit. [illegible]
[illegible] *Sap.* 16. 20. 21.
Jo. 6. 34.

HYMNUS

Sancti Thomæ Aquin.

Sacris ſolemniis juncta
ſint gaudia,
Et ex præcordiis Sonent
præconia :
Recedant vetera, Nova
ſint omnia,
Corda, voces, & opera.
Noctis recolitur Cœna no-
viſſima,
Qua Chriſtus créditur A-
gnum & azyma
Dediſſe fratribus, Juxta
legitima
Priſcis indulta patribus.
Poſt agnum typicum, Expleé-
tis epulis,
Corpus Dominicum Da-
tum diſcipulis,
Sic totum omnibus, Quod
totum ſingulis
Ejus fatemur manibus.
Dedit fragilibus Corporis
ferculum,
Dedit & triſtibus Sangui-
nis poculum,
Dicens : Accipite Quod
trado vaſculum;
Omnes ex eo bibite.
Sic ſacrificium Iſtud inſti-
tuit,
Cujus officium Commit-
ti voluit
Solis presbyteris, Quibus
ſic congruit,
Ut ſumant, & dent cæ-
teris.
Panis angélicus Fit panis hó-
minum :
Dat panis cœlicus Figuris
terminum :
O res mirabilis! Mandu-
cat Dominum
Pauper, ſervus, & húmilis.
Te trina Déitas Unaque,
poſcimus;
Sic nos tu viſitas, Sicut
te colimus:
Per tuas ſemitas Duc nos
quo tendimus,
Ad lucem quam inhabitas.
Amen.

℣. Edent pauperes : & ſa-
turabuntur ; ℟. Vivent cor-
da eorum in ſæculum ſæcu-
li, allel. *Pſ.* 21. 27.

Ad Magnif. Ant. ℣. 7. *a.* Be-
ne diſpoſuiſti pópulum tuũ,
Dómine quibus dediſti con-
cupiſcéntiam delectaménti
ſui, novum ſapórem, eſcam
parans eis, allel. *Sap.* 16. 2.
Oratio ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM

HYMNUS

S. Thomæ Aquin.

Verbum ſupérnum pró-
diens,
Nec Patris linquens déx-
teram,
Ad opus ſuum éxiens,
Venit ad vitæ véſperam
In mortem à diſcípulo
Suis tradéndus æmulis,
Prius in vitæ férculo
Se trádidit diſcipulis.
Quibus ſub bina ſpécie
Carnem dedit & ſángui
nem;
Ut dúplicis ſubſtántiæ
Totum cibáret hóminem
Se naſcens dedit ſócium,
Conveſcens in edulium

Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.
O ſalutáris Hóſtia,
Quæ cœli pandis óſtium
Bella premunt hoſtília,
Da robur, fer auxílium.
Uni trinóque Dómino
Sit ſempitérna glória,
Qui vitam ſine término
Nobis donet in pátria.
Amen.

Ad Nunc dimit. *Ant. t.* 5. *a.* Déficit ánima mea in átria Dómini, allel. Cor meum, & caro mea exultavérunt in Deum vivum, allel. *Pſ.* 83. 3.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitator. Chriſtum panem vivum, qui de cœlo deſcéndit, * Veníte, adorémus. *Joan.* 6. 51. *Pſ.* 94. Veníte. *pag.* 2.

IN I. NOCTURNO.

Antiquæ figuræ Euchariſtiam prænunsiantes.

In Pſalmum 15. Conſérva me, Dómine, *pag.* 56.

Ant. t. 4. *E.* Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus: Dóminus pars hæreditátis meæ, & cálicis mei. *v.* 4. 5.

In Pſalmum 19. Exáudiat te Dóminus, *pag.* 4.

Ant. t. 5. *a.* Dóminus memor ſit omnis ſacrifícii tui, & holocáuſtum tuum pingue fiat. *v.* 4.

In Pſalmum 22. Dóminus regit me. *pag.* 57.

Ant. t. 7. *a.* Paráſti in conſpéctu meo menſam: calix meus inébrians quàm præclarus eſt! *v.* 5.

℣. Viſitaſti terram, & inebriáſti eam:

℟. Multiplicáſti locupletáre eam, allel. *Pſ.* 64. 10.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 12. *v.* 3. *ad* 9.

DIxit Dóminus ad Moyſen: Tollat unuſquíſque agnum per famílias & domos ſuas. Sin autem minor eſt númerus ut ſufficere poſſit ad veſcéndum agnum, aſſúmet vicínum ſuum, qui junctus eſt dómui ſuæ, juxta númerum animárum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. Erit autem agnus abſque mácula, máſculus, anniculus: juxta quem ritum tollétis & hœdum. Et ſervábitis eum uſque ad quartam décimam diem menſis hujus: immolabítque eum univérſa multitúdo filiórum Iſrael ad véſperam. Et ſument de ſánguine ejus, ac ponent ſuper utrúmque poſtem, & in ſuperliminàribus domórum in quibus cómedent illum. Et edent carnes nocte illâ aſſas igni, & ázymos panes.

℟. Immolábit agnum multitúdo filiórum Iſrael ad veſperam; & edent carnes, & ázymos panes: * Quicúmque coméderit fermentátum, peribit ánima illa de Iſrael. ℣. Paſcha noſtrum immolátus eſt Chriſtus; itaque epulémur in ázymis ſinceritátis, & veritátis. * Quicúmque

& lavácro propter remiſsiónem peccatórum & regeneratiónem ablúto, & ita, ut Chriſtus trádidit, vivénti. Non enim ut commúnem panem, neque commúnem potum iſta ſúmimus: ſed quemádmodū per Verbum Dei caro factus Jeſus Chríſtus Servátor noſter, & carnem & ſánguinem ſalútis noſtræ causâ hábuit; ad eúmdem modum étiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipſo proféćti grátiæ ſunt actæ, alimóniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutatiónem alúntur, incarnáti illíus Jeſu carnem & ſánguinem eſſe edócti ſumus. Nam Apóſtoli in Commentáriis à ſe ſcriptis, quæ Evangélia vocántur, ita tradidérunt præcepíſſe ſibi Jeſum; eum enim, pane accépto, cùm grátias egíſſet, dixíſſe: Hoc fácite in meì recordatiónem; hoc eſt corpus meum: & póculo ſimíliter accépto, & grátiis actis, dixíſſe: Hic eſt ſanguis meus.

℟. Mandávit núbibus déſuper; & pluit illis manna ad manducandum: * Et panem cœli dedit eis: panem Angelórum manducávit homo. ℣. Cùm facta eſſet hora, diſcúbuit Jeſus, & duódecim Apoſtoli cum eo; & accépto pane, dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. * Et panem cœli. *Pſ.* 77. 23. 24. 25. *Luc.* 22. 14. 19.

Ex Tractátu S. Irenæi Lugdunenſis Epíſc. advérsùs hæreſes. *Lib.* 4. *Cap.* 18. *Sæc.* II. *n.* 4. & 5.

Lectio vj.

Quómodo conſtábit hæréticis eum panem, in quo grátiæ actæ ſint, corpus eſſe Dómini ſui, & cálicem ſánguinis ejus, ſi non ipſum fabricatóris mundi Fílium dicant, id eſt, Verbum ejus? Quómodo autem rurſus dicunt carnem in corruptiónem devenire, & non percípere vitam, quæ córpore Dómini & ſánguine álitur? Ergo aut ſenténtiam mutent, aut abſtíneant offeréndo quæ prædícta ſunt. Noſtra autem cónſonans eſt ſenténtia Eucharíſtiæ; & Eucharíſtia rurſus confírmat ſenténtiam noſtram. Quemádmodum enim qui eſt à terra panis, percípiens invocatiónem Dei, jam non commúnis panis eſt, ſed Eucharíſtia ex duábus rebus conſtans, terrénâ & cœléſti; ſic & córpora noſtra percipiéntia Eucharíſtiam, jam non ſunt corruptibília, ſpem reſurrectiónis habéntia.

℟. Immolavérunt víctimas pacíficas Dómino: ille verò ſumptum ſánguinem reſpérſit in pópulum, & ait: * Hic eſt ſanguis fœderis quod pépigit Dóminus vobiſcum. ℣. Accípiens Jeſus cálicem, grátias egit: & dedit illis, dicens: Bibite

altáre tuum, Dómine, ut áudiam vocem laudis, & enárrem univérſa mirabília tua. *v. 6. & 7.*

In Pſalmum 41. Quemádmodum desíderat cervus, *pag.* 139.

Ant. t. 5. F. Transíbo in locum tabernáculi admirábilis, in voce exultatiónis, & confeſſiónis, ſonus epulántis. *v. 5.*

In Pſalmum 64. Te decet hymnus, Deus, *pag.* 60.

Ant. t. 6. F. Flumen Dei replétum eſt aquis, paráſti cibum illórum; quóniam ita eſt præparátio ejus. *v.* 10.

℣. Replébimur in bonis domûs tuæ:

℟. Sanctum eſt templum tuum, allel. *Pſ. 64. 5.*

Ex Epíſtola ſancti Ignátii Antiochéni Epíſcopi & Mártyris ad Smyrnæos.

I. & II. *ſæc.*

Lectio iv.

HÆrétici ab Euchariſtia & oratióne abſtinent, eò quòd non confiteántur Euchariſtiam carnem eſſe Servatóris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccátis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſuâ benignitáte ſuſcitávit. Qui ergo contradícunt huic dono Dei, altercántes moriúntur. Omnes Epíſcopum ſequímini, ut Jeſus Chriſtus Patrem; & Presbytérium, ut Apoſtolos. Sine Epíſcopo nemo quidquam fáciat eórum quæ ad Eccléſiam ſpectant. Rata Euchariſtia habeátur illa, quæ ſub Epiſcopo fúerit, vel cui ipſe concéſſerit. Ubi comparúerit Epíſcopus, ibi & multitúdo ſit; quemádmodum ubi Chriſtus Jeſus, ibi Cathólica eſt Eccléſia. Non licet ſine Epíſcopo baptizáre, neque Agapen celebráre; ſed quodcúmque ille probáverit, hoc & Deo eſt beneplácitum: ut tutum ratumque ſit quodcúmque ágitur.

℟. Sapiéntia immolávit víctimas ſuas, * Míſcuit vinum, & propóſuit menſam ſuam: veníte, comédite panem meum, & bíbite vinum quod míſcui vobis.

℣. Cùm dilexíſſet Jeſus ſuos, qui erant in mundo, in finem diléxit eos. * Míſcuit vinum. *Prov. 9. 2. 5. Joan.* 13. 1.

Ex Apológia ſecúnda ſancti Juſtini Mártyris, pro Chriſtiánis, *an.* 150.

Lectio v.

EI qui frátribus præeſt offértur panis, & póculum aquæ & vini; quibus ille accéptis, laudem & glóriam rerum univerſárum Patri per nomen Fílii & Spíritûs ſancti offert; & Euchariſtiam ſive gratiárum actiónem, pro eo quod nos donis ſuis hiſce dignátus ſit, prolixè exéquitur... Porrò aliméntum hoc apud nos appellátur Euchariſtia, quod nulli álii participáre lícitum eſt, quàm veram eſſe doctrínam noſtram credénti,

nos ſumus, in Deo eſt. Quàm autem in eo per ſacraméntum communicatæ carnis & ſánguinis ſimus, ipſe teſtatur, dicens: Et hic mundus me jam non videt: vos autem me vidébitis, quóniam ego vivo, & vos vivetis; quóniam ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Si voluntátis tantùm unitatem intélligi vellet, cur gradum quemdam atque órdinem conſummándæ unitátis expóſuit: niſi ut, cùm ille in Patre per natúram divinitátis eſſet, nos contrà in eo per corporálem ejus nativitátem, & ille rurſum in nobis per ſacramentórum inéſſe myſtérium crederétur: ac ſic perfécta per Mediatórem únitas docerétur?

℟. Unus panis, unum corpus multi ſumus, * Omnes qui de uno pane participámus. ℣. Paráſti in dulcédine tua páuperi, Deus, qui habitáre facis unánimes in domo, * Omnes. 1. *Cor.* 10. 17. *Pſ.* 67. 11. 7.

Lectio ix. N. 16.

QUàm autem naturális in nobis hæc únitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt: Qui edit carnem meam, & bibit ſánguinem meum, in me manet, & ego in eo. Non enim quis in eo erit, niſi in quo ipſe fúerit: ejus tantùm in ſe aſſúmptam habens carnem, qui ſuam ſúmpſerit. Perféctæ autem hujus unitátis ſacraméntũ ſupériùs jam docúerat, dicens: Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo per Patrem; & qui manducáverit meam carnem, & ipſe vivet per me. Vivit ergo per Patrem; & quomodo per Patrem vivit, eódem modo nos per carnem ejus vívimus. Omnis enim comparátio ad intelligéntiæ formam præſúmitur; ut id de quo ágitur, ſecúndùm propóſitum exémplum aſſequatur. Hæc ergo vitæ noſtræ cauſa eſt, quòd in nobis carnálibus manéntem per carnem Chriſtum habémus, victúris nobis per eum eâ conditióne, quâ vivit ille per Patrem.

℟. Hic eſt panis qui de cœlo deſcéndit: non ſicut manducavérunt patres veſtri manna, & mórtui ſunt. * Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum. ℣. Comédite, amíci, & bíbite, & inebriámini, chariſſimi. * Qui mandúcat. Glória. * Qui mandúcat. *Joan.* 6. 59. *Cantic.* 5. 1.

Te Deum.

AD LAUDES.

Laus Deo de mirabili Euchariſtiæ opere.

℣. *Sacerdot.* Lauda Deum tuum, Sion; ℟. Qui ádipe fruménti sátiat te, allelúia. *Pſ.* 147. 12. 14.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 1. SApiéntia ædificávit ſibi domũ: míſcuit vinum, & propóſuit menſam ſuam, allel. *Prov.* 9. 1. 2.

Ant. t. 3. A. Angelórum eſcâ nutriviſti pópulum tuū, Dñe, allelúia. *Sap.* 16. 20.

Ant. t. 5. a. Subſtántia tua dulcédinem tuam, quam in filios habes, oſtendébat; ut nutriréntur juſti, allel. *Sap.* 16. 21. 23.

Ant. t. 6. F. Panem.

CANTICUM. *Iſaiæ.* 12.

Confitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi: * convérſus eſt furor tuus, & conſolátus es me.

Ecce Deus Salvátor meus; * fiduciáliter agam, & non timébo:

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus es mihi in ſalútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris; * & dicétis in die illa; Confitémini Dño, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * meméntóte quóniam excélſum eſt nomen ejus.

Cantáte Dño, quóniam magníficè fecit: * annuntiáte hoc in univérſa terra.

Exúlta, & lauda, habitátio Sion; * quia magnus in médio tui Sanctus Iſrael.

Glória Patri, &c.

Et dicitur hoc Canticum per Octavam.

Ant. Panem de cœlo dedíſti eis: in fame eórum pavíſti eos, allel. 2. *Eſd.* 9. 15. 21.

Ant. t. 4. E. Hic eſt panis de cœlo deſcéndens: ut ſi quis ex ipſo manducáverit, non moriátur, al. *Joan.* 6. 50.

Capitulum. 1. *Cor.* 11. 23. 24.

Fratres, Ego accépi à Dómino quod & trádidi vobis, quóniam Dóminus Jeſus in qua nocte tradebátur, accépit panem, & grátias agens, fregit, & dixit: Accípite, & manducáte: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem.

℣. Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea:
℟. Et lábiis exultatiónis laudábit os meum, all. *Pſ.* 62. 6.

Ad Benedict. Ant. t. 5. F. Comedérunt, & ſaturáti ſunt, & impinguáti ſunt, & abundavérunt delíciis in bonitáte tua magna, Dómine. 2. *Eſdr.* 9. 25.

Oratio.

Deus, qui nobis ſub Sacraménto mirábili paſſiónis tuæ memóriam reliquíſti: tríbue, quæſumus, ita nos córporis & ſánguinis tui ſacra myſtéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis, júgiter ſentiámus; Qui vivis & regnas.

AD HORAS.

Antiphonæ de Laudibus, quartâ omiſſâ.

In fine Hymnorum hodie & per Octavam dicitur Doxologia ſequens

Qui carne nos paſcis tuâ,
Sit laus tibi, Paſtor bone,
Cum Patre cumque Spíritu,
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

AD PRIMAM.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui es panis vitæ. *Joan. 6. 35.*

CANON

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ. 13. de Euch C. 5.*

DEclárat ſancta Synodus piè & religióſè admodum in Dei Eccléſiam indúctum fuiſſe hunc modum, ut ſingulis annis peculiári & feſto die præcélſum & venerábile Euchariſtiæ Sacraméntum ſinguléri veneratióne ac ſolemnitáte celebrarétur; utque in Proceſſiónibus reverénter & honorífice illud per vias & loca pública circumferrétur.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. Cor. 11. 26.

QUotieſcúmque manducábitis panem hunc, & calicem bibétis: mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat.

℟. Homo quidam fecit cœnam magnam: & miſit ſervum ſuum horâ cœnæ dícere invitátis ut venirent, * Quia paráta ſunt ómnia ℣. Veníte, comédite panem meum, & bíbite vinum quod míſcui vobis. * Quia. Glória. * Quia. *Luc.* 14. 16. 17. *Prov.* 9. 5.

℣. Confiteántur Dómino mirabília ejus; ℟. Quia ánimam inánem ſatiávit bonis, allel. *Pſ.* 106. 8. 9.

Per Octavam. ℟. *br.* Cibávit eos ex ádipe fruménti, * Allel. allel. Cibávit. ℣. Et de petra, melle ſaturávit eos. * Allel. Glória. Cibávit. *Pſ.* 80. 17.

℣. Confiteántur Dómino, &c. *ut ſuprà in die.*

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. Cor. 10. 15. 16.

UT prudéntibus loquor, vos ipſi judicáte quod dico. Calix benedictiónis cui benedícimus, nonne communicátio ſánguinis Chriſti eſt? & panis quem frángimus, nonne participátio córporis Dómini eſt?

℟. *br.* Panem cœli dedit eis: * Allelúia, all. Panem. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. * Allel. Glória. Panem. *Pſ.* 77. 24. 25.

℣. Paráſti in conſpéctu meo menſam, ℟. Advérſus eos qui tríbulant me, allel. *Pſ.* 22. 5.

AD NONAM.

Capitulum. 1. Cor. 11. 28.

PRobet autem ſe ipſum homo; & ſic de pane illo edat, & de cálice bibat.

℟. *br.* Juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei: * Allel. allel. Juſti. ℣. Et delecténtur in lætítia. * Allel. Glória. Juſti. *Pſ.* 67. 4.

℣. Pane cœli ſaturávit eos: ℟. Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ, allel. *Pſ.* 104. 40. 41.

AD II. VESPERAS.

Quis eſt homo qui vult vitam? ad Euchariſtiam veniat, dignè paratus.

In Pſalmum. 109. Dixit Dóminus, &c. *pag.* 24.

Ant. t. 3. *A.* BEáti qui ad cœnam nuptiárum Agni vocáti ſunt, allelúia. *Apoc.* 19. 9.

In Pſalmum 110. Confitébor tibi, &c. *pag.* 24.

Ant. t. 4. *E.* Vincénti dabo manna abſcónditum, & nomen novum, allel. *Apoc.* 2. 17.

In Pſal. 115. Crédidi, propter, *pag.* 91.

Ant. t. 5. *F.* Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, allel. *Joan.* 6. 52.

In Pſal. 127. Beáti omnes qui timent, *pag.* 112.

Ant. t. 6. *F.* Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum, allel. *Joan.* 6. 59.

In Pſal. 147. Lauda, Jerúſalem, *pag.* 93.

Ant. t. 3. *E.* Beátus qui manducábit panem in regno Dei, allelúia. *Luc.* 14. 15.

Capítulum. Apoc. 3. 20.

ECce ſto ad óſtium, & pulſo: ſi quis audíerit vocem meam, & aperúerit mihi jánuam, intrabo ad illum, & cœnábo cum illo, & ipſe mecum.

HYMNUS

S. Thomæ Aquin.

PAnge, lingua, glorióſi
Córporis myſterium
Sanguiníſque pretióſi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generóſi
Rex effúdit géntium.
Nobis datus nobis natus
Ex intácta Vírgine;
Et in mundo converſátus,
Sparſo verbi sémine,
Sui moras incolátûs
Miro clauſit órdine.
In ſuprémæ nocte cœnæ
Recúmbens cum fratribus,
Obſervátâ lege plenè,
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat ſuis mánibus.
Verbum caro, panem verum,
Verbo carnem éfficit:
Fitque ſanguis Chriſti merum,
Et ſi ſenſus déficit,
Ad firmándum cor ſincérum
Sola fides súfficit.
Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui:
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui:
Præſtet fides ſupleméntum
Sénſuum defectui.
Genitori, Genitoque
Laus & jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit & benedíctio:
Procedénti ab utróque
Compár ſit laudátio.
Amen.

℣. Memoriam fecit mirabílium ſuórum miséricors Dóminus: ℟. Eſcam dedit timéntibus ſe. *Pſ.* 110. 4. 5.

Ad Magnif. *Ant.* t. 5. *F.* Dómine, ſemper da nobis

panem hunc: verba vitæ ætérnæ habes, & nos crédidimus, & cognóvimus, quia tu es Chriſtus Fílius Dei. *Joan.* 6. 34. 69. 70.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

Completorium ut heri.

DIEBUS INTRA OCT.

Intra Octavam non fit niſi de Dupl. primæ Claſſis occurrente vel translato, cum comm. Octavæ.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Chriſtum, panem vivum qui de cœlo deſcéndit, * Veníte, adorémus. *Joan.* 6. 51.

Pſalmi de Feria occurrente.

FERIA SEXTA

ET FERIA TERTIA

intra Octavam.

Antiphonæ ſequentes ſuper Pſalmos de Feria.

Ant. t. 1. *irr.* Benedícito Dóminum, qui fecit te, & inebriántem te ab ómnibus bonis ſuis. *Eccli.* 32. 17.

Ant. t. 3. *E.* Habémus altáre, de quo édere non habent poteſtátem, qui tabernáculo deſérviunt. *Hebr.* 13. 10.

Ant. t. 4. *A.* Panis Dei eſt, qui de cœlo deſcéndit, & dat vitam mundo. *Joan.* 6. 33.

℣. Viſitáſti terram & inebriáſti eam;

℞. Multiplicáſti locupletáre eam, allelúia. *Pſ.* 64. 10.

Lectiones ℞. ℞. ℞. *ut notantur in Feria.*

SABBATO

ET FERIA QUARTA

intra Octavam.

Ant. t. 3. *a.* Patres veſtri manducavérunt manna in desérto, & mórtui ſunt: panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. *Joan.* 6. 49. 52.

Ant. t. 7. *a.* Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non esúriet. *Joan.* 6. 35.

Ant. t. 5. *a.* Qui mandúcat meam carnem, & bibit meum sánguinem, habet vitam ætérnam. *Joan.* 6. 55.

℣. Replébimur in bonis domûs tuæ:

℞. Sanctum eſt templum tuum, allel. *Pſ.* 64. 5.

FERIA SECUNDA

INTRA OCTAVAM.

Ant. t. 7. *c.* Non delínquunt Juda: nunc paſcet eos Dóminus, quaſi agnum in latitúdine. *Oſee* 4. 15. 16.

Ant. t. 5. *a.* Quómodo deſcéndit imber de cœlo, inébriat terram, & dat panem comedénti. *Iſ.* 55. 10.

Ant. t. 2. *D.* Beáti qui lavant ſtolas ſuas in sánguine Agni: ut ſit potéſtas eórum in ligno vitæ. *Apoc.* 22. 14.

℣. Edúcas panem de terra: ℞. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúia. *Pſ.* 103. 14. 15.

Lectiones ℞. ℞. ℞. *ut in qualibet die Octavæ.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot. ut in die: Pſalmi de Feria ſub prima Antiphona de Laudibus: Canticum ut in die. Capit.* ℣. *Ant. ad* Bened. *& Oratio ut in die, ad Horas Antiphonæ de Laudibus ut in die, quartâ omiſſâ*

Pſalmi de Feria : reliqua ut in die. Ad Veſperas Pſalmi de Feria ſub prima Antiph. de 2. Veſperis : reliqua ut in die ad 2. Veſperas.

Completorium ut in die.

FERIA SEXTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 5. v. 1. ad 6.

PHiliſthiim autem tulérunt arcam Dei, & aſportavérunt eam à lápide adjutórii in Azótum. Tuleruntque Philiſthiim arcam Dei, & intulérunt eam in templum Dagon, & ſtatuérunt eam juxta Dagon. Cùmque ſurrexiſſent dilúculo Azótii álterâ die, ecce Dagon jacébat pronus in terra ante arcam Dómini : & tulérunt Dagon, & reſtituérunt eum in locum ſuum. Rurſumque manè die álterâ conſurgentes, invenérunt Dagon jacéntem ſuper fáciem ſuam in terra coram arca Dómini; caput autem Dagon, & duæ palmæ mánuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen ; porrò Dagon ſolus truncus remánſerat in loco ſuo. Propter hanc cauſam non calcant ſacerdótes Dagon, & omnes qui ingrediúntur templum ejus, ſuper limen Dagon in Azóto uſque in hodiérnum diem.

℟. Sapiéntia, *ex 2. Noct. pag.* 183.

Lectio ij. v. 6. ad 9.

AGgraváta eſt autem manus Dómini ſuper Azótios, & demolítus eſt eos; & percúſſit in ſecretióri parte nátium Azótum, & fines ejus. Et ebulliérunt villæ & agri in médio regionis illíus, & nati ſunt mures, & facta eſt confúſio mortis magnæ in civitáte. Vidéntes autem viri Azótii hujuſcémodi plagam, dixérunt: Non máneat arca Dei Iſrael apud nos; quóniam dura eſt manus ejus ſuper nos, & ſuper Dagon deum noſtrum. Et mitténtes congregavérunt omnes sátrapas Philiſthinórum ad ſe, & dixérunt: Quid faciémus de arca Dei Iſrael ? Reſponderúntque Gethæi : Circumducátur arca Dei Iſrael.

℟. Mandávit. *pag.* 184.

De Epíſtola Sancti Hierónymi Presbyteri ad Hedíbiam. *Epiſt.* 150. *n.* 2.

Lectio iij.

DIco vobis : Non bibam modo de hoc genímine vitis, uſque in diem illum quo bibam illud novum vobíſcum in regno Patris mei. Ex hoc loco quidam mille annórum fabulam ſtruunt, in quibus Chriſtum regnatúrum corporaliter eſſe conténdunt, & bibitúrum vinum, quod ex illo témpore uſque ad conſummatiónem mundi non bíberit. Nos autem audiámus panem, quem fregit Dóminus, dedítque diſcípulis ſuis, eſſe corpus Dómini Salvatóris ; ipſo dicénte ad eos : Accípite, & comédite; hoc eſt corpus meum : &

calicem illum eſſe, de quo íterum locútus eſt: Bíbite ex hoc omnes; hic eſt ſanguis meus novi Teſtaménti qui pro multis èffundétur. Iſte eſt calix de quo in Prophéta légimus: Cálicem ſalutáris accípiam. Et álibi! Calix tuus inébrians quàm præclárus eſt! Si ergo panis qui de cœlo deſcéndit, corpus eſt Dómini; & vinum quod diſcípulis dedit, ſanguis illíus eſt novi Teſtaménti, qui pro multis effúſus eſt in remiſſiónem peccatórum, Judaïcas fábulas repellámus. Non enim eſt regnum Dei cibus & potus, ſed juſtítia, & gáudium, & pax in Spíritu ſancto. Nec Móyſes dedit nobis panem verum; ſed Dóminus Jeſus, ipſe convíva & convívium, ipſe cómedens & qui coméditur. Illíus bíbimus sánguinem, & ſine ipſo potáre non póſſumus, & quotídie in ſacrifíciis ejus de genímine vitis veræ rubéntia vina calcámus.

℟. Immolavérunt. *pag.* 184.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 13. *de Euchar. Can.* 6.

SI quis díxerit in ſancto Euchariſtiæ Sacraménto Chriſtum unigénitum Dei Filium non eſſe cultu latríæ étiam extérno adorándum; atque ídeò nec feſtívâ peculiári celebritáte venerándum; vel non públicè ut adorétur, pópulo proponéndū; & ejus adoratóres eſſe idololátras, anathéma ſit.

SABBATO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 8. *ad finem.*

CIrcumduxérunt (Philiſthiim) arcam Dei Iſrael. Illis autem circumducéntibus eam, fiébat manus Dómini per ſíngulas civitátes interfectiónis magnæ nimis: & percutiébat viros uniuſcujúſque urbis, à parvo uſque ad majórem; & computreſcébant prominéntes extáles eórum. Ieruntque Gethæi consílium, & fecérunt ſibi ſedes pellíceas. Miſérunt ergo arcam Dei in Accaron. Cùmque veniſſet arca Dei in Accaron, exclamavérunt Accaronítæ, dicéntes: Adduxérunt ad nos arcam Dei Iſrael, ut interfíciat nos & pópulum noſtrum. Miſérunt ítaque, & congregavérunt omnes ſátrapas Philiſthinórum, qui dixérunt: Dimíttite arcam Dei Iſrael, & revertátur in locum ſuum, & non interfíciat nos cum pópulo noſtro. Fiébat enim pavor mortis in ſíngulis úrbibus & graviſſima valdè manus Dei. Viri quoque qui mórtui non fúerant, percutiebántur in ſecretióri parte nátium: & aſcendébat ululátus uniuſcujúſque civitátis in cœlum.

℟. Non eſt ália, *ex* 3. *Noct. pag.* 185.

Lectio ij. Cap. 6. v. 1. ad 4.

FUit ergo arca Dómini in regióne Philiſthinórum ſeptem ménſibus. Et vocavérunt Philíſthiim ſacerdotes & divínos, dicéntes: Quid faciémus de arca Dómini? Indicate nobis quómodo remittámus eam in locum ſuum. Qui dixérunt: Si remíttitis arcam Dei Iſrael, nolíte dimíttere eam vácuam; ſed quod debétis, réddite ei pro peccáto; & tunc curabímini: & ſciétis quare non recédat manus ejus à vobis.

℟. Unus panis, *pag.* 186.

Sermo ſancti Joannis Chryſóſtomi.

Lectio iij. Homil. 46. in Joan.

INitiati atténdant iis quæ dico. Non ſecundùm charitátem, ſed étiam ipsâ re unum córpus cum Chriſto efficimur; in illam miſcémur carnem. Id quippe fit per cibum quem largítus eſt, volens nobis ſuum in nos amórem oſténdere. Proptérea ſemetípſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperávit; ut unum quid ſimus tamquam corpus cápiti coaptátum. Ardénter enim amantium hoc eſt. Tamquam leónes ígitur ignem ſpirántes ab illa menſa recedámus, facti diabolo terríbiles; caput noſtrum mente revolvéntes & charitátem quam erga nos oſténdit. Attendámus nobis ipſis, talibus fruéntes bonis; & cùm áliquid turpe dícere voluérimus, vel nos ab ira corrípi vidérimus, vel álio quópiam hujúſmodi vítio, conſiderémus quibus rebus facti ſumus digni; talíſque cogitatio irrationabílium mótuum ſit corréctio. Quotquot ígitur hujus partícipes córporis effícimur, quotquot ſánguinem deguſtámus, cogitémus quòd illum ſurſum ſedéntem qui ab Angelis adorátur, hunc deguſtámus. Heu mihi! quot ad ſalútem viæ! Nos corpus ſuum effecit: nobis ſuum communicávit corpus; & horum nos nihil à malis avértit.

℟. Hic eſt panis, *pag.* 186.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 13. de Euch. Can. 4.

SI quis dixerit, peráctâ conſecratione in admirábili Euchariſtiæ Sacraménto non eſſe corpus & ſánguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantùm in uſu, dum ſúmitur; non autem antè vel poſt, & in hóſtiis, ſeu partículis conſecratis, quæ poſt communiónem reſervántur, vel ſupérſunt, non remanére corpus Dómini; anathéma ſit.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Sabbato ſub Antiph. ſola ſequenti.

Ant. 6. 5. *a.* Faciet Dóminus ómnibus pópulis in monte Sion convívium pínguium, convívium medullatorum. *Iſ.* 25. 6.

Capitulum. 2. *Paral.* 6. 10. 11.

Ædificávi domum nómini Dómini Dei Iſrael: & póſui in ea arcam, in qua eſt pactum Dómini, quod pépigit cum filiis Iſrael.

Hymnus. Sacris ſolemniis. *ut in* 1. *Veſp. Feſti*, *pag.* 180.

℣. Ædificávit Dóminus ſanctifícium ſuum in terra,

℟. Quam fundávit in ſæcula. *Pſ.* 77. 69.

Ad Magníf. *Ant. t.* 1. *a.* Afferámus ad nos arcam fœderis Dómini, & véniat in médium noſtrî, ut ſalvet nos de manu inimicórum noſtrórum. 1. *Reg.* 4. 3.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Non fit commemoratio Octavæ.

Completorium ut in die.

DOMINICA INTRA OCTAVAM

quæ eſt II. *poſt Pentecoſten.*

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. ut in die : *Pſalmi de Dominica.*

IN I. NOCTURNO.

Ad ſuî participationem nos vocat Dominus.

Ant. t. 1. *irr.* Omnes ſitiéntes, venite ad aquas; & qui non habétis argéntum, properáte, émite, & comédite. *Iſ.* 55. 1. 2.

Ant. t. 4. *E.* Emite abſque argénto, & abſque ulla commutatióne vinum & lac. *Iſ.* 55. 1.

Ant. t. 3. *a.* Póſuit menſam in tabernáculo, ordinátis propoſitiónis pánibus. *Exod.* 40. 20. 21.

℣. Memóriam fecit mirabílium ſuórum Dóminus.

℟. Eſcam dedit timéntibus ſe. *Pſ.* 110. 4.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 6. *v.* 4. *ad* 7.

Dixérunt (Philiſthiim ad ſacerdótes & divínos.) Quid eſt quod pro delicto réddere debeámus ei? Reſponderúntque illi: Juxta númerum provinciárum Philiſthinórum, quinque anos áureos faciétis, & quinque mures áureos; quia plaga una fuit ómnibus vobis, & ſátrapis veſtris. Facietíſque ſimilitúdines anórum veſtrórum, & ſimilitúdines múrium, qui demolíti ſunt terram; & dábitis Deo Iſrael glóriam; ſi fortè rélevet manum ſuam à vobis, & à diis veſtris, & à terra veſtra. Quare aggravátis corda veſtra, ſicut aggravávit Ægyptus, & Phárao cor ſuum? Nonne poſtquam percúſſus eſt, tunc dimíſit eos, & abiérunt?

℟. Immolabit, *ex* 1. *Noct. pag.* 181.

Lectio ij. v. 7. *ad* 10.

Nunc ergo arrípite, & fácite plauſtrum novum unum; & duas vaccas fœtas, quibus non eſt impóſitum jugum, júngite in plauſtro, & reclúdite vítulos eárum domi. Tolletíſque arcam Dómini, & ponétis in plauſtro; & vaſa áurea, quæ exolvíſtis ei pro delícto ponétis in capſellam ad latus ejus: & dimíttite eam, ut vadat. Et aſpiciétis; & ſi quidem per viam

finium ſuórum aſcénderit contra Béthſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande: ſin autem, mínimè; ſciémus quia nequáquam manus ejus tétigit nos, ſed caſu áccidit.

℟. Comedétis, *pag.* 182.

Lectio iij. v. 10. *ad* 13.

FEcérunt ergo illi hoc modo; & tollentes duas vaccas quæ lactábant vítulos, vijunxérunt ad plauſtrum, vitulóſque eárum concluſérunt domi. Et poſuérunt arcam Dei ſuper plauſtrum, & capſéllam quæ habébat mures áureos, & ſimilitúdines anórum. Ibant autem in diréctum vaccæ per viam quæ ducit Béthſames, & itínere uno gradiebántur, pergéntes & mugiéntes: & non declinábant neque ad déxteram, neque ad ſiníſtram; ſed & ſátrapæ Philíſthiim ſequebántur uſque ad términos Béthſames.

℟. Reſpexit, *pag.* 182.

IN II. NOCTURNO.

Quàm dulcis Dominus iis qui ad ipſum veniunt eſurientes.

Ant. t. 1. *A.* Ego diligéntes me díligo, & mélior eſt fructus meus auro: delíciæ meæ, eſſe cum fíliis hóminum. *Prov.* 8. 17. 19. 31.

Ant. t. 1. *A.* Memória mea in generatiónes ſæculórum: qui edunt me, adhuc eſúrient: & qui bibunt me, adhuc ſítient. *Ecc.* 24. 28. 29.

Ant. t. 8. *C.* Audíte, audiéntes me, & comédite bonum, & fériam vobíſcum pactum ſempitérnum. *Iſ.* 55. 2. 3.

℣. Replébimur in bonis domûs tuæ:

℟. Sanctum eſt templum tuum. *Pſ.* 64. 5.

Sermo ſancti Cyrílli Jeroſolymitáni.

Lectio iv. Catech. Myſtag. 4.

IPſa beáti Pauli doctrína abúndè ſufficere vidétur, ut certam vobis de divínis myſtériis fidem fáciat: quibus digni rédditi, concorpórei, ut ita dicam, & conſanguínei Chriſti facti eſtis. Ipſe enim modò clamábat: Quòd in nocte, quâ tradebátur Dóminus noſter Jeſus Chriſtus, accípiens panem, & grátias agens, fregit, & dedit diſcípulis ſuis, dicens: Accípite, & manducáte; hoc eſt corpus meum. Et accípiens cálicem, & grátias agens, dixit: Accípite, & bíbite; Hic eſt ſanguis meus. Cùm ígitur ipſe de pane pronuntiáverit, ac díxerit: Hoc eſt corpus meum; quis audébit deínceps ambígere? Et cùm idem ipſe tam aſſeveránter díxerit: Hic eſt ſanguis meus; quis umquam dubitáverit, ut dicat non eſſe ejus ſánguinem?

℟. Sapiéntia, *ex* 2. *Noct. pag.* 183. *Lectio v.*

AQuam olim in vinum convértit in Cana Galilææ, quod habet quamdam cum ſánguine propinquitátem; & eum parùm dignum exiſtimábimus, cui credámus quòd vinum in ſánguinem tranſmutárit? Ad

eas núptias quibus córpora copulántur vocátus, præter opiniónem ómnium hoc fecit miráculum; & non multò magis ſic eum corpus & ſánguinem ſuum fruénda nobis donáſſe perſuáſum firmiter habébimus, ut ea cum omni certitúdine tamquam corpus ipsíus & ſánguinem ſumámus? Nam in ſpécie panis dat nobis corpus, & in ſpécie vini dat nobis ſánguinem: ut cùm ſúmpſeris, guſtes corpus & ſanguinem Chriſti, factus ejúſdem córporis & ſánguinis párticeps. Sic enim effícimur Chriſtíferi, hoc eſt, Chriſtum in corpóribus noſtris feréntes, cùm corpus ejus & ſánguinem in membra noſtra recípimus. Sic ſecúndùm beátum Petrum, divínæ natúræ conſórtes réddimur.

℟. Mandávit, *pag.* 184.

Lectio vj.

OLim cum Judæis Chriſtus diſſerens, Niſi manducavéritis, inquit, carnem meam, & biberitis meum ſánguinem, non habébitis vitam in vobis. Cum autem illi quæ dicta fúerant, non ſpirituáliter accepiſſent, offenſi abiérunt retrò: putábant enim quòd eos ad manducándas carnes hortarétur. Erant & in véteri Teſtaménto panes propoſitiónis; verùm illi cùm fúerint véteris Teſtaménti, finem jam accepérunt. In novo verò Teſtaménto, panis eſt cœléſtis, calix ſalutáris qui & ánimam & corpus ſanctíficant. Quamóbrem non ſic attendas, velim, tamquam ſint nudus & ſimplex panis, nudum & ſimplex vinum: corpus enim ſunt, & ſanguis Chriſti; nam etiámſi ſenſus illud renúntiant, fides tamen te confirmet. Ne júdices rem ex guſtu; ſed te citra ullam dubitatiónem fides certum reddat, quòd ſis dignus factus, qui córporis & ſánguinis Chriſti párticeps fíeres.

℟. Immolaverunt, *pag.* 184.

IN III. NOCTURNO.

Nullus niſi mundus à ſorde accedat.

Ant. t. 3. *A.* Mundátus veſcétur de ſanctificatis, quia cibus illíus eſt. *Levit.* 22. 7.

Ant. t. 4. *A.* Qui accedunt ad Dóminum, ſanctificentur; ne percútiat eos. *Exod.* 19. 22.

Ant. t. 7. *A.* Quanta putátis mereri ſupplícia, qui ſánguinem teſtaménti pollútum dúxerit? *Hebr.* 10. 29.

℣. Emitte lucem tuam & veritátem tuam;

℟. Et introíbo ad altáre Dei. *Pſ.* 42. 3. 4.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 14. 16.

IN illo témpore; Dixit Jeſus cuidam de ſimul diſcumbéntibus cum ipſo in domo príncipis Phariſæorum: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Et reliqua.

Homília ſancti Ambróſii.

Epíſcopi.

Lectio vij. Expoſ. in Pſ. 118. *Serm.* 18. *n.* 26.

JAm menſæ cœleſtis honóre ſuſcípior : épulis meis non plúvia undatur, non terræ partus labórat, non árborum fructus. Pótui meo non flúmina quæréndа, non fontes: Chriſtus mihi cibus: Chriſtus mihi potus : caro Dei cibus mihi, & Dei ſanguis potus eſt mihi. Non jam ad ſatietátem meî ánnuos expécto provéntus : Chriſtus mihi quotídie miniſtrátur. Non verébor, ne qua mihi eum cœli intempéries, aut ſterílitas ruris imminuat, ſi pii cultûs diligéntia perſevéret. Non jam coturnícum plúvias mihi opto deſcéndere, quas antè mirábar : non manna, quod antè cibis ómnibus præferébam : quia qui manna manducavérunt patres, eſuriérunt. Meus cibus eſt, quem ſi quis manducáverit, non eſúriet. Meus cibus eſt qui non corpus impínguat, ſed confírmat cor hóminis.

℟. Non eſt ália, *ex* 3. *Noct. pag.* 185.

Lectio viij. Lib. 4. *de Sacr. Cap.* 4. *N.* 14. 15. *&* 16.

PAnis iſte, panis eſt ante verba ſacramentórum : ubi accéſſerit conſecrátio, de pane fit caro Chriſti. Hoc ígitur adſtruámus. Quómodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecrátio ígitur quibus verbis eſt, & cujus ſermónibus? Dómini Jeſu. Nam réliqua ómnia quæ dicúntur, laudem Deo déferunt : orátio præmíttitur pro pópulo, pro régibus, pro cæteris: ubi venítur ut conficiátur venerábile Sacramẽtum, jam non ſuis ſermónibus útitur Sacérdos, ſed útitur ſermónibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc cónficit Sacraméntum. Quis ſermo Chriſti? Nempe is quo facta ſunt ómnia... Si ergo tanta vis eſt in ſermóne Dómini Jeſu, ut inciperent eſſe quæ non erant, quantò magis operatórius eſt, ut ſint quæ erant, & in áliud commuténtur? Cœlum non erat: mare non erat; terra non erat. Sed audi dicéntem: Ipſe dixit, & facta ſunt. Ergo tibi ut reſpóndeam: non erat corpus Chriſti ante conſecratiónem : ſed poſt conſecratiónem dico tibi, quòd jam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt.

℟. Unus panis, *pag.* 186.

Lectio ix. Lib. 5. *de Sacr. Cap.* 4. *N.* 25.

SI quotidiánus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? Accipe quotídie quod quotídie tibi proſit. Sic vive, ut quotídie mereáris accípere. Quómodo Job ſanctus pro fíliis ſuis offerébat quotídie ſacrifícium, ne fortè áliquid vel in corde, vel in ſermóne peccáſſent? Ergo tu audis quòd, quotieſcúmque offer-

tur ſacrifícium, mors Dñi, reſurréctio Dómini, elevátio Dómini ſignificétur, & remíſſio peccatórũ: & panem iſtum vitæ non quotidiánum aſſũmis? Qui vulnus habet, medicínam requírit. Vulnus eſt, quia ſub peccáto ſumus; medicína eſt cœléſte & venerábile Sacraméntum.

℟. Homo quidam fecit cœnam magnam, & miſit ſervum ſuum horâ cœnæ dícere invitátis, ut venírent; * Quia paráta ſunt ómnia. ℣. Veníte, comédite panem meum, & bíbite vinũ quod míſcui vobis. * Quia. Glória. * Quia. *Luc* 14. 16. 17. *Prov.* 9. 5.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot. quinque Antiph. Canticum ut in die: Pſalmi de Dominica.*

Capitulum. Apoc. 22. 14.

BEáti qui lavant ſtolas ſuas in sánguine Agni; ut ſit potéſtas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátem. Foris canes, & venéfici, & impudíci, & homicídæ, & idólis ſerviéntes, & omnis qui amat, & facit mendácium.

℣. Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea: ℟. Et lábiis exultatiónis laudábit os meum. *Pſ.* 62. 6.

Ad Bened. *Ant. t.* 5. *a.* Exi in vias, & ſepes: & compélle intráre, ut impleátur domus mea. *Luc.* 14. 24.

Oratio.

DEus, qui nos ad delícias ſpirituáles ſemper invítas: auge in nobis parátæ dulcédinis deſidérium; ut tuæ vocatióni fidéliter obſequéntes, poſthábitis ómnibus, ad cœnæ tuæ convívium accurrámus; Per, &c.

Non fit Comm. Octav.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 22. *Cap.* 6.

OPtaret ſacroſáncta Synodus, ut in ſíngulis Miſſis fidéles adſtántes non ſolùm ſpirituáli affectu, ſed ſacramentáli étiam Euchariſtiæ perceptióne communicárent: quo ad eos ſanctíſſimi hujus ſacrifícii fructus ubérior proveníret.

Horæ ut in die.

AD VESPERAS.

Antiph. quinque ut in die: Pſalmi de Dominica.

Capitulum. Hebr. 3. 12. 14.

VIdéte, ne fortè ſit in áliquo veſtrûm cor malum. Partícipes enim Chriſti effécti ſumus.

Hymnus. Pange, lingua.

℣. Péreant peccatóres à fácie Dei; ℟. Et juſti epuléntur, & exúltent. *Pſ.* 67. 3. 4.

Ad Magnif. *Ant. t.* 6. *f.* Dico vobis, quòd nemo virórum illórum qui vocáti ſunt, guſtábit cœnam meam. *Luc.* 14. 24.

Oratio ut ad Laudes.

FERIA SECUNDA INTRA OCTAVAM.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 6. v. 13. ad 17.

BEthſamítæ metébant tríticum in valle; & elevántes óculos ſuos, vidérunt arcam, & gavíſi ſunt, cùm vidíſſent. Et plauſtrum venit in agrum Jóſue Bethſamítæ, & ſtetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & concidérunt ligna plauſtri, vaccáſque impoſuérunt ſuper ea holocáuſtum Dómino. Levítæ autem depoſuérunt arcam Dei, & capséllam quæ erat juxta eam, in qua erant vaſa áurea, & poſuérunt ſuper lápidem grandem. Viri autem Bethſamítæ obtulérunt holocáuſta, & immolavérunt víctimas in die illa Dómino. Et quinque sátrapæ Philiſthinórum vidérunt, & revérſi ſunt in Accaron in die illa.

℟. Immolábit, *ex* I. *Noct. pag.* 181.

Lectio ij. v. 17. ad finem.

HI ſunt autem ani áurei quos reddidérunt Philíſthiim pro delícto, Dómino: Azótus unum, Gaza unum, Aſcalon unum, Geth unum, Accaron unum. Et mures áureos ſecúndùm númerum úrbium Philíſthiim, quinque provinciárum, ab urbe muráta uſque ad villam quæ erat abſque muro, & uſque ad Abel magnum, ſuper quem poſuérunt arcam Dómini, quæ erat uſque in illum diem in agro Jóſue Bethſamítis. Percuſſit autem de viris Bethſamítibus, eò quòd vidíſſent arcam Dómini: & percúſſit de pópulo ſeptuagínta viros, & quinquagínta míllia plebis. Luxítque pópulus, eò quòd Dóminus percuſsíſſet plebem plagâ magnâ. Et dixérunt viri Bethſamítæ: Quis póterit ſtare in conſpéctu Dómini Dei ſancti hujus? & ad quem aſcéndet à nobis? Miſerúntque núntios ad habitatóres Cariathíarim, dicéntes: Reduxérunt Philíſthiim arcam Dómini, deſcéndite, & redúcite eam ad vos.

℟. Comedétis, *pag.* 182.

Ex Tractátu ſancti Auguſtini Epíſcopi, ſuper Pſalmos.

In Pſ. 98. N. 9.

Lectio iij.

EXaltáte Dóminum Deũ noſtrum, & adoráte ſcabéllum pedum ejus; quóniam ſanctum eſt. Vidéte, fratres, quid nos júbeat adoráre. Alio loco Scripturárum dícitur: Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabéllum pedum meórum. Ergo terram nos jubet adoráre, quia dixit álio loco quòd ſit ſcabéllum pedum Dei? Et quómodo adorábimus terram, cùm dicat apértè Scriptúra: Dóminum Deum tuum adorábis? Et hìc dicit: Adoráte ſcabéllum pedum ejus. Anceps factus

ſum: flúctuans, convérto me ad Chriſtum, quia ipsū quæro hîc; & invénio quómodo ſine impietáte adorétur terra, ſine impietáte adorétur ſcabéllum pedum ejus. Suſcépit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Maríæ carnem accépit: & quia in ipſa carne hîc ambulávit, & ipſam carnem nobis manducándam ad ſalútem dedit; nemo autem illam carnem mandúcat, niſi priùs adoráverit; invéntum eſt quemádmodum adorétur tale ſcabéllum pedum Dómini: & non ſolùm non peccémus adorándo, ſed peccémus non adorándo.

℟. Reſpexit, *pag.* 182.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 21. *Can.* 2.

SI quis díxerit ſanctam Eccleſiam Cathólicam non juſtis cauſis & ratiónibus addúctam fuiſſe, ut Laïcos atque étiam Cléricos non conficiéntes, ſub panis tantùmmodo ſpécie communicáret; aut in eo erraſſe; anathéma ſit.

FERIA TERTIA

INTRA OCTAVAM.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 1. *ad* 5.

VEnérunt ergo viri Cariathíarim, & reduxérunt arcam Dómini, & intulérunt eam in domum Abínadab in Gábaa: Eleázarum autem fílium ejus ſanctificavérunt, ut cuſtodíret arcam Dómini. Et factum eſt, ex quâ die manſit arca Dómini in Cariathíarim, multiplicáti ſunt dies; (erat quippe jam annus vigéſimus,) & requiévit omnis domus Iſrael poſt Dóminū. Ait autem Sámuel ad univérſam domum Iſrael, dicens: Si in toto corde veſtro revertímini ad Dóminum, auférte deos aliénos de médio veſtrî, Báalim & Aſtaroth; & præparáte corda veſtra Dómino, & ſervíte ei ſoli, & éruet vos de manu Philíſthiim. Abſtulérunt ergo fílii Iſrael Báalim & Áſtaroth, & ſerviérunt Dño ſoli.

℟. Sapiéntia, *ex* 2. *Noct. pag.* 183.

Lectio ij. v. 5. *ad* 10.

DIxit autem Samuel: Congregáte univérſum Iſrael in Maſphath, ut orem pro vobis Dóminum. Et convenérunt in Maſphath: hauſerúntque aquam, & effudérunt in conſpéctu Dómini, & jejunavérunt in die illa, atque dixérunt ibi: Peccávimus Dómino. Judicavítque Sámuel fílios Iſrael in Maſphath. Et audiérunt Philíſthiim quòd congregáti eſſent fílii Iſrael in Maſphath, & aſcendérunt sátrapæ Philiſthinórum ad Iſrael. Quod cùm audiſſent fílii Iſrael, timuérunt à fácie Philiſthinórum. Dixerúntque ad Samuélem: Ne ceſſes pro nobis clamáre ad Dóminum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de manu Philiſthinórum. Tu-

dit autem Sámuel agnum lacténtem unum, & óbtulit illum holocáuſtum íntegrum Dómino: & clamávit Sámuel ad Dóminum pro Iſrael, & exaudívit eum Dóminus.

℟. Mandávit, *pag.* 184.

Sermo ſancti Cyrílli Alexandríni.

Lectio iij. Libro 4. in Joan. Capite 17.

QUi mandúcat, inquit, meam carnem, & bibit ſánguinem meum, in me manet, & ego in illo. Sícuti enim ſi quis liquefáctæ ceræ áliam ceram infúderit, álteram cum áltera per totum commíſceat necéſſe eſt; ſic qui carnem & ſánguinem Dómini récipit, cum ipſo ita conjúngitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniátur. Sicut parum, ut Paulus ait, ferménti totam maſſam ferméntat, ſic mínima Eulógia totum hóminem in ſeipſam áttrahit, & ſuâ gratiâ replet; & hoc modo Chriſtus in nobis manet, & nos in Chriſto... Nos verò ſi vitam ætérnam cónſequi vólumus, ſi largitórem immortalitátis habére in nobis deſiderámus, ad recipiéndam Eulógiam libénter concurrámus: caveamúſque ne loco láquei damnóſam religiónem diábolus præténdat. Rectè, inquit, dicis: Scriptum tamen eſſe non ignorámus, judícium ſibi comédere, atque bíbere illum qui de pane cómedit, & de cálice bibit indígne. Ego ígitur probo meípſum, & indígnum invénio. Quando ígitur, qui hæc dicis, dignus eris? quando Chriſto teípſum ſiſtes? Nam ſi peccándo indígnus es, & peccáre non déſinis (quis enim delícta intélligit? ſecúndum Pſalmíſtam) expers omníno eris vivíficæ hujus ſanctificatiónis. Quare pias, quæſo, cogitatiónes ſuſcípias, ſtudióſè ſanctèque vivas, atque ita Eulógiæ párticeps fias; quæ, mihi crede, non mortem ſolùm, verùm étiam morbos omnes depéllit.

℟. Immolavérunt, *pag.* 184.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 13. de Euch. C. 6.

COnſuetúdo aſſervándi in ſacrário ſanctam Eucharíſtiam ádeò antíqua eſt, ut eam ſæculum étiam Nicæni Concílii agnóverit. Porrò deférri ipſam Euchaříſtiam ad infírmos, & hunc uſum diligénter in Eccléſiis conſervári prætérquam quod cum ſumma æquitáte & ratióne conjúnctum eſt, cùm multis in Concíliis præcéptum invenítur & vetuſtíſſimo Cathólicæ Eccléſiæ more obſervátum. Quare ſancta Synodus retinéndum ómnibus ſalutárem hunc & neceſſárium morem ſtátuit.

FERIA QUARTA INTRA OCTAVAM.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 7. v. 10 ad 13.

FActum eſt autem, cùm Sámuel offérret holocáuſtum, Philíſthiim iniére prælium contra Iſrael: intónuit autem Dóminus fragóre magno in die illa ſuper Philíſthiim, & extérruit eos, & cæſi ſunt à fácie Iſrael. Egreſſique viri Iſrael de Maſphath, perſecúti ſunt Philiſthæos, & percuſſérunt eos, uſque ad locum qui erat ſubter Bethchar. Tulit autem Sámuel lápidem unum, & póſuit eum inter Maſphath & interSen: & vocávit nomen loci illíus, Lapis adjutórii. Dixítque; Huc uſque auxiliátus eſt nobis Dóminus.

℟. Non eſt ália, *ex* 3. *Noct. pag.* 185.

Lectio ij. v. 13. ad finem.

ET humiliáti ſunt Philíſthiim, nec appoſuérunt ultrà ut venírent in términos Iſrael. Facta eſt ítaque manus Dómini ſuper Philiſthæos cunctis diébus Samuélis. Et rédditæ ſunt urbes, quas túlerant Philíſthiim ab Iſrael, Iſraéli, ab Accaron uſque Geth, & términos ſuos: liberavítque Iſrael de manu Philiſthinórũ, erátque pax inter Iſrael & Amorrhæum. Judicábat quoque Sámuel Iſraélem cunctis diébus vitæ ſuæ: & ibat per ſíngulos annos circúiens Bethel & Gálgala & Maſphath, & judicábat Iſraélem in ſupra dictis locis. Revertebatúrque in Rámatha: ibi enim erat domus ejus, & ibi judicábat Iſraélem: ædificávit étiam ibi altáre Dómino.

℟. Unus panis, *pag.* 186.

Ex Tractátu ſancti Irenæi Lugdunénſis Epíſcopi & Mártyris advérsùs hæreſes. *Lib.* 4. *Cap.* 17. *n.* 5.

Lectio iij.

SUis diſcípulis dans Chriſtus consílium, primítias Deo offérre ex ſuis creatúris, non quaſi indigénti, ſed ut ipſi nec infructuóſi, nec ingráti ſint; eum, qui ex creatúra panis eſt, accépit, & grátias egit, dicens: Hoc eſt meum corpus. Et cálicem ſimíliter, qui eſt ex ea creatúra quæ eſt ſecúndùm nos, ſuum ſánguinem conféſſus eſt: Et novi Teſtaménti novam dócuit oblatiónẽ, quam Eccléſia ab Apóſtolis accípiens, in univérſo mundo offert Deo, ei qui aliménta nobis præſtat, primítias ſuórum múnerum in novo Teſtaménto: de quo in duódecim Prophétis Malàchias ſic præſignificávit: In omni loco incénſum offértur nómini meo, & ſacrifícium purum: quóniam magnum eſt nomen meum in géntibus, dicit Dóminus omnípotens: manifeſtíſſimè ſigníficans per hæc, quóniam prior quidem pópulus ceſſábit offérre Deo; omni autem loco ſacrifícium offértur ei, & hoc purum.

℟. Hic eſt panis, *pag.* 186.

CANON

Ex Concílio Alexandríno. *Anno* 430. *in Epiſt. ad Neſtor. appr. à gen. Conc. Eph. Act.* 5.

CONfitémur incruéntum in Eccleſia ſacrificium nos celebráre, útpote partícipes ſacræ carnis & pretióſi sánguinis Chriſti effécłos.... Quamvis enim dicat Joánnis ſexto, Niſi manducavéritis carnem, & réliqua; neútiquam commúnem carnem, hoc eſt, hóminis natúræ conditiónis carnem eſſe exiſtimáre debémus, ſed verè illíus própriam, qui noſtri cauſâ Fílius hóminis factus, & appellátus eſt.

FERIA QUINTA.
IN OCTAVA SS. Euchariſtiæ.
FESTUM SACERDOTII DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Dupl. I. Claſ. Solemne minus

Si in diem hanc inciderit Feſtum S. Joannis, vel S. Petri, Officium ſequens anticipabitur, & fiet Feriâ quartâ intra Octavam, eo modo qui ſequitur.

AD I. VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Vetera ſacrificia reprobantur propter ipſorum infirmitatem.

Ant. t. 1. irr. HOſtias, & oblatiónes, & holocautómata pro peccáto noluíſti, Dómine, nec plácita ſunt tibi, quæ ſecúndùm legem offerúntur. *Hebr.* 10. 8.

Ant. t. 4. *E.* Impoſſíbile eſt ſánguine taurorum & hircórum auférri peccáta. *Hebr.* 10. 4.

Ant. t. 5. *a.* Reprobátio fit præcedéntis mandáti propter infirmitátem ejus, & inutilitátem. *Hebr.* 7. 18.

Ant. t. 6. *f.* Tranſláto ſacerdótio, necéſſe eſt ut & legis translátio fiat. *Hebr.* 7. 12.

Ant. t. 7. *A.* Neceſſárium fuit ſecúndùm órdinem Melchíſedech álium súrgere ſacerdótem, & non ſecúndùm órdinem Aáron. *Hebr.* 7. 11.

Capitulum. 1. *Reg.* 2. 30. 35.

AIt Dóminus Deus Iſrael: Suſcitábo mihi ſacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet.

℟. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech. ℣. Alii ſine jurejurándo ſacerdótes facti ſunt; Jeſus autem cum jurejurándo per eum qui dixit ad illum: * Tu es. Glória. * Tu es. *Pſ.* 109. 4. *Hebr.* 7. 20. 21.

HYMNUS
N. Gaudrù Rem.

NOn qualis olim vértice légifer
Fumánte ſedit, cùm tímidos mori
Nigrántis è nimbo procéllæ
Juſſa tonans pópulos docéret.
Adéſte, gentes; fulmíneum jubar

Velánte ſigno próvidus
ócculit.
Veníte: nunc ſacros amóris,
Totus amor jaculátur ignes.
An ulla quondam tam fácili Deo
Potíta gens eſt? dícite, ſæcula;
Quâ ſole mundus claret orto,
Quâque tepet fugiénte, dicat.
O gente quâvis nátio grándior,
Charúmque cœlo, Chriſtíadæ, genus,
Illámne, quâ nos Chriſtus arſit
Uſque ádeò caluíſſe flammam!
Devóta Patri Fílius hóſtia
Mox offeréndus, ſe priùs óbtulit,
Et, quâ litáret funerátus,
Nos dócuit reparáre vitam.
Aris renáſcens nómine dúplici
Verus Sacérdos, véraque Víctima,
Oblátus offert, & cruórem
Ipſe ſuũ ſine cæde fundit.
Quid in ſceléſtos, ô hóminum Pater,
Libras ab alto fúlmina fílios?
Mitéſcit: exármat minácẽ
Cuncta pians cruor ille dextram.
Laus ſumma Patri, súmmaque Fílio,
Qui ſe, Sacérdos, ímmolat Hóſtiam:
Quo ſacra flammis ardet ara,
Spíritus, & tibi laus in ævum. Amen.

℣. Si voluíſſes, ſacrifícium dedíſſem útique: ℟. Holocáuſtis non delectáberis. *Pſ.* 50. 18.

Ad Magnif. *Ant. t.* 6. *F.* Secúndùm ſimilitúdinem Melchíſedech exúrgat álius Sacérdos, qui non ſecúndùm legem mandáti carnális factus eſt. *Hebr.* 7. 15. 16.

Oratio ut in Laudibus.

Completorium ut per Octavam.

AD OFFIC. NOCT.

Invitator. Pontíficem magnum Jeſum Fílium Dei, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 4. 14.

IN I. NOCTURNO.

Novum annuntiatur ſacrificium, quod Deo futurum eſt gratum.

In Pſalmum 19. Exáudiat te Dóminus, *pag.* 4.

Ant. t. 2. *d.* Exáudiet Dóminus Chriſtum ſuum de cœlo ſancto ſuo. *v.* 7.

In Pſalmum 25. Júdica me, Dómine, quóniam, *pag.* 94.

Ant. t. 1. *irr.* Circúmdabo altáre tuum, Dómine; ut enárrem univérſa mirabília tua. *v.* 6. 7.

In Pſalmum 41. Quemádmodum deſíderat, *pag.* 139.

Ant. t. 3. *E.* Transíbo in locum tabernáculi admirábilis uſque ad domum Dei. *v.* 5.

℣. Sacrifícium & oblatiónem noluíſti: ℟. Holocáuſ-

tum & pro peccáto non poſtuláſti, allelúia. *Pſ.* 39. 7.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 4. *v.* 14. *ad finem, & C.* 5. *v.* 1. *ad* 4.

HAbéntes Pontíficem magnum qui penetrávit cœlos, Jeſum Fílium Dei, teneámus confeſſiónem. Non enim habémus Pontíficem qui non poſſit cómpati infirmitátibus noſtris; tentátum autem per ómnia pro ſimilitúdine abſque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut miſericórdiam conſequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno. Omnis namque Póntifex ex homínibus aſſúmptus, pro homínibus conſtitúitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrifícia pro peccátis; qui condolere poſſit iis, qui ignórant, & errant: quóniam & ipſe circúmdatus eſt infirmitáte: & proptérea debet, quēmadmodum pro pópulo, ita étiam & pro ſemetípſo offérre pro peccàtis.

℟. Non eſt mihi volúntas in vobis, dicit Dóminus: * Munus non ſuſcípiam de manu veſtra. Ab ortu ſolis uſque ad occáſum, magnum eſt nomen meum in géntibus: & in omni loco ſacrificátur, & offértur nómini meo oblátio munda. ℣. Umbram habens lex futurórum bonórum, numquam poteſt accedéntes perfectos fácere. * Munus non. *Malach.* 1. 10. 11. *Heb.* 10. 1.

Lectio ij. Cap. 5. *v.* 4. *ad* 11.

NEc quiſquam ſumit ſibi honórem; ſed qui vocátur à Deo tamquam Aáron. Sic & Chriſtus non ſemetípſum clarificávit ut Póntifex fíeret: ſed qui locútus eſt ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum & in álio loco dicit: Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech. Qui in diébus carnis ſuæ, preces ſupplicationéſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum fácere à morte, cum clamóre válido, & lácrymis ófferens, exaudítus eſt pro ſua reveréntia. Et quidem cùm eſſet Fílius Dei, dídicit ex iis, quæ paſſus eſt, obediéntiam: & conſummátus, factus eſt ómnibus obtemperántibus ſibi, cauſa ſalútis ætérnæ, appellátus à Deo Póntifex juxta órdinem Melchíſedech.

℟. Ecce vir Oriens nomen ejus: & ipſe éxtruet templum Dómino: & ipſe portábit glóriam, * Sedébit, & dominábitur, & erit Sacérdos ſuper ſólio ſuo. ℣. Jeſus ſecúndum órdinem Melchíſedech Póntifex factus in ætérnum. * Sedébit. *Zach.* 6. 12. 13. *Hebr.* 6. 20.

Lectio iij. Cap. 8. *v.* 1. *ad* 7.

TAlem habémus Pontíficem, qui conſédit in déxtera ſedis magnitúdinis in cœlis, ſanctórum miniſter,

& tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, & non homo. Omnis enim póntifex ad offeréndum múnera, & hóſtias conſtitúitur: unde necéſſe eſt & hunc habére áliquid, quod ófferat. Si ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet ſacérdos: cùm eſſent qui offérrent ſecúndùm legem múnera, qui exemplári & umbræ deſérviunt cœléſtium. Sicut reſpónſum eſt Móyſi, cùm conſummáret tabernáculum: Vide, inquit: ómnia fácito ſecúndùm exémplar, quod tibi oſténſum eſt in monte. Nunc autem mélius ſortítus eſt miniſtérium, quantò & melióris teſtaménti mediátor eſt, quod in melióribus repromiſſiónibus ſancítum eſt.

℟. Erunt Dómino offeréntes ſacrifícia in juſtítia. * Et placébit Dómino ſacrifícium Juda & Jeruſalem, ſicut anni antíqui. ℣. Lex conſtítuit ſacerdótes infirmitátem habéntes: ſermo autem jurisjurándi, qui poſt legem eſt, Fílium in ætérnum perféctum. * Et placébit Glória. * Et. *Malach.* 3. 3. 4. *Hebr.* 7. 28.

IN II. NOCTURNO.

In ſacrificio Melchiſedech, novi ſacrificii noſtri figura.

In Pſalmum 42. Judica me, Deus, & diſcerne, *pag.* 76.

Ant. t. 7. *a.* Introíbo ad altáre Dei; ad Deum qui lætíficat juventútem meam. *v.* 4.

In Pſal. 44. Eructávit cor meum, *pag.* 95.

Ant. t. 5. *F.* Unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. *v.* 8.

In Pſal. 49. Deus deórum Dóminus locútus eſt, *pag.* 30.

Ant. t. 8. *c.* Deus Deus tuus ego ſum; holocáuſta tua in conſpéctu meo ſunt ſemper. *v.* 7. 8.

℣. Sacrifícium laudis honorificábit me.

℟. Illic iter, quo oſténdam illi ſalutáre Dei, allelúia. *Pſ.* 49. 23.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lectio iv. Lib. 1. *contra adver. legis & Proph. Cap.* 20. *Num.* 39.

NOvérunt qui legunt, quid protúlerit Melchíſedech, quando benedíxit Abraham: & ſi jam ſunt partícipes ejus, vident tale ſacrifícium nunc offérri Deo toto orbe terrárum. Dei autem jurátio, incredulórum eſt increpátio. Et quòd Deum non pœnitébit, ſignificátio eſt, quia hoc ſacerdótium non mutábit. Mutávit quippe ſacerdótium ſecúndùm ordinem Aáron. Unde alius Prophéta dixit ad eum qui carnaliter eſt Iſrael: Non eſt mihi volúntas in vobis, dicit Dóminus omnípotens, & hóſtiam non accípiam de mánibus veſtris. Ecce quod eſt ſecúndùm órdinem Aáron. Cur autem hoc non accípiat, addit, & dicit: Quia ab ortu ſolis uſque ad occaſum glorificátum eſt

nomen meum in géntibus, & in omni loco incénſum offértur nómini meo, & hóſtia pura; quia magnum eſt nomen meum in géntibus, dicit Dóminus omnípotens. Ecce quod eſt ſecúndùm órdinem Melchíſedech.

℟. Melchíſedech rex Salem, próferens panem & vinum, (erat enim Sacérdos Dei altíſſimi.) Benedíxit Abraham, * Et ait: Benedíctus Abraham Deo excélſo: & dedit ei décimas. ℣. Intuémini quantus ſit hic, cui & décimas dedit de præcípuis Abraham Patriárcha, & hunc, qui habébat repromiſſiónes, benedíxit. * Et ait. *Gen.* 14. 18. 19. 20. *Hebr.* 7. 4. 6.

Lectio v. ex enarr. I. *in Pſ.* 33. *n.* 5.

Erat, ut noſtis, ſacrifícium Judæórum ántea ſecúndùm Aáron in víctimis pécorum, & hoc in myſtério. Nondum erat ſacrifícium córporis & ſánguinis Dómini, quod fidéles norunt, & qui Evangélium legérunt; quod ſacrifícium nunc diffúſum eſt toto orbe terrárum. Propónite ergo vobis ante óculos duo ſacrifícia, & illud ſecúndùm órdinem Aáron; & hoc ſecúndùm órdinẽ Melchíſedech. Scriptum eſt enim: Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum, Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech.

℟. Si prius teſtaméntum culpâ vacáſſet, non útique ſecúndi locus inquirerétur. Vitúperans enim eos dicit: Ecce dies vénient, dicit Dóminus: &* Conſummábo ſuper domum Juda teſtaméntum novum: dicéndo autem novũ veterávit prius. ℣. Audi, pópulus meus, & loquar: Iſrael, & teſtificábor tibi: Non accípiam de domo tua vítulos, neque de grégibus tuis hircos. * Conſummábo. *Hebr.* 8. 7. 8. 13. *Pſ.* 49. 7. 9.

Lectio vj. n. 5. *&* 6.

De quo dícitur: Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech? De Dómino noſtro Jeſu Chriſto. Quis erat Melchíſedech? Rex Salem: & tantus erat à quo benediceréturAbraham. Prótulit panem & vinum, & benedíxit Abraham, & dedit ei décimas Abraham. Vidéte quid prótulit, & quem benedíxit. Et dictum eſt póſtea: Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech. David hoc in ſpíritu dixit longè poſt Abraham: tempóribus autem Abrahæ fuit Melchíſedech. De quo álio dicit: Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech, niſi de illo cujus noſtis ſacrifícium? Sublátum eſt ergo ſacrifícium Aáron, & cœpit eſſe ſacrifícium ſecúndùm órdinem Melchíſedech; Dóminus noſ-

ter Jeſus Chriſtus in corpore & ſanguine ſuo vóluit eſſe ſalútem noſtram.

℟. Trãſláto ſacerdótio, * Secúndùm ſimilitúdinem Melchíſedech álius Sacérdos non ſecúndùm legem mandáti carnális factus eſt, ſed ſecúndùm virtútem vitæ inſolúbilis. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo: Ante lucíferum génui te: Tu es Sacérdos in ætérnum. * Secúndùm. Glória. * Secúndùm. *Hebr.* 7. 12. 15. 16. *Pſalm.* 109. 1. 3. 4.

IN III. NOCTURNO.

Sacerdotium noſtrum, ipſum eſt Chriſti ſacerdotium ſempiternum.

In Pſalmum. 83. Quàm diléćta tabernácula, *pag.* 99.

Ant. t. 6. *F.* Altária tua, Dómine virtútũ; Rex meus, & Deus meus. *v.* 4.

In Pſalm. 95. Cantáte Domino... cantáte, *pag.* 124.

Ant. t. 1. *irr.* Tóllite hóſtias, & introíte in átria ejus: adoráte Dóminum in atrio ſancto ejus. *v.* 8. 9.

In Pſalm. 98. Dóminus regnávit, iraſcantur, *pag.* 81.

Ant. t. 1. *D.* Exaltáte Dóminum Deum noſtrum, & adoráte ſcabéllum pedum ejus; quóniam ſanćtum eſt. *v.* 5.

℣. Sacríficent ſacrifícium laudis; ℟. Et annúntient ópera ejus in exultatione. *Pſ.* 106. 22.

Lećtio ſanćti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lećtio vij. Cap. 22. *v.* 14.

IN illo témpore; Cùm facta eſſet hora, diſcúbuit Jeſus, & duódecim Apóſtoli cum eo. Et ait illis: Deſidério deſiderávi hoc Paſcha manducáre vobíſcum, ántequam pátiar. Et réliqua.

Homilia ſanćti Cypriáni Epíſcopi & Mártyris.

Epiſt. 63. *ad Cæcilium de ſacro Dom. calice.*

IN ſacerdóte Melchíſedech ſacrifícii Domínici ſacraméntum præfigurátum vidémus, ſecúndum quòd Scriptúra divína teſtátur, & dicit: (Et Melchíſedech rex Salem prótulit panem & vinum.) Fuit autem ſacerdos Dei ſummi, & benedíxit Abraham. Quòd autem Melchíſedech typum Chriſti portáret, declárat in Pſalmis Spíritus ſanćtus, ex persóna Patris ad Fílium dicens: Ante lucíferum génui te: Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech. Qui ordo utique hic eſt de ſacrifício illo véniens, & inde deſcéndẽs; quòd Melchíſedech Sacérdos Dei ſummi fuit, quòd panem & vinum óbtulit, quòd Abraham benedíxit. Nam quis magis Sacérdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ſacrifícium Deo Patri óbtulit hoc idem quod Melchíſedech obtúlerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem?

℟. Omnis ſacérdos præſtò eſt

eſt quotídie miníſtrans, & eáſdem ſæpè ófferens hóſtias, quæ numquam poſſunt auférre peccáta. * Jeſus autem unâ oblatióne conſummávit in ſempitérnum ſanctificátos. ℣. Locútus eſt Dóminus ad Móyſen: Per ſíngulos dies unum agnum manè, álterum verò agnum ófferes ad véſperam. * Jeſus autem. *Hebr.* 10. 11. 14. *Exod.* 29. 38. 39. 41.

Lectio viij.

UT ergo in Géneſi per Melchíſedech ſacerdótem benedíctio circa Abraham poſſet ritè celebrári, præcédit antè imágo ſacrifícii Chriſti, in pane & vino ſcílicet conſtitúta. Quam rem perfíciens & adímplens Dóminus, panem & cálicem mixtum óbtulit; & qui eſt plenitúdo veritátis, veritátem præfiguráte imáginis adimplévit. Sed & per Salomónem Spíritus ſanctus typum Domínici ſacrifícii antè præmónſtrans immolátæ hóſtiæ, & panis & vini, ſed & altáris & Apoſtolórum fáciens mentiónem: Sapiéntia, inquit, ædificávit ſibi domum, & súbdidit colúmnas ſeptem; mactávit ſuas hóſtias, míſcuit in cratére vinum ſuum, & parávit menſam ſuam; & miſit ſervos ſuos, cónvocans cum excélsâ prædicatióne ad cratérem, dicens: Qui eſt insípiens, declínet ad me: Veníte, édite de meis pánibus, & bíbite vinum quod míſcui vobis. Vinum mixtum declárat, id eſt, cálicem Dómini aquâ & vino mixtum prophéticâ voce prænúntiat; ut appáreat in paſſióne Domínica id eſſe geſtum quod fúerat antè prædíctum.

℟. Alii plures facti ſunt ſacerdótes, idcírcò quòd morte prohiberéntur permanére: * Jeſus eò quòd máneat in ætérnum, ſempitérnum habet ſacerdótium. ℣. Aſcéndit Aáron ſacérdos in montem Hor, jubénte Dómino: & ibi mórtuus eſt. * Jeſus eò quòd. *Hebr.* 7. 23. 24. *Num.* 33. 38.

Lectio ix. ſub. finem.

SI Jeſus Chriſtus Dóminus & Deus noſter ipſe eſt ſummus Sacérdos Dei Patris; & ſacrifícium Patri ſeípſum primus óbtulit, & hoc fierì in ſuî commemoratiónem præcépit; útique ille Sacérdos vice Chriſti verè fúngitur, qui id quod Chriſtus fecit imitátur: & ſacrifícium verum & plenum tunc offert in Eccléſia Deo Patri, ſi ſic incípiat offérre ſecúndùm quod ipſum Chriſtum vídeat obtulíſſe.... Nam ſi Sacerdótes Dei & Chriſti ſumus, non invénio quem magis ſequi, quàm Deum & Chriſtum debeámus; quando ipſe in Evangélio máximè dicat: Ego ſum lumen mundi: qui me ſecútus fúerit, non ambulábit in ténebris, ſed habébit lumen vitæ. Ne

ergo in ténebris ambulémus, Chriſtum ſequi, & præcépta ejus obſerváre debemus; ut cum in claritáte ſua & majeſtáte cœléſti veníre cœperit, invéniat nos tenére quod mónuit, obſerváre quod dócuit, & fácere quod fecit.

℟. Dóminus Jeſus accépit panem, & grátias agens fregit, * Et dixit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem: ſimíliter & cálicem, dicens: Hic calix novum teſtaméntum eſt in meo ſánguine: † Hoc fácite quotieſcúmque bibétis, in meam commemoratiónem. ℣. Fecit Phaſe, quod immolátum eſt quartâ décimâ die menſis: & conſtítuit Sacerdótes in officiis ſuis. * Et dixit. Glória. † Hoc fácite. 1. *Cor.* 11. 23. 24. 25. 2. *Paral.* 35. 1. 2.

AD LAUDES.

Sacerdos & hoſtia, Chriſtus, qui ſibi ſuperſtes, ſemper eſt vivus ad interpellandum pro nobis.

℣. *Sacerdot.* Congregáte illi ſanctos ejus, ℟. Qui órdinant teſtaméntum ejus ſuper ſacrifícia, allel. *Pſ.* 49. 5.

Pſalmi de Dominica. Canticum ut in feſto.

Ant. t. 5. *a.* Melióris teſtaménti ſponſor factus eſt Jeſus: hic eò quòd máneat in ætérnum, ſempitérnum habet ſacerdótium, allel. *Hebr.* 7. 22. 24.

Ant. t. 3. *E.* Talis decébat ut nobis eſſet Póntifex, ſanctus, ínnocens, impollútus, ſegregátus à peccatóribus, allel. *Heb.* 7. 26.

Ant. t. 1. *irr.* Salváre in perpétuum poteſt accedéntes per ſemetípſum ad Deum; ſemper vivens ad interpellándum pro nobis, allelúia. *Hebr.* 7. 25.

Ant. t. 3. *a.* Habéntes ergo Pontíficem magnum, Jeſum Fílium Dei, teneámus confeſſiónem, allel. *Hebr.* 4. 14.

Ant. t. 4. *E.* Per ipſum offerámus hóſtiam laudis ſemper Deo, allel. *Hebr.* 13. 15.

Capitulum. Hebr. 5. 8. 9. 10.

Chriſtus cùm eſſet Fílius Dei dídicit ex iis, quæ paſſus eſt, obediéntiam; & conſummátus, factus eſt ómnibus obtemperántibus ſibi, cauſa ſalútis ætérnæ, appellátus à Deo Póntifex juxta órdinem Melchíſedech.

℣. Acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, ℟. Oblatiónes, & holocáuſta, allel. *Pſ.* 50. 21.

Ad Bened. *Ant. t.* 5. *a.* Chriſtus diléxit nos, & trádidit ſemetípſum pro nobis oblatiónem & hóſtiam Deo in odorem ſuavitátis, allel. *Epheſ.* 5. 2.

Oratio.

Deus, qui Unigénitum tuum dediſti ſummum Sacerdótem, eíque ad ſacrificándum tibi hoſtiam mundam Sacerdótes miniſtros ſociáſti: quæſumus, ut omnes qui vocatióne tam ſanctâ dignáti ſunt, altári tuo de-

votè miniſtrent, & ſe ipſos hóſtiam vivam & ſanctam offérre mereantur; Per eúmdem, &c.

Ad Horas breves Antiphonæ de Laudibus, quartâ omiſſâ: Pſalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ad ℟. br. ℣. Qui es Sacérdos in ætérnum. *Hebr. 5. 6.*

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 22. Can. 2.

SI quis díxerit illis verbis, Hoc facite in meam commemoratiónem, Chriſtum non inſtituíſſe Apóſtolos, Sacerdótes; aut non ordináſſe, ut ipſi aliíque Sacerdótes offérrent corpus & sánguinem ſuum; anathéma ſit.

AD TERTIAM.

Capitulum. Hebr. 4. 15. 16.

NOn habémus Pontíficem qui non poſſit cómpati infirmitatibus noſtris; tentátum autem per ómnia pro ſimilitúdine abſque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ.

℟. Habéntes fidúciam in intróitu ſanctórum in sánguine Chriſti, quam initiávit nobis viam novam, & viséntem per velámen, id eſt, carnem ſuam, & Sacerdótem magnum ſuper domum Dei: * Accedámus cum vero corde & plenitúdine fidei, aſpérſi corda à conſciéntia mala. ℣. Dixit Dóminus: Sacerdótes incénſum Dómini, & panes Dei ſui ófferunt, & ídeò ſancti erunt.* Accedámus. Glória.* Accedamus. *Hebr.* 10. 19. 20. 21. 22. *Lev.* 21. 1. 6.

℣. Sacrificábo hóſtiam laudis, ℟. Et nomen Dómini invocábo. *Pſ.* 115. 17.

AD SEXTAM.

Capitulum. Hebr. 8. 6.

MElius ſortitus eſt miniſtérium Jeſus, quantò & melióris teſtaménti mediátor eſt, quod in melióribus repromiſſiónibus ſancítum eſt.

℟. *br.* Memor ſit Dóminus ſacrifícii tui. * Allelúia, allel. Memor. ℣. Et holocauſtum tuum pingue fiat.* Allelúia. Glória. Memor. *Pſ.* 19. 4.

℣. Lætábimur in ſalutári tuo; ℟. Et in nómine Dei noſtri magnificábimur, allel. *Pſ.* 19. 6.

AD NONAM.

Capitulum. Hebr. 8. 1. 2.

TAlem habémus Pontíficem, qui consédit in déxtera ſedis magnitúdinis in cœlis, ſanctorum miniſter, & tabernáculi veri, quod fixit Dñus, & non homo.

℟. *br.* Salvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum: * Allel. all. Salvum. ℣. Exáudiet illum de cœlo ſancto ſuo. * Allelúia. Glória. Salvum. *Pſ.* 19. 7.

℣. Mirificávit Dóminus Sanctum ſuum: ℟. Dóminus exaudiet me cùm clamávero ad eum, allelúia. *Pſ.* 4. 4.

AD II. VESPERAS.

Dignè vocatione ſuâ ambulent, qui ſacerdotii Chriſti participes vocati ſunt.

In Pſalmum 109. Dixit Dóminus, *pag.* 24.

Ant. t. 8. *a.* DIgnus eſt Agnus, qui occíſus eſt, accípere virtútem, & divinitátem, & glóriam, & benedictiónem, allelúia. *Apoc.* 5. 12.

In Pſal. 115. Crédidi propter quod, *pag.* 91.

Ant. t. 5. *a.* Fecit nos regnum & ſacerdótes Deo & Patri ſuo: ipſi glória, & impérium in ſæcula, allelúia. *Apoc.* 1. 6.

In Pſalm. 121. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt, *pag.* 111.

Ant. t. 1. *irr.* Tamquam lápides vivi ſuperædificámini, domus ſpirituális, ſacerdótium ſanctum, offérre ſpirituáles hóſtias, acceptábiles Deo per Jeſum Chriſtum, allel. 1. *Petr.* 2. 5.

In Pſalmum 131. Meménto, Dómine, David, *p.* 112.

Ant. t. 6. *F.* Vos genus eléctum, regále ſacerdótium, gens ſanctá; ut virtútes annuntiétis ejus, qui vos vocávit, allel. 1. *Pet.* 2. 9.

In Pſalm. 147. Lauda, Jeruſalem, Dóminum, *pag.* 93.

Ant. t. 4. *E.* Sancti, vocatiónis cœléſtis partícipes, conſideráte Pontíficem confeſſiónis noſtræ Jeſum, allel. *Hebr.* 3. 1.

Capitulum. 1. *Cor.* 10. 16.

CAlix benedictiónis, cui benedícimus, nonne cōmunicátio ſánguinis Chriſti eſt? & panis, quem frángimus, nonne participátio córporis Dómini eſt?

HYMNUS.

CEſſant figúræ: non litat ímpares
Impar ſacérdos ámpliùs hóſtias;
Jam Póntifex fit umen ipſum:
Seque ſibi Deus agnus offert.

Vitam cruéntus qui ſemel óbtulit,
Se non cruéntum júgiter ímmolat
Mactátus aris, & renáſcens
Perpétuò, moriéndo vivit.

Ad grande munus nos Deus érigit,
Quos ungit intus ſacríficos ſibi:
Pondus cadúci ſuſtinémus
Angélicis húmeris treméndum.

O quàm ſtupéndæ quas ágimus vices!
Quem prona cœli cúria ſúſpicit,
Noſtris ad aras imperátis
Se dócilis Deus ipſe ſiſtit.

Chriſtum, Sacérdos, cœlitùs évocas,
Per te creátur, qui creat ómnia;
Immótus orbem, qui gubérnat,
Se tibi dat fácilem movéri.

Non impoténti críminis árbiter
Verbo resólvis férrea vincula:
Quas fers magiſtrâ voce, Numen
Ecce ſibi putat eſſe leges.
Laus ſumma Patri, ſúmmaque Filio
Sit, ſancte, compar laus tibi, Spíritus,
Quo Chriſtus aris per miníſtros
Hóſtia ſtat ſimul & Sacérdos. Amen.

℣. Sacrificáte ſacrifícium juſtítiæ, ℟. Et ſperáte in Dómino, allelúia. *Pſ.* 4. 6.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *a.* Consúrge, Dómine Deus, in réquiem tuam, tu & arca fortitúdinis tuæ: Sacerdótes tui induántur ſalútem, & Sancti tui læténtur in bonis, allelúia. 2. *Par.* 6. 41.

Oratio ut in Laudibus.

FERIA SEXTA.

Officium ut in Pſalterio.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 8. *v.* 1. *ad* 10.

FActum eſt cùm ſenuíſſet Sámuel, póſuit fílios ſuos júdices Iſrael. Fuítque nomen fílii ejus primogéniti, Joel; & nomen ſecúndi, Abía, júdicum in Berſabee. Et non ambulavérunt fílii illíus in viis ejus; ſed declinavérunt poſt avarítiam, acceperúntque múnera, & pervertérunt judícium. Congregáti ergo univérſi majores natu Iſrael, venérunt ad Samuélem in Rámatha Dixerúntque ei: Ecce tu ſenuíſti, & fílii tui non ámbulant in viis tuis: conſtítue nobis regem, ut júdicet nos, ſicut & univérſæ habent natiónes. Diſplícuit ſermo in óculis Samuélis, eò quòd dixíſſent: Da nobis regem, ut júdicet nos. Et orávit Sámuel ad Dóminum. Dixit autem Dóminus ad Samuélem: Audi vocem pópuli in ómnibus quæ loquúntur tibi; non enim te abjecérunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Juxta ómnia ópera ſua, quæ fecérunt à die quâ edúxi eos de Ægypto uſque ad diem hanc, ſicut dereliquérunt me, & ſerviérunt diis aliénis, ſic fáciunt étiam tibi. Nunc ergo vocem eórum audi; verúmtamen conteſtáre eos, & prædic eis jus regis, qui regnatúrus eſt ſuper eos.

℟. Diléctus à Dómino Deo ſuo Samuel Prophéta Dómini, renovávit impérium: in lege Dómini congregatiónem judicávit. * Et cógnitus eſt in verbis ſuis fidélis, quia vidit Deum lucis. ℣. Fuit gratus Deo, & erat potens in verbis, & in opéribus ſuis. * Et cógnitus. *Eccli.* 46. 16. 17. 18. *Act.* 7. 20. 22.

Lectio ij. v. 10. *ad* 19.

DIxit itaque Sámuel ómnia verba Dómini ad pópulum, qui petíerat à ſe regem, & ait: Hoc erit jus regis, qui imperatúrus eſt vobis; Fílios veſtros tollet,

& ponet in cúrribus ſuis, faciétque ſibi équites & præcursóres quadrigárum ſuárum, & conſtítuet ſibi tribúnos, & centurióncs, & aratóres agrórum ſuórum, & meſſóres ſégetum, & fabros armórum, & cúrruum ſuórum. Filias quóque veſtras fáciet ſibi unguentárias, & focárias, & paníficas. Agros quoque veſtros, & víneas, & olivéta óptima tollet, & dabit ſervis ſuis. Sed & ſégetes veſtras, & vineárum rédditus addecimábit ut det eunúchis & fámulis ſuis. Servos étiam veſtros, & ancíllas, & júvenes óptimos, & áſinos áuferet, & ponet in ópere ſuo. Greges quoque veſtros addecimábit, vóſque éritis ei ſervi. Et clamábitis in die illa à fácie regis veſtri, quem elegíſtis vobis: & non exáudiet vos Dóminus in die illa, quia petíſtis vobis regem.

℟. Ait Sámuel ad univérſam domum Iſrael: Si in toto corde veſtro revertímini ad Dóminum, * Auférte deos aliénos de médio veſtri: & præparáte corda veſtra Dómino, & ſervíte ei ſoli. ℣. Scriptum eſt: Dóminum Deum tuum adorábis, & illi ſoli ſérvies. * Auférte. 1. *Reg.* 7. 3. *Matth.* 4. 10.

Lectio iij. v. 19. ad finem.

Noluit autem pópulus audíre vocem Samuélis, ſed dixérunt: Nequáquam: rex enim erit ſuper nos, & érimus nos quoque ſicut omnes gentes: & judicábit nos rex noſter, & egrediétur ante nos, & pugnábit bella noſtra pro nobis. Et audívit Sámuel ómnia verba pópuli, & locútus eſt ea in áuribus Dómini. Dixit autem Dóminus ad Samuélem: Audi vocem eórum, & conſtítue ſuper eos regem. Et ait Sámuel ad viros Iſrael: Vadat unusquíſque in civitátem ſuam.

℟. Servíte Dómino in omni corde veſtro, * Et nolíte declináre poſt vana quæ non próderunt vobis; † Et non derelínquet Dóminus pópulum ſuum. ℣. Nolíte dilígere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. * Et nolíte. Glória. † Et non derelínquet. 1. *Reg.* 12. 20. 21. 22. 1. *Joan.* 2. 15.

CANON

Ex Concílio Narbonénſi.

Ann. 1609. *C.* 32.

Parochi per ſeipſos ſacraménta miníſtrent & múnera, atque offícia ſuárum Eccleſiárum præſtent: neque ab ipſis étiam ſecundáriis, niſi juſtâ causâ deténti, fieri aut miniſtrári permíttant.

SABBATO.

Hodie & ſequentibus Sabbatis uſque ad Adventum, fit Officium de B. Maria Virg. niſi occurrat Feſtum Duplex vel Semidupl. in his Sabbatis, fit

etiam Officium de Dupl. vel Semidupl. tranſlato.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 9. v. 1. ad 7.

ERat vir de Bénjamin nómine Cis, fílius Abiel, fílii Seror, fílii Béchorath, fílii Aphia, fílii viri Jémini, fortis róbore. Et erat ei fílius vocábulo Saül, eléctus & bonus: & non erat vir de fíliis Iſrael mélior illo. Ab húmero & ſurſum eminébat ſuper omnem pópulum. Períerant autem áſinæ Cis patris Saül: & dixit Cis ad Saül fílium ſuum: Tolle tecum unum de púeris, & consúrgens vade, & quære áſinas. Qui cùm tranſíſſent per montem Ephraim, & per terram Sáliſa, & non inveníſſent, tranſiérunt étiam per terram Salim, & non erant; ſed & per terram Jémini, & mínimè reperérunt. Cùm autem veníſſent in terram Suph, dixit Saül ad púerum qui erat cum eo: Veni, & revertámur, ne fortè dimíſerit pater meus áſinas, & ſollícitus ſit pro nobis. Qui ait ei: Ecce vir Dei eſt in civitáte hac, vir nóbilis; omne quod lóquitur, ſine ambiguitáte venit. Nunc ergo eámus illuc, ſi fortè índicet nobis de via noſtra, propter quam vénimus.

Non dantur hîc ℟. ℟. ℟. quia ſumuntur de Beata; vel de Feſto occurrente juxta Officium diei; & hoc notandum pro omnibus Sabbatis uſque ad Adventum.

Lectio ij. v. 14. ad 18.

CUmque illi ambulárent in médio urbis, appáruit Sámuel egrédiens obviàm eis, ut aſcénderet in excélſum. Dóminus autem reveláverat aurículam Samuélis ante unam diem quàm veníret Saül, dicens: Hâc ipsâ horâ, quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te de terra Bénjamin, & unges eum ducem ſuper pópulum meum Iſrael: & ſalvábit pópulum meum de manu Philiſthinórum; quia reſpéxi pópulum meum, venit enim clamor eórum ad me. Cùmque aſpexíſſet Sámuël Saülem, Dóminus dixit ei: Ecce vir quem díxeram tibi; iſte dominábitur pópulo meo.

Lectio iij. Cap. 10. v. 1. ad 7.

TUlit autem Sámuel lentículam ólei, & effúdit ſuper caput ejus, & deoſculátus eſt eum, & ait: Ecce, unxit te Dóminus ſuper hæreditátem ſuam in príncipem, & liberábis pópulum ſuum de mánibus inimicórum ejus, qui in circúitu ejus ſunt. Et hoc tibi ſignum, quia unxit te Deus in príncipem. Cùm abíeris hódie à me, invénies duos viros juxta ſepúlchrum Rachel in fínibus Bénjamin, in merídie dicéntque tibi: Invéntæ ſunt

áſinæ, ad quas ieras perquiréndas: & intermíſſis pater tuus áſinis, ſollícitus eſt pro vobis, & dicit: Quid fáciam de fílio meo? Cùmque abíeris inde, & ultrà transíeris, & véneris ad quercum Thabor, invénient te ibi tres viri aſcendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hœdos, & álius tres tortas panis, & álius portans lagénam vini. Cùmque te ſalutáverint, dabunt tibi duos panes, & accípies de manu eórum. Poſt hæc vénies in collem Dei, ubi eſt ſtátio Philiſthinórum: & cùm ingréſſus fúeris ibi urbem, óbvium habébis gregem prophetárum deſcendéntium de excélſo, & ante eos pſaltérium & tympanum, & tíbiam, & cítharam, ipsóſque prophetántes. Et insíliet in te Spíritus Dómini, & prophetábis cum eis, & mutáberis in virum álium.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

Ann. 1585. *Tit. de Paroch.*

PArochi perpétuò Eccléſiæ ſuæ aſsíſtant, & gregi invígilent: ſint zelántes in ſalúte fidélium procurándâ: ſit vígilans eórum cura erga infírmos: ſit accuráta inſtántia in Feſtórum diérum cultu obſervándo: ſit díligens eórum cura in ſcholis doctrínæ Chriſtiánæ: ſint eórum mónita ſalutária: ſit magna vigilántia in réliquis Parochiális múneris pártibus.

Ad Magnif. *Ant. t. 6. f.* Multò mélior eſt obediéntia, quàm ſtultórum víctimæ, qui néſciunt quid fáciunt mali. *Eccl. 4. 17.*

℣. *ex Pſalterio. Oratio ut infrà in Laudibus.*

DOMINICA III.

POST PENTECOSTEN.

Officium ut in Pſalterio.

IN I. NOCTURNO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 13. v. 1. ad 5.

FIlius uníus anni erat Saül cùm regnáre cœpíſſet; duóbus autem annis regnávit ſuper Iſrael. Et elégit ſibi Saül tria míllia de Iſrael: & erant cum Saül duo míllia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem cum Jónatha in Gábaa Bénjamin: porrò cæterum pópulum remíſit unúmquémque in tabernácula ſua. Et percúſſit Jónathas ſtatiónem Philiſthinórum, quæ erat in Gábaa. Quod cùm audíſſent Philíſthiim, Saül cécinit búccinâ in omni terra, dicens: Aúdiant Hebræi. Et univérſus Iſrael audívit hujuſcémodi famam: Percúſſit Saül ſtatiónem Philiſthinórum; & eréxit ſe Iſrael advérsùs Philiſthiim. Clamávit ergo pópulus poſt Saül in Gálgala.

℟. Deus plebis Iſrael elégit patres noſtros; ſorte diſtríbuit eis terram géntium, & dedit júdices uſque ad

Sámuel Prophétam. Exínde poſtulavérunt regem: * Et dedit illis Saül virum de tribu Bénjamin. ℣. Dixérunt majóres natu Iſrael Samuéli: Conſtítue nobis regem, ut júdicet nos. * Et dedit. *Act.* 13. 17. 19. 20. 21. 1. *Reg.* 8. 5.

Lectio ij. v. 5. ad 9.

ET Philiſthiim congregáti ſunt ad præliándũ contra Iſrael, trigínta míllia cúrruum, & ſex míllia équitum, & réliquum vulgus, ſicut aréna quæ eſt in líttore maris plúrima. Et aſcendéntes caſtrametáti ſunt in Machmas ad Oriéntem Béthaven. Quod cùm vidíſſent viri Iſrael ſe in arcto póſitos, (afflíctus enim erat pópulus.) abſcondérunt ſe in ſpeluncis, & in ábditis, in petris quoque, & in antris, & in ciſtérnis. Hebræi autem tranſiérunt Jordánem in terram Gad & Gálaad. Cùmque adhuc eſſet Saül in Gálgala, univérſus pópulus pertérritus eſt, qui ſequebátur eum. Et expectávit ſeptem diébus juxta plácitum Samuélis, & non venit Sámuel in Gálgala, dilapſúſque eſt pópulus ab eo.

℟. Cuncta quæ in cœlo ſunt, & in terra, tua ſunt: * Tuum, Dómine, regnum, & tu es ſuper omnes príncipes. ℣. Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi. * Tuum, Dómine. 1. *Paral.* 29. 11. *Hebr.* 1. 8.

Lectio iij. v. 9. ad 15.

AIt ergo Saül: Afférte mihi holocáuſtum, & pacífica. Et óbtulit holocáuſtum. Cùmque compléſſet offerens holocáuſtum, ecce Sámuel veniébat, & egréſſus eſt Saül óbviàm ei ut ſalutáret eum. Locutúſque eſt ad eum Sámuel: Quid feciſti? Reſpóndit Saül: Quia vidi quòd pópulus dilaberétur à me, & tu non véneras juxta plácitos dies, porrò Philíſthiim congregáti fúerant in Machmas, dixi: Nunc deſcéndent Philíſthiim ad me in Gálgala, & fáciem Dñi non placávi. Neceſſitáte compúlſus, óbtuli holocáuſtum. Dixítque Sámuel ad Saül: Stultè egiſti, nec cuſtodíſti mandáta Dómini Dei tui, quæ præcépit tibi. Quod ſi non feciſſes, jam nunc præparáſſet Dóminus regnũ tuum ſuper Iſrael in ſempitérnum; ſed nequáquam regnũ tuum ultrà conſúrget. Quæſívit Dóminus ſibi virum juxta cor ſuum; & præcépit ei Dóminus, ut eſſet dux ſuper pópulum ſuum, eò quòd non ſerváveris quæ præcépit Dóminus.

℟. Nunc, reges, intellígite: erudímini, qui judicátis terram. * Servíte Dómino in timóre; & exultáte ei cum tremóre. Apprehéndite diſciplínam, nequándo iraſcátur Dóminus. ℣. Quóniam Dóminus dominórum eſt, & Rex regum. * Servíte.

Glória. * Servíte. *Pſ.* 2. 10. 11. 12. *Apoc.* 17. 14.

IN II. NOCTURNO,

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Lectio iv. de Sacerd. Lib. 4. Cap. 1.

OPtárim ego illam opiniónem veram eſſe, ut qui rectè non aſpírant ad múneris públici præfectúram, etſi míllies eos dicas vi pertráctos fuíſſe atque ignorántiâ peccáſſe, effúgere poſſint ignem ætérnum, nec pérditi cum hypócritis & infidélibus partem hábeât. Verùm quid tibi fáciam? Non ita ſe res habet, non ita ſanè. Ac ſi vis, ut à regno primùm quòd apud Deum tanti non eſt quanti ſacerdótium, eórum quæ dixi, fidem fáciam. Saül ille fílius Cis, non ſuópte motu & curâ rex factus eſt; ſed ábiit ut quæreret áſinas, & ſuper iis Prophétam interrogáre cœpit: ille verò de regno ipſum allocútus eſt. Neque tamen ille ſtatim regnum ádiit, licèt id à Prophéta audíſſet; ſed deprecabátur, retardabátque, dicens: Quis ſum ego, & quæ domus patris mei? Quid ergo? An, cùm honóre ſibi per Deum trádito malè uſus eſſet, pótuit his verbis éximi ab ira ejus, qui ſe in regem conſtitúerat?

℟. Dixit Sámuel ad Saül: Pércute Amalec, non parcas ei. Et pepércit Saül Agag: & ait Sámuel ad Saül: * Pro eo quòd abjeciſti ſermónem Dómini, abjécit te Dóminus. ℣. Quicúmque totam legem ſerváverit, offéndat autem in uno, factus eſt ómniū reus. * Pro eo quòd. 1. *Reg.* 15. 1. 3. 9. 16. 23. *Jac.* 2. 10.

Lectio v.

ATqui póterat ad Samuélem increpántem dícere: Num ego regnum inváſi? Num inſilívi in hanc poténtiam? Vitam privátam, otióſam & quiétam dúcere volébam: tu verò me in hanc dignitátem pertraxíſti. Si in illa humilitáte permanſíſſem, hæc offendícula fácilè declináſſem: nam cùm ex vulgárium & ignobílium eſſem número, ad hoc opus miſſus numquam fuíſſem: neque mihi bellum contra Amalecítas Deus commiſíſſet; quo mihi non commíſſo, in peccátum hujúſmodi numquam incidíſſem. Verùm hæc ómnia ad defenſiónem infírma ſunt; nec infírma modò, ſed periculóſa, quæ Dei magis iram accéndant.

℟. Numquid vult Dóminus holocáuſta & víctimas, & non pótiùs ut obediátur voci Dómini? * Mélior eſt obediéntia quàm víctimæ. ℣. Qui permánſerit in lege, factor óperis, hic beátus in facto ſuo erit: * Mélior eſt. 1. *Reg.* 15. 22. *Jacob.* 1. 25.

Lectio vj.

EUm enim, qui méritis majórem dignitátem accépit, non opórtet ad peccatórum excuſatiónem honóris magnitúdinem obténdere; ſed ad majórem in virtute profectum uti magno illo Dei erga ſe ſtúdio. Ille verò, quia melióorem nactus dignitátem, ideò peccáre ſibi lícitum eſſe exiſtimábat, nihil áliud, quàm Dei cleméntiam peccatórum ſuórum cauſam fácere conátus eſt: quod ſanè ímpiis, & iis qui vitam ignávè ducunt mos eſt dícere. Nos autem non ſic afféctos eſſe, nec in ſímilem decídere inſániam decet; ſed ubíque curáre ut quæ facultátis noſtræ ſunt adhibeámus, ac bene de Deo cogitémus & loquámur.

℟. Ne adincréſcant ignorántiæ meæ, & multiplicéntur delícta mea, & peccáta mea abúndent, & íncidam in conſpéctu adverſariórum meórum. * Dómine, Pater, & Deus vitæ meæ, ne derelínquas me. ℣. Sufficiéntia noſtra ex Deo eſt. * Dómine. Glória. * Dómine. *Eccli.* 23. 3. 4. 2. *Cor.* 3. 5.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 15. *v.* 1.

IN illo témpore; Erant appropinquántes Jeſu publicáni, & peccatóres, ut audírent illum. Et murmurábant Phariſæi, & Scribæ, dicéntes: Quia hic peccatóres récipit, & mandúcat cum illis. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 34. *in Evangelium.*

COnſiderándum nobis eſt, fratres mei, cur Dóminus plus de convérſis peccatóribus, quàm de ſtántibus juſtis, in cœlo gáudium eſſe fateátur. Unde hoc? niſi quòd ipſi per quotidiánum viſiónis experiméntum nóvimus, quia plerúmque hi qui nullis ſe oppréſſos peccatórum mólibus ſciunt, ſtant quidem in via juſtítiæ, nulla illícita pérpetrant, ſed tamen ad cœléſtem pátriam ánxiè non anhélant, tantòque ſibi in rebus lícitis uſum præbent, quantò ſe perpetráſſe nulla illícita meminérunt. Et plerúmque pigri rémanent ad exercénda bona præcípua; quia valde ſibi ſecúri ſunt, quòd nulla commíſerint mala gravióra.

℟. Confitéberis vivens, & laudábis Deum, & gloriáberis in miſeratiónibus illíus. * Quàm magna miſericórdia Dómini, & propitiátio illíus, converténtibus ad ſe! ℣. Erant appropinquántes Jeſu publicáni, & peccatóres. Et murmurábant Phariſæi, dicéntes: Quia hic peccatóres récipit. * Quàm magna. *Eccli.* 17. 27. 28. *Luc.* 15. 1. 2.

Lectio viij.

AT contra, nonnumquam hi qui ſe aliqua illícita egiſſe meminérunt, ex ipſo ſuo dolóre compúncti, inardéſcunt in amórem Dei, ſeséque in magnis virtútibus exercent, cuncta difficília ſancti certáminis áppetunt, ómnia mundi derelínquunt, honóres fúgiunt, accéptis contuméliis lætántur, flagrant deſidério, ad cœléſtem patriam anhélant; & quia ſe erráſſe à Deo consíderant, damna præcedéntia lucris ſequéntibus recompénſant. Majus ergo de peccatóre convérſo, quàm de ſtante juſto gáudium fit in cœlo; quia & dux in prælio plus eum mílitem díligit, qui poſt fugam revérſus hoſtem fórtiter premit, quàm illum qui numquam terga præbuit, & numquam áliquid fórtiter geſſit. Sic agrícola ámpliùs illam terram amat, quæ poſt ſpinas úberes fruges profert, quàm eam, quæ numquam ſpinas hábuit, & numquam fértilem meſſem prodúcit.

℟. Eos qui exérrant, Dómine, córripis: & de quibus peccant, ádmones & allóqueris; ut relíctâ malítiâ, credant in te, Dómine: quóniam * Das locum in peccátis pœniténtiæ. ℣. Nolens áliquos períre, ſed omnes ad pœniténtiam revérti. * Das locum. *Sap.* 12. 2. 19. 2. *Pet.* 3. 9.

Lectio ix.

SEd inter hæc ſciéndum eſt, quia ſunt pleríque juſti, in quorum vita tantum eſt gáudium, ut eis quælibet peccatórum pœniténtia præpóni nullátenus poſſit. Nam multi, & nullórum ſibi malórum ſunt cónſcii; & tamen in tanti ardóris afflictióne ſe exércent, ac ſi à peccátis ómnibus coanguſténtur. Cuncta étiam lícita réſpuunt, ad deſpéctum mundi ſublímiter accingúntur, licére ſibi nolunt omne quódlibet, bona ſibi ámputant étiam concéſſa, comtémnunt viſibília, inviſibílibus accendúntur, laméntis gaudent, in cunctis ſemetípſos humíliant; & ſicut nonnúlli peccáta óperũ, ſic ipſi cogitatiónum peccáta deplórant. Quid ítaque iſtos díxerim, niſi & juſtos & pœniténtes, qui ſe & in pœniténtia de peccáto cogitatiónis humíliant, & recti ſemper in ópere perſevérant? Hinc ergo colligéndum eſt quantum Deo gáudium fáciat, quando humíliter plangit juſtus, ſi facit in cœlo gáudium, quando hoc quod malè geſſit, per pœniténtiam damnat injúſtus.

℟. Miſeréris ómnium, Dómine, & diſsímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam. * Díligis enim ómnia quæ ſunt, & nihil odíſti eórum quæ feciſti. ℣. Par-

nis ómnibus : quóniam tua ſunt, Dómine, qui amas ánimas. ℣. Gáudium erit coram Angelis ſuper uno peccatóre pœniténtiã agénte. * Díligis enim. Glória. † Parcis. *Sap.* 11. 24. 25. 27. *Luc.* 15. 10.

Te Deum.

Ad Bened. *Ant. t.* 6. *f.* Congratulámini mihi, quia invéni ovem meam, quæ períerat. *Luc.* 15. 6.

Oratio.

DEus, qui omnipoténtiám tuam parcéndo máximè & miſerándo maniféſtas ; multíplica ſuper nos miſericórdiam tuam ; ut ad tua promíſſa curréntes cœléſtium bonórum fácias eſſe consórtes ; Per, &c.

CANON

Ex Canónibus Apoſtolórum. *Ante An.* 300. *Cap.* 30.

SI quis Epíſcopus, aut Présbyter, aut Diáconus per pecúnias hanc obtinúerit dignitátem, dejiciátur ; & ipſe & Ordinátor eius à communióne modis ómnibus abſcindátur, ſicut & Simon magus à Petro.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *a.* Múlier ſi perdíderit drachmam unam, quærit diligénter ; & cùm invénerit, cónvocat amícas, dicens : Congratulámini mihi, quia invéni drachmam, quam perdíderam. *Luc.* 15. 8. 9.

Oratio de Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap 14. *v.* 6. *ad* 11.

DIxit Jónathas ad adoleſcéntem armígerum ſuum : Veni, transeamus ad ſtatiónem incircumciſórum horum, ſi fortè faciat Dóminus pro nobis ; quia non eſt Dómino difficile ſalváre, vel in multis, vel in paucis. Dixítque ei ármiger ſuus : Fac ómnia quæ placent ánimo tuo : perge quò cupis, & ero tecum ubicúmque volúeris. Et ait Jónathas : Ecce nos transímus ad viros iſtos. Cùmque apparuérimus eis, ſi táliter locúti fúerint ad nos : Manéte donec veniámus ad vos ; ſtémus in loco noſtro, nec aſcendámus ad eos. Si autem díxerint, Aſcéndite ad nos : aſcendámus, quia trádidit eos Dóminus in mánibus noſtris : hoc erit nobis ſignum.

℟. Deus plebis, *ex* 1. *Noct. Dominicæ. pag.* 216.

Lectio ij. v. 11. *ad* 16.

APpáruit ígitur utérque ſtatióni Philiſthinórum, dixerúntque Philíſthiim : En Hebræi egrediúntur de cavérnis in quibus abſcónditi fúerant. Et locúti ſunt viri de ſtatióne ad Jónatham, & ad armígerum ejus, dixerúntque : Aſcéndite ad nos, & oſtendémus vobis rem. Et ait Jónathas ad armígerum ſuum : Aſcendamus, ſéquere me ; trádidit enim Dóminus eos in manus Iſrael. Aſcéndit autem Jónathas, mánibus & pédibus reptans,

& ármiger ejus poſt eum. Itaque álii cadébant ante Jónatham, álios ármiger ejus interficiébat ſequens eum. Et facta eſt plaga prima, quâ percúſſit Jónathas & ármiger ejus, quaſi vigínti virórum in média parte júgeri, quam par boum in die aráre conſuévit. Et factum eſt miráculum in caſtris per agros: ſed & omnis pópulus ſtatiónis eórum qui ierant ad prædándum, obſtúpuit, & conturbáta eſt terra; & áccidit quaſi miráculum à Deo.

℟. Cuncta, *pag.* 217.

Lectio iij. v. 16. *ad* 21.

ET reſpexérunt ſpeculatóres Saül qui erant in Gábaa Bénjamin, & ecce multitúdo proſtráta, & huc illúcque diffúgiens. Et ait Saül pópulo, qui erat cum eo: Requírite, & vidéte quis abíerit ex nobis. Cùmque requisíſſent, repértum eſt non adéſſe Jónatham, & armígerum ejus. Et ait Saül ad Achiam: Applica arcam Dei. (Erat enim ibi arca Dei in die illa cum fíliis Iſrael.) Cùmque loquerétur Saül ad ſacerdótem, tumúltus magnus exórtus eſt in caſtris Philiſthinórum: creſcebátque paulátim, & clárius reſonábat. Et ait Saül ad ſacerdótem: Cóntrahe manum tuam. Conclamávit ergo Saül, & omnis pópulus qui erat cum eo, & venérunt uſque ad locum certáminis: & ecce verſus fúerat gládius uniuſcujúſque ad próximum ſuum, & cædes magna nimis.

℟. Nunc, reges, *pag.* 215.

CANON

Ex Concílio Lateranénſi tértio œcuménico.

Ann. 1179. *Can.* 8.

NUlla Eccleſiáſtica miniſtéria, ſeu étiam benefícia, vel Eccléſiæ alícui tribuántur, ſeu promittántur ántequam vacent; ne deſideráre quis mortem próximi videatur, in cujus locum & benefícium ſe credíderit ſucceſſúrum.

FERIA TERTIA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 15. *v.* 1. *ad* 4. *&* 7. *ad* 12.

DIxit Sámuel ad Saül: Me miſit Dóminus, ut úngerem te in regem ſuper pópulum ejus Iſrael: nunc ergo audi vocem Dómini: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Recénſui quæcumque fecit Amalec Iſraeli, quómodo réſtitit ei in via cùm aſcénderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & pércute Amalec: & demolíre, univérſa ejus: non parcas ei, & non concupíſcas ex rebus ipsíus áliquid: ſed intérfice a viro uſque ad mulíerem, & párvulum atque lacténtem, bovem & ovem, camélum & áſinum. Percuſſítque Saül Amalec ab Hévila, donec vénias ad Sur, quæ eſt è regióne Ægypti. Et apprehéndit Agag regem Amalec vivum; omne autem vulgus in-

terfécit in ore gládii. Et pepércit Saül, & pópulus, Agag, & óptimis grégibus óvium & armentórum, & véſtibus & ariétibus, & univérſis quæ pulchra erant, nec voluérunt diſpérdere ea, quidquid vero vile fuit & réprobum, hoc demolíti ſunt. Factum eſt autem verbum Dómini ad Sámuel, dicens: Pœnitet me quòd conſtitúerim Saül regem: quia derelíquit me, & verba mea ópere non implévit.

℟. Dixit, *ex 2. Noct. pag.* 218.

Lectio ij. v. 16. ad 22.

AIt autem Sámuel ad Saül: Sine me, & indicábo tibi quæ locútus ſit Dóminus ad me nocte. Dixítque ei: Lóquere. Et ait Sámuel: Nonne cùm párvulus eſſes in óculis tuis, caput in tríbubus Iſrael factus es? Unxítque te Dóminus in regem ſuper Iſrael, & miſit te Dóminus in viam, & ait: Vade, & intérfice peccatóres Amalec, & pugnábis contra eos uſque ad interneciónem eórum. Quare ergo non audíſti vocem Dómini; ſed verſus ad prædam es, & fecíſti malum in óculis Dómini? Et ait Saül ad Samuélem: Imò audívi vocem Dómini, & ambulávi in via per quam miſit me Dóminus, & addúxi Agag regem Amalec, & Amalec interféci. Tulit autem de præda pópulus oves & boves, primítias eórum quæ cæſa ſunt, ut ímmolet Dómino Deo ſuo in Gálgalis.

℟. Numquid, *pag.* 218.

Lectio iij. v. 22. ad 29.

ET ait Sámuel: Numquid vult Dóminus holocáuſta & víctimas, & non pótiùs ut obediátur voci Dómini? Mélior eſt enim obediéntia quàm víctimæ; & auſcultáre magis quàm offérre ádipem aríetum: quóniam quaſi peccátum ariolándi eſt, repugnáre: & quaſi ſcelus idololatríæ, nolle acquiéſcere. Pro eo ergo quòd abjeciſti ſermónem Dómini, abjécit te Dóminus ne ſis rex. Dixítque Saül ad Samuélem: Peccávi, quia prævaricátus ſum ſermónem Dómini & verba tua, timens pópulum, & obédiens voci eórum. Sed nunc porta, quæſo, peccátum meum, & revértere mecum, ut adórem Dóminum: & ait Sámuel ad Saül: Non revértar tecum, quia projecíſti ſermónem Dómini, & projécit te Dóminus ne ſis rex ſuper Iſrael. Et convérſus eſt Sámuel ut abiret: ille autem apprehéndit ſummitátem pállii ejus, quæ & ſciſſa eſt. Et ait ad eum Sámuel: Scidit Dñus regnum Iſrael à te hódie, & trádidit illud próximo tuo melióri te.

℟. Ne adincréſcant, *pag.* 219.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Ann. 1563. *Seſs.* 24. *Cap.* 1. *de reform.*

CUm primùm Eccléſia vacáverit, ſupplicatiónes

& preces públicè privatímve habeántur, atque à Capítulo per Diœceſim & civitátem indicéntur, quibus Clerus & pópulus bonum à Deo paſtórem váleant impetráre.

FERIA QUARTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 16. v. 1. ad 6.

DIxit Dóminus ad Samuélem: Uſquequò tu luges Saül, cùm ego projécerim eum ne regnet ſuper Iſrael? Imple cornu tuum óleo, & veni ut mittam te ad Iſaï Bethlehemítem; provídi enim in filiis ejus mihi regem. Et ait Sámuel: Quómodo vadam? Audiet enim Saül, & interficiet me. Et ait Dóminus: Vítulum de arménto tolles in manu tua, & dices: Ad immolándum Dómino veni. Et vocábis Iſaï ad víctimam, & ego oſténdam tibi quid fácias, & unges quemcúmque monſtrávero tibi. Fecit ergo Sámuel ſicut locútus eſt ei Dóminus. Venítque in Béthlehem, & admiráti ſunt ſenióres civitátis, occurrentes ei: dixerúntque: Pacificúſne eſt ingréſſus tuus? Et ait. Pacíficus: ad immolándum Dómino veni: ſanctificámini, & veníte mecum ut ímmolem. Sanctificávit ergo Iſaï & fílios ejus, & vocávit eos ad ſacrifícium.

℟. Confitéberis, *ex 3. Noct. pag.* 219.

Lectio ij. v. 6. ad 11.

CUmque ingréſſi eſſent, vidit Eliab, & ait: Num coram Dómino eſt Chriſtus ejus? Et dixit Dóminus ad Samuélem: Ne reſpícias vultum ejus, neque altitúdinem ſtatúræ ejus; quóniam abjéci eum, nec juxta intúitum hóminis ego júdico: homo enim videt ea quæ parent; Dóminus autem intuétur cor. Et vocávit Iſaï Abínadab, & addúxit eum coram Samuéle. Qui dixit: Nec hunc elégit Dóminus. Addúxit autem Iſaï Samma, de quo ait: Etiam hunc non elégit Dóminus. Addúxit ítaque Iſaï ſeptem fílios ſuos coram Samuéle; & ait Sámuel ad Iſaï: Non elégit Dóminus ex iſtis.

℟. Eos qui, *pag.* 220.

Lectio iij. v. 11. ad 15.

DIxítque Sámuel ad Iſaï: Numquid jam compléti ſunt filii? Qui reſpóndit: Adhuc réliquus eſt párvulus, & paſcit oves. Et ait Sámuel ad Iſaï: Mitte, & adduc eum; nec enim diſcumbémus priuſquam huc ille véniat. Miſit ergo, & addúxit eum. Erat autem rufus, & pulcher aſpéctu, decorâque fácie. Et ait Dóminus: Surge, unge eum; ipſe eſt enim. Tulit ergo Sámuel cornu ólei, & unxit eum in médio fratrum ejus; & diréctus eſt Spíritus Dómini à die illa in David, & deinceps: ſurgénſque Sámuel ábiit

abiit in Rámatha; Spíritus autem Dómini recéſſit à Saül, & exagitábat eum ſpíritus nequam, à Dómino.

℟. Miſeréris, *pag.* 220.

CANON

Ex Concilio Coloniénſi.

Anno 1536. *Cap.* 6.

PRæcípua Collatóribus habénda cura eſt, idque máximè in præficiéndis Párochis, ne Apoſtólici præcépti prævaricatóres ac rei fiant. Quis enim non intélligit quàm gravi culpâ ſe obſtríngat is, qui in cauſa eſt, ut cæcus cæco ducátum præſtet, nimírum ambóbus in fóveam delabéntibus?

FERIA QUINTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 17. *v.* 1. *ad* 8.

COngregántes Philíſthiim ágmina ſua in prælium convenérunt in Socho Judæ; & caſtrametáti ſunt inter Socho & Azeca in fínibus Dommim. Porrò Saül & fílii Iſrael congregáti venérunt in vallem Terebínthi, & direxérunt áciem ad pugnándum contra Philíſthiim: Et Philíſthiim ſtabant ſuper montem ex parte hac, & Iſrael ſtabat ſupra montē ex altera parte; vallíſque erat inter eos. Et egréſſus eſt vir ſpúrius de caſtris Philiſthinórū, nómine Góliath, de Geth, altitúdinis ſex cubitórum & palmi: & caſſis ærea ſuper caput ejus, & loricâ ſquamatâ induebátur: porrò pondus loricæ ejus quinque míllia ſiclórum æris erat; & ócreas æreas habébat in crúribus; & clypeus æreus tegébat húmeros ejus. Haſtíle autem haſtæ ejus erat quaſi liciatórium texéntium: ipſum autem ferrum haſtæ ejus ſexcéntos ſiclos habébat ferri: & ármiger ejus antecedebat eum.

℟. Deus, *ex* 1. *Noct. p.* 216.

Lectio ij. v. 8. *ad* 12.

STanſque clamábat advérſum phalángas Iſrael, & dicébat eis: Quare veníſtis paráti ad prælium? Numquid ego non ſum Philiſthæus, & vos ſervi Saül? Elígite ex vobis virum, & deſcéndat ad ſinguláre certámen: Si quiverit pugnáre mecum, & percúſſerit me, érimus vobis ſervi; ſi autem ego prævaluero, & percúſſero eum, vos ſervi éritis, & ſerviétis nobis. Et aiébat Philiſthæus: Ego exprobrávi agmínibus Iſrael hodie: Date mihi virum, & íneat mecum ſinguláre certámen. Aúdiens autem Saül & omnes Iſraelítæ ſermónes Philiſthæi hujuſcémodi; ſtupébant, & metuébant nimis.

℟. Cuncta, *pag.* 217.

Lectio iij v. 32. *ad* 38.

AD (Saül) cùm fuiſſet addúctus (David) locútus eſt ei: Non cóncidat cor cujúſquam in eo: ego ſervus tuus vadam, & pugnábo advérsùs Philiſthæum. Et ait Saül ad David: Non vales reſíſtere Philiſthæo iſti;

nec pugnáre advérsùs eum: quia puer es, hic autem vir bellátor eſt ab adoleſcéntia ſua. Dixítque David ad Saül: Paſcébat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniébat leo, vel urſus, & tollébat aríetem de médio gregis, & perſequébar eos, & percutiébam, eruebámque de ore eórum: & illi conſurgébant advérsùm me, & apprehendébam mentum eórum, & ſuffocábam interficiebámque eos. Nam & leónem & urſum interféci ego ſervus tuus: erit ígitur & Philiſthæus hic incircumcíſus, quaſi unus ex eis. Nunc vadam, & áuferam oppróbrium pópuli: quóniam quis eſt iſte Philiſthæus incircumcíſus, qui auſus eſt maledícere exercítui Dei vivéntis? Et ait David: Dóminus qui erípuit me de manu leónis, & de manu urſi, ipſe me liberábit de manu Philiſthæi hujus. Dixit autem Saül ad David: Vade, & Dóminus tecum ſit.

℟. Nunc, reges, *pag.* 217.

CANON

Ex Concílio Coloniénſi.

An. 1586. *Cap.* 6.

DEſpíciunt, inquit Maláchias Prophéta, nomen Dómini qui cæcum, qui claudum, qui lánguidum ánimal ad immolándum óſferunt. Quis verò cæcum ánimal offert, niſi qui indóctum in locum docti órdinat, & magíſtrum facit, qui vix diſcípulus eſſe póterat? Claudum verò, qui lucra terréna quæréntem locat in dignitáte? Lánguidum dénique qui vitióſum pro religióſo habet, quique tardum & pigrum probat?

FERIA SEXTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 17. *v.* 40. *ad* 47.

TUlit (David) báculum ſuum quem ſemper habébat in mánibus; & elégit ſibi quinque limpidíſſimos lápides de torrénte, & miſit eos in peram paſtorálem quam habébat ſecum, & fundam manu tulit; & procéſſit advérsùm Philiſthæum. Ibat autem Philiſthæus incédens & appropínquans advérsùm David, & ármiger ejus ante eum. Cùmque inſpexíſſet Philiſthæus, & vidíſſet David, deſpéxit eum; erat enim adoléſcens, rufus, & pulcher aſpéctu. Et dixit Philiſthæus ad David: Nũquid ego canis ſum, quòd tu venis ad me cum báculo? Et maledíxit Philiſthæus David in diis ſuis; dixítque ad David: Veni ad me, & dabo carnes tuas volatílibus cœli & béſtiis terræ. Dixit autem David ad Philiſthæum: Tu venis ad me cum gládio, & haſta, & clypeo; ego autem vénio ad te in nómine Dómini exercítuum, Dei ágminum Iſrael, quibus exprobráſti hódie, & dabit te Dóminus in manu mea, & percútiam te, & áuferam caput tuum à te: & dabo

cadávera caſtrórum Philíſthiim hódie volatílibus cœli & béſtiis terræ : ut ſciat omnis terra quia eſt Deus in Iſrael.

℟. Dixit, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 218.

Lectio ij. v. 48. *ad.* 53.

CUm ergo ſurrexíſſet Philiſthæus, & veníret, & appropinquáret contra David, feſtinávit David, & cucúrrit ad pugnam ex advérſo Philiſthæi. Et miſit manum ſuam in peram; tulítque unum lápidem, & fundâ jecit, & circumdúcens percúſſit Philiſthæum in frõte : & infíxus eſt lapis in fronte ejus, & cécidit in fáciem ſuam ſuper terram. Prævaluítque David advérsùm Philiſthæum in funda & lápide, percuſſúmque Philiſthæum interfécit. Cùmque gládium non habéret in manu David, cucúrrit : & ſtetit ſuper Philiſthæum, & tulit gladium ejus, & edúxit eum de vagína ſua ; & interfécit eum, præcidítque caput ejus. Vidéntes autem Philíſthiim, quòd mórtuus eſſet fortíſſimus eórum, fugérunt. Et conſurgéntes viri Iſrael & Juda vociferáti ſunt, & perſecúti ſunt Philiſthæos uſque dum veníreat in vallem, & uſque ad portas Accaron, ceciderúntque vulneráti de Philíſthiim in via Sáraïm, & uſque ad Geth, & uſque ad Accaron.

℟. Numquid, *pag.* 219.

Lectio iij. Cap. 18. *v.* 6. *ad* 13.

POrrò cùm reverterétur percúſſo Philiſthæo David, egréſſæ ſunt mulíeres de univérſis úrbibus Iſrael, cantántes, choróſque ducéntes in occúrſum Saül regis, in tympanis lætítiæ & in ſiſtris. Et præcinébant mulíeres ludéntes, atque dicéntes : Percúſſit Saül mille, & David decem míllia. Irátus eſt autem Saül nimis, & diſplícuit in óculis ejus ſermo iſte: dixítque : Dedérunt David decem míllia, & mihi mille dedérunt : quid ei ſupereſt, niſi ſolum regnum ? Non rectis ergo óculis Saül aſpiciébat David à die illa, & deinceps. Poſt diem autem álteram inváſit ſpíritus Dei malus Saül, & prophetábat in médio domûs ſuæ ; David autem pſallébat manu ſuâ, ſicut per ſíngulos dies. Tenebátque Saül lánceam, & miſit eam, putans quòd confígere poſſet David cum paríete : & declinávit David à fácie ejus ſecúndò. Et tímuit Saül David, eò quòd Dóminus eſſet cum eo, & à ſe receſsíſſet.

℟. Ne adincréſcant, *p.* 219.

CANON

Ex Epíſtola ſancti Leónis Papæ ad Epíſcopos Mauritániæ Cæſarienſis.

Scripta An. 440. *Cap.* 1.

PRincipátus quem aut ſeditio cóntulit aut ambitus occupávit, etiámſi me-

ribus, atque actibus non offéndat, ipsíus tamen initii ſui eſt perniciósus exémplo; & difficile eſt ut bono peragántur exitu, quæ malo ſunt inchoáta princípio.

SABBATO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 26. v. 7. ad 12.

VEnérunt David & Abíſaï ad pópulum nocte, & invenérunt Saül jacéntem & dormiéntem in tentório, & haſtam fixam in terra ad caput ejus; Abner autem & pópulum dormiéntes in circúitu ejus. Dixítque Abíſaï ad David: Conclúſit Deus inimícum tuum hódie in manus tuas; nunc ergo perfódiam eum lánceâ in terra, ſemel, & ſecúndò ópus non erit. Et dixit David ad Abíſaï: Ne interfícias eum, quis enim exténdet manum ſuam in Chriſtum Dómini, & innocens erit? Et dixit David: Vivit Dóminus, quia niſi Dóminus percúſſerit eum, aut dies ejus vénerit ut moriatur, aut in prælium deſcendens períerit; propítius ſit mihi Dóminus ne exténdam manum meam in Chriſtum Domini. Nunc ígitur tolle haſtam quæ eſt ad caput ejus, & ſcyphum aquæ, & abeámus.

Lectio ij. v. 12. ad 17.

TUlit ígitur David haſtam, & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saül, & abiérunt: & non erat quiſquam qui vidéret, & intellígeret, & evigiláret; ſed omnes dormiébant, quia ſopor Dómini irrúerat ſuper eos. Cùmque tranſíſſet David ex advérſo, & ſtetíſſet in vértice montis de longè, & eſſet grande intervállum inter eos, clamávit David ad pópulum, & ad Abner fílium Ner, dicens: Nonne reſpondébis, Abner? Et reſpóndens Abner, ait: Quis es tu qui clamas, & inquiétas regem? Et ait David ad Abner: Numquid non vir tu es? Et quis álius símilis tuì in Iſrael? Quare ergo non cuſtodíſti dóminum tuum regem? Ingréſſus eſt enim unus de turba, ut interfíceret regem dóminum tuum. Non eſt bonum hoc quod feciſti: vivit Dóminus, quóniam filii mortis eſtis vos, qui non cuſtodíſtis dóminum veſtrum Chriſtum Domini. Nunc ergo vide ubi ſit haſta regis, & ubi ſit ſcyphus aquæ, qui erat ad caput ejus.

Lectio iij. Cap. 31. v. 1. ad 7.

PHiliſthiim autem pugnabant advérsùm Iſrael: & fugérunt viri Iſrael ante fáciem Philiſthiim, & cecidérunt interfécti in monte Gélboë. Irruerúntque Philiſthiim in Saül, & in fílios ejus, & percuſſérunt

Jónathan, & Abinadab, & Melchíſua, filios Saül, totúmque pondus prælii verſum eſt in Saül: & conſecúti ſunt eum viri ſagittárii, & vulnerátus eſt vehementer à ſagittáriis. Dixítque Saül ad armígerum ſuum: Evagína gládium tuum, & pércute me: ne fortè véniant incircumciſi iſti, & interficiant me, illudéntes mihi. Et nóluit ármiger ejus: fúerat enim nímio terróre perterritus. Arrípuit ítaque Saül gládium, & írruit ſuper eum. Quod cùm vidiſſet ármiger ejus, vidélicet quòd mórtuus eſſet Saül, írruit étiam ipſe ſuper gládium ſuum, & mórtuus eſt cum eo. Mórtuus eſt ergo Saül, & tres filii ejus, & ármiger illíus, & univérſi viri ejus in die illa páriter.

CANON

Ex Concílio Albiénſi.

An. 1254. *Cap.* 56.

CUm in collatióne bonórum Eccleſiaſticórum habéri débeat principáliter ante óculos ſolus Deus; diſtrictè præcípimus, ut ómnia Eccleſiáſtica bona persónis idóneis, & ſtatúto à Canónibus témpore conferántur, nullo præcépto, vel promíſſo, remótis omni conditióne & pacto.

Ad Magnif. *Ant. t.* 2. *D.* David in ſua miſericórdia conſecútus eſt ſedem regni in ſæcula. 1. *Mach.* 2. 57.

Oratio ut infrà in Laudibus Dominic. ſeq.

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber ſecúndus Regum.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 5.

FActum eſt, poſtquam mórtuus eſt Saül, ut David reverterétur à cæde Amalec, & manéret in Síceleg duos dies. In die autem tértia appáruit homo véniens de caſtris Saül, veſte conſciſſâ, & púlvere conſpérſus caput. Et ut venit ad David, cécidit ſuper faciem ſuam, & adorávit. Dixítque ad eum David: Unde venis? Qui ait ad eum: De caſtris Iſrael fugi. Et dixit ad eum David: Quod eſt verbum quod factum eſt? Indica mihi. Qui ait: Fugit pópulus ex prælio, & multi corruéntes è pópulo mórtui ſunt; ſed & Saül & Jónathas fílius ejus interiérunt.

℟. Quaſi adeps ſeparátus à carne, ſic David à filiis Iſrael. Occídit gigántem, in tolléndo manum, ſaxo fundæ dejécit exultatiónem Góliæ: & * Dedit Dóminus in déxtera ejus tóllere hóminem fortem in bello, & exaltáre cornu gentis ſuæ. ℣. Infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia. * Dedit Dóminus. *Eccli.* 47. 2. 4. 5. 6. 1. *Cor.* 1. 27.

Lectio ij. v. 5. *ad* 11.

DIxítque David ad adoleſcéntem qui nuntiábat ei: Unde ſcis quia mór-

tuus eſt Saül, & Jónathas fílius ejus? Et ait adoléſcens qui nuntiábat ei: Caſu veni in montem Gélboë, & Saül incumbébat ſuper haſtam ſuam: porrò currus & équites appropinquábant ei; & convérſus poſt tergum ſuum, vidénsque me vocávit. Cui cùm reſpondiſſem: Adſum; dixit mihi: Quiſnam es tu? Et áio ad eum: Amalecítes ego ſum. Et locútus eſt mihi: Sta ſuper me, & intérfice me; quóniam tenent me angúſtiæ, & adhuc tota ánima mea in me eſt. Stansque ſuper eum, occídi illum; ſciébam enim quòd vívere non poterat poſt ruínam; & tuli diadéma quod erat in cápite ejus, & armíllam de bráchio illius, & áttuli ad te dóminum meum huc.

℟. Elégit Dóminus David ſervum ſuum, & * Súſtulit eum de grégibus óvium: de poſt fœtántes accépit eum, páſcere Jacob ſervum ſuum, & Iſraël hæreditátem ſuam. ℣. Amóto Saül, ſuſcitávit David regem: cui teſtimónium pérhibens, dixit: Invéni David, virum ſecúndùm cor meum. * Súſtulit. *Pſ.* 77. 70. 71. *Act.* 13. 22.

Lectio iij. v. 11. *ad* 17.

Apprehéndens autem David veſtiménta ſua ſcidit, omnéſque viri qui erant cum eo; & planxérunt, & flevérunt, & jejunavérunt uſque ad véſperam ſuper Saül, & ſuper Jónathan fílium ejus, & ſuper pópulum Dómini, & ſuper domum Iſrael, eò quòd corruíſſent gládio. Dixítque David ad júvenem qui nuntiáverat, ei: Unde es tu? Qui reſpóndit: Fílius hóminis ádvenæ Amalecítæ ego ſum. Et ait ad eum David: Quare non timuíſti míttere manum tuam ut occíderes Chriſtum Dómini? Vocánsque David unum de púeris ſuis, ait: Accédens írrue in eum. Qui percúſſit illum, & mórtuus eſt. Et ait ad eum David: Sanguis tuus ſuper caput tuum; os enim tuum locútum eſt advérsùm te, dicens: Ego interféci Chriſtum Dómini.

℟. Meménto quóniam omnes in correptióne ſumus. * Noli de mórtuo inimíco tuo gaudére: ſciens quóniam omnes mórimur, & in gáudium nólumus veníre. ℣. Qui díligit fratrem ſuum, in lúmine manet; & ſcándalum in eo non eſt. * Noli. Glória. * Noli. *Eccli.* 8. 6. 8. 1. *Joan.* 2. 10.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 2. *de David & Saul. N.* 5.

Lectio iv.

Cùm Saül incidíſſet in manus David poſt datam ſalútem ínſequens illum, & occídere volens, cùmque poſſet hoſtem cum univérſo exércitu concídere,

dimíſit illum íntegrum & incólumem; ideòque cùm ſciret morbum regis immedicábilem eſſe, néque illum umquam hoſtílem in ſe ánimum poſitúrum, ſubmóvit ſeſe ab óculis illíus, & apud bárbaros vitam agébat, sérviens, honóre privátus, pudóre ſuffúſus, labóre ac miſériâ ſibi ipſi parans ad victum neceſsária. Atqui non hoc tantùm eſt quod mirémur, ſed illud quoque quòd poſteáquam audíerat regem in ácie cecidíſſe, díſcidit veſtem, & cínere ſe conſpérſit, & eo luctu luxit, quo quis lugéret amíſſo primogénito germanóque fílio. Subínde nomen illíus inclámans unà cum fílii nómine, compóſitis étiam encómiis, ac voces acérbi dolóris teſtes emíttens, impránſus manſit uſque ad véſperam, éxecrans & ipſa loca quæ Saúlis sánguinem excéperant.

℟. Dómine Deus meus, in te ſperávi: ſalvum me fac ex ómnibus perſequéntibus me, & líbera me: nequándo rápiat ut leo ánimam meam. * Si réddidi retribuéntibus mihi mala, décidam méritò ab inimícis meis inánis. ℣. Dimítte nobis peccáta noſtra, síquidem & ipſi dimíttimus omni debénti nobis. * Si réddidi. *Pſ.* 7. 2. 3. 5. *Luc.* 11. 4.

Lectio v. poſt pauca.

Nunc mihi quiſque recordétur inimíci qui læſit, dolóre etiámnum in ánimo æſtuánte, atque hunc & vivum ſervet, & vitâ defúnctum deplóret, haud quidem ad oſtentatiónem, ſed ex ánimo veróque corde; etiámſi quid perferéndum ſit incómmodi, ne quid offéndat eum qui læſit, ómnia tum fáciat, tum patiátur, magna à Deo expéctans prǽmia. En hic étiam regnum adéptus eſt, nec tamen inquinávit cæde manus, ſed dextram habens puram, ſic corónâ redimítus eſt, ſic ad sólium aſcéndit, púrpurâ ac diadémate magnificéntius encómium geſtans, vidélicet quòd hoſti pepercíſſet, quòd eúmdem extínctum luxíſſet. Idcírcò non vivus modò, ſed & mórtuus hóminum memóriâ celebrátur.

℟. Mélius eſt humiliári cum mítibus, quàm divídere ſpólia cum ſupérbis. * Mélior eſt pátiens viro forti: & qui dominátur ánimo ſuo, expugnatóre úrbium. ℣. Si benefaciéntes patiénter ſuſtinétis; hæc eſt grátia apud Deum. In hoc enim vocáti eſtis: quia & Chriſtus cùm maledicerétur, non maledicébat: tradébat autem judicánti ſe injúſtè. * Mélior eſt. *Prov.* 16. 19. 32. 1. *Petr.* 2. 20. 21. 23.

Lectio vj. Homil. 3. n. 9.

Multi, defúnctis inimícis, in illórum líberos iram, quam in eos habébant, effudérunt. At non

ita generóſus ac magnáni-mus iſte David, ſed & viven-tem inimicum obſervávit, & illo defúncto, benevolén-tiam quam erga illum géſ-ſerat, filiis exhíbuit. Quid illius mensâ sánctius quam cingébant filii hoſtis; hoſtis, inquam, occídere conáti? Quid illo convívio ſpirituá-lius, in quo tam multæ abun-dábant benedictiónes? An-geli pótiùs quàm hóminis convocántis erat. Síquidem inimíci fílios amplecti & amáre, & illius fílium, qui tóties ipſum tentáſſet è mé-dio tollere, atque id móliens exceſſiſſet è vita, id facit ut in illum chorum referátur.

℟. In Dómino laudábitur ánima mea: * Audiant manſuéti, & læténtur. † Magnificáte Dóminum mecum, & exaltémus nomen ejus in idípſum. ℣. Beáti mites: quóniam ipſi poſſidébunt terram. * Audiant. Glória. † Magnificáte. *Pſ.* 33. 3. 4. *Matth.* 5. 4.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 5. *v.* 1.

IN illo témpore; Cùm turbæ irrúerent in Jeſum, ut audírent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genézareth. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 4. *in Lucam.*

UBi Dóminus multis impertívit vária género ſanitátū, nec témpore nec loco pótuit à ſtúdio ſanándi turbâ cohibéri. Veſper incúbuit, ſequebántur; ſtagnū occúrrit, urgébant. Et ideò aſcéndit in Petri navim. Hæc eſt illa navis quæ adhuc ſecúndùm Matthæum flúctuat, ſecúndum Lucam replétur píſcibus; ut & princípia Eccléſiæ fluctuántis, & poſterióra exuberántis agnóſcas. Piſces enim ſunt, qui hanc enávigant vitam: ibi adhuc diſcípulis Chriſtus dormit, hîc præcipit: dormit enim trépidis, perféctis vígilat.

℟. Sapiéntia foris prædicat, in platéis dat vocem ſuam: profert verba ſua, * Dicens: Convertímini ad correptiónem meam: en próferam vobis ſpíritum meum, & oſténdam vobis verba mea. ℣. Aſcéndens Jeſus in unam navim, quæ erat Simónis, ſedens docébat de navícula turbas. * Dicens. *Prov.* 1. 20. 21. 23. *Luc.* 5. 3.

Lectio viij.

NOn turbátur hæc navis in qua prudéntia návigat, abeſt perfídia, fides ſpirat. Quemádmodum enim turbári póterat, cui præerat is in quo Eccléſiæ firmaméntum eſt? Illic ergo turbátio, ubi módica fides: hîc ſecúritas, ubi perfécta diléctio. Etſi áliis imperátur ut laxent rétia ſua, ſoli tamen Petro dícitur: Duc in altum; hoc eſt, in profúndum diſputa-

tiónum. Quid enim tam altum, quàm altitúdinem divitiárum vidére, ſcire Dei Filium, & profeſſiónem divínæ generatiónis aſſúmere? Quam licèt mens non queat humána plenæ ratiónis inveſtigatióne comprehéndere, fidei tamen plenitúdo compléctitur.

℟. Vivit Dóminus, qui edúxit filios Iſraël de univérſis terris, ad quas ejéci eos. Ecce ego mittam piſcatóres multos, dicit Dóminus, & piſcabúntur eos. * Oſténdam per vicem hanc manum meam, & virtútem meam. ℣. Ut ceſſávit loqui Jeſus, dixit ad Simónem: Duc in altum, & laxáte rétia veſtra in captúram. * Oſténdam. *Jerem.* 16. 15. 16. 21. *Luc.* 5. 4.

Lectio ix.

NAm etſi non licet mihi ſcire quemádmodum natus ſit: non licet tamen neſcíre quod natus ſit. Séricm generatiónis ignóro: ſed auctoritatem generatiónis agnóſco. Non interfúimus cùm ex Patre Dei Fílius naſcerétur: ſed interfúimus cùm à Patre Dei Fílius dicerctur. Si Deo non crédimus, cui credémus? Omnia enim quæ crédimus, vel viſu crédimus, vel audítu. Viſus ſæpe fallitur, audítus in fide eſt.

℟. Simon dixit Jeſu: Præcéptor, * Per totam noctem laborantes, nihil cépimus: in verbo autem tuo laxabo rete: & cùm hoc feciſſent, † Concluſérunt píſciū multitúdinem copioſam. ℣. Dómine Deus, non erit tibi difficile omne verbum; fortiſſime magne & potens, qui poſuiſti ſigna, & portenta in terra. * Per totam noctem. Glória. † Concluſérunt. *Luc.* 5. 5. 6. *Jerem.* 32. 17. 18. 20.

Ad Bened. Ant. t. 4. E. Prócidit Petrus ad génua Jeſu, dicens: Exi à me, quia homo peccátor ſum, Dómine. *Luc.* 5. 8.

Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine, ut & mundi curſus pacíficè nobis tuo órdine dirigatur, & Eccléſia tua tranquillâ devotióne lætétur; Per Dóminum, &c.

C A N O N

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 14.

Oſée 8. *Ipſi regnavérunt & non ex me. Principes extitérunt & non cognovi eos.* Ex ſe, non ex arbítrio ſummi Paſtóris regnant qui non divínitùs vocáti, ſed ſuâ cupiditáte alléčti, culmen regíminis rápiunt pótiùs quàm aſſequúntur: quos permitténdo intérnus judex tólerat, hos proféctò per judícium reprobatiónis ignórat.

Ad Magnif. Ant. t. 7. a. Stupor circumdéderat Petrum in captúra píſcium. Et ait ad eum Jeſus: Noli timere: ex hoc jam hómi-

nes eris cápiens. *Luc.* 5. 9. 10.

FERIA SECUNDA.

De libro ſecúndo Regum.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 8.

IGitur poſt hæc conſúluit David Dñum, dicens: Num aſcéndã in unã de civitátibus Juda? Et ait Dóminus ad eum: Aſcénde. Dixítque David: Quò aſcéndam? Et reſpóndit ei: In Hebron. Aſcéndit ergo David, & duæ uxóres ejus, Achínoam Jezraelítes, & Abígaïl uxor Nabal Carméli: ſed & viros qui erant cum eo, duxit David ſíngulos cum domo ſua; & manſérunt in óppidis Hebron. Venerúntque viri Juda, & unxérunt ibi David, ut regnáret ſuper domum Juda. Et nuntiátum eſt David, quòd viri Jabes Gálaad ſepelíſſent Saül. Miſit ergo David núntios ad viros Jabes Gálaad, dixítque ad eos: Benedícti vos Dómino, qui fecíſtis miſericórdiam hanc cum dómino veſtro Saül, & ſepelíſtis eum. Et nunc retríbuet vobis quidem Dóminus miſericórdiam & veritátem; ſed & ego reddam grátiam, eò quòd fecíſtis verbum iſtud. Conforténtur manus veſtræ, & eſtóte filii fortitúdinis; licèt enim mórtuus ſit dóminus veſter Saül, tamen me unxit domus Juda in regem ſibi.

℟. Quaſi adeps, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 229.

Lectio ij. v. 8. *ad* 12.

ABner autem filius Ner, princeps exércitûs Saül, tulit Isboſeth filium Saül, & circumdúxit eum per caſtra; regémque conſtítuit ſuper Gálaad, & ſuper Geſſúri, & ſuper Jézrael, & ſuper Ephraim, & ſuper Bénjamin, & ſuper Iſrael univérſum. Quadragínta annórum erat Isboſeth fílius Saül, cùm regnáre cœpíſſet ſuper Iſrael; & duóbus annis regnávit: ſola autem domus Juda ſequebátur David. Et fuit númerus diérum quos commorátus eſt David ímperans in Hebron ſuper domum Juda ſeptem annórum, & ſex menſium.

℟. Elégit, *pag.* 230.

Lectio iij. v. 12. *ad* 18.

EGreſſúſque eſt Abner fílius Ner, & púeri Isboſeth filii Saül, de caſtris in Gábaon. Porrò Joab filius Sárviæ, & púeri David egréſſi ſunt, & occurrérunt eis juxta piſcínam Gábaon. Et cùm in unum conveníſſent, è regióne ſedérunt: hi ex una parte piſcínæ, & illi ex áltera. Dixítque Abner ad Joab: Surgant púeri, & ludant coram nobis. Et reſpóndit Joab: Surgant. Surrexérunt ergo, & tranſiérunt número duódecim de Bénjamin, ex parte Isboſeth fílii Saül, & duódecim de púeris David. Apprehensóque unuſquíſque cápite cómparis ſui, defixit gládium in latus contrárii,

& cecidérunt ſimul; vocatúmque eſt nomen loci illíus: Ager robuſtórum, in Gábaon. Et ortum eſt bellum durum ſatis in die illa: fugatúſque eſt Abner, & viri Iſrael à púeris David.

℟. Meménto, *pag.* 230.

CANON

Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. *Lib.* 1. *Cap.* 4.

Boni Paſtóres ſunt, qui non ambiéndo, ſed ſpirituáliter vivéndo ſacerdótium meruérunt; qui non favóris humáni ſuffrágio, ſed divíno múnere ſublimáti, nihil ſibi de præſtántia ſui principátûs appláudunt; quos non inflat honor accéptus, ſed exércet labor impoſitus; qui non excelléntiam ſuam cógitant provécti, ſed ſárcinam; nec gloriántur de officii dignitáte, ſed ſudant potiùs conſtitúti ſub ónere.

FERIA TERTIA.

De libro ſecúndo Regum.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 6. *ad* 12.

Cum eſſet prælium inter domum Saül & domum David, Abner filius Ner regébat domum Saül. Fúerat autem Saúli concubína, nómine Reſpha, fília Aia. Dixítque Isboſeth ad Abner: Quare ingréſſus es ad concubínam patris mei? Qui irátus nimis propter verba Isboſeth, ait: Numquid caput canis ego ſum advérsùm Judam hódie, qui fécerim miſericórdiam ſuper domũ Saül patris tui, & ſuper fratres & próximos ejus, & non trádidi te in manus David, & tu requiſíſti in me quod argúeres pro mulíere hódie? Hæc fáciat Deus Abner, & hæc addat ei, niſi quómodo jurávit Dóminus David, ſic fáciam cum eo, ut transferátur regnum de domo Saül; & elevétur thronus David ſuper Iſrael, & ſuper Judam à Dan uſque Berſabée. Et non pótuit reſpondére ei quidquam, quia metuébat illum.

℟. Dómine, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 231.

Lectio ij. v. 12. *ad* 16.

Miſit ergo Abner núntios ad David pro ſe dicéntes: Cujus eſt terra? Et ut loqueréntur: Fac mecum amicítias, & erit manus mea tecum, & redúcam ad te univérſum Iſrael. Qui ait: Optimè: ego fáciam tecum amicítias; ſed unam rem peto à te, dicens: Non vidébis fáciem meam ántequam addúxeris Michol fíliam Saül; & ſic vénies, & vidébis me. Miſit autem David núntios ad Isboſeth fílium Saül, dicens: Redde uxórem meam Michol, quam deſpóndi mihi centum præpútiis Philiſthiim. Miſit ergo Isboſeth, & tulit eam à viro ſuo Phaltiel, fílio Laïs.

℟. Mélius eſt, *pag.* 231.

Lectio iij. v. 17. *ad* 22.

Sermónem quoque íntulit Abner ad ſenióres Iſrael, dicens: Tam heri quàm nu-

diuſtértiùs quærebátis David ut regnáret ſuper vos. Nunc ergo fácite, quóniam Dóminus locútus eſt ad David, dicens: In manu ſervi mei David ſalvábo pópulum meum Iſrael de manu Philiſthiim, & ómnium inimicórum ejus. Locútus eſt autem Abner étiam ad Bénjamin. Et abiit ut loquerétur ad David in Hebron ómnia quæ placúerant Iſraéli, & univérſo Bénjamin. Venítque ad David in Hebron cum vigínti viris; & fecit David Abner, & viris ejus qui vénerant cum eo, convívium. Et dixit Abner ad David: Surgam, ut cóngregem ad te dóminum meum regem omnem Iſrael, & íneam tecum fœdus, & ímperes ómnibus, ſicut desíderat ánima tua.

℟. In Dómino, *pag.* 232.

CANON

Ex Concílio Lateranénſi ſecúndo œcuménico.

Ann. 1139. *Can.* 2.

SI quis præbéndam, aut honórem, aut promotiónem áliquam Eccleſiáſticam, interveniénte execrábili ardóre avarítiæ, per pecúniam acquisívit, honóre acquisíto cáreat: & emptor, atque vénditor, & intervéntor notâ infámiæ percellántur.

FERIA QUARTA.

De libro ſecúndo Regum.

Lectio j. Cap. 4. v. 5. ad 9.

VEniéntes filii Remmon Berothítæ, Rechab, & Báana, ingréſſi ſunt fervénte die domum Isboſeth, qui dormiébat ſuper ſtratum ſuum merídie: & oſtiária domûs purgans tríticum, obdormívit. Ingréſſi ſunt autem domum laténter aſſuméntes ſpicas trítici; & percuſſérunt eum in ínguine, Rechab & Báana frater ejus, & fugérunt. Cùm autem ingréſſi fuiſſent domum, ille dormiébat ſuper lectum ſuum in conclávi, & percutiéntes interfecérunt eum; ſublatóque cápite ejus, abiérunt per viam deſérti totâ nocte: & attulérunt caput Isboſeth ad David in Hebron, dixerúntque ad regem: Ecce caput Isboſeth filii Saül inimíci tui, qui quærébat ánimam tuam; & dedit Dóminus dómino meo regi ultiónem hódie de Saül & de sémine ejus.

℟. Sapiéntia, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 232.

Lectio ij. v. 9. ad finem.

REſpóndens autem David Rechab & Báana fratri ejus, filiis Remmon Berothítæ, dixit ad eos: Vivit Dóminus, qui éruit ánimam meam de omni angúſtia; quóniam eum qui annuntiáverat mihi, & díxerat: Mórtuus eſt Saül, qui putábat ſe próſpera nuntiáre, ténui & occídi eum in Síceleg, cui oportébat mercédem dare pro núntio: quantò magis nunc, cùm hómines ímpii interfecérunt virum innóxium, in domo

ſua, ſuper lectum ſuum, non quæram ſánguinem ejus de manu veſtra, & áuferam vos de terra? Præcépit ítaque David púeris ſuis, & interfecérunt eos: præcidentéſque manus & pedes eórum, ſuſpendérunt eos ſuper piſcínam in Hebron; caput autem Isboſeth tulérunt, & ſepeliérunt in ſepúlchro Abner in Hebron.

℟. Vivit, *pag.* 233.

Lectio iij. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 8.

ET venérunt univérſæ tribus Iſrael ad David in Hebron, dicéntes: Ecce nos, os tuum & caro tua ſumus: ſed & heri & nudiuſtértiùs cùm eſſet Saül rex ſuper nos, tu eras edúcens & redúcens Iſrael; dixit autem Dóminus ad te: Tu paſces pópulum meum Iſrael, & tu eris dux ſuper Iſrael. Venérunt quoque & ſenióres Iſrael ad regem in Hebron, & percúſſit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Dómino; unxerúntque David in regem ſuper Iſrael. Filius triginta annórum erat David, cùm regnáre cœpiſſet, & quadráginta annis regnávit. In Hebron regnávit ſuper Judam ſeptem annis & ſex ménſibus: in Jerúſalem autem regnávit trigínta tribus annis ſuper omnem Iſrael & Judam. Et abiit rex, & omnes viri qui erant cum eo, in Jerúſalem ad Jebuſæum habitatórem terræ: dictúmque eſt David ab eis: Non ingrediéris huc, niſi abſtúleris cæcos & claudos, dicéntes: Non ingrediétur David huc. Cœpit autem David arcem Sion, hæc eſt cívitas David.

℟. Simon, *pag.* 233.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 38.

ALiud eſt munus ab obséquio, áliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obséquio eſt ſubjéctio indébitè impénſa: munus à manu, pecunia eſt; munus à lingua, favor. Qui ergo ſacros Ordines diſtribuit, tunc ab omni múnere manus éxcutit, quando in divínis rebus non ſolùm nullam pecúniam, ſed étiam humánam grátiam non requírit.

FERIA QUINTA.

De libro ſecúndo Regum.

Lectio j. Cap. 6. *v.* 1. *ad* 6.

COngregavit autem rurſum David omnes eléctos ex Iſrael trigínta míllia. Surrexítque David, & ábiit, & univérſus pópulus qui erat cum eo de viris Juda, ut addúcerent arcam Dei, ſuper quam invocátum eſt nomen Dómini exercítuum, ſedéntis in Chérubim ſuper eam. Et impoſuérunt arcam Dei ſuper plauſtrum novum; tulerúntque eam de domo Abínadab, qui erat in Gábaa: Oza autem & Ahio filii Abínadab minábant plauſtrum novum. Cùmque tulíſſent eam de domo Abínadab,

qui erat in Gábaa, cuſtódiens arcam Dei, Ahio præcedébat arcam. David autem & omnis Iſrael ludébant coram Dómino in ómnibus lignis fabrefáctis, & cytharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis.

℟. Quaſi adeps, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 229.

Lectio ij. v. 6. *ad* 11.

POſtquam autem venérunt ad áream Nachon, exténdit Oza manum ad arcam Dei, & ténuit eam: quóniam calcitrábant boves, & declinavérunt eam. Iratúſque eſt indignatióne Dóminus contra Ozám, & percúſſit eum ſuper temeritáte: qui mórtuus eſt ibi juxta arcam Dei. Contriſtátus eſt autem David, eò quòd percuſſíſſet Dóminus Ozam, & vocátum eſt nomen loci illíus, Percúſſio Ozæ, uſque in diem hanc. Et extímuit David Dóminum in die illa, dicens: Quómodo ingrediétur ad me arca Dómini? Et nóluit divértere ad ſe arcam Dómini in civitátem David; ſed divértit eam in domum Obédedom Gethæi.

℟. Elégit, *pag.* 230.

Lectio iij. v. 11. *ad* 16.

ET habitávit arca Dómini in domo Obédedom Gethæi tribus ménſibus: & benedíxit Dóminus Obédedom, & omnem domum ejus. Nuntiatúmque eſt regi David quòd benedixíſſet Dóminus Obédedom, & ómnia ejus, propter arcam Dei. Abiit ergo David, & addúxit arcam Dei de domo Obédedom in civitátem David cum gáudio: & erant cum David ſeptem chori, & víctima vítuli. Cùmque tranſcendíſſent qui portábant arcam Dómini ſex paſſus, immolábat bovem & aríetem; & David ſaltábat totis víribus ante Dóminum. Porrò David erat accínctus ephod líneo. Et David & omnis domus Iſrael ducébant arcam Teſtaménti Dómini in júbilo, & in clangóre búccinæ.

℟. Meménto, *pag.* 230.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 24. *Cap.* 2. *de reform.*

IN benefícus Eccleſiáſticis ea quæ hæreditáriæ ſucceſſiónis imáginem réferunt, ſacris conſtitutiónibus ſunt odióſa, & Patrum decrétis contrária.

FERIA SEXTA.

De libro ſecúndo Regum.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 1. *ad* 7.

FActum eſt autem cùm ſedíſſet rex in domo ſua, & Dóminus dedíſſet ei réquiem úndique ab univérſis inimícis ſuis, dixit ad Nathan prophétam: Vidéſne quòd ego hábitem in domo cédrina, & arca Dei póſita ſit in médio péllium? Dixítque Nathan ad regem: Omne quod eſt in corde tuo, vade, fac, quia Dóminus tecum eſt. Factum eſt autem in illâ nocte; & ecce ſermo

Dómini ad Náthan, dicens: Vade, & lóquere ad ſervum meum David: Hæc dicit Dóminus: Numquid tu ædificábis mihi domum ad habitándum? Neque enim habitávi in domo ex die illa, quâ edúxi filios Iſrael de terra Ægypti, uſque in diem hanc; ſed ambulábam in tabernáculo, & in tentório.

℟. Dómine, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 231.

Lectio ij. v. 7. ad 12.

PEr cuncta loca, quæ transívi cum ómnibus filiis Iſrael, numquid loquens locútus ſum ad unam de tríbubus Iſrael, cui præcépi, ut páſceret pópulum meum Iſrael, dicens: Quare non ædificáſtis mihi domum cédrinam? Et nunc hæc dices ſervo meo David: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Ego tuli te de páſcuis ſequéntem greges, ut eſſes dux ſuper pópulum meum Iſrael, & fui tecum in ómnibus ubicúmque ambuláſti, & interfeci univérſos inimícos tuos à fácie tua; fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum qui ſunt in terra. Et ponam locum pópulo meo Iſrael, & plantábo eum, & habitábit ſub eo, & non turbábitur ámpliùs: nec addent filii iniquitátis ut affligant eum ſicut priùs, ex die quâ conſtítui júdices ſuper pópulum meum Iſrael; & réquiem dabo tibi ab ómnibus inimícis tuis: prædicítque tibi Dóminus, quòd domum fáciat tibi Dóminus.

℟. Mélius eſt, *pag.* 231.

Lectio iij. v. 12. ad 18.

CUmque compléti fúerint dies tui, & dormíeris cum pátribus tuis, ſuſcitábo ſemen tuum poſt te, quod egrediétur de útero tuo, & firmábo regnum ejus. Ipſe ædificábit domum nómini meo, & ſtabíliam thronum regni ejus uſque in ſempitérnum. Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in fílium: qui ſi iníquè aliquid géſſerit, árguam eum in virga virórum, & in plagis filiórum hóminum. Miſericórdiam autem meam non áuferam ab eo, ſicut ábſtuli à Saül quem amóvi à fácie mea. Et fidélis erit domus tua, & regnum tuum uſque in ætérnũ ante fáciem tuam, & thronus tuus erit firmus júgiter. Secúndùm ómnia verba hæc, & juxta univérſam viſiónem iſtam, ſic locútus eſt Nathan ad David.

℟. In Dómino. *pag.* 232.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 25. de reform. Cap. 1.

OMníno Paſtóribus ſancta Synodus interdícit ne ex redítibus Eccléſiæ conſanguíneos familiaréſve ſuos augére ſtúdeant; cùm Apoſtolórũ Cánones prohíbeant, ne res Eccleſiáſticas, quæ Dei ſunt, conſanguíneis donent; ſed ſi páuperes ſint,

iis, ut paupéribus, diſtribuant.

SABBATO.

De libro ſecundo Regum.

Lectio j. Cap. 11. *v.* 1. *ad* 5.

Factum eſt autem, vertente anno, eo tempore quo ſolent reges ad bella procedere, miſit David Joab, & ſervos ſuos cum eo, & univerſum Iſrael; & vaſtaverunt filios Ammon, & obſedérunt Rabba; David autem remánſit in Jeruſalem. Dum hæc agerentur, áccidit ut ſúrgeret David de ſtrato ſuo poſt merídiem, & deambularet in ſolario domûs régiæ; viditque mulierem ſe lavantem, ex advérſo ſuper ſolarium ſuum: erat autem múlier pulchra valdè. Miſit ergo rex, & requiſivit quæ eſſet múlier. Nuntiatúmque eſt ei quòd ipſa eſſet Bethſabée, filia Eliam, uxor Uríæ Hethæi. Miſſis ítaque David núntiis; tulit eam; quæ cùm ingréſſa eſſet ad illum, dormivit cum ea.

Lectio ij. v. 6. *ad* 12.

Miſit autem David ad Joab, dicens: Mitte ad me Uríam Hethæum. Miſítque Joab Uríam ad David. Et venit Urías ad David. Quæſivítque David quàm rectè ágeret Joab, & pópulus, & quómodo adminiſtrarétur bellum. Et dixit David ad Uríam: Vade in domum tuam, & lava pedes tuos. Et egréſſus eſt Urías de domo regis, ſecutúſque eſt eum cibus regius. Dormivit autem Urías ante portam domûs régiæ cum áliis ſervis Dómini ſui, & non deſcendit ad domum ſuam. Nuntiatúmque eſt David à dicéntibus: Non ivit Urías in domum ſuam. Et ait David ad Uríam: Numquid non de via veniſti? Quare non deſcendiſti in domum tuam? Et ait Urías ad David: Arca Dei; & Iſrael, & Juda habitant in papiliónibus, & dominus meus Joab, & ſervi dómini mei ſuper faciem terræ manent; & ego ingrédiar domum meam, ut cómedam & bibam, & dórmiam cum uxóre mea? Per ſalútem tuam, & per ſalútem ánimæ tuæ non fáciam rem hanc.

Lectio iij. v. 12. *ad* 18.

Ait ergo David ad Uríam: Mane hîc étiam hódie; & cras dimíttam te. Manſit Urías in Jeruſalem in die illa & altera: & vocávit eum David ut coméderet coram ſe & biberet, & inebriávit eum: qui egréſſus véſperè, dormívit in ſtrato ſuo cum ſervis dómini ſui; & in domum ſuam non deſcendit. Factum eſt ergo manè, & ſcripſit David epiſtolam ad Joab, miſítque per manum Uríæ, ſcribens in epiſtola: Pónite Uríam ex advérſo belli, ubi fortiſſimum eſt prælium; & derelínquite eum, ut percúſſus intéreat. Igitur cum Joab obſidéret urbem,

poſuit

poſuit Uríam in loco ubi ſciébat viros eſſe fortiſſimos. Egreſſíque viri de civitáte, bellábant advérsùm Joab, & cecidérunt de pópulo ſervórum David; & mórtuus eſt étiam Urías Hethæus.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 25. Cap. 1. de reform.

Quàm máximè poteſt, Paſtóres & Cléricos ſancta Synodus monet, ut omnem humánum erga fratres, nepótes, propinquóſque, carnis affećtum, unde multórum malórum in Eccléſia ſeminárium extat, penitùs depónant.

Ad Magnif. *Ant. 2. D.* Dixit David ad Deum: Peccávi nimis: óbſecro, aufer iniquitátem ſervi tui, quia inſipiénter egi. 1. *Par.* 21. 8.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De libro ſecúndo Regum.

Lectio j. Cap. 12. *v.* 1. *ad* 7.

Miſit ergo Dóminus Nathan ad David. Qui cùm veniſſet ad eum, dixit ei: Duo viri erant in civitáte una, unus dives, & alter pauper: dives habébat oves & boves plúrimos valdè; pauper autem nihil habébat omníno, præter ovem unam párvulam quam émerat & nutríerat, & quæ créverat apud eum cum fíliis ejus ſimul, de pane illíus cómedens, & de cálice ejus bibens, & in ſinu illíus dórmiens; erátque illi ſicut fília. Cùm autem peregrínus quidam veníſſet ad dívitem, parcens ille ſúmere de óvibus & de bobus ſuis, ut exhibéret convívium peregríno illi qui véneras ad ſe, tulit ovem viri páuperis, & præparávit cibos hómini qui vénerat ad ſe. Irátus autem indignatióne David adversùs hóminem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dóminus, quóniam fílius mortis eſt vir qui fecit hoc: ovem reddet in quádruplum, eò quòd fécerit verbum iſtud, & non pepércerit.

℟. Revértere ad Dóminum, & avértere ab injuſtítia tua: in partes vade ſæculi ſancti, cum vivis & dántibus confeſſiónem Deo. * Non demoreris in erróre impiórum, ante mortem confitere. A mórtuo quaſi nihil, perit conféſſio. ℣. Ignóras quóniam benígnitas Dei ad pœniténtiam te addúcit? * Non demoréris. *Eccli.* 17. 23. 25. 26. *Rom.* 2. 4.

Lectio ij. v. 7. ad 13.

Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir: Hæc dicit Dóminus Deus Iſrael: Ego unxi te in regem ſuper Iſrael, & ego érui te de manu Saül, & dedi tibi domum dómini tui, & uxóres dómini tui in ſinu tuo, dedíque tibi domum Iſrael & Juda; & ſi parva ſunt iſta,

adjíciam tibi multò majóra. Quare ergo contempsíſti verbum Dómini, ut fáceres malum in conſpéctu meo? Uríam Hethæum percuſsíſti gládio, & uxórem illíus accepíſti in uxórem tibi, & interfecíſti eum gládio filiórum Ammon: quamóbrem non recédet gládius de domo tua uſque in ſempitérnum, eò quòd deſpéxeris me, & túleris uxórem Uríæ Hethæi, ut eſſet uxor tua. Itaque hæc dicit Dóminus: Ecce ego ſuſcitábo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxóres tuas in óculis tuis, & dabo próximo tuo, & dórmiet cum uxóribus tuis in óculis ſolis hujus. Tu enim fecíſti abſcónditè; ego autem fáciam verbum iſtud in conſpéctu omnis Iſrael, & in conſpéctu ſolis.

℟. Intellexíſti, Dómine, cogitatiónes meas de longè: ſémitam meam, & funículum meum inveſtigáſti: & omnes vias prævidíſti. * Ecce, Dómine, tu cognovíſti ómnia. ℣. Nihil opértum eſt, quod non revelétur: neque abſcónditum, quod non ſciátur. * Ecce. *Pſ.* 138. 3. 4. 5. *Luc.* 12. 2.

Lectio iij v. 13. *ad* 18.

ET dixit David ad Nathan: Peccávi Dómino. Dixítque Nathan ad David: Dóminus quoque tránſtulit peccátum tuum: non moriéris. Verúmtamen quóniam blaſphemáre fecíſti inimícos Dñi propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte moriétur. Et revérſus eſt Nathan in domum ſuam. Percúſſit quoque Dóminus párvulum quem pépererat uxor Uríæ David, & deſperátus eſt. Deprecatúſque eſt David Dóminum pro párvulo; & jejunávit David jejúnio, & ingréſſus ſeorſum, jácuit ſuper terram. Venérunt autem ſenióres domûs ejus, cogéntes eum ut ſúrgeret de terra: qui nóluit, nec comédit cum eis cibum.

℟. Delíctum meum cógnitum tibi feci: & injuſtítiam meam non abſcóndi. * Dixi: Confitébor advérsùm me injuſtítiam meam Dómino: & † Tu remisíſti impietátem peccáti mei. ℣. Pater, peccávi in cœlum, & coram te. * Dixi. Glória. † Tu remisíſti. *Pſ.* 31. 5. *Luc.* 15. 21.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro ſancti Ambróſii Epíſcopi, de Apológia David.

Lectio iv. ad Theod. Auguſt. Cap. 2.

UNuſquíſque noſtrûm per ſíngulas horas quàm multa delínquit; & tamen unuſquíſque de plebe peccátum ſuum confiténdum non putat. Ille rex tantus ac potens, ne exíguo quidem moménto manére penès ſe delícti paſſus eſt con-

ſtiéntiam; ſed præmatúrâ confeſſióne, atque imménſo dolóre réddidit peccátum ſuum Dómino. Quem mihi nunc fácilè repérias honorátum ac dívitem, qui ſi arguátur alicújus culpæ reus, non moléſtè ferat? At ille régio clarus império, tot divínis probátus oráculis, cùm à privato hómine corriperétur, quòd gráviter deliquíſſet, non indignátus infrémuit, ſed conféſſus ingémuit culpæ dolóre.

℟. Dixit David ad Dóminum: * Ego ſum qui peccávi, ego iníquè egi: iſti qui oves ſunt, quid fecérunt? vertátur, óbſecro, manus tua contra me. ℣. Juſtus es, Dómine, qui es, & qui eras Sanctus: vera & juſta judícia tua. * Ego ſum. *2. Reg. 24. 17. Apoc. 16. 5. 7.*

Lectio v.

DEnique Dóminum dolor íntimi movit afféctûs, ut Nathan díceret: Quóniam pœnítuit te, & Dóminus tránſtulit peccátū tuum. Matúritas ítaque véniæ profúndam regis fuiſſe pœniténtiam declarávit, quæ tanti erróris offénſam tradúxerit. Alii hómines cùm à Sacerdótibus corripiúntur, peccátum ſuum íngravant, dum negáre cúpiunt aut deféndere; ibíque eórum lapſus eſt major, ubi deſperátur corréctio. Sancti autem Dómini, qui conſummáre pium certámen géſtiunt, & cúrrere curſum ſalútis, sícubi fortè ut hómines corrúerint, natúræ magis fragilitáte, quàm peccándi libídine, acrióres ad curréndum reſúrgunt, pudóris ſtímulo majora reparántes certámina; ut non ſolùm nullum attulíſſe æſtimétur lapſus impediméntum, ſed étiam velocitátis incentíva cumuláſſe.

℟. David dedit confeſſiónem Sancto, & Excélſo in verbo glóriæ. Et * Dóminus purgávit peccáta ipsius, & exaltávit in ætérnum cornu ejus. ℣. Deus ſupérbis reſíſtit, humílibus autem dat grátiam: humiliámini in conſpéctu Dómini; & exaltábit vos. * Dóminus purgávit. *Eccli. 47. 9. 13. Jacob. 4. 6. 10.*

Lectio vj. Cap. 4.

PEccávit David, quod ſolent reges: ſed pœniténtiam geſſit, flevit, ingémuit; quod non ſolent reges. Conféſſus eſt culpam, obſecrávit indulgéntiam, humi ſtratus deplorávit ærúmnam, jejunávit, orávit, confeſſiónis ſuæ teſtimónium in perpétua ſæcula vulgato dolóre tranſmíſit. Quod erubéſcunt fácere priváti, rex non erúbuit confitéri. Qui tenéntur légibus, audent ſuum negáre peccátum, dedignántur rogáre indulgéntiam, quam petébat qui nullis légibus tenebátur humánis. Quòd peccávit, conditiónis eſt; quòd ſupplicávit, cor-

rectiónis. Lapſus commúnis, ſed ſpeciális conféſſio. Culpam ítaque incidíſſe, natúræ eſt; diluíſſe, virtútis.

℟. Confitéberis vivens, confitéberis, & laudábis Deum in miſeratiónibus illíus. Quàm magna miſericórdia Dómini, & propitiátio illíus converténtibus ad ſe! * Virtútem magnitúdinis ejus quis enuntiábit? aut quis adjíciet enarráre miſericórdiam ejus? ℣. Vidíſtis, quóniam miséricors Dóminus eſt, & miſerátor. * Virtútem. Glória. * Virtútem. *Eccli.* 17. 27. 28. & *Cap.* 18. 4. *Jacob.* 5. 11.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5. *v.* 20.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Dico vobis: Niſi abundáverit juſtítia veſtra pluſquam Scribárum & Phariſæórum, non intrábitis in regnum cœlórum. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 16. *in Matth. n.* 8.

CHáritas eſt ómnium mater bonórum, certa diſcipulórum nota, quæ ómnia noſtra cóntinet. Jure ergo radíces & fontes inimicítiæ quæ illam peſsúmdat, cum veheméntia multa Chriſtus ámputat & tollit. Nihil enim ita curat Deus, ut nos mútuis vínculis colligári. Ideò & per ſeipſum & per diſcípulos ſuos, tam in novo quàm in véteri Teſtaménto, multo hoc præcéptum ſermóne comméndat, & véhemens vindex eſt eórum qui hæc deſpíciunt. Etenim nihil ita malítiam omnem indúcit & fundat, ut charitátis remótio. Ideò dicébat: Cùm abundáverit iníquitas, refrigéſcet cháritas multórum. Sic Caïn fratricída factus eſt, ſic Eſaü, ſic fratres Joſeph; ſic innúmera exórta ſunt mala, avúlsâ charitáte.

℟. Qui vindicári vult, à Dómino invéniet vindíctam, & peccáta illíus ſervans ſervábit: * Relínque próximo tuo nocénti te: & tunc deprecánti tibi peccáta ſolvéntur. ℣. Cháritas óperit multitúdinem peccatórum. * Relínque. *Eccli.* 28. 1. 2. 1. *Petr.* 4. 8.

Lectio viij. n. 9.

SI offers munus tuum ad altáre, & ibi recordátus fúeris quia frater tuus habet áliquid advérsùm te, relínque munus tuum ante altáre, & vade priùs reconciliári fratri tuo; & tunc véniens, offer munus tuum. O bonitátem, ô benignitátem, quæ omnem ſermónem súperat! Honórem ſuum déſpicit pro charitáte erga próximum; oſténdens priùs ſe comminátum eſſe, non ex inimicítiâ quadam, vel ex cupiditáte inferéndi ſupplícii, ſed ex amóre fervénti. Quid enim hiſce verbis manſuétius

fingi poſſit? Interrumpátur, inquit, cultus meus, ut chá-ritas tua máneat. Nam verè ſacrifícium eſt reconciliátio cum fratre. Ideò non dixit, Poſtquam obtúleris; vel, Antequam ófferas; ſed ipſo múnere præsénte, & jam ſacrifício incipiénte.

℟. Homo hómini resérvat iram, & à Deo quærit medélam? In hóminem símilem ſibi non habet miſericórdiam, & de peccátis ſuis deprecátur? * Ipſe cùm caro ſit, resérvat iram, & propitiatiónem petit à Deo? Quis exorábit pro delíctis illíus? ℣. Si ſcirétis, quid eſt: Miſericórdiam volo, & non ſacrifícium. * Ipſe cùm caro. *Eccli.* 28. 3. 4. 5. *Matth.* 12. 7.

Lectio ix.

CUr ergo ſic jubet id ágere, & quâ de causâ? Hæc ambo, ut mihi quidem vidétur, ſubíndicans, & agens; unum quidem, ut jam dixi, ut oſténdat ſe charitátem magni fácere, & illam eſſe putáre máximum ómnium ſacrifícium; ſeque ſine charitáte ſacrificiũ non admíttere; ſecúndum autẽ, ut reconciliatiónis inevitábilem neceſſitátem áſſerat. Nam qui juſſus eſt non priùs offérre quàm reconciliarétur, etiámſi non ex amóre próximi, ſaltem ne ſacrifícium imperféctum máneat, properábit ad offénſum fratrem, ut inimicítiam ſolvat. Ideòque ómnia emphátícis expréſſit verbis, terrens illum excitánsque. Cùm dixíſſet enim, Relínque munus tuũ, non ibi ſubsíſtit, ſed ſubjúnxit, Ante altáre; & poſtquã ex loco in horrórem quemdam conjécit, Et vade, nec tantùm dixit, Vade; ſed adjúnxit, Priùs; & tunc véniens, offer munus tuum. Per hæc ómnia declárans hanc menſam non admíttere eos qui inimicítias mútuò exércent.

℟. Quid eſt homo, & quid eſt bonum illíus? Propter hoc pátiens eſt Deus in illis, & effúndit ſuper eos miſericórdiam ſuam. Miſerátio hóminis circa próximum ſuum: miſericórdia autem Dei ſuper omnem carnem. * Miſerétur excipiéntis doctrínam miſeratiónis. ℣. Si dimiſéritis homínibus peccáta eórum: dimíttet & vobis delícta veſtra. * Miſerétur. Glória. * Miſerétur. *Eccli.* 18. 7. 9. 12. 14. *Matt.* 6. 14.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *g.* Omnis, qui iráſcitur fratri ſuo, reus erit judício. *Matt.* 5. 22.

Oratio.

DEus, cujus óculis fratrum reconciliátio plácitum eſt ſacrifícium: præſta, ut véniam peccatórum, quã ad altáre tuum accedéntes póſcimus, omnes injúriæ oblivióne mereámur: Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concilio Mechliniénſi.

An. 1607. *Tit.* 19. *Cap.* 5.

PLurálitas beneficiórum, & certum cóntinet animárum perículum, & totíus órdinis Eccleſiáſtici pervérſio eſt.

Ad Magnif. *Ant. t.* I. *a.* Vade priùs reconciliári fratri tuo; & tunc véniens ófferes munus tuum. *Matth.* 5. 24.

FERIA SECUNDA.

De libro ſecúndo Regum.

Lectio j. Cap. 12. *v.* 18. *ad* 21.

ACcidit autem die séptimâ ut moreretúr infans: timuerúntque ſervi David nuntiáre ei quòd mórtuus eſſet párvulus: dixérunt enim; Ecce cùm párvulus adhuc víveret, loquebámur ad eum, & non audiébat vocem noſtram; quantò magis ſi dixérimus, Mórtuus eſt puer, ſe afflíget? Cùm ergo David vidíſſet ſervos ſuos muſſitántes, intelléxit quòd mórtuus eſſet infántulus; dixítque ad ſervos ſuos: Num mortuus eſt puer? Qui reſpondérunt ei: Mórtuus eſt. Surréxit ergo David de terra, & lotus unctúſque eſt; cùmque mutaſſet veſtem, ingréſſus eſt domum Dómini, & adorávit; & venit in domum ſuam, petivítque ut pónerent ei panem, & comédit.

℞. Revértere, ex I. Noct. Dom. pag. 241.

Lectio ij. v. 21. *ad* 26.

DIxérunt autem ei ſervi ſui: Quis eſt ſermo quem fecíſti? Propter infántem, cùm adhuc víveret, jejunáſti & flebas; mórtuo autem púero, ſurrexíſti, & comedíſti panem. Qui ait: Propter infántem, dum adhuc víveret, jejunávi & flevi; dicébam enim: Quis ſcit ſi fortè donet eum mihi Dóminus, & vivat infans? Nunc autem quia mórtuus eſt, quare jejúnem? Numquid pótero revocáre eum ámpliùs? Ego vadam magis ad eum; ille verò non revertétur ad me. Et conſolátus eſt David Bethſabée uxórem ſuam, ingreſſúſque ad eam, dormívit cum ea; quæ génuit fílium, & vocávit nomen ejùs Sálomon, & Dóminus diléxit eum. Misítque in manu Nathan Prophetæ, & vocávit nomen ejus, Amábilis Dómino, eò quòd dilígeret eum Dóminus.

℞. Intellexíſti, *pag.* 242.

Lectio iij. v. 26. *ad finem.*

IGitur pugnábat Joab contra Rabbath filiórum Ammon, & expugnábat urbem régiam. Misítque Joab núntios ad David, dicens: Dimicávi advérsùm Rabbath, & capiénda eſt urbs aquárũ. Nunc ígitur cóngrega réliquam partem pŏpuli, & óbſide civitátem, & cape eam; ne, cùm à me vaſtata fúerit urbs, nómini meo adſcribátur victória. Congregávit

itaque David omnem pópulum, & profectus eſt advérsùm Rabbath. Cùmque dimicáſſet, cepit eam. Et tulit diadéma regis eórum de cápite ejus, pondo auri taléntum, habens gemmas pretiosíſſimas, & impóſitum eſt ſuper caput David. Sed & prædam civitátis aſportávit multam valdè: pópulū quoque ejus addúcens ſervávit, & circumégit ſuper eos ferráta carpenta: divisítque cultris, & tradúxit in typo láterum: ſic fecit univérſis civitátibus filiórum Ammon. Et revérſus eſt David, & omnis exércitus in Jerúſalem.

℟. Delíctum, *pag.* 242.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 24. Cap. 17. de ref.

QUóniam multi ímprobæ cupiditátis affèctu ſeipſos non Deum decipiéntes, ea quæ bene conſtitúta ſunt, váriis ártibus elúdere, & plura ſimul beneficia obtinére non erubéſcunt, ſancta Synodus débitam regéndis Eccléſiis diſciplínam reſtitúere cúpiens, præsénti decréto, quod in quibuscúmque perſónis, quocúmque título, etiámſi Cardinalátûs honóre fúlgeant, mandat obſervári; ſtátuit ut in pósterum unum tantùm beneficium Eccleſiáſticū ſíngulis conferátur.

FERIA TERTIA.

De libro ſecúndo Regum.

Lectio j. Cap. 13. v. 23. ad 27.

FActum eſt poſt tempus biénnii, ut tonderentur oves Abſalom in Baalhaſor, quæ eſt juxta Ephraïm: & vocávit Abſalom omnes fílios regis. Venítque ad regem, & ait ad eum: Ecce tondéntur oves ſervi tui; véniat, oro, rex cum ſervis ſuis ad ſervum ſuum. Dixítque rex ad Abſalom: Noli, fíli mi, noli rogáre ut veniámus omnes, & gravémus te. Cùm autem cógeret eum, & noluíſſet ire, benedíxit ei. Et ait Abſalom: Si non vis veníre, véniat, óbſecro, nobiſcum ſaltem Amnon frater meus. Dixítque ad eum rex: Non eſt neceſſe ut vadat tecum.

℟. Dixit, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 243.

Lectio ij. v. 27. ad 31.

COégit itaque Abſalom eum, & dimíſit cum eo Amnon & univérſos fílios regis. Fecerátque Abſalom convívium quaſi convívium regis. Præcéperat autem Abſalom púeris ſuis, dicens: Obſerváte cùm temuléntus fúerit Amnon vino, & díxero vobis: Percútite eum, & interfícite; nolíte timére; ego enim ſum qui præcípio vobis: roborámini, & eſtóte viri fortes. Fecérunt ergo púeri Abſalom advérsùm Amnon, ſicut præcé-

perat eis Abſalom. Surgéntéſque omnes filii regis, aſcenderunt ſinguli mulas ſuas & fugérunt. Cumque adhuc pérgerent in itinere, fama pervénit ad David, dicens: Percúſſit Abſalom omnes filios regis, & non remánſit ex eis ſaltem unus.

℟. David, *pag.* 243.

Lectio iij. v. 31. ad 36.

SUrréxit itaque rex, & ſcidit veſtiménta ſua, & cécidit ſuper terram; & omnes ſervi illíus qui aſſiſtébant ei, ſcidérunt veſtiménta ſua. Reſpóndens autem Jónadab filius Sémmaa fratris David, dixit: Ne æſtimet dóminus meus rex, quòd omnes púeri filii regis occíſi ſint; Amnon ſolus mórtuus eſt; quóniam in ore Abſalom erat póſitus, ex die quâ oppreſſit Thamar ſorórem ejus. Nunc ergo ne ponat dominus meus rex ſuper cor ſuum verbum iſtud, dicens: Omnes filii regis occíſi ſunt; quóniam Amnon ſolus mortuus eſt. Fugit autem Abſalom: & elevávit puer ſpeculátor óculos ſuos, & aſpéxit: & ecce pópulus multus veniébat per iter dévium ex látere montis. Dixit autem Jónadab ad regem: Ecce filii regis adſunt: juxta verbum ſervi tui ſic factum eſt.

℟. Confitéberis, *pag.* 244.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 24. Cap. 17. de reform.

QUòd ſi beneficium Eccleſiáſticum, ad vitam ejus cui confértur, honéſtè ſuſtentándum non ſufficiat; líceat nihilóminus álìud ſimplex ſufficiens, dúmmodo utrúmque perſonálem reſidéntiam non requírat, eídem conférri.

FERIA QUARTA.

De libro ſecúndo Regum.

Lectio j. Cap. 14. v. 4. ad 8.

CUm ingréſſa fuiſſet múlier Thecuítis ad regem, cécidit coram eo ſuper terram, & adorávit, & dixit: Serva me, rex. Et ait ad eam rex: Quid cauſæ habes? Quæ reſpóndit: Heu! múlier vídua ego ſum; mórtuus eſt enim vir meus. Et ancíllæ tuæ erant duo filii, qui rixáti ſunt adversùm ſe in agro; nullúſque erat qui eos prohibére poſſet: & percúſſit alter álterum, & interfécit eum. Et ecce consúrgens univérſa cognátio adversùm ancíllam tuam, dicit: Trade eum, qui percúſſit fratrem ſuum, ut occidamus eum pro ánima fratris ſui quem interfécit, & deleámus hærédem; & quærunt extínguere ſcintíllam meam, quæ relícta eſt, ut non ſupérſit viro meo nomen, & relíquiæ ſuper terram.

℟. Qui vindicári, *ex 3. Noct. Dom. pag.* 244.

Lectio ij. v. 10. ad 15.

ET ait rex: Qui contradíxerit tibi, adduc eum ad me, & ultrà non addet ut tangat te. Quæ ait: Recordétur rex Dómini Dei ſui, ut non multiplicéntur próximi ſánguinis ad ulciſcéndum, & nequáquam interficiant filium meum. Qui ait: Vivit Dóminus, quia non cadet de capíllis filii tui ſuper terram. Dixit ergo múlier: Loquátur ancílla tua ad dóminum meum regem verbum. Et ait: Lóquere. Dixítque múlier: Quare cogitáſti hujuſcémodi rem contra pópulum Dei, & locútus eſt rex verbum iſtud, ut peccet, & non redúcat ejéctum ſuum? Omnes mórimur, & quaſi aquæ dilábimur in terram, quæ non revertúntur: nec vult Deus períre ánimam, ſed retráctat cógitans, ne pénitus péreat qui abjéctus eſt.

℟. Homo, *pag.* 245.

Lectio iij. v. 19. ad 25.

ET ait rex: Numquid manus Joab tecum eſt in ómnibus iſtis? Reſpóndit múlier, & ait: Per ſalútem ánimæ tuæ, dómine mi rex, nec ad ſiníſtram, nec ad déxteram eſt, ex ómnibus his quæ locútus eſt dóminus meus rex, ſervus enim tuus Joab, ipſe præcépit mihi, & ipſe póſuit in os ancíllæ tuæ omnia verba hæc. Ut vérterem figúram ſermónis hujus, ſervus tuus Joab præcépit iſtud: tu autem, dómine mi rex, ſápiens es, ſicut habet ſapiéntiam Angelus Dei, ut intélligas ómnia ſuper terram. Et ait rex ad Joab: Ecce plácatus feci verbum tuum: vade ergo, & révoca púerum Abſalom. Cadénſque Joab ſuper fáciem ſuam in terram, adoravit, & benedíxit regi; & dixit Joab: Hódie intelléxit ſervus tuus, quia invéni grátiam in óculis tuis, dómine mi rex; feciſti enim ſermónem ſervi tui. Surréxit ergo Joab & ábiit in Geſſur, & addúxit Abſálom in Jerúſalem. Dixit autem rex: Revertátur in domum ſuam, & fáciem meam non vídeat. Revérſus eſt ítaque Abſalom in domum ſuam, & fáciem regis non vidit.

℟. Quid eſt, *pag.* 245.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 7. de reform. Cap. 4.

QUicúmque de cætero plura curáta, aut ália incompatibília beneficia Eccleſiáſtica ſive per viam uniónis ad vitam, ſeu commendæ perpétuæ, aut álio quocúmque nómine, & título, contra formam ſacrórum Cánonum ... recípere, ac ſimul retinére præſúmpſerit, beneficiis ipſis... ipſo jure, étiam præſénti Cánonis vigóre, privátus exiſtat.

FERIA QUINTA.

De libro ſecúndo Regum.

Lectio j. Cap. 14. v. 31. ad finem.

SUrréxit Joab, & venit ad Abſalom in domum ejus, & dixit: Quare ſuccendérunt ſervi tui ſégetem meam igni? Et reſpóndit Abſalom ad Joab: Miſi ad te óbſecrans ut veníres ad me, & mítterem te ad regem, & díceres ei: Quare veni de Geſſur? Mélius mihi erat ibi eſſe: óbſecro ergo ut vídeam fáciem regis: quòd ſi memor eſt iniquitátis meæ, interfíciat me. Ingréſſus ítaque Joab ad regem, nuntiávit ei ómnia: vocatúſque eſt Abſalom, & intrávit ad regem, & adorávit ſuper fáciem terræ coram eo: oſculátúſque eſt rex Abſalom.

℟. Revértere, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 241.

Lectio ij. Cap. 15. *v.* 1. *ad* 7.

IGitur poſt hæc fecit ſibi Abſalom currus, & équites, & quinquagínta viros, qui præcéderent eum. Et manè consúrgens Abſalom, ſtabat juxta intróitum portæ; & omnem virum, qui habébat negótium ut veníret ad regis judícium, vocábat Abſalom ad ſe, & dicébat: De qua civitáte es tu? Qui reſpóndens aiébat: Ex una tribu Iſrael ego ſum ſervus tuus. Reſpondebátque ei Abſalom: Videntur mihi ſermónes tui boni & juſti; ſed non eſt qui te áudiat conſtitútus à rege. Dicebátque Abſalom: Quis me conſtítuat júdicem ſuper terram, ut ad me véniant omnes qui habent negótium, & juſtè júdicem? Sed & cùm ad eum accéderet homo ut ſalutáret illum, extendébat manum ſuam, & apprehéndens oſculabátur eum. Faciebátque hoc omni Iſrael veniénti ad judícium, ut audirétur à rege; & ſollicitábat corda virórum Iſrael.

℟. Intellexíſti, *pag.* 242.

Lectio iij. v. 7. *ad* 15.

POſt quadragínta autem annos, dixit Abſalom ad regem David: Vadam, & reddam vota mea quæ vovi Dómino in Hebron. Vovens enim vovit ſervus tuus, cùm eſſet in Geſſur Syriæ, dicens: Si redúxerit me Dóminus in Jerúſalem, ſacrificábo Dómino. Dixítque ei rex David: Vade in pace. Et ſurréxit, & ábiit in Hebron. Miſit autem Abſalom exploratóres in univérſas tribus Iſrael, dicens: Statim ut audiéritis clangórem búccinæ, dícite: Regnávit Abſalom in Hebron. Porrò cum Abſalom iérunt ducénti viri de Jerúſalem vocáti, eúntes ſimplici corde, & cauſam pénitus ignorántes. Accersívit quoque Abſalom Achítophel Gilonítem conſiliárium David, de civitáte ſua Gilo. Cùmque immoláret víctimas, facta eſt conjurátio válida, populúſque concúrrens au-

gebátur cum Abſalom. Venit ígitur núntius ad David, dicens: Toto corde univérſus Iſrael séquitur Abſalom. Et ait David ſervis ſuis, qui erant cum eo in Jerúſalem: Súrgite, fugiámus.

℞. Delíctum, *pag.* 242.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816. *Lib.* 1. *Cap.* 116.

RES Eccléſiæ, ſicut à ſanctis Pátribus tráditur, vota ſunt fidélium, prétia peccatórum, & patrimónia páuperum; fidéles námque fídei ardóre, & Chriſti amóre ſuccénſi, ob animárum ſuárum remédium, & cœléſtis pátriæ deſidérium ſuis própriis facultátibus ſanctam locuplétem fecérunt Eccléſiam, ut his & mílites Chriſti aleréntur, & Eccléſiæ exornaréntur, & páuperes recreaséntur.

FERIA SEXTA.

De libro ſecúndo Regum.

Lectio j. Cap. 15. *v.* 17. *ad* 24.

EGréſſus rex & omnis Iſrael pédibus ſuis, ſtetit procul à domo: & univérſi ſervi ejus ambulábant juxta eum, & legiónes Cérethi, & Phélethi, & omnes Gethæi, pugnatóres válidi, ſexcénti viri qui ſecúti eum fúerant de Geth pédites, præcedébant regem. Dixit autem rex ad Ethaï Gethæum: Cur venis nobíſcum? Revértere, & hábita cum rege, quia peregrínus es, & egréſſus es de loco tuo. Heri veníſti, & hódie compelléris nobíſcum égredi? Ego autem vadam quò iturus ſum: revértere, & reduc tecum fratres tuos, & Dóminus fáciet tecum miſericórdiam & veritátem, quia oſtendíſti grátiam & fidem. Et reſpóndit Ethaï regi, dicens: Vivit Dóminus, & vivit dóminus meus rex, quóniam in quocúmque loco fúeris, dómine mi rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus. Et ait David Ethaï: Veni, & tranſi. Et transívit Ethaï Gethæus, & omnes viri, qui cum eo erant, & réliqua multitúdo. Omnéſque flebant voce magnâ, & univérſus pópulus transíbat: rex quoque tranſgrediebátur torréntem Cedron, & cunctus pópulus incedébat contra viam quæ réſpicit ad deſértum.

℞. Dixit, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 243.

Lectio ij. Cap. 16. *v.* 1. *ad* 5.

CUmque David transíſſet páululùm montis vérticem, appáruit Siba puer Miphíboſeth in occúrſum ejus cum duóbus áſinis, qui oneráti erant ducéntis pánibus, & centum alligatúris uvæ paſſæ, & centum maſſis palathárum, & utre vini. Et dixit rex Sibæ: Quid ſibi volunt hæc? Reſpondítque Siba: Aſini, doméſticis regis

ba regi: Remanſit in Jeruſa-
lem, dicens: Hódie reſtítuet
mihi domus Iſrael regnum
patris mei. Et ait rex Sibæ:
Tua ſint ómnia quæ fuérunt
Miphiboſeth. Dixítque Siba:
Oro, ut invéniam grátiam
coram te, dómine mi rex.

℟. David, *pag.* 243.

Lectio iij. v. 5, *ad* 13.

VEnit ergo rex David uſque Báhurim; & ecce egrediebátur inde vir de cognatióne domûs Saül, nómine Séměï, fílius Gera; procedebátque egrédiens, & maledicébat, mittebátque lápides contra David, & contra univérſos ſervos regis David. Omnis autem pópulus, & univérſi bellatóres à dextro & à ſiníſtro látere regis incedébant. Ita autem loquebátur Sémei cùm maledíceret regi: Egrédere, egrédere, vir sánguinum, & vir Bélial: réddidit tibi Dóminus univérſum sánguinem domûs Saül: quóniam invasíſti regnum pro eo, & dedit Dóminus regnum in manu Abſalom fílii tui; & ecce premunt te mala tua, quóniam vir sánguinum es. Dixit autem Abíſaï fílius Sárviæ regi: Quare maledícit canis hic mórtuus dómino meo regi? Vadam & amputábo caput

re hic fecerit? Et ait r
ſaï, & univérſis ſervi
Ecce fílius meus, qui
ſus eſt de útero meo,
ánimam meam; quan
gis nunc fílius Jémi
míttite eum, ut m
juxta præcéptum Dó
fortè reſpíciat Dómi
flictiónem meam; &
mihi Dóminus bonu
maledictióne hac hod

℟. Confitéberis, *pag*

C A N O

Ex Concílio Pariſiénſi

An. 829. *Cap.* 1

NOn ſunt res Eccl
própriæ, ſed ut
nicæ, & à Dómino
mendátæ, tractándæ
cúmque ergo eas a
próprios uſus, terre
honóres, & ad delect
detórquet, quantæ ſi
greſſionis apertè anim
ti poteſt.

S A B B A T

De libro ſecúndo R

Lectio j. Cap. 18. *v.* 1

COnſideráto Dav
pulo ſuo, conſtí
per eos tribúnos &
riónes, & dedit pópu
tiam partem ſub man
& tértiam partem ſu
Abíſaï fílii Sárviæ

Joab, & tértiam partem ſub manu Ethaï, qui erat de Geth; dixítque rex ad pópulum: Egrédiar & ego vobíſcum. Et reſpóndit pópulus: Non exíbis; ſive enim fugérimus, non magnópere ad eos de nobis pertinébit; ſive média pars ceciderit è nobis, non ſatis curábunt; quia tu unus pro decem míllibus computáris: mélius eſt ígitur ut ſis nobis in urbe præſídio. Ad quos rex ait: Quod vobis vidétur rectum, hoc fáciam. Stetit ergo rex juxta portam: egrediebatúrque pópulus per turmas ſuas, centéni, & milléni. Et præcépit rex Joab, & Abíſaï, & Ethaï, dicens: Serváte mihi púerum Abſalom. Et omnis pópulus audiébat præcipiéntem regem cunctis princípibus pro Abſalom. Itaque egreſſus eſt pópulus in campum contra Iſrael, & factum eſt prælium in ſaltu Ephraïm. Et cæſus eſt ibi pópulus Iſrael ab exércitu David, factáque eſt plaga magna in die illa, vigínti míllium.

Lectio ij. v. 9. ad 16.

Accidit autem ut occúrreret Abſalom ſervis David, ſedens mulo: cùmque ingréſſus fuiſſet mulus ſubter condénſam quercum & magnam, adhæſit caput ejus quércui; & illo ſuſpénſo inter cœlum & terram, mulus, cui inſéderat, pertransívit. Vidit autem hoc quíſpiam, & nuntiávit Joab, dicens: Vidi Abſalom pendére de quercu. Et ait Joab viro qui nuntiáverat ei: Si vidíſti, quare non confodíſti eum cum terra, & ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos, & unum bálteum? Qui dixit ad Joab: Si appénderes in mánibus meis mille argénteos, nequáquam mítterem manum meam in fílium regis: audiéntibus enim nobis, præcépit rex tibi, & Abíſaï, & Ethaï, dicens: Cuſtodíte mihi púerum Abſalom. Sed & ſi feciſſem contra ánimam meam audácter, nequáquam hoc regem latére potuíſſet, & tu ſtares ex advérſo? Et ait Joab: Non ſicut tu vis, ſed aggrédiar eum coram te. Tulit ergo tres lánceas in manu ſua, & infíxit eas in corde Abſalom: cùmque adhuc palpitáret hærens in quercu, cucurrérunt decem júvenes armígeri Joab, & percutiéntes interfecérunt eum.

Lectio iij. v. 31. ad finem.

Appáruit Chuſi: & véniens ait: Bonum appórto núntium, dómine mi rex; judicávit enim pro te Dóminus hódie de manu ómniũ qui ſurrexérunt contra te. Dixit autem rex ad Chuſi: Eſtne pax púero Abſalom? Cui reſpóndens Chuſi: Fiant, inquit, ſicut puer inimíci dómini mei regis, & univérſi qui consúrgunt advérsùs eum in malum.

Contriſtátus ítaque rex, aſcéndit cœnáculum portæ, & flevit; & ſic loquebátur, vadens: fili mi Abſalom, Abſalom fili mi: quis mihi tríbuat ut ego móriar pro te, Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?

CANON
Ex Concílio Pariſiénſi ſexto.
An. 829. *Lib.* I. *Cap.* 18.

Miſerabilióres planè cunctis mortálibus nonnulli exíſtunt Sacerdótes, qui in breviſſimo hujus mortalitátis intervállo, ſuæ míſeræ fragilitátis immémores, amóre mundi decépti, cupiditáte terrenárum rerum illécti, pro cadúcis & citò labéntibus rebus quas utíliter fidelitérque expéndere négligunt, ſanctórum Sacerdótum conſórtio ſe privant.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *a.* Poſt David ſurréxit fílius ſensátus, cui ſubjécit Deus omnes hoſtes, ut cónderet domum in nómine ſuo, & paráret ſanctitátem in ſempitérnum. *Eccli.* 47. 14. 15.

Oratio ut ad Laudes.

DOMINICA SEXTA
POST PENTECOSTEN.
IN I. NOCTURNO
Incipit liber tértius Regum.
Lectio j. Cap. I. *v.* I. *ad* 2. *&* 5. *ad* 9.

Rex David ſenúerat, habebátque ætátis plúrimos dies. Adónias autem fílius Haggith elevabátur, dicens: Ego regnábo. Fecítque ſibi currus & équites, & quinquagínta viros, qui cúrrerent ante eum. Nec corrípuit eum pater ſuus aliquándo, dicens: Quare hoc fecíſti? Erat autem & ipſe pulcher valdè, ſecúndus natu poſt Abſalom. Et ſermo ei cum Joab, fílio Sárviæ, & cum Abíathar ſacerdóte, qui adjuvábant partes Adóniæ. Sadoc verò ſacérdos, & Banáïas fílius Joíadæ, & Nathan Prophéta, & Sémeï & Reï, & robur exércitûs David non erat cum Adónia.

℟. Mórtuus eſt pater, & quaſi non eſt mórtuus: ſímilem enim relíquit ſibi poſt ſe: * In óbitu ſuo non eſt contriſtátus, nec confúſus: relíquit enim defenſórem domûs contra inimícos, & amícis reddéntem grátiam. ℣. David in ſua generatióne cùm adminiſtráſſet, voluntáti Dei dormívit. * In óbitu ſuo. *Eccli.* 30. 4. 5. 6. *Act.* 13. 36.

Lectio ij. v. 32. *ad* 36.

Dixit rex David: Vocáte mihi Sadoc ſacerdótem, & Nathan Prophétam, & Banaïam fílium Jóiadæ. Qui cùm ingréſſi fuíſſent coram rege, dixit ad eos: Tóllite vobíſcum ſervos dómini veſtri, & impónite Salomónem fílium meum ſuper mulam meam, & dúcite eum in Gihon; & ungat eum ibi Sadoc ſacérdos, & Nathan Prophéta, in regem ſuper Iſrael; & canétis

búccinâ, atque dicétis: Vivat rex Sálomon. Et aſcendétis poſt eum, & véniet, & ſedébit ſuper ſólium meum, & ipſe regnábit pro me: illíque præcípiam ut ſit dux ſuper Iſrael, & ſuper Judam.

℞. Dixit Dóminus Salomóni: Quia non petíſti tibi dies multos, nec divítias, ſed poſtuláſti tibi ſapiéntiã: * Ecce dedi tibi cor ſápiens & intélligens, ſed & hæc, quæ non poſtuláſti, dedi tibi: divítias ſcilicet & glóriam. ℣. Potens eſt Deus ómnia fácere ſuperabundánter. * Ecce dedi. 3. *Reg.* 3. 11. 12. 13. *Epheſ.* 3. 20.

Lectio iij. v. 36. ad 40.

ET reſpóndit Banáïas fílius Joíadæ, regi, dicẽs: Amen; ſic loquátur Dóminus Deus dómini mei regis. Quómodo fuit Dóminus cum dómino meo rege, ſic ſit cum Salomóne, & ſublímius fáciat ſólium ejus à ſólio dómini mei regis David. Deſcéndit ergo Sadoc ſacérdos, & Nathan Prophéta, & Banáïas fílius Joíadæ, & Cérethi & Phélethi, & impoſuérunt Salomónem ſuper mulam regis David, & adduxérunt eum in Gihon. Sumpsítque Sadoc ſacérdos cornu ólei de tabernáculo, & unxit Salomónem: & cecinérunt búccinâ, & dixit omnis pópulus: Vivat rex Sálomon.

℞. Benedíctus Dóminus Deus Iſrael, qui fecit cœlum & terram, qui * Dedit David regi fílium ſapiéntem & erudítum, & ſenſátum atque prudéntem, ut ædificáret domum Dómino. ℣. David invénit grátiam ante Deum, & pétiit ut inveníret tabernáculum Deo Jacob. Sálomon autem ædificávit illi domum. * Dedit. Glória. * Dedit. 2. *Par.* 2. 12. *Act.* 7. 46. 47.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro ſancti Auguſtíni Epíſcopi, de civitáte Dei.

Lectio iv. L. 17. Cap. 8. N. 1.

CUm regi David multa próſpera proveníſſent, cogitávit fácere Deo domũ, templum illud ſcílicet excellentíſſimè diffamátum, quod à rege Salomóne fílio ejus póſtea fabricátum eſt. Hoc eo cogitánte, factum eſt verbum Dómini ad Nathan Prophétam, quod perférret ad regem. Ubi cùm Deus dixíſſet, quòd non ab ipſo David ſibi ædificarétur domus, neque per tantum tempus ſe mandáſſe cuíquam in pópulo ſuo, ut ſibi fíeret domus cédrina: Et nunc, inquit, hæc dices ſervo meo David: Hæc dicit Dóminus omnípotens: Suſcitábo ſemen tuum poſt te, qui erit de ventre tuo, & præparábo regnum ejus. Hic ædificábit mihi domum nómini meo, & dirigam thronum illíus uſque in ætérnum.

℞. Ergone credíbile eſt ut hábitet Deus cum homíni-

bus ſuper terram? Si cœlum & cœli cœlórum non te cápiunt, quantò magis domus iſta? * Sed ad hoc tantùm facta eſt, ut reſpicias oratiónem ſervi tui, & exáudias preces pópuli tui Iſrael. ℣. Non Excélſus in manufáctis hábitat. Quam domum ædificábitis mihi, dicit Dóminus? * Sed ad hoc tantùm. 2. *Paral.* 6. 18. 19. 21. *Act.* 7. 48. 49.

Lectio v. n. 2.

HAnc tam grandem promiſſiónem, qui putat in Salomóne fuíſſe complétam, multùm errat. Atténdit enim quod dictum eſt: Hic ædificábit mihi domum; quóniam Sálomon templum illud nóbile extrúxit, & non atténdit: Fidélis erit domus ejus, & regnum ejus uſque in ætérnum coram me. Atténdat ergo & aſpíciat Salomónis domum plenam muliéribus alienígenis coléntibus deos falſos, & ipſum ab eis regem aliquándo ſapiéntem in eámdem idololátriam ſedúctum, atque dejéctum: & non áudeat exiſtimare Deum, vel hoc promiſíſſe mendáciter, vel talem Salomónem, domúmque ejus futúram non potuíſſe præſcíre. Non hinc autem deberémus ambígere, nec ſi non in Chriſto Dómino noſtro, qui factus eſt ex ſémine David ſecúndùm carnem, jam viderémus iſta compléri; ne vanè atque inániter hic álium áliquem requirámus, ſicut carnáles Judæi.

℟. Implétus es, quaſi flumen, ſapiéntiâ: dedíſti máculam in glória tua. * Deus autem non derelínquet miſericórdiam ſuam, nec delébit ópera ſua, neque perdet à ſtirpe nepótes elécti ſui. ℣. Ille fidélis pérmanet, negáre ſeípſum non poteſt. * Deus autem. *Eccli.* 47. 16. 22. 24. 2. *Tim.* 2. 13.

Lectio vj.

FActa eſt quidem nonnúlla imágo rei futúræ étiam in Salomóne, in eo quòd templum ædificávit, & pacem hábuit ſecúndùm nomen ſuum: (Sálomon quippe pacíficus eſt latínè,) & in exórdio regni ſui mirabíliter laudábilis fuit: ſed eâdem ſuâ persónâ per umbram futúri prænuntiábat étiam ipſe Chriſtum Dóminum noſtrum, non exhibébat. Unde quædam de illo ita ſcripta ſunt, quaſi de ipſo iſta prædicta ſint, dum Scriptúra ſancta étiam rebus geſtis prophétans, quodámmodo in eo figúram delíneat futurórum.

℟. Ut ſcivi quóniam áliter non poſſem eſſe cóntinens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapiéntiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum: adii Dóminum, & deprecátus ſum illum, * Et dixi: † Mitte ſapiéntiam de cœlis, ut mecum ſit & mecum labóret.

ret. ℣. Datus eſt mihi ſtímulus carnis meæ, ángelus ſátanæ, qui me colaphízet: propter quod ter Dóminum rogávi. * Et dixi. Gloria. ✝ Mitte. *Sap.* 8. 21. *&* 9. 10. 2. *Cor.* 12. 7. 8.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 8. *v.* 1.

IN diébus illis, Cùm turba multa eſſet cum Jeſu, nec habérent quod manducárent, convocátis diſcípulis, ait illis: Miséreor ſuper turbam; quia ecce jam tríduo ſúſtinent me. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Tract. 24. *n.* 1.

MIrácula quæ fecit Dóminus noſter Jeſus Chriſtus, ſunt quidem divína ópera, & ad intelligéndum Deum de viſibílibus ádmonent humánam mentem. Quia enim ille non eſt talis ſubſtántia quæ vidéri óculis poſſit, & mirácula ejus, quibus totum mundum regit, universámque creatúram adminíſtrat, aſſiduitáte viluérunt, ita ut penè nemo dignétur atténdere ópera Dei mira & ſtupénda in quólibet ſéminis grano; ſecúndùm ipſam ſuam miſericórdiam ſervávit ſibi quædam, quæ fáceret opportúno témpore præter uſitátum curſum ordinémque natúræ, ut non majóra, ſed insólita vidéndo ſtupérent quibus quotidiána viluérant.

℟. Ecce óculi Dómini ſuper metuéntes eum; & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus: * Ut alat eos in fame, quóniam adjútor & protéctor noſter eſt. ℣. Accípiens Jeſus panes, & grátias agens, dabat diſcípulis ſuis, ut appónerent; & appoſuérunt turbæ. * Ut alat eos. *Pſ.* 32. 18. 19. 20. *Marc.* 8. 6.

Lectio viij.

MAjus enim miráculum eſt gubernátio totíus mundi, quàm ſaturátio quinque míllium hóminum de quinque pánibus: & tamen hæc nemo mirátur: illud mirántur hómines, non quia majus eſt, ſed quia rarum eſt. Quis enim & nunc paſcit univérſum mundum, niſi ille, qui de paucis granis ſégetes creat? Fecit ergo quómodo Deus. Unde enim multíplicat de paucis granis ſégetes, inde in mánibus ſuis multiplicávit quinque panes. Poteſtas enim erat in mánibus Chriſti: panes autem illi, quinque quaſi ſémina erant, non quidem terræ mandáta, ſed ab eo qui terram fecit multiplicáta.

℟. Allevat Dóminus omnes qui córruunt, & érigit omnes eliſos. * Oculi ómnium in te ſperant, Dómine: & tu das eſcam illórum in témpore opportúno. ℣. Unde illos quis póterit hîc ſaturáre pánibus in ſolitúdi-

ne? *Oculi ómnium. *Pſ.* 144. 14. 15. *Marc.* 8. 4.

Lectio ix. n. 1. *&* 2.

HOc ergo admótum eſt ſénſibus, quo erigerétur mẽ, & exhíbitũm oculis ubi exercerétur intelléctus, ut invisíbilem Deum per viſibília ópera mirarémur, & eréctì ad fidem, & purgáti per fidem, étiam ipſum inviſibíliter vidére cuperémus, quem de rebus viſibílibus inviſibílem noſcerémus. Nec tamen ſúfficit hæc intuéri in miráculis Chriſti. Interrogémus ipſa miracula, quid nobis loquántur de Chriſto: habent enim, ſi intelligántur, linguam ſuam. Nam quia ipſe Chriſtus Verbum Dei eſt, étiam factum Verbi verbum nobis eſt.

℟. Jacta ſuper Dóminum curam tuam, & * Ipſe te enútriet: † Non dabit in ætérnum fluctuatiónem juſto. ℣. Sint mores ſine avarítia, conténti præſéntibus: ipſe enim dixit: Non te déſeram, neque derelínquam. * Ipſe te. Glória. † Non dabit. *Pſ.* 54. 23. *Hebr.* 13. 5.

Ad Bened. *Ant. t.* 6. *f.* Miséreor ſuper turbam; quia ecce jam tríduo ſúſtinent me, nec habent quod mandúcent. *Marc.* 8. 2.

Oratio.

DEus, cujus providéntia in ſui diſpoſitióne non fállitur: te ſúpplices exorámus, ut nóxia cuncta ſubmóveas, & ómnia nobis profutúra cõcedas; Per Dñm, &c.

CANON

Ex Concílio Tullénſi ad Saponárias.

Ann. 859. *In Epiſt. ad Epiſc. Britan.*

POſſeſſiónes Eccléſiæ datæ ſunt ab his qui ante nos Chriſtiáni fuérunt propter redemptiónem animárum, & propter templórum Dei inſtauratiónem, & eórum victum & veſtiméntum, qui ſine ceſſatióne laudes Deo perſolvunt, & propter ſtipéndium páuperum, & ſi opus eſt, redemptiónem captivórum.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *a.* Manducavérunt, & ſaturáti ſunt, & ſuſtulérunt quod ſuperáverat de fragméntis, ſeptem ſportas. *Marc.* 8. 8.

FERIA SECUNDA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 5. *&* 10. *ad* 13.

APpropinquavérunt dies David ut morerétur, præcepítque Salomóni fílio ſuo, dicens: Ego ingrédior viam univérſæ terræ: confortáre, & eſto vir. Et obsérva cuſtódias Dómini Dei tui, ut ámbules in viis ejus, ut cuſtódias cæremónias ejus, & præcépta ejus, & judícia, & teſtimónia, ſicut ſcriptum eſt in lege Móyſi: ut intélligas univérſa quæ facis, & quocúmque te vérteris; ut confírmet Dóminus ſermónes ſuos quos locútus eſt de me, dicens: Si cuſtodíerint

filii tui vias ſuas, & ambuláverint coram me in veritáte in omni corde ſuo, & in omni ánima ſua, non auferétur tibi vir de ſólio Iſrael. Dormívit ígitur David cum pátribus ſuis, & ſepúltus eſt in civitáte David. Dies autem quibus regnávit David ſuper Iſrael, quadragínta anni ſunt: in Hebron regnávit ſeptem annis, in Jerúſalem trigínta tribus. Sálomon autem ſedit ſuper thronum David patris ſui, & firmátum eſt regnum ejus nimis.

℞. Mórtuus eſt, *ex* I. *Noct. Dom. pag.* 254.

Lectio ij. Cap. 3. *v.* 5. *ad* 10.

APpáruit autem Dóminus Salomóni per ſómnium noctc, dicens: Póſtula quod vis ut dem tibi. Et ait Sálomon: Tu fecíſti cum ſervo tuo David patre meo miſericórdiam magnam, ſicut ambulávit in conſpéctu tuo in veritáte, & juſtítia, & recto corde tecum; cuſtodíſti ei miſericórdiam tuam grandem, & dedíſti ei fílium ſedéntem ſuper thronum ejus, ſicut eſt hódie. Et nunc, Dómine Deus, tu regnáre fecíſti ſervum tuum pro David patre meo; ego autem ſum puer párvulus, & ignórans egreſſum & intróitum meum; & ſervus tuus in médio eſt pópuli, quem elegíſti, pópuli infiníti, qui numerári & ſupputári non poteſt præ multitúdine. Dabis ergo ſervo tuo cor dócile, ut pópulum ſuum judicáre poſſit, & diſcérnere inter bonum & malum: quis enim póterit judicáre pópulum iſtum, pópulum tuum hunc multum?

℞. Dixit, *pag.* 255.

Lectio iij. v. 10. *ad* 15.

PLacuit ergo ſermo coram Dómino, quòd Salomon poſtuláſſet hujuſcémodi rem. Et dixit Dóminus Salomóni: Quia poſtuláſti verbum hoc, & non petíſti dies multos, nec divítias, aut ánimas inimicórum tuórum, ſed poſtuláſti tibi ſapiéntiam ad diſcernéndum judícium; ecce feci tibi ſecúndùm ſermónes tuos, & dedi tibi cor ſápiens & intélligens, in tantum ut nullus ante te ſímilis tui fúerit, nec poſt te ſurrectúrus ſit. Sed & hæc, quæ non poſtuláſti dedi tibi; divítias ſcílicet, & glóriam, ut nemo fúerit ſímilis tui in régibus cunctis retrò diébus. Si autem ambuláveris in viis meis, & cuſtodíeris præcépta mea, & mandáta mea, ſicut ambulávit pater tuus, longos fáciam dies tuos.

℞. Benedictus, *pag.* 255.

CANON

Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. *Ann.* 829. *Lib.* I. *Cap.* 18.

COnſtat ſanctíſſimos Sacerdótes, qui cum Chriſto remuneratóre ſuo regnant, res Eccléſiæ non ſibi, ſed áliis poſſedíſſe, & non ad ſuam glóriam, & delectatiónem, ſed pótiùs ad Dei

honórem, & fidélium commoditátem his uſos fuíſſe... Quicúmque ſecúndùm eorúmdem Sanctórum exémpla res ſibi créditas diſpensáverit... ad eórum consórtium ſe pertinére dubitáre non póterit.

FERIA TERTIA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 5. v. 2. ad 7.

MIſit Sálomon ad Hiram, dicens: Tu ſcis voluntátem David patris mei, & quia non potúerit ædificáre domum nómini Dómini Dei ſui propter bella imminéntia per circúitum, donec daret Dóminus eos ſub veſtígio pedum ejus. Nunc autem réquiem dedit Dóminus Deus meus mihi per circúitum; & non eſt ſatan, neque occúrſus malus. Quamóbrem cógito ædificáre templum nómini Dómini Dei mei, ſicut locútus eſt Dóminus David patri meo, dicens: Filius tuus, quem dabo pro te ſuper ſólium tuum, ipſe ædificábit domum nómini meo. Præcipe ígitur ut præcídant mihi ſervi tui cedros de Líbano, & ſervi mei ſint cum ſervis tuis; mercédem autem ſervórum tuórum dabo tibi quamcúmque petíeris; ſcis enim quómodo non eſt in pópulo meo vir qui nóverit ligna cædere ſicut Sidónii.

℟. Ergo ne, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 255.

Lectio ij. v. 10. *ad* 17.

ITaque Hiram dabat Salomóni ligna cédrina, & ligna abiégna, juxta omnem voluntátem ejus. Sálomon autem præbébat Hiram, coros trítici vigínti míllia in cibum dómui ejus, & vigínti coros puríſſimi ólei: hæc tribuébat Sálomon Hiram per ſíngulos annos. Dedit quoque Dóminus ſapiéntiam Salomóni, ſicut locútus eſt ei: & erat pax inter Hiram & Salomónem, & percuſſérunt ambo fœdus. Elegítque rex Sálomon operários de omni Iſraël, & erat indíctio trigínta míllia virórum. Mittebatque eos in Líbanum, decem míllia per menſes ſíngulos viciſſim, ita ut duóbus ménſibus eſſent in dómibus ſuis; & Adoníram erat ſuper hujuſcémodi indictióne. Fuerúntque Salomóni ſeptuagínta míllia eórum qui ónera portábant, & octogínta míllia latomórum in monte; abſque præpóſitis qui præerant ſingulis opéribus, número trium míllium, & trecentórum, præcipiéntium pópulo, & his qui faciebant opus.

℟. Impletus es, *pag.* 256.

Lectio ij. Cap. 7. v. ultimo, & Cap. 8. v. 1. ad 7.

ET perfécit omne opus quod faciébat Sálomon in domo Dómini, & intulit quæ ſanctificáverat David pater ſuus, argéntum & aurum, & vaſa, repoſuítque in theſáuris domûs Dómini. Tunc

congregáti ſunt omnes majóres natu Iſrael cum princípibus tríbuum, & duces familiárum filiórum Iſrael, ad regem Salomónem in Jerúſalem: ut deférrent arcam fœderis Dómini, de civitáte David, id eſt, de Sion. Convenítque ad regem Salomónem univérſus Iſrael in menſe Ethanim, in ſolémni die, ipſe eſt menſis séptimus. Venerúntque cuncti ſenes de Iſrael, & tulérunt arcam ſacerdótes, & portavérunt arcam Dómini, & tabernáculum fœderis, & ómnia vaſa ſanctuárii, quæ erant in tabernáculo: & ferébant ea Sacerdótes & Levítæ. Rex autem Sálomon, & omnis multitúdo Iſrael, quæ convénerat ad eum, gradiebátur cum illo ante arcam; & immolábant oves & boves abſque æſtimatióne & número. Et intulérunt Sacerdotes arcam fœderis Dómini in locum ſuum, in oráculum templi, in Sanctum ſanctórum ſubter alas Chérubim.

℟. Ut ſcivi, *pag.* 256.

C A N O N

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816. *Lib.* 1. *Cap.* 94.

OBſecro te, & répetens íterum, iterúmque monébo, ne officium Clericátûs genus antíquæ milítiæ putes, id eſt, ne lucra ſæculi in Chriſti quæras milítia: nec plus hábeas, quàm quando Cléricus eſſe cœpíſti, & dicátur tibi: Cleri eórum non próderunt eis *Jerem.* 12. 13. *ſecundùm ſeptuaginta Interpretes.*

FERIA QUARTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 9. *v.* 1. *ad* 6.

FActum eſt cùm perfecíſſet Sálomon ædifícium domûs Dómini, & ædifícium regis, & omne quod optáverat & volúerat fácere, appáruit ei Dóminus ſecúndò, ſicut apparúerat ei in Gábaon. Dixítque Dóminus ad eum: Exaudívi oratiónem tuam & deprecatiónem tuam, quam deprecátus es coram me: ſanctificávi domum hanc, quam ædificáſti, ut pónerem nomen meum ibi in ſempitérnum, & erunt óculi mei & cor meum ibi cunctis diébus. Tu quoque ſi ambuláveris coram me, ſicut ambulávit pater tuus, in ſimplicitáte cordis, & in æquitáte: & féceris ómnia quæ præcépi tibi, & legítima mea & judícia mea ſerváveris, ponam thronum regni tui ſuper Iſrael in ſempitérnum, ſicut locútus ſum David patri tuo, dicens: Non auferétur vir de género tuo de ſólio Iſrael.

℟. Ecce óculi, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 257.

Lectio ij. Cap. 10. *v.* 1. *ad* 6.

REgína Saba, audítâ famâ Salomónis in nómine Dómini, venit tentáre eum in ænigmátibus. Et ingréſſa Jerúſalem multo cum comitátu, & divítiis, camélis portántibus arómata, &

aurum infinítum nimis, & gemmas pretióſas, venit ad regem Salomónem, & locúta eſt ei univérſa quæ habébat in corde ſuo. Et dócuit eam Sálomon ómnia verba quæ propoſúerat: non fuit ſermo, qui regem poſſet latére, & non reſponderet ei. Videns autem regína Saba omnem ſapiéntiam Salomónis, & domum quam ædificáverat, & cibos menſæ ejus & habitácula ſervórum, & órdines miniſtrántium, veſtéſque eórum, & pincérnas, & holocáuſta quæ offerébat in domo Dómini: non habébat ultrà ſpíritum.

℟. Allevat, *pag.* 254.

Lectio iij. v. 6. ad 11.

DIxítque ad regem: Verus eſt ſermo, quem audívi in terra mea, ſuper ſermónibus tuis, & ſuper ſapiéntia tua: & non credébam narrántibus mihi, donec ipſa veni, & vidi óculis meis, & probávi quòd média pars mihi nuntiata non fúerit: major eſt ſapiéntia & ópera tua, quàm rumor quem audívi. Beáti viri tui, & beáti ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & áudiunt ſapiéntiam tuam. Sit Dóminus Deus tuus benedíctus, cui complacuíſti, & póſuit te ſuper thronum Iſrael, eò quòd diléxerit Dóminus Iſrael in ſempitérnum, & conſtítuit te regem, ut fáceres judícium & juſtítiam. Dedit ergo regi centum viginti taléнta auri, & arómata multa nimis, & gemmas pretióſas: non ſunt alláta ultrà arómata tam multa, quàm ea quæ dedit regína Saba regi Salomóni.

℟. Jacta, *pag.* 258.

CANON

Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. *An.* 829.

CUm nullus Chriſtiánus theſáuros in terra, ſed pótiùs ſecúndùm Dómini ſenténtiam, in cœlo recóndere débeat, cavéndum ſummóperè Sacerdótibus eſt, ut avarítiæ peſte, quæ eſt idolórum ſérvitus, & cupiditáte, quæ radix ómnium malórum eſt, ſuóſque ſectatóres à regno Dei exclúdit, ſe compéſcant.

FERIA QUINTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 11. *v.* 1. *ad* 6.

REx Sálomon adamávit mulíeres alienígenas multas, filiam quoque Pharaónis, & Moabítidas, & Ammonítidas, Idumæas, & Sidónias, & Hethæas: de géntibus, ſuper quibus dixit Dóminus fíliis Iſrael: Non ingrediémini ad eas, neque de illis ingrediéntur ad veſtras: certiſſimè enim avértent corda veſtra ut ſequámini deos eárum. His ítaque copulátus eſt Sálomon ardentíſſimo amóre. Fuerúntque ei uxóres quaſi regínæ ſeptingéntæ, & concubínæ trecéntæ: & avertérunt mulíe-

res cor ejus. Cùmque jam eſſet ſenex, depravátum eſt cor ejus per mulíeres, ut ſequerétur deos aliénos: nec erat cor ejus perféctum cum Dómino Deo ſuo, ſicut cor David patris ejus. Sed colébat Sálomon Aſtárthen deam Sidoniórum, & Moloch idólum Ammonitárum.

℟. Mórtuus eſt, *ex* 1. *Noc. Domin. pag.* 254.

Lectio ij. v. 9. ad 15.

IGitur irátus eſt Dóminus Salomóni, quòd avérſa eſſet mens ejus à Dómino Deo Iſrael, qui apparúerat ei ſecúndò, & præcéperat de verbo hoc ne ſequerétur deos aliénos; & non cuſtodívit quæ mandávit ei Dóminus. Dixit ítaque Dóminus Salomóni: Quia habuíſti hoc apud te, & non cuſtodíſti pactum meum, & præcépta mea quæ mandávi tibi, diſrúmpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſervo tuo. Verúmtamen in diébus tuis non fáciam, propter David patrem tuum: de manu fílii tui ſcindam illud, nec totum regnum áuferam, ſed tribum unam dabo fílio tuo, propter David ſervum meum & Jerúſalem quam elégi. Suſcitávit autem Dóminus adverſárium Salomóni, Adad Idumæum de ſémine régio, qui erat in Edom.

℟. Dixit, *pag.* 255.

Lectio iij. v. 26. *ad* 32.

JEróboam quoque fílius Nabath, Ephrathæus, de Saréda, ſervus Salomónis, cujus mater erat nómine Sarva, múlier vídua, levávit manum contra regem. Et hæc eſt cauſa rebelliónis advérsùs eum; quia Sálomon ædificávit Mello, & coæquávit vorάginem civitátis David patris ſui. Erat autem Jeróboam vir fortis & potens; vidénſque Sálomon adoleſcéntem bonæ índolis & induſtrium, conſtitúerat eum præféctum ſuper tribúta univérſæ domûs Joſeph. Factum eſt ígitur in témpore illo, ut Jeróboam egrederétur de Jerúſalem: & inveníret eum Ahías Siloníꞇes prophéta in via, opértus pállio novo: erant autem duo tantùm in agro. Apprehendénſque Ahías pállium ſuum novum, quo coopértus erat, ſcidit in duódecim partes. Et ait ad Jeróboam: Tolle tibi decem ſciſſúras; hæc enim dicit Dóminus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomónis, & dabo tibi decem tribus.

℟. Benedíctus, *pag.* 255.

C A N O N

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 108.

SAcérdos fidéliter diſpénſat accépta, qui ómnia ſua aut relíquit, aut Eccléſiæ rebus adjúnxit, & ſe in número páuperum paupertátis amóre conſtítuit; ita ut

unde paupéribus miníſtrat, inde ipſe tamquàm pauper voluntárius vivat.

FERIA SEXTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 11. *v. ultimo, & Cap.* 12. *v.* 1. *ad* 5.

DOrmívit Sálomon cum pátribus ſuis, & ſepúltus eſt in civitáte David patris ſui, regnavítque Róboam fílius ejus pro eo. Venit autem Róboam in Sichem: illuc enim congregátus erat omnis Iſrael ad conſtituéndum eum regem. At verò Jeróboam fílius Nabath, cùm adhuc eſſet in Ægypto profugus à fácie regis Salomónis, audítâ morte ejus, revérſus eſt de Ægypto. Miſerúntque, & vocavérunt eum: venit ergo Jeróboam, & omnis multitúdo Iſrael, & locúti ſunt ad Róboam, dicéntes; Pater tuus duríſſimum jugum impóſuit nobis: tu ítaque nunc imminue páululùm de império patris tui duríſſimo, & de jugo graviſſimo quod impóſuit nobis, & ſerviémus tibi.

℟. Ergo-ne, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 255.

Lectio ij. v. 13. *ad* 18.

REſpondítque rex pópulo dura, derelícto consílio ſeniórum, quod ei déderant, & locútus eſt eis ſecúndùm consílium júvenum, dicens: Pater meus aggravávit jugum veſtrum, ego autem addam jugo veſtro: pater meus cecídit vos flagéllis, ego autem cædam vos ſcorpiónibus. Et non acquiévit rex pópulo: quóniam averſátus fúerat eum Dóminus, ut ſuſcitáret verbum ſuum, quod locútus fúerat in manu Ahíæ Silonítæ, ad Jeróboam fílium Nabath. Videns ítaque pópulus quòd noluíſſet eos audíre rex, reſpóndit ei, dicens: Quæ nobis pars in David? vel quæ hæréditas in fílio Iſaï? Vade in tabernácula tua, Iſrael, nunc vide domum tuam, David. Et ábiit Iſrael in tabernácula ſua. Super fílios autem Iſrael, quicúmque habitábant in civitátibus Juda, regnávit Róboam.

℟. Implétus es, *pag.* 256.

Lectio iij. v. 26. *ad* 32.

DIxítque Jeróboam in corde ſuo: Nunc revertétur regnum ad domum David, ſi aſcénderit pópulus iſte ut fáciat ſacrifícia in domo Dómini in Jerúſalem: & convertétur cor pópuli hujus ad dóminum ſuum Róboam regem Juda, interficiéntque me, & reverténtur ad eum. Et excogitáto consílio fecit duos vítulos áureos, & dixit eis; Nolíte ultrà aſcéndere in Jerúſalem; Ecce dii tui, Iſrael, qui te eduxérunt de terra Ægypti. Poſuítque unum in Bethel, & álterum in Dan; & factum eſt verbum hoc in peccátum: ibat enim pópulus ad adorándum vítulum uſque in Dan. Et fecit fana in excélſis, & ſacerdótes

de extrémis pópuli, qui non erant de filiis Levi.

℟. Ut ſcivi, *pag.* 256.

CANON

Ex Concílio Pariſiénſi ſexto.

An. 829. *Cap.* 16.

QUóniam multi Epiſcopórum amóre propinquórum ſuórum de rebus ſibi commendátis prædia aut mancípia emunt, ut in propinquórum ſuórum jus cedant; & ob hoc miniſtérium ſacerdotále fuſcátur: plácuit ómnibus ut deínceps hoc avarítiæ genus caveátur, ut Epíſcopus res ſui juris, quas aut ante Epiſcopátum, aut certè in Epiſcopátu hæreditáriâ ſucceſſióne acquisívit, ſecúndùm auctoritátem canónicam, quidquid vult, fáciat, & cui vult cónferat. Poſtquam autem Epíſcopus factus eſt, quaſcúmque res de facultátibus Eccléſiæ comparáverit, decrévimus, ut non in propinquórum ſuórum, ſed in Eccléſiæ, cui præeſt, jura devéniant; ſimíliter & de Presbyteris faciéndum ſtatúimus.

SABBATO.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 18. *v.* 20. *ad* 25.

MIſit Achab ad omnes fílios Iſraël, & congregávit prophétas in monte Carméli. Accédens autem Elías ad omnem pópulum, ait: Uſquequò claudicátis in duas partes? ſi Dóminus eſt Deus, ſequímini eum: ſi autem Baal, ſequímini illum. Et non reſpóndit ei pópulus verbum. Et ait rurſus Elías ad pópulum: Ego remánſi Prophéta Dómini ſolus: prophetæ autem Baal quadringénti & quinquagínta viri ſunt. Dentur nobis duo boves, & illi éligant ſibi bovem unum, & in fruſta cædéntes, ponant ſuper ligna; ignem autem non ſuppónant: & ego fáciam bovem álterum, & impónam ſuper ligna; ignem autem non ſuppónam. Invocáte nómina deórum veſtrórum, & ego invocábo nomen Dómini mei: & Deus qui exaudíerit per ignem, ipſe ſit Deus. Reſpóndens omnis pópulus ait: Optima propoſítio.

Lectio ij. v. 25. *ad* 29.

DIxit ergo Elías prophétis Baal: Elígite vobis bovem unum, & fácite primi, quia vos plures eſtis: & invocáte nómina deórum veſtrórum, ignémque non ſupponátis. Qui cùm tulíſſent bovem, quem déderat eis, fecérunt: & invocábant nomen Baal de manè uſque ad merídiem, dicéntes: Baal, exáudi nos. Et non erat vox, nec qui reſpondéret: tranſiliebántque altáre quod fécerant. Cùmque eſſet jam merídies, illudébat illis Elías, dicens: Clamáte voce majóre: Deus enim eſt, & forſitan lóquitur, aut in diverſório eſt, aut in itínere, aut certè dormit, ut excitétur. Clamábant ergo voce magnâ, & incidébant ſe juxta ritum ſuum cultris & lan-

céolis, donec perfunderéntur ſánguine. ℟

Lectio iij. v. 36. ad 42.

CUmque jam tempus eſſet ut offerrétur holocáuſtum, accédens Elías prophéta, ait: Dómine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael, oſténde hódie quia tu es Deus Iſrael, & ego ſervus tuus, & juxta præcéptum tuum feci ómnia verba hæc. Exáudi me, Dómine, exáudi me; ut diſcat pópulus iſte, quia tu es Dóminus Deus, & tu convertíſti cor eórum íterum. Cécidit autem ignis Dómini, & vorávit holocáuſtum, & ligna, & lápides, púlverem quoque, & aquam, quæ erat in aquædúctu lambens. Quod cùm vidíſſet omnis pópulus, cécidit in fáciem ſuam, & ait: Dóminus ipſe eſt Deus, Dóminus ipſe eſt Deus. Dixítque Elías ad eos: Apprehéndite prophétas Baal, & ne unus quidem effúgiat ex eis. Quos cùm apprehendíſſent, duxit eos Elías ad torréntem Ciſon, & interfécit eos ibi. Et ait Elías ad Achab: Aſcénde, cómede, & bibe: quia ſonus multæ plúviæ eſt.

CANON

Ex Concílio Antiochéno.

An. 341. Cap. 25.

EPíſcopus hábeat rerum Eccléſiæ poteſtátem, ut eas in omnes egéntes diſpénſet cum multa cautióne & Dei timóre: ipſe autem eórum, quæ opus eſt, ſit párticeps ad uſus neceſſários, & fratrum qui apud eum hoſpítio excipiúntur, ut ipſi nullo modo privéntur ſecúndùm divínum Apóſtolum, qui dixit: Habéntes autem aliménta & quibus tegámur, iis conténti érimus.

Ad Magnif. *Ant. t. 2. D.* Zelo zelátus ſum pro Dómino Deo exercítuum: quia dereliquérunt pactum tuum filii Iſrael. 3. *Reg.* 19. 14.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA SEPTIMA

Post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber quartus Regum.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 5.

PRævaricátus eſt autem Moab in Iſrael, poſtquam mórtuus eſt Achab. Cecidítque Ochózias per cancéllos cœnáculi ſui, quod habébat in Samaría, & ægrotávit: miſítque núntios, dicens ad eos: Ite, conſúlite Beélzebub deum Accaron, utrùm vívere queam de infirmitáte mea hac. Angelus autem Dómini locútus eſt ad Elíam Thesbíten, dicens: Surge, & aſcénde in occúrſum nuntiórum regis Samaríæ, & dices ad eos: Numquid non eſt Deus in Iſrael, ut eátis ad conſuléndum Beélzebub deum Accaron? Quamóbrem hæc dicit Dóminus: De léctulo, ſuper quem aſcendíſti, non deſcéndes, ſed morte moriéris.

℟. Surréxit Elías prophé-

ta, quaſi ignis, & verbum ipsíus quaſi fácula ardébat:* Verbo Dómini contínuit cœlum. ℣. Orávit ut non plúeret, & non pluit: & rurſum orávit, & cœlum dedit plúviam. * Verbo. *Eccli.* 48. 1. 3. *Jacob.* 5. 17. 18.

Lectio ij. v. 5. *ad* 11.

Reversíque ſunt núntii ad Ochóziam. Qui dixit eis: Quare revérſi eſtis? At illi reſpondérunt ei: Vir occúrrit nobis, & dixit ad nos: Ite, & revertímini ad regem, qui miſit vos, & dicétis ei: Hæc dicit Dóminus: Numquid, quia non erat Deus in Iſraël, mittis ut conſulátur Beélzebub deus Accaron? Idcírcò de léctulo, ſuper quem aſcendíſti, non deſcéndes, ſed morte moriéris. Qui dixit eis: Cujus figúræ & hábitûs eſt vir ille, qui occúrrit vobis, & locútus eſt verba hæc? At illi dixérunt: Vir pilóſus, & zonâ pelliceâ accínctus rénibus. Qui ait: Elías Thesbítes eſt. Miſítque ad eum quinquagenárium príncipem, & quinquagínta qui erant ſub eo. Qui aſcéndit ad eum: ſedentíque in vértice montis, ait: Homo Dei, rex præcépit ut deſcéndas. Reſpondénsque Elías, dixit quinquagenário: Si homo Dei ſum, deſcéndat ignis de cœlo, & dévoret te, & quinquagínta tuos. Deſcéndit ítaque ignis de cœlo, & devorávit eum, & quinquagínta, qui erant cum eo.

℟. Sic amplificátus eſt Elías in mirabílibus ſuis. * Et quis poteſt ſimíliter ſic gloriári tibi, qui dejecíſti glorióſos de lecto ſuo, qui ungis reges ad pœniténtiam, & prophétas facis ſucceſſóres poſt te, qui recéptus es in túrbine ignis, in curru equórum igneórum? ℣. In Elía quid dicit Scriptúra? * Et quis poteſt ſimíliter. *Eccli.* 48. 4. 6. 8. 9. *Rom.* 11. 2.

Lectio iij. v. 11. *ad* 17.

Rursúmque míſit ad eũ príncipem quinquagenárium álterum, & quinquagínta cum eo. Qui locutus eſt illi: Homo Dei, hæc dicit rex: Feſtína, deſcénde. Reſpóndens Elías ait: Si homo Dei ego ſum, deſcéndat ignis de cœlo, & dévoret te, & quinquagínta tuos. Deſcéndit ergo ignis de cœlo, & devorávit illum, & quinquagínta ejus. Iterum miſit príncipem quinquagenáriũ tértium, & quinquagínta qui erant cum eo. Qui cùm veníſſet, curvávit génua contra Elíam, & precátus eſt eum, & ait: Homo Dei, noli deſpícere ánimam meam, & ánimas ſervórum tuórum qui mecum ſunt. Ecce deſcéndit ignis de cœlo, & devorávit duos príncipes quinquagenários primos, & quinquagénos qui cum eis erant: ſed nunc óbſecro ut miſereáris ánimæ meæ. Lo-

cútus eſt autem Angelus Dómini ad Elíam, dicens: Deſcénde cum eo, ne tímeas. Surréxit ígitur, & deſcéndit cum eo ad regem, & locútus eſt ei: Hæc dicit Dóminus: Quia miſíſti núntios ad conſuléndum Beélzebub deum Accaron, quaſi non eſſet Deus in Iſrael, à quo poſſes interrogáre ſermónem, ídeò de léctulo, ſuper quem aſcendíſti, non deſcéndes, ſed morte moriéris. Mórtuus eſt ergo juxta ſermónem Dómini, quem locútus eſt Elías.

℟. Ecce ego mittam vobis Elíam prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus, & horríbilis. Et * Convértet cor patrum ad filios, & cor filiórum ad patres eórum: ne fortè véniam, & percútiam terram anathémate. ℣. Sic & in hoc témpore relíquiæ ſecúndùm electiónem grátiæ ſalvæ factæ ſunt. * Convértet. Glória.* Convértet. *Malach.* 4. 5. 6. *Rom.* 11. 5.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lectio iv. de Serm. Dom. in Monte. Lib. 1. *n.* 64.

MAgni & ſancti viri, qui jam óptimè ſcirent, mortem iſtam quæ ánimam diſsólvit à córpore, non eſſe formidándam, ſecúndùm eórum tamen ánimum qui illam timérent, nonnúlla peccáta morte puniérunt, quòd & vivéntibus útilis metus incuterétur, & illis qui morte puniebántur, non ipſa mors nocéret, ſed peccátum quod augéri poſſet, ſi víverent. Non témerè illi judicábant, quibus tale judícium donáverat Deus. Inde eſt quòd Elías multos morte affécit, & própriâ manu, & igne divínitùs impetráto, quod & álii multi magni & divíni viri eódem ſpíritu conſuléndi rebus humánis non témerè fecérunt.

℟. Exitus aquárum deduxérunt óculi mei, quia non cuſtodiérunt legem tuam. * Tabéſcere me fecit zelus meus; quia oblíti ſunt verba tua inimíci mei. ℣. Dómine, prophétas tuos occidérunt, altária tua ſuffodérunt. * Tabéſcere me fecit. *Pſ.* 118. 136. 139. *Rom.* 11. 3.

Lectio v. Serm. de Elia & vidua Sareptana. N. 2.

DOminus díxerat Elíæ: Vade in Sarépta Sidóniæ: ibi enim mandávi víduæ ut paſcat te. Numquid Deus defécerat páſcere ſervum ſuū Elíam? Nonne illi, quia déerant hómines, álites miniſtrábant? Nonne illi panem afferébat corvus manè, & ad véſperam carnes? Oſténdit ergo Deus, quia unde volúerit, & quómodo volúerit, poteſt páſcere ſervos ſuos; & tamen ut eum religióſa vídua páſceret, fecit eum egére. Egéſtas ánimæ ſanctæ in abundántiam verſa eſt ánimæ religióſæ. Non póterat Elias de miſericórdia

Dei dare ſibi quód lagúnculæ dedit? Vidétis nempe, & maniféſtum eſt, quòd aliquándo ſervi Dei ídeò non habent, ut probéntur hi qui habent.

℟. Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus. * Dat eſcam eſuriéntibus, cuſtódit ádvenas, pupíllum & víduam ſuſcípiet; & vias peccatórum diſpérdet. ℣. Cùm facta eſſet fames magna, miſſus eſt Elías in Sarépta Sidóniæ, ad mulíerem víduam. * Dat. *Pſ.* 145. 5. 7. 9. *Luc.* 4. 25. 26.

Lectio vj. n. 2. & 3.

MAndávi víduæ ut paſcat te. Quid eſt, Mandávit, niſi, cor præparávit? Inſpiratióne ítaque Dómini vídua illa múlier cor præparátum habébat ad obediéndum. Talis vénerat, talis cum Elía loquebátur. Qui erat in Elía, ut præcíperet, ipſe erat in vídua, ut obedíret. Vade, inquit; mihi priùs fac de egeſtáte tua; non defícient divítiæ tuæ. Patrimónium enim víduæ, módicum erat farínæ, & módicum ólei: hoc módicum non defécit. Quid felícius hâc paupertáte? Si hîc tália récipit, quália in fine ſperábat? Illud enim pro ſigno factum eſt, non pro dono. Signum hoc ipſum quod Deus illi ad paucos dies præſtiterat, ſignum erat futúræ vitæ, ubi merces noſtra defícere neſcit.

℟. Potens eſt Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis. * Qui adminiſtrat ſemen ſeminánti: & panem ad manducándum præſtábit, & augébit increménta frugum juſtítiæ veſtræ, ut in ómnibus locupletáti abundétis. ℣. Noli timére: hydria farínæ non defíciet, nec lécythus ólei minuétur, juxta verbum Dómini, quod locútus fúerat in manu Elíæ. * Qui adminiſtrat. Glória. * Qui. 2. *Cor.* 9. 8. 10. 11. 3. *Reg.* 17. 13. 14. 16.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 7. v. 15.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Atténdite à falſis prophétis, qui véniunt ad vos in veſtiméntis óvium, intrínſecùs autem ſunt lupi rapáces: à frúctibus eórum cognoſcétis eos. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Exp. in Pſ. 118. *Ser.* 12. *n.* 40.

NOn quicúmque dicit mihi: Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum. Non quicúmque dicit mihi: Tuus ſum, meus eſt. Meus planè es, ſi vocem non redárguat conſciéntia, ſi ſermónem tuum ánimus aut ópera non réfutent. Nolo habére ſérvulum plúribus dóminis ſerviéntem. Nam quómodo meus eſt,

ſi mihi dicat verbo: Tuus ſum, & opéribus neget, & factis ſe diábolo adjúdicet & obſtríngat? Non eſt meus quem libído ſuccéndit; quia mea eſt cáſtitas. Non eſt meus quem cura ſpoliándi minóres exágitat; quia mea intégritas eſt. Non eſt meus quem ira móbilis inquiétat; quia mea tranquíllitas eſt. Non eſt meus vini crápulâ temuléntus, illúvie ambitiónis impúrus, glóriæ ſæculáris cúpidus, qui non poteſt ſóbriæ moderatiónis ſerváre veſtígium. Pax ſum ego, litigáre non novi. Quid mihi ad eum de quo véniat diábolus, & dicat: Meus eſt, nam mihi ſua colla curvávit; nomen ſibi tuum víndicat & meum munus?

℟. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? aut quis requiéſcet in monte ſancto tuo? Qui ingréditur ſine mácula, & operátur juſtítiam. * Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum. ℣. Non omnis qui dicit mihi, Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum; ſed qui facit voluntátem Patris mei. * Qui facit hæc. *Pſ.* 14. 1. 2. 5. *Matth.* 7. 21.

Lectio viij. num. 41.

QUis ergo eſt Dei, niſi qui poteſt dícere: Nihil mihi cónſcius ſum? Ideò dicébat Paulus Apóſtolus ſervus Dómini noſtri Jeſu Chriſti, quia nulli álii obnóxius tenebátur. Ego autem nunc Dei mei ſum, nunc triſtitiæ, nunc iracúndiæ, nunc verbi otióſi: & ídeò qui plures dóminos habet, non poteſt uni dícere: Dómine Jeſu, tuus ſum. Paulus dicébat: Chriſti ſum; & reſpondébat ei Dóminus: Meus es. De ipſo Dóminus ad Ananíam, cùm mítteret eum ad ſanándum Paulum, ait: Vade, quóniam vas electiónis eſt mihi. Et quia perſeverávit Chriſti eſſe, quaſi impléto certámine, corónam méruit inveníre juſtítiæ.

℟. Uſquequò claudicátis in duas partes? * Si Dóminus eſt Deus, ſequímini eum: Exáudi me, Dómine, exáudi me, ut díſcat pópulus iſte, quia tu es Dóminus Deus, & tu convertíſti cor eórum íterum. ℣. Nemo poteſt duóbus dóminis ſervíre.* Si Dóminus. 3. *Reg.* 18. 21. 37. *Matth.* 6. 24.

Lectio ix. num. 42.

REctè ergo prophéta David dixit: Tuus ſum, quia ſemper in Dómino manſit. Et quâ ratióne díxerit; Tuus ſum, áddidit: Juſtificatiónes tuas exquiſívi; hoc eſt, Nihil aliorum quæſívi, ſed id ſolum, quod tuum eſt deſiderávi. Alii quærunt monília pretióſa, ego ſolas juſtificatiónes tuas quaſi quædam ſerta juſtítiæ: álii domum ad domum, villam ad villam jungunt, quaſi ſoli habitáre poſſint in terra hac, & eleméntum volunt occu-

páre commúne; mihi in tuis juſtificatiónibus omne patrimónium eſt; Néſcio poſſidére, niſi quod tui juris eſt. In tuis elóquiis ſpiritális mihi cura refúlſit argénti. Mihi pórtio Deus eſt. Tuus ſum ego; quia pars mihi hæreditatis non in auro, non in argénto eſt, ſed in Chriſto Jeſu.

℟. Omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit: omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidétur, & in ignem mittétur: * Igitur ex frúctibus eorum cognoſcétis eos. ℣. Opus juſti ad vitam: fructus autem ímpii ad peccátum. * Igitur. Glória. * Igitur. *Matth.* 7. 17. 19. 20. *Prov* 10. 16

Ad Bened. *Ant* 1. *a.* Non poteſt arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus fácere. *Matth.* 7. 18.

Oratio.

TUa nos, quæſumus, Dómine, grátia ſemper & prævéniat, & ſequatur. ac bonis opéribus jugiter præſtet eſſe inténtos; Per, &c.

C A N O N

Ex Concílio Cabillonénſi ſecúndo.

An. 813. *Can.* 6.

IMputátur quibúſdam frátribus, eò quod avarítiæ causâ homínibus perſuádeant, ut abrenuntiántes ſæculo res ſuas Eccléſiæ conferant: quod pénitus ab omnibus méntibus eradicándum eſt. Animárum quippe ſalútem inquírere Sacérdos, non lucra terréna debet; quóniam fideles ad res ſuas dandas non ſunt cogéndi, neque circumveniéndi.

Ad Magnif. *Ant* 1. 4 *E.* Confitebor illis: Quia numquam novi vos: diſcédite à me, qui operámini iniquitátem. *Matth* 7. 23.

FERIA SECUNDA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 5. *ad* 11.

ACceſſérunt fílii prophetárum qui erant in Jéricho ad Eliséum, & dixérunt ei: Numquid noſti quia Dóminus hodie tollet dóminum tuum à te? Et ait: Et ego novi, ſiléte. Dixit autem ei Elías: Sede hîc, quia Dóminus miſit me uſque ad Jordánem. Qui ait: Vivit Dóminus, & vivit ánima tua, quia non derelínquam te Iérunt ígitur ambo páriter, & quinquagínta viri de fíliis prophetárum ſecúti ſunt eos, qui & ſtetérunt è contra, longè; illi autem ambo ſtabant ſuper Jordánem. Tulítque Elías pállium ſuum, & invólvit illud, & percúſſit aquas, quæ divíſæ ſunt in utrámque partem; & tranſiérunt ambo per ſiccum. Cùmque tranſiſſent, Elías dixit ad Eliséum: Póſtula quod vis ut faciam tibi, ántequam tollar a te. Dixit-

que Eliſéus: Obſecro ut fiat in me duplex ſpíritus tuus: Qui reſpóndit: Rem diffícilem poſtulâſti: áttamen ſi víderis me, quando tollar à te, erit tibi quod petîſti: ſi autem non víderis, non erit.

℟. Surréxit, *ex* 1. *Noct. Dom.* 266.

Lectio ij. v. 11. *ad* 16.

CUmque pérgerent, & incedéntes ſermocinaréntur, ecce currus ígneus & qui ígnei divisérunt utrúmque; & aſcéndit Elías per túrbinem in cœlum; Eliséus autem vidébat, & clamábat: Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auríga ejus! Et non vidit eum ámpliùs: apprehēditque veſtiménta ſua, & ſcidit illa in duas partes. Et levávit pállium Elíæ, quod cecíderat ei: reversúſque ſtetit ſuper ripam Jordánis; & pállio Elíæ, quod cecíderat ei, percúſſit aquas, & non ſunt divíſæ Et dixit: Ubi eſt Deus Elíæ étiam nunc? Percuſsítque aquas, & divíſæ ſunt hùc atque illùc; & tránſiit Eliséus. Vidéntes autem fílii prophetárum, qui erant in Jericho è contrà, dixérunt: Requiévit ſpíritus Elíæ ſuper Eliséum. Et veniéntes in occúrſum ejus, adoravérunt eum proni in terram.

℟. Sic amplificátus, *p.* 267.

Lectio iij. Cap. 4. *v.* 1. *ad* 8.

MUlier autem quædam de uxóribus prophetárum clamábat ad Eliséum, dicens: Servus tuus vir meus mórtuus eſt: & tu nôſti quia ſervus tuus fuit timens Dóminum; & ecce créditor venit ut tollat duos fílios meos ad ſerviéndum ſibi. Cui dixit Eliséus: Quid vis ut fáciam tibi? Dic mihi quid habes in domo tua? At illa reſpóndit: Non hábeo ancílla tua quidquam in domo mea, niſi parùm ólei, quo ungar. Cui ait: Vade, pete mútuo ab ómnibus vicínis tuis vaſa vácua non pauca; & ingrédere & claude óſtium tuum cùm intrínſecùs fúeris tu, & fílii tui; & mitte inde in ómnia vaſa hæc; & cùm plena fúerint, tolles. Ivit ítaque múlier, & clauſit óſtium ſuper ſe & ſuper fílios ſuos: illi offerébant vaſa, & illa infundébat. Cùmque plena fuiſſent vaſa, dixit ad fílium ſuum: Affer mihi adhuc vas. Et ille reſpóndit: Non hábeo. Stetítque óleum. Venit autem illa, & indicávit hómini Dei. Et ille: Vade, inquit, vende óleum, & redde creditóri tuo; tu autem & fílii tui vívite de réliquo.

℟. Ecce ego, *pag.* 268.

CANON

Ex Concílio Oxoniénſi.

Anno 1222. *Cap.* 29.

FIrmiter inhibémus ne pro àliqua pecúnia denegétur Sepultúra, vel Baptíſmus, vel áliquod Sacraméntum, vel étiam Matrimónium contrahéndum impediátur.

FERIA

FERIA TERTIA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 4. v. 8 ad 18.

FActa eſt autem quædam dies, & tranſíbat Eliséus per Sunam. Erat autem ibi múlier magna, quæ ténuit eum ut coméderet panem: cùmque frequénter inde tranſíret, divertébat ad eam ut coméderet panem. Quæ dixit ad virum ſuum: Animadvérto, quod vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequénter. Faciámus ergo ei cœnaculum parvum, & ponámus ei in eo léctulum, & menſam, & ſellam, & candelábrum; ut, cùm vénerit ad nos, maneat ibi. Facta eſt ergo dies quædam; & veniens divertit in cœnáculum, & requievit ibi. Dixítque ad Giézi púerum ſuũ: Voca Sunamítidem illam. Qui cùm vocaſſet eam, & illa ſtetiſſet coram eo, dixit ad púerum ſuum: Lóquere ad eam: Ecce, ſédulè in omnibus miniſtraſti nobis, quid vis ut fáciam tibi? Numquid habes negótium, & vis ut loquar regi, ſive principi milítiæ? Quæ reſpondit: In médio pópuli mei hábito. Et ait: Quid ergo vult ut fáciam ei? Dixítque Giézi: Ne quæras; filium enim non habet, & vir ejus ſenex eſt. Præcépit itaque ut vocaret eam; quæ cùm vocata fuiſſet, & ſtetiſſet ante oſtium, dixit ad eam: In tempore iſto & in hac eâdem horâ, ſi vita comes fúerit, habebis in útero filium. At illa reſpóndit: Noli, quæſo, dómine mi, vir Dei, noli mentíri ancíllæ tuæ. Et concépit múlier, & peperit filium, in tempore, & in horâ eâdem, quâ díxerat Eliseus.

℟. Exitus, *ex 2. pag. 268.*

Lectio ij. v. 18. ad 23.

CRevit autem puer. Et cùm eſſet quædam dies, & egréſſus iſſet ad patrem ſuum, ad meſſóres, ait patri ſuo: Caput meum dóleo, caput meum doleo At ille dixit púero: Tolle, & duc eum ad matrem ſuam: qui cùm tuliſſet, & duxiſſet eum ad matrem ſuam, póſuit eum illa ſuper génua ſua uſque ad merídiem, & mórtuus eſt. Aſcéndit autem, & collocavit eum ſuper léctulum hominis Dei, & clauſit óſtium; & egreſſa vocávit virum ſuum, & ait: Mitte mecum, obſecro, unum de púeris, & áſinam, ut excúrram uſque ad hóminem Dei, & revértar.

℟. Beatus, *pag. 269.*

Lectio iij. v. 32. ad 38.

INgréſſus eſt ergo Eliséus domum, & ecce puer mórtuus jacébat in léctulo ejus: ingreſsúſque clauſit óſtium ſuper ſe, & ſuper púerum: & orávit ad Dóminum. Et aſcéndit, & incúbuit ſuper púerum; poſuítque os ſuum ſuper os ejus, & óculos ſuos ſuper óculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus; & in-

curvávit ſe ſuper eum, & caleſácta eſt caro púeri. At ille revérſus deambulávit in domo ſemel huc atque illuc; & aſcéndit, & incúbuit ſuper eum; & oſcitávit puer ſépties, aperuítque óculos. At ille vocávit Giézi, & dixit ei: Voca Sunamítidem hanc. Quæ vocáta, ingréſſa eſt ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum. Venit illa, & córruit ad pedes ejus, & adorávit ſuper terram: tulítque filiũ ſuum, & egréſſa eſt.

℟. Potens eſt, *pag.* 269.

CANON

Ex Concílio Reménſi.

An. 1583. *Tit. de Sim. Num.* 9.

SAcerdótes qui de prétio paciſcúntur ut miſſas célebrent, & Parœci qui pro Sacramentórum adminiſtratióne, vel fúnere, vel ſepultúris áliquid éxigunt, præter ea quæ de jure, lege, vel conſuetúdine laudábili conferúntur, habeántur ſimoníaci.

FERIA QUARTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 2. *&* 9. *ad* 15.

NAaman princeps milítiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dñum ſuum, & honorátus: per illum enim dedit Dóminus ſalútem Syriæ: erat autem vir fortis & dives, ſed lepróſus. Venit ergo Naaman cum equis & cúrribus, & ſtetit ad óſtium domûs Eliséi. Miſitque ad eum Eliséus núntium, dicens: Vade, & laváre ſépties in Jordáne, & recípiet ſanitátem caro tua, atque mundáberis. Irátus Náaman recedébat, dicens: Putabam quòd egrederétur ad me, & ſtans invocáret nomen Dómini Dei ſui, & tángeret manu ſuâ locum lepræ, & curáret me. Numquid non melióres ſunt Abana & Pharphar, flúvii Damaſci, ómnibus aquis Iſraël, ut lavem in eis, & munder? Cùm ergo vertíſſet ſe, & abíret indígnans, acceſſérunt ad eum ſervi ſui, & locúti ſunt ei: Pater, & ſi rem grandem dixíſſet tibi prophéta, certè fácere debúeras: quantò magis quia nunc dixit tibi: Laváre, & mundáberis? Deſcéndit, & lavit in Jordáne ſépties juxta ſermónem viri Dei, & reſtitúta eſt caro ejus, ſicut caro púeri párvuli, & mundátus eſt.

℟. Dómine, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 270.

Lectio ij. v. 20. *ad* 24.

DIxítque Giézi puer viri Dei: Pepércit dóminus meus Náaman Syro iſti, ut non accíperet ab eo quæ áttulit: vivit Dóminus, quia curram poſt eum, & accípiam ab eo áliquid. Et ſecútus eſt Giézi poſt tergum Náaman: quem cùm vidiſſet ille curréntem ad ſe, deſiliit de curru in occúrſum ejus, & ait: Rectène ſunt ómnia? Et ille ait: Rectè. Dóminus meus miſit me ad te, dicens:

Modò venérunt ad me duo adoleſcéntes de monte Ephraim, ex filiis prophetárum: da eis taléntum argénti, & veſtes mutatórias dúplices. Dixítque Náaman: Mélius eſt ut accípias duo talénta. Et coégit eum, ligavítque duo talenta argénti in duóbus ſaccis, & duplícia veſtiménta, & impoſuit duóbus púeris ſuis, qui & portavérunt coram eo.

℟. Uſquequo, *pag.* 270.

Lectio iij. v. 24. ad finem.

CUmque veníſſet jam véſperi, tulit de manu eórum, & repóſuit in domo, dimiſítque viros, & abiérunt. Ipſe autem ingréſſus, ſtetit coram dómino ſuo. Et dixit Eliséus: Unde venis, Giézi? Qui reſpóndit: Non ivit ſervus tuus quòquam. At ille ait: Nonne cor meum in præſénti erat, quando revérſus eſt homo de curru ſuo in occúrſum tuî? Nunc ígitur accepíſti argéntum, & accepíſti veſtes, ut emas olivéta, & víneas, & oves, & boves, & ſervos, & ancíllas. Sed & lepra Náaman adhærébit tibi, & sémini tuo uſque in ſempitérnum. Et egréſſus eſt ab eo lepróſus quaſi nix.

℟. Omnis, *pag.* 271.

CANON

Ex Concílio Bituricénſi. *An.* 1584. *Tit.* 4. *de Sim. C.* 2.

BEneſícia prétio obténta, & in confidéntiam ſeu cuſtódiam occúltè aut apértè tradita, ipſo jure vacent. Qui percípiunt eórum fructus, ſuos non fáciant; ſed ad reſtitutiónem teneántur.

FERIA QUINTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 6. v. 24. ad 32.

FActum eſt autem poſt hæc, congregávit Bénadad rex Syriæ univérsũ exércitum ſuum, & aſcéndit, & obſidébat Samaríam. Factáque eſt fames magna in Samaría: & támdiu obséſſa eſt, donec venumdarétur caput áſini octogínta argénteis, & quarta pars cabi ſtércoris columbárum quinque argénteis. Cùmque rex Iſrael tranſíret per murum, múlier quædam exclamávit ad eum, dicens: Salva me, dómine mi rex. Qui ait: Non te ſalvat Dóminus: unde te poſſum ſalváre? de área, vel de torculári? Dixítque ad eam rex: Quid tibi vis? Quæ reſpóndit: Múlier iſta dixit mihi: Da fílium tuum, ut comedámus eum hódie, & fílium meũ comedémus cras. Cóximus ergo fílium meum, & comédimus. Dixíque ei die álterâ: Da fíliũ tuum, ut comedámus eum. Quæ abſcóndit fíliũ ſuum. Quod cùm audíſſet rex, ſcidit veſtiménta ſua, & transíbat per murum. Vidítque omnis pópulus cilícium, quo veſtítus erat ad carnem intrínſecùs. Et ait rex: Hæc fáciat mihi Deus, & hæc addat, ſi ſtéterit ca-

put Eliſéi filii Saphat ſuper ipſum hódie.

℟. Surréxit, ex I. Noct. Dom. pag. 266.

Lectio ij. Cap. 7. v. 1. ad 6.

DIxit autem Eliſéus: Audíte verbum Dómini: Hæc dicit Dóminus: In témpore hoc cras módius ſímilæ uno ſtátere erit, & duo módii hórdei ſtátere uno, in porta Samaríæ. Reſpondens unus de dúcibus, ſuper cujus manum rex incumbébat, hómini Dei, ait: Si Dóminus fécerit étiam cataráctas in cœlo, numquid póterit eſſe quod lóqueris? Qui ait: Vidébis óculis tuis, & inde non cómedes. Quátuor ergo viri erant leproſi juxta intróitum portæ: qui dixérunt ad ínvicem: Quid hîc eſſe vólumus donec moriámur? ſive íngredi voluérimus civitátem, fame moriémur: ſive manſérimus hîc, moriéndum nobis eſt: venite ergo, & tranſfugiámus ad caſtra Syriæ. Si pepercerint nobis, vivémus: ſi autem occídere volúerint, nihilóminus moriémur. Surrexerunt ergo véſperi ut veníerent ad caſtra Syriæ. Cùmque veniſſent ad princípium caſtrórum Syriæ, nullum ibidem reperérunt.

℟. Sic amplificátus. pag. 267.

Lectio iij. v. 16. ad finem.

ET egréſſus pópulus dirípuit caſtra Syriæ: factúſque eſt módius ſímilæ ſtátere uno, & duo módii hórdei ſtátere uno, juxta verbum Dómini. Porrò rex ducem illum, in cujus manu incumbébat, conſtítuit ad portam: quem conculcávit turba in intróitu portæ, & mórtuus eſt, juxta quod locútus fúerat vir Dei, quando deſcénderat rex ad eum. Factúmque eſt ſecúndùm ſermónem viri Dei, quem díxerat regi, quando ait: Duo módii hórdei ſtátere uno erunt, & módius ſímilæ ſtátere uno, hoc eódem témpore cras in porta Samaríæ: quando reſpónderat dux ille viro Dei, & díxerat: Etiámſi Dóminus fécerit cataráctas in cœlo, numquid póterit fíeri quod lóqueris? Et dixit ei: Vidébis óculis tuis, & inde non cómedes. Evénit ergo ei ſicut prædíctum fúerat, & conculcavit eum pópulus in terra, & mórtuus eſt.

℟. Ecce ego, pag. 268.

CANON

Ex Concílio Pariſiénſi. *An.* 1212. *Cap.* 11.

A Viris Eccleſiáſticis mónſtrum avarítiæ extirpáre voléntes, in virtúte Spíritûs ſancti prohibémus, ne pro annálibus, vel triennálibus, vel ſeptennálibus Miſſárum faciéndis, Laïci vel dare aliquid, vel legáre cogántur in teſtaménto; & ne ſuper his aliqua páctio, vel exáctio, vel ſub áliquâ áliâ ſpécie palliátâ, à Sacerdotibus

vel aliis mediatóribus fiat.

FERIA SEXTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 8. v. 7. ad 13.

VEnit Eliséus Damáſcum, & Bénadad rex Syriæ ægrotábat: nuntiavéruntque ei, dicéntes: Venit vir Dei huc. Et ait rex ad Házael: Tolle tecum múnera, & vade in occúrſum viri Dei, & cónſule Dóminum per eum, dicens: Si evádere pótero de infirmitáte meâ hac? Ivit ígitur Házael in occúrſum ejus, habens ſecum múnera, & ómnia bona Damáſci, ónera quadragínta camelórum. Cùmque ſtetíſſet coram eo, ait: Fílius tuus Bénadad rex Syriæ miſit me ad te, dicens: Si ſanári pótero de infirmitáte meâ hac? Dixítque ei Eliséus: Vade, dic ei: Sanáberis: porrò oſténdit mihi Dóminus quia morte moriétur. Stetítque cum eo, & conturbátus eſt uſque ad ſuffuſiónem vultûs: flevítque vir Dei. Cui Házael ait: Quare dóminus meus flet? At ille dixit: Quia ſcio quæ factúrus ſis filiis Iſrael mala. Civitátes eórũ munítas igne ſuccéndes, & júvenes eórum interfícies gládio, & párvulos eórum elídes, & prægnántes dívides.

℟. Exitus, *ex 2. p. 268.*

Lectio ij. Cap. 9. v. 1. ad 6.

ELiséus autem prophétes vocávit unum de fíliis prophetárum, & ait illi: Accínge lumbos tuos, & tolle lentículam ólei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Gálaad. Cùmque véneris illuc, vidébis Jehu fílium Jóſaphat filii Namſi: & ingréſſus ſuſcitábis eum de médio fratrum ſuórum, & introdúces in intérius cubículum. Tenénſque lentículam ólei, fundes ſuper caput ejus, & dices: Hæc dicit Dóminus: Unxi te regem ſuper Iſrael: aperiéſque oſtium, & fúgies, & non ibi ſubſíſtes. Abiit ergo adoléſcens puer prophétæ in Ramoth Gálaad, & ingréſſus eſt illuc: ecce autem príncipes exércitûs ſedébant, & ait: Verbum mihi ad te, ô princeps. Dixítque Jehu: Ad quem ex ómnibus nobis? At ille dixit: Ad te, ô princeps.

℟. Beatus, *pag. 269.*

Lectio iij. v. 6. ad 14.

ET ſurréxit, & ingréſſus eſt cubículum: at ille fudit óleum ſuper caput ejus, & ait: Hæc dicit Dóminus Deus Iſrael: Unxi te regem ſuper pópulum Dómini Iſrael; & percúties domum Achab dómini tui, & ulcíſcar ſánguinem ſervórum meórum prophetárum, & ſánguinem ómnium ſervórum Dómini, de manu Jézabel. Perdámque omnem domum Achab: & interfíciam de Achab mingéntem ad paríetem, & clauſum & noviſſimum in Iſrael. Et dabo domum Achab, ſicut domum Jeróboam filii Nabath, & ſicut domum Báaſa filii Ahía:

Jézabel quoque cómedent ca-nes in agro Jézrahel, nec erit qui ſepéliat eam. Aperuítque óſtium, & fugit. Jehu autem egréſſus eſt ad ſervos dómini ſui: qui dixérunt ei: Rectène ſunt ómnia? quid venit insánus iſte ad te? Qui ait eis: Noſtis hóminem, & quid locútus ſit. At illi reſpondérunt: Falſum eſt, ſed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc & hæc locútus eſt mihi, & ait: Hæc dicit Dóminus: Unxi te regem ſuper Iſrael. Feſtinavérunt ítaque, & unuſquíſque tollens pallium ſuum poſuérunt ſub pédibus ejus, in ſimilitúdinem tribunális, & cecinérunt tubâ, atque dixérunt: Regnávit Jehu.

℟. Potens, *pag.* 269.

CANON

Ex Concílio P[illegible]énſi.

An. 829. *Lib.* 1. *Can.* 18.

Convenit Paſtóribus res Eccléſiæ poſſidére, non ab his poſſidéri: &, ut ait Proſper: Eas poſſidéndo debent contémnere, & non ſibi, ſed áliis, poſſidére.

SABBATO.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 9. ℣. 21. *circa medium ad* 28.

Egréſſus eſt Joram rex Iſrael, & Ochózias rex Juda, ſínguli in cúrribus ſuis, egreſſíque ſunt in occúrſum Jehu, & invenérunt eum in agro Naboth Jezrahelítæ. Cùmque vidíſſet Joram Jehu, dixit: Pax eſt Jehu? At ille reſpóndit: Quæ pax? adhuc fornicatiónes Jézabel matris tuæ, & venefícia ejus multa vigent. Convértit autem Joram manum ſuam, & fúgiens ait ad Ochóziam: Inſídiæ, Ochózia. Porrò Jehu teténdit arcum manu, & percúſſit Joram inter ſcapulas: & egréſſa eſt ſagítta per cor ejus, ſtatímque córruit in curru ſuo. Dixítque Jehu ad Bádacer ducem: Tolle, prójice eum in agro Naboth Jezrahelítæ: mémini enim quando ego & tu ſedéntes in curru ſequebámur Achab patrem hujus, quòd Dómimus onus hoc leváverit ſuper eum, di[illegible]: Si non pro ſánguine N[illegible]th, & pro ſánguine filiórum ejus, quem vidi heri, ait Dóminus, reddam tibi in agro iſto, dicit Dóminus. Nunc ergo tolle, & prójice eum in agrum, juxta verbum Dómini. Ochózias autem rex Juda videns hoc, fugit per viam domûs horti: perſecutúſque eſt eum Jehu, & ait: Etiam hunc percútite in curru ſuo: & percuſſérunt eum in aſcénſu Gaver, qui eſt juxta Jéblaam: qui fugit in Mageddo, & mórtuus eſt ibi.

Lectio ij. v. 29. *ad* 37.

Anno undécimo Joram filii Achab, regnávit Ochózias ſuper Judam, venítque Jehu in Jézrahel. Por-

ſa Jézabel, introítu ejus audíto, depínxit óculos ſuos ſtibio, & ornávit caput ſuum, & reſpéxit per feneſtram ingrediéntem Jehu per portam, & ait: Numquid pax poteſt eſſe Zambri, qui interfécit dóminum ſuum? Levavítque Jehu fáciem ſuam ad feneſtram, & ait: Quæ eſt iſta? & inclinavérunt ſe ad eum duo veltres eunúchi. At ille dixit eis: Præcipitáte eam deórſum; & præcipitavérunt eam, aſperſúſque eſt ſánguine páries, & equórum úngulæ conculcavérunt eam. Cùmque introgréſſus eſſet, ut coméderet, biberétque, ait: Ite, & vidéte maledíctam illam, & ſepelíte eam, quia fília regis eſt. Cùmque iſſent ut ſepelírent eam, non invenérunt niſi calváriam, & pedes, & ſummas manus. Reverſique, nuntiavérunt ei. Et ait Jehu: Sermo Dómini eſt, quem locútus eſt per ſervum ſuum Elíam Thesbíten, dicens: In agro Jézrahel cómedent canes carnes Jézabel.

Lectio iij. Cap. 10. *v.* 1. *ad* 8.

ERant autem Achab ſeptuagínta filii in Samaría: ſcripſit ergo Jehu lítteras, & miſit in Samaríam, ad optimátes civitátis, & ad majóres natu, & ad nutrítios Achab, dicens: Statim ut accepéritis lítteras has, qui habétis filios dómini veſtri, & currus, & equos, & civitátes firmas, & arma, elígite meliórem, & eum qui vobis placúerit de fíliis dómini veſtri, & eum pónite ſuper ſólium patris ſui, & pugnáte pro domo dómini veſtri. Timuérunt illi veheménter, & dixérunt: Ecce duo reges non potuérunt ſtare coram eo, & quómodo nos valébimus reſíſtere? Miſérunt ergo præpóſiti domûs, & præfécti civitátis, & majóres natu, & nutrítii ad Jehu, dicéntes: Servi tui ſumus, quæcúmque júſſeris faciémus, nec conſtituémus nobis regem; quæcúmque tibi placent, fac. Reſcripſit autem eis lítteras ſecúndò, dicens: Si mei eſtis, & obedítis mihi, tóllite cápita filiórum dómini veſtri, & veníte ad me hâc eâdem horâ cras in Jézrahel. Porrò filii regis, ſeptuagínta viri, apud optimátes civitátis nutriebántur. Cùmque veníſſent lítteræ ad eos, tulérunt filios regis, & occidérunt ſeptuagínta viros, & poſuérunt cápita eórum in cóphinis, & miſérunt ad eum in Jézrahel.

CANON

Ex Concílio Bituricénſi.

An. 1584. *Tit.* 36. *Can.* 1.

CUm beneficium Eccleſiáſticum non otióſis, ſed officium ſuum exequéntibus ſit conſtitútum, & propter officium detur benefícium, denúntiat hæc Synodus ómnibus cujuſcúmque gradûs & conditiónis qui benefícia Eccleſiáſtica ſolíus

temporális proventûs grátiâ ſuſcipiunt, eos non fácere fructus ſuos, ſed ad reſtitutiónem teneri.

Ad Magnif. *Ant.* 1. 3. *a.* In diébus illis cœpit Dóminus tædére ſuper Iſrael: percuſsítque eos. 4. *Reg.* 10. 32.

Oratio ut infrà in Laudibus.

DOMINICA VIII.
POST PENTECOSTEN.
IN I. NOCTURNO.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 11. *v.* 1. *ad* 5.

ATHália verò mater Ochoziæ, videns mórtuum fílium ſuum, ſurréxit, & interfécit omne ſemen régium. Tollens autem Joſaba fília regis Joram, ſoror Ochóziæ, Joas fílium Ochóziæ, furáta eſt eum de médio filiórum regis qui interficiebántur, & nutrícem ejus, de triclínio: & abſcóndit eum à facie Athaliæ, ut non interficerétur. Erátque cum ea ſex annis clam in domo Dómini: porrò Athália regnávit ſuper terram. Anno autem ſéptimo miſit Joíada; & aſſúmens centuriónes & mílites, introdúxit ad ſe in templum Domini, pepigítque cum eis fœdus: & adjúrans eos in domo Dómini, oſténdit eis fílium regis.

℟. Nóluit Dóminus diſpérdere domum David, propter pactum quod iníerat cum eo: * Et quia promíſerat ut daret ei lucérnam, & fíliis ejus omni témpore. ℣. Eréxit cornu ſalútis nobis in domo David púeri ſui, ſicut locútus eſt per os ſanctórum, qui à ſæculo ſunt, Prophetárum ejus. * Et quia. 2. *Paral.* 21. 7. *Luc.* 1. 69. 70.

Lectio ij. v. 12. *ad* 19.

PRoduxítque fílium regis, & póſuit ſuper eum diadéma, & teſtimónium; fecerúntque eum regem, & unxérunt; & plaudentes manu, dixérunt: Vivat rex: Audívit autem Athália vocem pópuli curréntis: & ingréſſa ad turbas in templum Dómini, vidit regem ſtantem ſuper tribúnal juxta morem, & cantores, & tubas prope eum, omnémque pópulum terræ lætántem, & canéntem tubis; & ſcidit veſtiménta ſua, clamavítque: Conjurátio, conjurátio. Præcépit autem Joíada centuriónibus, qui erant ſuper exércitum, & ait eis: Edúcite eam extra ſepta templi, & quicúmque eam ſecútus fúerit, feriátur gládio. Díxerat enim ſacerdos: Non occidátur in templo Dómini. Impoſuerúntque ei manus, & impegérunt eam per viam introítûs equórum, juxta palátium, & interfécta eſt ibi. Pépigit ergo Joíada fœdus inter Dóminum, & inter regem, & inter pópulum, ut eſſet pópulus Dómini, & inter regem & pópulum. Ingreſſúſque eſt omnis pópulus terræ templum Baal, & deſtruxérunt aras ejus, & ima-

tines contrivérunt válidè: Mathan quoque ſacerdotem Baal occidérunt coram altári.

℟. Deus non derelínquet miſericórdiam ſuam, & * Non corrúmpet, nec delébit ópera ſua, neque perdet à ſtirpe nepótes elécti ſui: & ſemen ejus, qui díligit Dóminum, non corrúmpet. ℣. Quia jurejurándo juráſſet David Deus de fructu lumbi ejus ſedére ſuper ſedem ejus.* Non corrúmpet. *Eccli.* 47. 24. *Act.* 2. 30.

Lectio iij. Cap. 13. *v.* 14. *ad* 22.

ELiséus autem ægrotábat infirmitáte, quâ & mórtuus eſt: deſcendítque ad eum Joas rex Iſrael, & flebat coram eo, dicebátque: Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auríga ejus. Et ait illi Eliséus: Affer arcum, & ſagíttas. Cùmque attuliſſet ad eum arcum, & ſagíttas, dixit ad regem Iſrael: Pone manum tuam ſuper arcum. Et cùm poſuíſſet ille manum ſuam, ſuperpóſuit Eliséus manus ſuas mánibus regis, & ait: Aperi feneſtram orientálem. Cùmque aperuíſſet, dixit Eliséus: Jace ſagíttam. Et jecit. Et ait Eliséus: Sagítta ſalútis Dómini, & ſagítta ſalútis contra Syriam: percutiéſque Syriam in Aphec, donec consúmas eam. Et ait: Tolle ſagíttas. Qui cùm tulíſſet, rurſum dixit ei: Pércute jáculo terram: Et cùm percuſſiſſet tribus vícibus, & ſtetíſſet, irátus eſt vir Dei contra eum, & ait: Si percuſſiſſes quínquies, aut séxies, ſive sépties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptiónem: nunc autem tribus vícibus percúties eam. Mórtuus eſt ergo Eliséus, & ſepeliérunt eum. Latrúnculi autem de Moab venérunt in terram in ipſo anno. Quidam autem ſepeliéntes hóminem, vidérunt latrúnculos, & projecérunt cadáver in ſepúlchro Eliséi. Quod cùm tetigíſſet oſſa Eliséi, revíxit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.

℟. In Eliséo complétus eſt ſpíritus Elíæ; in diebus ſuis non pertímuit príncipem, & poténtiâ nemo vicit illum: mórtuum prophetávit corpus ejus. * In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabília operátus eſt. ℣. Sub Eliséo prophéta mundátus eſt Náaman Syrus. * In vita ſua. Glória. * In vita ſua. *Eccli.* 48. 13. 14. 15. *Luc.* 4. 27.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Cyrílli Jeroſolymitáni.

Lectio iv. Cath. 2. *num.* 13. *&* 15.

ACHab rex Samaríæ ſceleratíſſimus, idolórum cultor, cùm veníſſet Elías prophéta, & minas dúmtaxat intentáſſet, ſacco ſe índuit, & ſcidit veſtiménta. Et quid dicit clemens Deus ad Elíam? Vidíſti quómodo

compúnctus eſt Achab à fácie mea? tamquam fervidum Prophétæ ingénium léniens, ut ad miſericórdiam inclináret. Vultis cognóſcere quàm forte ſit pœniténtia armórum genus? quantùm conféſſio étiam advérſus hoſtes prævaleat? Centum octogínta quinque hóſtium millia Ezechías per confeſſiónem ruit. Et hoc adhuc mínimum. Senténtiam Dei advérsùm ſe pronuntiátam diſſólvit. Ægrotánti enim ipſi dixit Iſaías: Moriéris tu, nec vives. Quæ jam ſpes, quæ ultrà ſalus, vel expectátio, pronuntiánte prophétâ? At ille non revocátus eſt à pœniténtia, memor ejus, quod ſcriptum eſt: Cùm avérſus ingemúeris, tunc ſalváberis.

℟. Irátus eſt furóre Dóminus in pópulum ſuum: & trádidit eos in manus géntium. Et vidit cùm tribularéntur; & audívit oratiónem eórũ. * Memor fuit teſtaménti ſui: & pœnítuit eum ſecúndùm multitúdinem miſericórdiæ ſuæ. ℣. Quia pœniténtiam egérunt. * Memor fuit. *Pſ.* 105. 40. 41. 44. 45. *Matth.* 12. 41.

Lectio v. num. 15.

CONvérſus eſt ad paríetem, & mentem per oratiónem ad cœlum tendens: Dómine, ait, meménto meî; súfficit enim ad ſanatiónem te meî meminíſſe. Tempóribus non ſúbjaces, ſed ipſe es vitæ árbiter & legiſlator. Non enim ſecúndùm genitúram, aut aſtrórum complexiónem, ut nonnúlli delírant, vitæ noſtræ rátio decúrrit, ſed ſecúndùm tuam voluntátem. Et illi, cujus deſperáta vita fúerat, annórum quíndecim vitæ accéſſio datur: atque in ſignum decem grádibus ſol retrogréſſus eſt. Jam verò ſol propter Ezechíam remeávit: at idem propter Chriſtum defécit, non retrocédens, ſed delíquium paſſus; eâ re quid inter utrúmque, Ezechíam dico, & Jeſum intereſſet demónſtrans. Et ille quidem pótuit Dei senténtiam diſſolvere; Jeſus verò peccatórum véniam tribúere non póterit?

℟. Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: quóniam * Loquétur pacem in plebem ſuam; & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui convertúntur ad cor. ℣. Deus, qui dives eſt in miſericórdia, propter nímiam charitátem ſuam, quâ diléxit nos. * Loquétur. *Pſ.* 84. 9. *Epheſ.* 2. 4.

Lectio vj. num. 15. & 16.

COnvértere tu quoque, & ingemíſce; óſtium claude: ora ut tibi dimittátur, ut uréntes te flammas disjíciat Deus. Poteſt enim pœniténtia & ignem extínguere; poteſt & leónes cicuráre. Quòd ſi diffídas, cógita quid olim contígerit Ananíæ & ſociis. Quales camínum ignis fontes effudérunt à

Quanta vis aquæ, flammam ad cúbitos quadragínta novem aſcendéntem reſtínguere ſufficiébat? ſed ubi flamma veheménter ſuper ferebátur, ibi plúrimus pœniténtiæ fons effúſus eſt, cum illi dícerent: Quóniam juſtus es in ómnibus quæ feciſti nobis; &, Peccávimus, & tranſgréſſi ſumus, & iníquè égimus. Cùm fornácis flammas compréſſerit pœniténtia, tu dúbitas utrùm gehénnæ ignem reſtínguere váleat?

℟. Benedíctum eſt nomen tuum, Deus patrum noſtrórum: * Qui cùm irátus fúeris, miſericórdiam fácies, & † In témpore tribulatiónis peccáta dimíttis his, qui ínvocant te. ℣. Benedíctus Deus, Pater miſericordiárum, Deus totíus conſolatiónis, * Qui cùm. Glória. † In témpore. *Tob.* 3. 13. 2. *Cor.* 1. 3.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 16. 1.

IN illo témpore; Dicébat Jeſus ad diſcípulos ſuos: Homo quidam erat dives, qui habébat vſllicum; & hic diffamátus eſt apud illum, quaſi diſſipáſſet bona ipsíus. Et réliqua.

Homília ſancti Paulíni Epiſcopi.

Epiſt. 32. ad Sever. aliás 12.

NUlla nobis occáſio eſt beneficéntiæ umquam procraſtinándæ, cùm, ſi voluntas noſtra non abſit, pauper in promptu ſit. Commodémus ergo ſecúri nunc egéno, & in paupéribus ſuis Chriſto, ut ex ejus abundatúrâ in iíſdem glóriâ participáre poſſímus. Proptérea enim Dóminus ipſe præmonet, dicens: Fácite vobis amícos de iníquo mammónâ. Vides quómodo Omnípotens fáciat de nocte lucem, & de iniquitáte juſtítiam? Ut cùm defecéritis, inquit, recípiant vos in tabernácula ætérna.... Seminémus ergo illis carnália, ut metámus ab illis ſpiritália: ſpes præſens ædíficet rem futúram... Paſcátur illic pauper, ubi me dívite eget; ut me illic paſcat, ubi me egénte ſaturabitur. Vidéte commércium ſpirituále; & ſi potéſtis, negáte nos aváros, qui terram véndimus & tribútum, ut immunitátem regni cum æternitáte coëmámus.

℟. Qui poſſéſſor eſt mentis, díligit ánimam ſuam, & cuſtos prudéntiæ invéniet bona: * Fœnerátur Dómino qui miserétur páuperis: & viciſſitúdinem ſuam reddet ei. ℣. Fácite vobis amícos de mammónâ iniquitátis: ut, cùm defecéritis, recípiant vos in ætérna tabernácula. * Fœnerátur. *Prov.* 19. 8. 17. *Luc.* 16. 9.

Lectio viij. Serm. de Gazophylac. poſt Epiſt. 33. *num.* 6. & 7.

O Abundántia bonitátis Dei! Vult fœnerári ex

iis quæ ipſe largítus eſt: cupit débitor fieri donórum ſuórum, ut cum multa tibi ratióne tuam reddat uſúram. Própera ígitur, frater, tam úberem tibi obſtríngere debitórem, ut & amicum te ex ſervo vocet; & in tuis terréſtribus nummis te expértus fidélem, de ſuis cœléſtibus theſáuris te dívitem fáciat. Ne trépides, ne cunctéris, ne parcas. Eſto violéntus Deo: rape regna cœlórum. Nam potúerat, dilectíſſimi, Dóminus omnípotens æquè univérſos dívites fácere, ut nemo indigéret áltero: ſed infinítæ bonitátis consílio fecit míſerum, ut agnóſceret miſericórdem. Matéria divitiárum tibi eſt fratérna paupértas, ſi intélligas ſuper egénum & páuperem; nec tibi tantùm hábeas quod accepíſti, quia ídeò & illíus partem tibi in hoc ſæculo cóntulit Deus, ut tibi debéret quidquid de ſuis donis tuo voluntário affectu indigéntibus obtulíſſes, ac te vicíſſim in ætérna die de illíus parte ditáret.

℟. Deus proſpéctor eſt ejus qui reddit gratiam: méminit ejus in póſterum, * Et in témpore casûs ſui invéniet firmaméntum. ℣. Qui ſéminat in benedictiónibus, de benedictiónibus & metet. * Et in témpore. *Eccli.* 3. 34. 2. *Cor.* 9. 6.

Lectio ix. num. 9.

CAve, ipſum te tantúmmodo ames, ſi te amas, quia iniquitátis eſt illa diléctio; & qui díligit iniquitátem, odit, ut ſcriptum eſt, ánimam ſuam: plenitúdo autem legis eſt diléctio próximi, quod omnis homo hómini eſt germanitáte natúræ. Parem ergo curam tuî & páuperis gere, ut imitéris imitatórem Chriſti, non tibi, ſed áliis utília curándo, ut tuî impénſiùs Deo cura ſit. Vide enim quanto crímine te ſupérbia aut avarítia diſcérnat ab eo, cui te Deus ópere ſuo junxit. Réfice eſuriéntem ánimam, & non timébis in die malo ab ira ſuperventúra. Beátus enim, inquit, qui intélligit ſuper egénum & páuperem; in die malo liberabit eum Dóminus. Operáre igitur, & éxcole hanc regiónem terræ tuæ, ut gérminet tibi frugem fértilem. In hujus vel poſſeſſiónis vel negotiatiónis appetítum & ſtúdium ſancta & ſalutáris eſt avarítia.

℟. Noli avértere fáciem tuam ab ullo páupere: * Quómodo potúeris, ita eſto miséricors: ſi multum tibi fúerit, abundánter tríbue: ſi exíguum tibi fúerit, exíguum libénter impertíri ſtude: † Præmium enim bonum tibi theſaurízas in die neceſſitátis. ℣. Si volúntas prompta eſt; ſecúndùm id quod habet, accépta eſt. * Quómodo. Glória. † Præmium. *Tob.* 4. 7. 8. 9. 10. 2. *Cor.* 8. 12.

Ad Bened. *Ant. t. 7. A.* Ait víllicus intra ſe : Scio quid fáciam, ut, cùm amótus fúero à villicatióne, recípiant me in domos ſuas. *Luc.* 16. 3. 4.

Oratio.

Largíre nobis, quæſumus, Dómine, ſemper ſpíritum cogitándi quæ recta ſunt, propítius & agéndi: ut qui ſine te eſſe non póſſumus, ſecúndùm te vívere valeámus; Per, &c.

CANON

Ex Concílio Tulléns ad Saponárias.

An. 859. *in Epiſt. Syn. ad Brit.*

Domini eſt terra & plenitúdo ejus : & quicúmque Deo aliquid óbtulit, nihil ei dedit, niſi quod ab ipſo accépit. Ut tamen ſciámus eum non noſtram devotiónem faſtidíre, quaſi noſtrum áccipit quod ipſe dedit. Sic enim dignátur promíttere ſe dictúrum, pietátem impendéntibus próximo : Hoſpes fui, & ſuſcepíſtis me : nudus & operuíſtis me : quaſi ea ex ſuo largiántur qui hæc manifeſtè divíno múnere percepérunt.

Ad Magnif. *Ant. t. 3. a.* Laudávit Dóminus víllicum iniquitátis, quia prudénter feciſſet : quia filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatióne ſua ſunt. *Luc.* 16. 8.

FERIA SECUNDA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 18. *v.* 1. *ad* 7.

Anno tértio Oſée filii Ela regis Iſrael, regnavit Ezechías filius Achaz regis Juda. Vigínti quinque annorum erat, cùm regnare cœpiſſet : & vigínti novem annis regnávit in Jerúſalem : nomen matris ejus Abi filia Zacharíæ. Fecítque quod erat bonum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerat David pater ejus. Ipſe diſſipávit excélſa, & contrívit ſtátuas, & ſuccídit lucos; confregítque ſerpéntem æneum, quem fécerat Móyſes : ſiquidem uſque ad illud tempus filii Iſrael adolébant ei incénſum : vocavítque nomen ejus Nohéſtan. In Dómino Deo Iſrael ſperávit : ítaque poſt eum non fuit símilis ei de cunctis régibus Juda, ſed neque in his qui ante eum fuerunt : & adhæſit Dómino, & non receſſit à veſtígiis ejus, fecítque mandáta ejus, quæ præcéperat Dñus Móyſi.

℟. Noluit, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 280.

Lectio ij. v. 9. *ad* 14.

Anno quarto regis Ezechíæ, qui erat annus ſeptimus Oſee filii Ela regis Iſrael, aſcéndit Salmánaſar rex Aſſyriórum in Samaríam, & oppugnávit eam, & cepit. Nam poſt annos tres, anno ſexto Ezechíæ, id eſt, nono anno Oſée re-

gis Iſrael, capta eſt Samaría: & tránſtulit rex Aſſyriórum Iſrael in Aſſyrios, collocavítque eos in Hala & in Habor flúviis Gozan in civitátibus Medórum: quia non audiérunt vocem Dómini Dei ſui, ſed prætergréſſi ſunt pactum ejus: ómnia, quæ præcéperat Móyſes ſervus Dómini, non audiérunt, neque fecérunt. Anno quarto décimo regis Ezechíæ, aſcéndit Sennácherib rex Aſſyriórum ad univérſas civitátes Juda munítas, & cepit eas.

℟. Deus, *pag.* 281.

Lectio iij. Cap. 19 *v.* 14. *ad* 20.

Itaque cùm accepíſſet Ezechías líttteras de manu nuntiórum, & legíſſet eas, aſcéndit in domum Dómini, & expándit eas coram Dómino, & orávit in conſpéctu ejus, dicens: Dómine Deus Iſrael, qui ſedes ſuper Chérubim, tu es Deus ſolus regum ómnium terræ: tu fecíſti cœlum & terram. Inclína aurem tuam, & audi: áperi, Dómine, óculos tuos, & vide: audi ómnia verba Sennácherib, qui miſit ut exprobráret nobis Deum vivéntem. Verè, Dómine, diſſipavérunt reges Aſſyriórum Gentes, & terras ómnium. Et misérunt deos eórum in ignem: non enim erant dii, ſed ópera mánuum hóminum ex ligno & lapide, & perdidérunt eos. Nunc ígitur, Dómine Deus noſter, ſalvos nos fac de manu ejus, ut ſciant ómnia regna terræ, quia tu es Dñus Deus ſolus.

℟. In Eliſéo, *pag.* 281.

CANON

Ex Concílio Moguntíno.

An. 1549. *Cap.* 72.

Cum Apóſtolus victu, ideòque ipsâ vitâ, indígnos júdicet hómines otióſos, qui panem, non labóre ſuo partum, cum gravámine aliórum edunt; quantò gravióri indignatióni divínæ eos ſubjacére putándum eſt, qui censûs Eccléſiæ, ſanctórum Mártyrum patrimónia, & donária piæ plebis ad divíni miniſtérii ſuſtētatiónem colláta, otióſè ábſumunt?

FERIA TERTIA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 19. *v.* 35. *ad finem.*

Factum eſt in nocte illa: venit Angelus Dómini, & percúſſit in caſtris Aſſyriórum centum octogínta quinque míllia. Cùmque dilúculo ſurrexíſſet, vidit ómnia córpora mortuórum; & recédens ábiit, & revérſus eſt Sennácherib rex Aſſyriórum, & manſit in Ninive. Cùmque adoraret in templo Neſroch deum ſuum, Adrámelech & Sarasar filii ejus percuſſérunt eum gládio, fugerúntque in terram Armeniorum, & regnávit Aſarhaddon fílius ejus pro eo.

℟. Iratus, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 282.

Lectio ij. Cap. 20. v. 1. ad 7.

IN diébus illis ægrotávit Ezechías uſque ad mortem: & venit ad eum Iſaías filius Amos, prophéta, dixítque ei: Hæc dicit Dóminus Deus: Præcipe dómui tuæ: moriéris enim tu, & non vives. Qui convértit fáciem ſuam ad paríetem, & orávit Dóminum, dicens: Obſecro, Dómine, meménto, quæſo, quómodo ambuláverim coram te in veritáte, & in corde perfécto, & quod plácitum eſt coram te, fécerim. Flevit ítaque Ezechías fletu magno. Et ántequam egrederétur Iſaías médiam partem átrii, factus eſt ſermo Dómini ad eum, dicens: Revértere, & dic Ezechiæ duci pópuli mei: Hæc dicit Dóminus Deus David patris tui: Audívi oratiónem tuam, & vidi lácrymas tuas: & ecce ſanávi te, die tértio aſcéndes templum Dómini. Et addam diébus tuis quíndecim annos: ſed & de manu regis Aſſyriórum liberábo te, & civitátem hanc, & prótegam urbem iſtam propter me, & propter David ſervũ meum.

℟. Audiam, *pag.* 282.

Lectio iij. v. 7. ad 12.

DIxítque Iſaías: Afférte maſſam ficórum. Quam cùm attuliſſent, & poſuíſſent ſuper ulcus ejus, curátus eſt. Dixerat autem Ezechías ad Iſaíam: Quod erit ſignum, quia Dóminus me ſanábit, & quia aſcensúrus ſum die tertiâ templum Dómini? Cui ait Iſaías: Hoc erit ſignum à Dómino, quòd factúrus ſit Dóminus ſermónem, quem locútus eſt: Vis ut aſcéndat umbra decem líneis, an ut revertátur tótidem grádibus? Et ait Ezechías: Fácile eſt, umbram créſcere decem líneis: nec hoc volo ut fiat, ſed ut revertátur retrórſum decem grádibus. Invocávit ítaque Iſaías prophéta Dóminum, & redúxit umbram per líneas, quibus jam deſcénderat in horológio Achaz, retrórſum decem grádibus.

℟. Benedíctum, *pag.* 283.

CANON

Ex Concílio Narbonénſi.

An. 1551. *Cap.* 36.

RES Eccléſiæ .... vota ſunt fidélium, prétia peccatórum, & patrimónia páuperum: quaprópter vigilánti ac ſolérti curâ providéndum eſt his qui ejus facultátes adminíſtrant, neas in ſuos ſolúmmodo uſus convértant, ſed magis Chriſto famulántium, imo eórum in quibus Chriſtus páſcitur & veſtítur, curam gérere pénitùs non négligant.

FERIA QUARTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 20. v. 12. ad 16.

IN témpore illo miſit Bérodach Baladan, filius Baladan, rex Babyloniórum, litteras & múnera ad Eze-

chíam: audíerat enim quòd ægrotáſſet Ezechías. Lætatus eſt autem in adventu eórum Ezechías, & oſtendit eis domum arómatum, & aurum, & argéntum, & pigménta vária: unguénta quoque, & domum vaſórum ſuórum, & ómnia quæ habére póterat in theſáuris ſuis. Non fuit quod non monſtráret eis Ezechías in domo ſua, & in omni poteſtáte ſua. Venit autem Iſáias prophéta ad regem Ezechíam, dixítque ei; Quid dixérunt viri iſti? aut unde venérunt ad te? Cui ait Ezechías: De terra longínqua venérunt ad me, de Babylone. At ille reſpóndit: Quid vidérunt in domo tua? Ait Ezechías: Omnia quæcúmque ſunt in domo mea, vidérunt: nihil eſt quod non monſtráverim eis in theſáuris meis.

℟. Qui poſſeſſor, *ex 3. Noct. Dom. pag.* 283.

Lectio ij. v. 16. ad 20.

DIxit itaque Iſáias Ezechiæ: Audi ſermónem Dómini: Ecce dies venient, & auferéntur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condidérunt patres tui uſque in diem hanc, in Babylonem: non remanébit quidquam, ait Dóminus. Sed & de filiis tuis qui egrediéntur ex te, quos generábis, tolléntur, & erunt eunuchi in palátio regis Babylónis. Dixit Ezechías ad Iſaíam: Bonus ſermo Dómini, quem locútus es; ſit pax & véritas in diébus meis.

℟. Deus, *pag.* 284.

Lectio iij. Cap. 22. v. 1. ad 6.

OCto annórum erat Joſías cùm regnáre cœpiſſet, trigínta & uno anno regnávit in Jeruſalem: nomen matris ejus Idida, fília Hadaía de Béſecath. Fecítque quod plácitum erat coram Dómino, & ambulávit per omnes vias David patris ſui: non declinávit ad déxteram, ſive ad ſiníſtram. Anno autem octavo décimó regis Joſiæ, miſit rex Saphan fílium Aſlia, filii Méſſulam, ſcribam templi Dómini, dicens ei: Vade ad Helcíam ſacerdótem magnum, ut conflétur pecúnia, quæ illata eſt in templum Dómini, quam collegérunt janitóres templi à populo, detúrque fabris per præpóſitos domûs Dómini: qui & diſtríbuant eam his qui operántur in templo Dómini, ad inſtauránda ſarta tecta templi.

℟. Noli, *pag.* 284.

CANON

Ex Concilio Carthaginénſi tértio.

An. 397. Can. 15.

EPíſcopi & Presbyteri, & Diaconi & Clerici non ſint conductóres, neque procuratores, neque ullo turpi, vel inhoneſto negotio victum quærant: quia reſpícere debent ſcriptum eſſe: Nemo

militans

militans Deo ímplicat ſe negótiis ſæculáribus.

FERIA QUINTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 22. v. 10. ad 14.

NArrávit Saphan ſcriba regi, dicens: Librum dedit mihi Helcías ſacérdos. Quem cùm legíſſet Saphan coram rege, & audíſſet rex verba libri legis Dómini, ſcidit veſtiménta ſua. Et præcépit Helcíæ ſacerdóti, & Ahicam filio Saphan, & Achobor filio Micha, & Saphan ſcribæ, & Aſaiæ ſervo regis, dicens: Ite & consúlite Dóminum ſuper me, & ſuper pópulo, & ſuper omni Juda, de vèrbis volúminis iſtíus, quod invéntum eſt: magna enim ira Dómini ſuccénſa eſt contra nos: quia non audiérunt patres noſtri verba libri hujus, ut fácerent omne quod ſcriptum eſt nobis.

℟. Nóluit, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 280.

Lectio ij. Cap. 23. v. 2. ad 5.

AScendítque rex templum Dómini, & omnes viri Juda, univerſique qui habitábant in Jerúſalem cum eo, ſacerdótes & prophétæ, & omnis pópulus à parvo uſque ad magnum: legítque cunctis audiéntibus ómnia verba libri fœderis, qui invéntus eſt in domo Dómini. Stetítque rex ſuper gradum: & fœdus percúſſit coram Dómino, ut ambulárent poſt Dóminum, & cuſtodírent præcépta ejus, & teſtimónia, & cæremónias, in omni corde, & in tota anima, & ſuſcitárent verba fœderis hujus, quæ ſcripta erant in libro illo: acquievítque pópulus pacto. Et præcépit rex Helcíæ pontífici, & ſacerdótibus ſecúndi órdinis, & janitóribus, ut projícerent de templo Dómini ómnia vaſa, quæ facta fúerant Baal, & in luco, & univérſæ milítiæ cœli: & combúſſit ea foris Jerúſalem in conválle Cedron, & tulit púlverem eórum in Bethel.

℟. Deus, *pag.* 281.

Lectio iij. v. 14. ad 19.

ET contrívit ſtátuas, & ſuccídit lucos: replevítque loca eorum óſſibus mortuórum. Inſuper & altáre, quod erat in Bethel, & excélſum, quod fécerat Jeróboam filius Nabath, qui peccáre fecit Iſrael: & altáre illud, & excélſum deſtrúxit, atque combúſſit, & comminuit in púlverem; ſuccendítque etiam lucum. Et convérſus Joſías, vidit ibi ſepúlchra, quæ erant in monte: miſítque, & tulit oſſa de ſepúlchris, & combúſſit ea ſuper altáre, & pólluit illud juxta verbum Dómini, quod locútus eſt vir Dei, qui prædíxerat verba hæc. Et ait: Quis eſt títulus ille, quem vídeo? Respondérúntque ei cives urbis illíus: Sepúl-

chrum eſt hóminis Dei, qui venit de Juda, & prædíxit verba hæc, quæ feciſti ſuper altáre Bethel. Et ait: Dimíttite eum, nemo commóveat oſſa ejus. Et intácta manſérunt oſſa illíus, cum óſſibus prophétæ qui vénerat de Samaría.

℟. In Eliſeo, *pag.* 281.

CANON

Ex Concílio Cabillonénſi.

An. 813. *Can.* 8.

OPórtet ut ſi quando Sacerdótes fruges, vel quoſdam réditus cóngregent, non ídeò hoc fáciant ut cáriùs vendant, & theſáuros cóngregent, ſed ut paupéribus témpore neceſſitátis ſubvéniant.

FERIA SEXTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 24. *v.* 1. *ad* 7.

IN diébus (Jóakim) aſcéndit Nabuchodónoſor rex Babylónis, & factus eſt ei Jóakim ſervus tribus annis: & rurſum rebellávit contra eum. Immiſítque ei Dóminus latrúnculos Chaldæórum, & latrúnculos Syriæ, & latrúnculos Moab, & latrúnculos filiórum Ammon: & immíſit eos in Judam, ut diſpérderent eum, juxta verbum Dómini, quod locútus fúerat per ſervos ſuos prophétas. Factum eſt autem hoc per verbum Dómini contra Judam, ut auférret eum coram ſe, propter peccáta Manáſſe univérſa quæ fecit, & propter ſánguinem innóxium, quem effúdit, & implévit Jerúſalem cruóre innocéntium: & ob hanc rem nóluit Dóminus propitiári. Réliqua autem ſermónum Jóakim, & univérſa quæ fecit, nonne hæc ſcripta ſunt in libro ſermónum diérum regum Juda? Et dormívit Jóakim cum pátribus ſuis: & regnávit Jóachin fílius ejus pro eo.

℟. Irátus, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 282.

Lectio ij. v. 8. *ad* 15.

DEcem & octo annórum erat Jóachin cùm regnáre cœpíſſet, & tribus ménſibus regnávit in Jerúſalem: nomen matris ejus Nohéſta fília Elnathan de Jerúſalem. Et fecit malum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerat pater ejus. In témpore illo aſcendérunt ſervi Nabuchodónoſor regis Babylónis in Jerúſalem, & circúmdata eſt urbs munitiónibus. Venítque Nabuchodónoſor rex Babylónis ad civitátem cum ſervis ſuis, ut oppugnárent eam. Egreſſúſque eſt Jóachin rex Juda ad regem Babylónis, ipſe & mater ejus, & ſervi ejus, & príncipes ejus, & eunúchi ejus, & ſuſcépit eum rex Babylónis anno octávo regni ſui. Et prótulit inde omnes theſáuros domûs Dómini, & theſáuros domûsrégiæ: & concídit univérſa vaſa áurea, quæ féce-

rat Sálomon rex Iſrael in templo Dómini juxta verbum Dómini. Et tránſtulit omnem Jerúſalem, & univérſos príncipes, & omnes fortes exércitûs, decem míllia, in captivitátem; & omnem artíficem & cluſórem: nihílque relíctum eſt, excéptis paupéribus pópuli terræ.

℟. Aúdiam, *pag.* 282.

Lectio iij. v. 15. ad finem.

TRánſtulit quoque Jóachin in Babylónem, & matrem regis, & uxóres regis, & eunúchos ejus: & júdices terræ duxit in captivitátem de Jerúſalem in Babylónem, & omnes viros robúſtos, ſeptem míllia, & artífices, & cluſóres mille, omnes viros fortes & bellatóres: duxítque eos rex Babylónis captívos in Babylónem. Et conſtítuit Matthániam pátruum ejus pro eo: impoſuítque nomen ei Sédéciam. Vigéſimum & primum annum ætátis habébat Sedécias cùm regnáre cœpíſſet, & úndecim annis regnávit in Jerúſalem: nomen matris ejus erat Ámital, fília Jeremíæ, de Lobna. Et fecit malum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerat Jóakim. Iraſcebátur enim Dóminus contra Jerúſalem & contra Judam, donec projíceret eos à fácie ſua: receſſítque Sedécias à rege Babylónis.

℟. Benedíctum, *pag.* 283.

CANON

Ex Concílio Chalcedonénſi.

An. 451. *Cap.* 3.

DEfinit ſancta Synodus neminem deinceps nec Epíſcopum, nec Cléricum, vel poſſeſſiones condúcere, vel ſæculáribus poſſeſſionum administratiónibus ſeípſum ingérere; niſi ad inexcuſábilem impúberum tutélam vocétur.

SABBATO.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 25. v. 1. ad 8.

FActum eſt anno nono regni (Sedéciæ,) menſe décimo, décimâ die menſis, venit Nabuchodónoſor rex Babylónis, ipſe & omnis exércitus ejus in Jerúſalem, & circumdedérunt eam: & extruxérunt in circúitu ejus munitiones. Et clauſa eſt cívitas atque valláta uſque ad undécimum annum regis Sedéciæ, nonâ die menſis: prævaluítque fames in civitáte, nec erat panis pópulo terræ. Et interrúpta eſt cívitas: & omnes viri bellatóres nocte fugérunt per viam portæ, quæ eſt inter dúplicem murum ad hortum regis (porrò Chaldæi obſidébant in circúitu civitátem) fugit ítaque Sedécias per viam quæ ducit ad campeſtria ſolitúdinis. Et perſecútus eſt exércitus Chaldæorum regem comprehendítque eum in planítie Jéricho: & omnes

bellatóres, qui erant cum eo, diſpérſi ſunt, & reliquérunt eum. Apprehénſum ergo regem duxérunt ad regem Babylónis in Réblatha: qui locútus eſt cum eo judícium. Fílios autem Sedéciæ occídit coram eo, & óculos ejus effódit, vinxítque eum caténis, & addúxit in Babylónem.

Lectio ij. v. 8. ad 14.

MEnſe quinto, séptimâ die menſis, ipſe eſt annus nonus décimus regis Babylónis, venit Nabuzárdan princeps exércitûs, ſervus regis Babylónis, in Jerúſalem. Et ſuccéndit domũ Dómini, & domum regis: & domos Jerúſalem, omnémque domum combúſſit igni. Et muros Jerúſalem in circúitu deſtrúxit omnis exércitus Chaldæórum, qui erat cum príncipe mílitum. Réliquam autem pópuli partem, quæ remánſerat in civitáte, & pérfugas qui transfúgerant ad regem Babylónis, & réliquum vulgus, tranſtulit Nabuzárdan princeps milítiæ. Et de paupéribus terræ relíquit vinitóres & agrícolas. Colúmnas autem æreas, quæ erant in templo Dómini, & baſes, & mare æreum, quod erat in domo Dómini, confregérunt Chaldæi, & tranſtulérunt æs omne in Babylónem.

Lectio iij. v. 27. ad finem.

FActum eſt verò in anno trigéſimo séptimo tranſmigratiónis Jóachin regis Juda, menſe duodécimo, vigéſimâ séptimâ die menſis, ſublevávit Evilmérodach rex Babylónis, anno quo regnáre cœperat, caput Jóachin regis Juda de cárcere. Et locútus eſt ei benignè: & póſuit thronum ejus ſuper thronũ regum, qui erant cum eo in Babylóne. Et mutávit veſtes ejus, quas habúerat in cárcere, & comedébat panem ſemper in conſpéctu ejus cunctis diébus vitæ ſuæ. Annónam quoque conſtítuit ei ſine intermiſſióne, quæ & dabátur ei à rege per ſíngulos dies, ómnibus diébus vitæ ſuæ.

C A N O N

Ex Concílio Cabillonénſi.

Ann. 813. Cap. 44.

SCrípſimus Presbyteros víllicos eſſe non debére: & nunc eis in tabérnis bíbere, cancellários públicos eſſe, núndinas inſoléntcr peragráre pénitùs decrévimus inhibéndum.

Ad Magn. *Ant. t. 5. a.* Sapiéntia inſipiéntibus locúta eſt: Relínquite infántiam, & vívite, & ambuláte per vias prudéntiæ. *Prov. 9. 4. 6.*

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA NONA

Post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Proverbiórum.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 10.

PArábolæ Salomónis, fílii David, regis Iſrael. Ad ſciéndam ſapiéntiam, &

diſciplínam: ad intelligénda verba prudéntiæ, & ſuſcipiéndam eruditiónem doctrínæ, juſtítiam, & judíciũ, & æquitátem: ut detur párvulis aſtútia, adoleſcénti ſciẽtia, & intelléctus. Aúdiens ſápiens, ſapiéntior erit: & intélligẽs, gubernácula poſſidébit. Animadvértet parábolam, & interpretatiónem, verba ſapiéntum, & ænígmata eórum. Timor Dómini, princípiũ ſapiéntiæ. Sapiéntiam, atque doctrínam ſtulti deſpíciunt. Audi, fili mi, diſciplínam patris tui, & ne dimíttás legem matris tuæ: ut addátur grátiá cápiti tuo, & torques collo tuo.

℟. Beátus homo qui invénit ſapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ: * Pretióſior eſt cunctis ópibus: viæ ejus viæ pulchræ, & sémitæ illíus pacíficæ. ℣. Quæ desúrſum eſt ſapiéntia, pudíca eſt, pacífica, modéſta, plena miſericórdiâ, & frúctibus bonis. * Pretióſior eſt. *Prov.* 3. 13. 15. 17. *Jac.* 3. 17.

Lectio ij. v. 10. *ad* 17.

Fili mi, ſi te lactáverint peccatóres, ne acquiéſcas eis. Si díxerint: Veni nobíſcum, inſidiémur ſánguini, abſcondámus tendículas contra insóntem fruſtrà: deglutiámus eum ſicut inférnus vivéntem, & integrum quaſi deſcendéntem in lacum. Omnem pretióſam ſubſtántiam reperiémus, implébimus domos noſtras ſpóliis. Sortem mitte nobíſcum, marsúpium unum ſit ómniũ noſtrûm. Fili mi, ne ámbules cum eis, próhibe pedem tuum à sémitis eórum. Pedes enim illórum ad malum currunt, & feſtínant ut effúndant ſánguinem.

℟. Sapiéntia clámitat: Juſti ſunt omnes ſermónes mei, non eſt in eis pravum quid, neque pervérſum: * Recti ſunt intelligéntibus, & æqui inveniéntibus ſciéntiam. ℣. Si quis aliter docet, & non acquiéſcit ſanis ſermónibus Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ſupérbus eſt, nihil ſciens. * Recti ſunt. *Prov.* 8. 1. 8. 9. 1. *Tim.* 6. 3. 4.

Lectio iij. v. 20. *ad* 29.

Sapiéntia foris prædicat, in platéis dat vocẽ ſuam: in cápite turbárum clámitat, in fóribus portárum urbis profert verba ſua, dicens: Uſquequò, párvuli, dilígitis infántiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt nóxia, cúpient, & imprudéntes odíbunt ſciéntiam? Convertímini ad correptiónẽ meam: en próferam vobis ſpíritum meum, & oſténdam vobis verba mea. Quia vocávi, & renuíſtis: exténdi manum meam, & non fuit qui aſpíceret. Deſpexíſtis omne consílium meum, & increpatiónes meas neglexíſtis. Ego quoquè in intéritu veſtro ridebo, & ſubſannábo, cùm vobis id quod timebátis, advénerit. Cùm irrúerit repen-

tina calámitas, & intéritus quaſi tempéſtas ingrúerit: quando vénerit ſuper vos tribulatio & angúſtia: tunc invocábunt me, & non exáudiam: manè consúrgent, & non invénient me.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum aſſiſtrícem ſapiéntiam, ut mecum ſit, & mecum labóret, ut ſciam quid accéptum ſit apud te. * Illa dedúcet me in opéribus meis sóbriè, & erunt accépta ópera mea. ℣. Innotéſcat multifórmis ſapiéntia Dei. * Illa. Glória. * Illa. *Sap.* 9. 4. 10. 11. 12. *Eph.* 3. 10.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro ſancti Auguſtíni Epíſcopi, de civitáte Dei.

Lectio iv. Lib. 17. *Cap.* 20.

PRophetáſſe Sálomon repéritur in ſuis libris, qui tres recépti ſunt in auctoritátem canónicam, Provérbia, Eccleſiáſtes, & Cánticum Canticórum. Alii verò duo, quorum unus Sapiéntia, alter Eccleſiáſticus dícitur, propter elóquii nonnullam ſimilitúdinem, ut Salomónis dicántur, obtínuit conſuetúdo: non autem eſſe ipsíus non dúbitant doctióres; eos tamen in auctoritátem máximè Occidentális, antíquitùs recépit Eccléſia: quorum in uno qui appellátur Sapiéntia Salomónis, páſſio Chriſti apertíſſimè prophetátur. Impii quippe interfectóres ejus commemorántur, dicéntes: Circumveniámus juſtum, quóniam inſuávis eſt nobis, & contrárius eſt opéribus noſtris, & impróperat nobis peccáta legis, & infámat in nos peccata diſciplínæ noſtræ. In Eccleſiaſtico autem fides géntium futúra prædícitur iſto modo: Miſerére noſtri, Dominátor Deus ómnium, & immítte timórem tuum ſuper omnes gentes.

℟. Dómine, ne adiacréſcant ignorántiæ meæ, & multiplicéntur delícta mea, & peccáta mea abúndent, & incidam in conſpéctu adverſariórum meórum. * Dómine Pater, Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu illórum. ℣. Hujuscémodi Dño noſtro non sérviunt, ſed per dulces ſermónes ſedúcunt corda innocéntium. * Dómine. *Eccli.* 23. 3. 4. *Rom.* 16. 18.

Lectio v.

IN tribus verò illis quos Salomónis eſſe conſtat, & Judæi canónicos habent, ut oſtendátur ad Chriſtum & Eccléſiam pertinére quod in eis ejúsmodi repéritur, operóſa diſputátio neceſsária eſt, quæ nos ultrà quàm opórtet, ſi nunc adhibétur, exténdit. Tamen quod in Provérbiis légitur viros ímpios dícere: Abſcondámus in terra virum juſtum injúſtè, abſorbeámus verò eum tamquã inférnus vivéntem,

& auferámus ejus memóriam de terra, poſſeſſiónem ejus pretióſam apprehendámus: non ita obſcúrum eſt, ut de Chriſto & poſſeſſióne ejus Eccléſiâ ſine laborióſa expoſitióne non poſſit intélligi. Tale quippe áliquid étiam Dóminus ipſe Jeſus per Evangélicam parábolam oſténdit dixíſſe malos colónos: Hic eſt hæres, veníte, occidámus eum, & noſtra erit hæréditas.

℟. Vanitátem, & verba mendácia longè fac à me, Dómine: * Mendicitátem, & divítias ne déderis mihi: tríbue tantùm victui meo neceſſaria. ℣. Qui volunt dívites fíeri, íncidunt in deſidéria multa inutília, & nocíva, quæ mergunt hómines in perditionem. * Mendicitátem. *Prov.* 30. 8. 1. *Tim.* 6. 9.

Lectio vj.

IN álio libro, qui vocátur Eccleſiáſtes, ubi ait: Non eſt bonum hómini, niſi quod manducábit & bibet; quid credibílius dícere intelligitur, quàm quod ad participatiónem menſæ hujus pértinet, quam ſacérdos ipſe mediator Teſtaménti novi éxhibet ſecúndum órdinem Melchíſedech de corpore & ſánguine ſuo? Id enim ſacrifícium ſuccéſſit omnibus illis ſacrifíciis véteris Teſtaménti, quæ immolabántur in umbra futúri: propter quod étiam vocem illam in Pſálmo tricéſimo & nono ejúſdem Mediatóris per prophetíam loquéntis agnóſcimus: Sacrifícium & oblatiónem noluíſti, corpus autem perfecíſti mihi; quia pro illis ómnibus [illegible]ciis & oblatiónibus [illegible] ejus offertur, & par[illegible]ántibus miniſtrátur. Nam illum Eccleſiáſten in hac ſenténtia manducándi & bibéndi quam ſæpè répetit, plurimùmque comméndat, non ſápere carnáles épulas voluptátis, ſatis illud oſténdit, ubi ait: Mélius eſt ire in domum luctûs, quàm ire in domum potûs.... Jam verò Cánticum Canticorum ſpiritális quædam ſanctárum eſt volúptas méntium, in conjúgio illius regis & regínæ civitátis, quod eſt Chriſtus & Eccleſia.

℟. Réſpice nos, Dómine, & oſténde nobis lucem miſeratiónum tuárum: immítte timórem tuum ſuper gẽtes quæ non exquiſiérunt te, * Ut cognóſcant quia non eſt Deus niſi tu, & † Enárrent magnália tua. ℣. Convertantur a ténebris ad lucem, & de poteſtate ſatanæ ad Deum. * Ut cognóſcant. Glória. † Enárrent. *Eccli.* 36. 1. 2. *Act.* 26. 18.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 19. *v.* 41.

IN illo témpore; Ut appropinquávit Jeſus Jeru-

ſalem, videns civitatem flevit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorii Papæ.

Hom. 39. in Evangel.

Quia evérſam jam Jeruſalẽ novimus, debémus ex rebus exterióribus introrſus aliquam ſimilitúdinem tráhere; atque ex everſis ædifíciis parietum, morum ruínam timére. Videns enim civitátem, flevit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognovíſſes & tu. Hoc ſemel egit, cùm peritúram civitátẽ eſſe nuntiávit. Hoc quotídie Redémptor noſter per eléctos ſuos ágere nullátenus ceſſat, cùm quoſdam ex bona vita ad mores réprobos perveniſſe conſíderat. Plangit enim eos qui neſciunt, cur plangántur, quia juxta Salomónis verba: Lætántur cum malefécerint, & exúltant in rebus péſſimis. Qui ſi damnatiónem ſuam quæ eis ímminet, agnovíſſent, ſemetípſos cum lácrymis electórum plangerent.

℟. Quid eſt, Iſrael, quòd in terra inimicórum es? Dereliquíſti fontem ſapiéntiæ; nam ſi in via Dei ambuláſſes, * Habitáſſes útique in pace ſempitérna. ℣. Si cognovíſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, * Habitaſſes. *Baruch.* 3. 10. 12. 13. *Luc.* 19. 42.

Lectio viij.

Bene autem peritúræ ánimæ ſententia quæ ſubditur, cónvenit: Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcóndita ſunt ab óculis tuis. Suam hic diem habet ánima pervérſa, quæ tranſitória gaudet in tempore. Cui ea quæ adſunt, ad pacem ſunt; quia dum rebus temporálibus lætátur, dum honóribus extóllitur, dum in carnis voluptáte resolvitur, dum nullâ ventúræ pœnæ formídine terrétur, pacem habet in die ſua, quæ grave damnatiónis ſuæ ſcandalum in die habébit aliéna. Ibi enim affligénda eſt, ubi juſti lætabúntur: & cuncta quæ modo ei ad pacem ſunt, tunc in amaritúdinem rixæ verténtur; quia rixári ſecum incípiet, cur damnatiónem quam pátitur, non expávit, cur à proſpiciéndis malis ſequéntibus óculos mentis clauſit.

℟. Jeruſalem cívitas Dei, * Caſtigávit te Dóminus in opéribus mánuum tuárum. Confitére Dómino, & bénedic Deum ſæculorum, ut reædíficet in te tabernáculum ſuum. ℣. Eò quòd non cognóveris tempus viſitatiónis tuæ, * Caſtigávit. *Tob.* 13. 11. 12. *Luc.* 19. 44.

Lectio ix.

UNde ei dícitur: Nunc autē abſcōdita ſunt ab óculis tuis. Pervérſa quippe ánima rebus præſéntibus dédita, in terrénis voluptátibus reſolúta, abſcóndit ſibi mala ſequéntia; quia prævidére futúra réfugit, quæ præſéntem lætítiam pertúrbant: dumque in præſéntis vitæ oblectatiónibus ſe déſerit, quid áliud quàm clauſis óculis ad ignem vadit? Unde bene ſcriptum eſt: In die bonórum non ímmemor ſis malórum. Et inde per Paulum dícitur: Qui gaudent, tamquam non gaudéntes ſint. Quia, & ſi qua eſt præſéntis témporis, ita eſt agénda lætítia, ut numquam amaritúdo ſequéntis judícii recédat à memória: quátenus dum mens pávida extrémæ ultiónis timóre transfígitur, quantùm nunc præſens lætítia, tantùm poſt ira ſubſequens temperétur.

℟. Emundáte manus, peccatores; lugéte, & ploráte; riſus veſter in luctum convertátur, & gáudium in mœrórem; * Humiliámini in conſpéctu Dñi, & exaltabit vos. ℣. Hódie ſi vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda veſtra. * Humiliámini. Glória. * Humiliámini. *Jac.* 4. 8. 9. 10. *Pſ.* 94. 8.

Ad Benedict. *Ant. t.* I. *D.* Ingreſſus Jeſus in templum, cœpit ejícere vendéntes in illo, & eméntes, dicens illis: Scriptum eſt: Domus mea domus oratiónis eſt; vos autem feciſtis illam ſpelúncam latrónum. *Luc.* 19. 45. 46.

Oratio.

DEus, qui peccántium ánimas non vis períre, ſed culpas; cóntine quam merémur iram, & quam precámur ſuper nos infunde cleméntiam; Per, &c.

CANON
Ex Concílio Reménſi. *An.* 1583.

SImóniæ vítio peccátum uſúræ eſſe affine nemo non cónſpicit. Cum ígitur ſacræ litteræ exclúdant eum à divíno tabernáculo qui pecúniam déderit ad uſuram, apertèque núntient ut mútuum demus, nihil inde ſperántes: quiſquis præter ſortem præcípuam ex mútuo áliquid ámplius exégerit, vel accéperit, cujuſcúmque géneris illud ſit, modò pecúniâ æſtimári poſſit, uſurárius eſſe cenſeátur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. *A.* Erat docens quotídie Jeſus in templo, & omnis pópulus ſuſpénſus erat, áudiens illum. *Luc.* 19. 47. 48.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.
De libro Proverbiórum.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 8.

FIli mi, ne oblivíſcáris legis meæ, & præcépta mea cor tuum cuſtódiat; longitúdinem enim diérum,

& annos vitæ, & pacem appónent tibi. Miſericórdia & véritas te non déſerant: circúmda eas gútturi tuo, & deſcríbe in tábulis cordis tui; & invénies grátiam & diſciplínam bonam, coram Deo & homínibus. Habe fidúciam in Dómino ex toto corde tuo, & ne innitáris prudéntiæ tuæ. In ómnibus viis cógita illum, & ipſe díriget gréſſus tuos. Ne ſis ſápiens apud temetípſum. Time Deum, & recéde à malo.

℟. Beátus, *ex* I. *Noct. Dominic. pag.* 293.

Lectio ij. v. 9. *ad* 16.

HOnóra Dóminum de tua ſubſtántia, & de primítiis ómnium frugum tuárum da ei; & implebúntur hórrea tua ſaturitáte, & vino torculária tua redundábunt. Diſciplínam Dómini, fili mi, ne abjícias; nec defícias cùm ab eo corríperis: quem enim díligit Dóminus córripit; & quaſi pater in fílio cómplacet ſibi. Beátus homo, qui invénit ſapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ; mélior eſt acquiſítio ejus negotiatióne argénti, & auri primi & puríſſimi fructus ejus. Pretióſior eſt cunctis ópibus; & ómnia, quæ deſiderántur, huic non valent comparári.

℟. Sapiéntia, *pag.* 293.

Lectio iij. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 14.

FIli mi, atténde ad ſapiéntiam meam; & prudéntiæ meæ inclína aurem tuam, ut cuſtódias cogitatiónes, & diſciplínam lábia tua consérvent. Ne atténdas fallácíæ mulíeris: favus enim diſtíllans lábia meretrícis, & nitídius óleo guttur ejus; noviſſima autem illíus amára quaſi abſynthium, & acúta quaſi gládius biceps. Pedes ejus deſcéndunt in mortem, & ad ínferos greſſus illíus pénetrant. Per ſémitam vitæ non ámbulant; vagi ſunt greſſus ejus, & inveſtigábiles. Nunc ergo, fili mi, audi me, & ne recédas à verbis oris mei. Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropínques fóribus domûs ejus. Ne des aliénis honórē tuum, & annos tuos crudéli; ne fortè impleántur extránei víribus tuis, & labóres tui ſint in domo aliéna; & gemas in noviſſimis, quando conſúmpſeris carnes tuas & corpus tuum, & dicas: Cur deteſtátus ſum diſciplínam, & increpatiónibus non acquiévit cor meum, nec audívi vocem docéntium me, & magíſtris non inclinávi aurem meam?

℟. Da mihi, *pag.* 294.

CANON

Ex Concílio Arelaténſi.

An. 452. *Cap.* 14.

SI quis Clericus pecúniam déderit ad uſuram, aut condúctor rei aliénæ volúerit eſſe, aut turpis lucri grátiâ genus áliquod negotiatiónis exercúerit, depé-

ſitus à Clero, à communióne fiat aliénus.

FERIA TERTIA.

De libro Proverbiórum.

Lectio j. Cap. 6. v. 6. ad 12.

VAde ad formícam, ô piger, & considera vias ejus, & diſce ſapiéntiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptórem, nec príncipem, parat in æſtáte cibum ſibi, & cóngregat in meſſe quod cómedat. Uſquequò, piger, dórmies? quando consurges è ſomno tuo? paululùm dórmies, páululùm dormitábis, páululùm cónſeres manus, ut dórmias; & véniet tibi quaſi viátor, egéſtas, & paupéries quaſi vir armátus. Si verò impiger fúeris, véniet ut fons meſſis tua, & egéſtas longè fúgiet à te.

℟. Dómine, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 294.

Lectio ij. v. 12. *ad* 20.

HOmo apóſtata, vir inútilis graditur ore pervérſo, annuit óculis, terit pede, dígito lóquitur, pravo corde machinátur malum, & omni témpore júrgia séminat. Huic extémplò véniet perdítio ſua, & súbitò conterétur, nec habébit ultrà medicínam. Sex ſunt quæ odit Dóminus, & séptimum deteſtátur ánima ejus: Oculos ſublímes, linguam mendácem, manus effundéntes innóxium sánguinem, cor máchinans cogitatiónes péſſimas, pedes velóces ad curréndum in malum, proferéntem mendacia teſtem fallácem, & eum qui séminat inter fratres diſcórdias.

℟. Vanitátem, *pag.* 295.

Lectio iij. Cap. 8. *v.* 12. *ad* 18.

EGo ſapiéntia hábito in consílio, & erudítis intérſum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum: arrogántiam, & ſupérbiam, & viam pravam, & os bilíngue deteſtor. Meum eſt consíliũ, & æquitas; mea eſt prudéntia, mea eſt fortitúdo. Per me reges regnant, & legum conditóres juſta decérnunt: per me príncipes ímperant, & poténtes decérnunt juſtítiam. Ego diligéntes me díligo; & qui manè vígilant ad me, invénient me.

℟. Réſpice, *pag.* 295.

CANON

Ex Concílio Lateranénſi.

An. 1139. *Cap.* 13.

DEteſtábilem & probróſam divínis & humánis légibus abdicátam illam, inquam, inſatiábilem fœneratórum rapacitátem damnámus, & ab omni Eccleſiáſtica conſolatióne ſequeſtrámus: præcipiéntes ut nullus in órdine & Clero niſi cum ſumma cautéla uſurários recípere præſúmat, ſed in tota vita infámes habeántur.

FERIA QUARTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 10. v. 1. ad 6.

FIlius ſápiens lætíficat patrem; filius verò ſtultus mœſtitia eſt matris ſuæ. Nil próderunt theſáuri impietátis: juſtitia verò liberábit à morte. Non affliget Dóminus fame ánimam juſti, & insídias impiórum ſubvértet. Egeſtátem operáta eſt manus remíſſa; manus autem fórtium divítias parat. Qui nítitur mendáciis, hic paſcit ventos; idem autem ipſe ſequitur aves volántes. Qui cóngregat in meſſe, filius ſápiens eſt; qui autem ſtertit æſtáte, filius confuſiónis.

℟. Quid eſt, *ex 3. Noct. Dom. pag. 296.*

Lectio ij. v. 6. ad 13.

BEnedíctio Dómini ſuper caput juſti; os autem impiórum óperit iníquitas. Memória juſti cum láudibus; & nomen impiórum putréſcet. Sápiens corde præcépta ſúſcipit; ſtultus cæditur lábiis. Qui ámbulat ſimplíciter, ámbulat confidénter: qui autem deprávat vias ſuas, maniféſtus erit. Qui ánnuit óculo, dabit dolorem; & ſtultus lábiis verberábitur. Vena vitæ, os juſti: & os impiórum óperit iniquitátem. Odium ſúſcitat rixas; & univérſa delícta óperit charitas.

℟. Jeruſalem, *pag. 296.*

Lectio iij. v. 13. ad 2[illegible]

IN lábiis ſapientis invenítur ſapiéntia: & virga in dorſo ejus qui índiget corde. Sapiéntes abſcóndunt ſciéntiam: os autem ſtulti confuſióni próximum eſt. Subſtántia divitis, urbs fortitúdinis ejus: pavor páuperum, egéſtas eorum. Opus juſti ad vitam; fructus autem ímpii ad peccatum. Via vitæ, cuſtodiénti diſciplinam: qui autem increpatiónes relínquit, errat. Abſcóndunt ódium lábia mendácia: qui profert contumeliam, insipiens eſt. In multiloquio non déerit peccatum: qui autem moderátur labia ſua, prudentíſſimus eſt. Argéntum electum, lingua juſti; cor autem impiórum pro níhilo. Lábia juſti erúdiunt plúrimos: qui autem indócti ſunt, in cordis egeſtáte morientur.

℟. Emundate, *pag. 297.*

CANON

Ex Concilio Nicæno.

An. 325. Can. 18.

QUóniam multi Clérici, avarítiæ causâ, túrpia lucra ſectántes, oblíti divíni præcepti, fœnerántes centéſimos éxigunt: ſtátuit hoc ſanctum Concilium, ut ſi quis inventus fúerit poſt hanc definitiónem uſúras accipere, vel ex quolibet tali negótio túrpia lucra ſectári, vel étiam ſpécies frumentórum ad séptuplum dare, omnis qui tale aliquid conátus

fúerit ad quæſtum, dejiciátur à Clero.

FERIA QUINTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 11. *v.* 1. *ad* 9.

STatéra dolóſa, abominátio eſt apud Dóminum; & pondus æquum, volúntas ejus. Ubi fúerit ſupérbia, ibi erit & contumélia: ubi autem eſt humílitas, ibi & ſapiéntia. Simplícitas juſtórum díriget eos; & ſupplantátio perverſórum vaſtábit illos. Non próderunt divítiæ in die ultiónis; juſtítia autem liberábit à morte. Juſtítia símplicis díriget viam ejus; & in impietáte ſua córruet ímpius. Juſtítia rectórum liberábit eos, & in inſídiis ſuis capiéntur iníqui. Mórtuo hómine ímpio, nulla erit ultrà ſpes; & expectátio ſollicitórum períbit. Juſtus de angúſtia liberátus eſt; & tradétur ímpius pro eo.

℟. Beátus, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 293.

Lectio ij. Cap. 14. *v.* 12. *ad* 18.

ESt via quæ vidétur hómini juſta, noviſſima autem ejus dedúcunt ad mortem. Riſus doló e miſcébitur, & extréma gáudii luctus óccupat. Viis ſuis replébitur ſtultus, & ſuper eum erit vir bonus. Innocens credit omni verbo: aſtútus cónſiderat greſſus ſuos. Fílio dolóſo nihil erit boni; ſervo autem ſapiénti próſperi erunt actus, & dirigétur via ejus. Sápiens tímet, & declínat à malo; ſtultus tránſilit, & confídit. Impátiens operábitur ſtultítiam; & vir verſútus odióſus eſt.

℟. Sapiéntia, *pag.* 293.

Lectio iij. Cap. 15. *v.* 16. *ad* 22.

MElius eſt parum cum timóre Dómini, quàm theſáuri magni & inſatiábiles. Mélius eſt vocári ad ólera cum charitáte, quàm ad vítulum ſaginátum cum ódio. Vir iracúndus próvocat rixas: qui pátiens eſt, mítigat ſuſcitátas. Iter pigrórum quaſi ſepes ſpinárum: via juſtórum abſque offendículo. Fílius ſápiens lætíficat patrem: & ſtultus homo déſpicit matrem ſuam. Stultítia gáudium ſtulto: & vir prudens dírigit greſſus ſuos.

℟. Da mihi, *pag.* 294.

CANON

Ex Concílio Cabillonénſi.

An. 813. *Cap.* 6.

ECclésia ſancta non ſolùm fidéles ſpoliáre non debet; quin pótiùs inópibus opem ferre, ut débiles, páuperes, víduæ, órphani, & cæteri neceſſitátem patiéntes à ſancta Ecclésia, ut putá à pia matre & ómnium gubernatríce, ſubsídium accípiant.

FERIA SEXTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 16. *v.* 2. *ad* 9.

SPírituum ponderátor eſt Dóminus. Revéla Dómi-

no ópera tua, & dirigentur cogitatiónes tuæ. Univérſa propter ſemetipſum operátus eſt Dóminus; ímpium quoque ad diem malum. Abominátio Dómini eſt omnis árrogans; etiámſi manus ad manum fúerit, non eſt innocens. Inítium viæ bonæ, fácere juſtítiam; accépta eſt autem apud Deum magis, quàm immolare hóſtias. Miſericórdiâ & veritáte redimitur iníquitas; & in timóre Dómini declinátur à malo. Cum placúerint Dómino viæ hóminis, inimícos quoque ejus convértet ad pacem. Mélius eſt parum cum juſtítia, quàm multi fructus cum iniquitáte.

℟. Dómine, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 294.

Lectio ij. Cap. 17. *v.* 10. *ad* 17.

PLus próficit corréptio apud prudéntem, quam centum plagæ apud ſtultum. Semper júrgia quærit malus: angelus autem crudélis mittétur contra eum. Expedit magis urſæ occúrrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidénti in ſtultítia ſua. Qui reddit mala pro bonis, non recédet malum de domo ejus. Qui dimittit aquam, caput eſt jurgiórum: & ántequam patiátur contuméliam, judícium déſerit. Qui juſtíficat ímpium, & qui condemnat juſtum, abominábilis eſt uterque apud Deum. Quid prodeſt ſtulto habére divítias, cum ſapientiam émere non poſſit? Qui altam facit domum ſuam, quærit ruínam: & qui évitat diſcere, íncidet in mala.

℟. Vanitátem, *pag.* 295.

Lectio iij. Cap. 18. *v.* 1. *ad* 9.

OCcaſiónes quærit qui vult recédere ab amíco: omni témpore erit exprobrábilis. Non récipit ſtultus verba prudéntiæ; niſi ea díxeris, quæ verſántur in corde ejus. Impius cùm in profúndum vénerit peccatórum, contémnit; ſed ſequitur eum ignomínia & oppróbrium. Aqua profúnda verba ex ore viri: & torrens redúndans fons ſapiéntiæ. Accípere perſonam ímpii non eſt bonum, ut declínes à veritáte judícii. Labia ſtulti miſcent ſe rixis, & os ejus júrgia próvocat. Os ſtulti contrítio ejus, & labia ipſíus ruína ánimæ ejus. Verba bilínguis, quaſi ſimplícia; & ipſa pervéniunt uſque ad interióra ventris. Pigrum dejícit timor: ánimæ autem effœminatorum eſúrient.

℟. Réſpice, *pag.* 295.

CANON

Ex Concílio Matiſconénſi.

An. 585. *Cap.* 11.

SEctatóres hoſpitalitátis nos eſſe non ſolum Dóminus Jeſus ádmonet cùm ſe dicit in hoſpitem recéptum fuiſſe; ſed étiam ejus Apóſtolus ómnibus penè

præcéptis. Proptérea, beatiſſimi fratres, unumquémque noſtrûm opórtet non ſolùm ſemetípſum ad hoc opus aptáre, ſed étiam ómnium fidélium mentes; ut poſſint apud Deum misericórdiæ opéribus pro noſtris peccátis intercédere, & nos ei per veram hoſpitalitátem reconciliáre.

SABBATO.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 22. v. 6. ad 16.

PRovérbium eſt: Adoléſcens juxta viam ſuam, étiam cùm ſenúerit, non recédet ab ea. Dives paupéribus ímperat; & qui áccipit mútuum, ſervus eſt fœnerántis. Qui séminat iniquitátem, metet mala, & virga iræ ſuæ conſummábitur. Qui pronus eſt ad miſericórdiam, benedicétur; de pánibus enim ſuis dedit páuperi. Victóriam & honórem acquíret qui dat múnera; ánimam autem aufert accipiéntium. Ejice deriſórem, & exíbit cum eo júrgium, ceſſabúntque cauſæ & contuméliæ. Qui díligit cordis munditiam, propter grátiam labiórum ſuórum habébit amícum regem. Oculi Dómini cuſtódiunt ſciéntiam; & ſupplantántur verba iníqui. Dicit piger: Leo eſt fortis, in médio plateárum occidéndus ſum. Fóvea profúnda os aliénæ: cui irátus eſt Dominus, íncidet in eam. Stultítia colligata eſt in corde púeri, & virga diſciplínæ fugábit eam.

Lectio ij. Cap. 28. v. 20. ad 28.

VIr fidélis multùm laudábitur: qui autem feſtínat ditári non erit ínnocens. Qui cognóſcit in judício fáciem, non bene facit: iſte & pro buccélla panis déſerit veritátem. Vir qui feſtínat ditári, & áliis ínvidet, ignórat quòd egéſtas ſupervéniet ei. Qui córripit hóminem, grátiam póſtea invéniet apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandiménta décipit. Qui súbtrahit áliquid à patre ſuo, & à matre: & dicit hoc non eſſe peccátum, párticeps homicídæ eſt. Qui ſe jactat, & dilátat, júrgia concitat: qui verò ſperat in Dómino, ſanábitur. Qui confídit in corde ſuo, ſtultus eſt: qui autem gráditur ſapienter, ipſe ſalvábitur. Qui dat páuperi, non indigébit: qui déſpicit deprecántem, ſuſtinébit penúriam.

Lectio iij. Cap. 29. v. 17. ad finem.

ERudi fílium tuum, & refrigerábit te, & dabit delícias ánimæ tuæ. Cùm prophetía defécerit, diſſipábitur pópulus: qui verò cuſtódit legem, beátus eſt. Servus verbis non poteſt erudíri; quia quod dicis intélligit, & reſpondére contémnit. Vidíſti hóminem velócem ad loquéndum? ſtultítia magis ſperánda eſt, quàm illius corréptio. Qui delicatè

tina calámitas, & intéritus quaſi tempéſtas ingrúerit: quando vénerit ſuper vos tribulatio & angúſtia: tunc invocábunt me, & non exáudiam: manè conſúrgent, & non invénient me.

℞. Da mihi, Dómine, ſédium tuárum aſſiſtrícem ſapiéntiam, ut mecum ſit, & mecum labóret, ut ſciam quid accéptum ſit apud te. * Illa dedúcet me in opéribus meis ſóbriè, & erunt accépta ópera mea. ℣. Innotéſcat multifórmis ſapiéntia Dei. * Illa. Glória. * Illa. *Sap.* 9. 4. 10. 11. 12. *Eph.* 3. 10.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro ſancti Auguſtíni Epíſcopi, de civitáte Dei.

Lectio iv. Lib. 17. *Cap.* 20.

PRophetáſſe Sálomon reperítur in ſuis libris, qui tres recépti ſunt in auctoritátem canónicam, Provérbia, Eccleſiáſtes, & Cánticum Canticórum. Alii verò duo, quorum unus Sapiéntia, alter Eccleſiáſticus dícitur, propter elóquii nonnullam ſimilitúdinem, ut Salomónis dicántur, obtínuit conſuetúdo: non autem eſſe ipsíus non dúbitant doctióres; eos tamen in auctoritátem máximè Occidentális, antíquitùs recépit Eccléſia: quorum in uno qui appellátur Sapiéntia Salomónis, páſſio Chriſti apertíſſimè prophetátur. Impii quippe interfectóres ejus commemorántur, dicéntes: Circumveniámus juſtum, quóniam inſuávis eſt nobis, & contrárius eſt opéribus noſtris, & impróperat nobis peccáta legis, & infámat in nos peccáta diſciplínæ noſtræ. In Eccleſiáſtico autem fides géntium futúra prædícitur iſto modo: Miſerére noſtri, Dominátor Deus ómnium, & immítte timórem tuum ſuper omnes gentes.

℞. Dómine, ne adincréſcant ignorántiæ meæ, & multiplicéntur delícta mea, & peccáta mea abúndent, & íncidam in conſpéctu adverſariórum meórum. * Dómine Pater, Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu illórum. ℣. Hujuſcémodi Dño noſtro non ſérviunt, ſed per dulces ſermónes ſedúcunt corda innocéntium. * Dómine. *Eccli.* 23. 3. 4. *Rom.* 16. 18.

Lectio v.

IN tribus verò illis quos Salomónis eſſe conſtat, & Judæi canónicos habent, ut oſtendátur ad Chriſtum & Eccléſiam pertinére quod in eis ejúsmodi reperítur, operóſa diſputátio neceſſária eſt, quæ nos ultrà quàm opórtet, ſi nunc adhibétur, extendit. Tamen quod in Provérbiis légitur viros ímpios dícere: Abſcondámus in terra virum juſtum injúſtè, abſorbeámus verò eum tamquã inférnus vivéntem,

factum eſt. Quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciéndum eſt. Nihil ſub ſole novum, nec valet quiſquam dícere: Ecce hoc recens eſt; jam enim præcéſſit in ſæculis quæ fuérunt ante nos. Non eſt priorum memoria; ſed nec eórũ quidem quæ póſtea futúra ſunt, erit recordátio apud eos, qui futúri ſunt in noviſſimo.

℟. Tu, Deus noſter, ſuávis & verus es: noſſe te, conſummáta juſtítia eſt; * Et ſcire juſtítiam, & virtútem tuam, radix eſt immortalitátis. ℣. Hæc eſt vita ætérna: Ut cognóſcant te ſolum Deum verum, & quem miſíſti Jeſum Chriſtum. * Et ſcire. *Sap.* 15. 1. 3. *Joan.* 17. 3.

Lectio iij. v. 12. *ad finem.*

Ego Eccleſiáſtes fui rex Iſrael in Jeruſalem, & propóſui in ánimo meo quærere & inveſtigáre ſapiénter de ómnibus quæ fiunt ſub ſole. Hanc occupatiónem péſſimam dedit Deus fíliis hóminum, ut occuparéntur in ea. Vidi cuncta, quæ fiunt ſub ſole, & ecce univérſa vánitas & afflíctio ſpíritûs. Pervérſi difficilè corrigúntur, & ſtultórum infinitus eſt númerus. Locútus ſum in corde meo, dicens: Ecce magnus efféctus ſum, & præcéſſi omnes ſapiéntiâ, qui fuérunt ante me in Jeruſalem; & mens mea contempláta eſt multa ſapiénter, & dídici. Dedíque cor meum, ut ſcirem prudéntiam, atque doctrínam, erroréſque & ſtultítiam; & agnóvi quòd in his quoque eſſet labor & afflíctio ſpíritûs; eò quòd in multa ſapiéntia multa ſit indignátio; & qui addit ſciéntiam, addit & labórem.

℟. Finem loquéndi páriter omnes audiámus. * Deum time, & † Mandáta ejus obsérva: hoc eſt enim omnis homo. ℣. Finis præcépti eſt cháritas de corde puro, & conſciéntiâ bonâ, & fide non fictâ. * Deum time. Glória. † Mandáta. *Eccleſ.* 12. 13. 1. *Tim.* 1. 5.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Lectio iv.

Serm. 2. *contra Concub. Tom.* 4. *Edit. Paris.* 1621.

Salomon, cùm ſæculárium rerum concupiſcéntiâ tenerétur, magnas eas & admirándas putabat, multúmque in eis labóris & ſollicitúdinis inſumébat; magníficas ædificándo domos, copióſum coacervándo aurum, congregándo cantórum choros, vária génera miniſtrórum menſæ & popínæ, quæréndo ánimæ ſuæ voluptátẽ ab hortórum & córporum formoſórum grátiâ, & omnem, ut ita dicam, oblectatiónis & refrigérii viam ſectándo. At ubi inde ad ſe revérſus, & quaſi ex umbræ

ſalem, videns civitátem flevit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognovíſſes & tu, & quidem in hac die túa, quæ ad pacem tibi; nunc autem abſcóndita ſunt ab óculis tuis. Et réliqua.

Homília ſancti [illegible]rii Papæ.

Hom. 39. in Evangel.

Quia evérſam jam Jerúſalē nóvimus, debémus ex rebus exterióribus intrórſus aliquam ſimilitúdinem tráhere; atque ex evérſis ædifíciis paríetum, morum ruínam timére. Videns enim civitátem, flevit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognovíſſes & tu. Hoc ſemel egit, cùm peritúram civitátē eſſe nuntiávit. Hoc quotídie Redémptor noſter per eléctos ſuos ágere nullátenus ceſſat, cùm quoſdam ex bona vita ad mores réprobos perveniſſe consíderat. Plangit enim eos qui néſciunt, cur plangántur, quia juxta Salomónis verba: Lætántur cùm malefécerint, & exúltant in rebus péſſimis. Qui ſi damnatiónem ſuam quæ eis ímminet, agnovíſſent, ſemetípſos cum lácrymis electórum plángerent.

℟. Quid eſt, Iſrael, quòd in terra inimicórum es? Dereliquíſti fontem ſapiéntiæ; nam ſi in via Dei ambulaſſes, * Habitáſſes útique in pace ſempitérna. ℣. Si cognovíſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, * Habitáſſes. *Baruch.* 3. 10. 12. 13. *Luc.* 19. 42.

Lectio viij.

Bene autem peritúræ ánimæ ſenténtia quæ ſúbditur, cónvenit: Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcóndita ſunt ab óculis tuis. Suam hîc diem habet ánima pervérſa, quæ tranſitório gaudet in témpore. Cui ea quæ adſunt, ad pacem ſunt; quia dum rebus temporálibus lætátur, dum honóribus extóllitur, dum in carnis voluptáte resólvitur, dum nullâ ventúræ pœnæ formídine terrétur, pacem habet in die ſua, quæ grave damnatiónis ſuæ ſcándalum in die habébit aliéna. Ibi enim affligénda eſt, ubi juſti lætabúntur: & cuncta quæ modò ei ad pacem ſunt, tunc in amaritúdinem rixæ verténtur; quia rixári ſecum incípiet, cur damnatiónem quam pátitur, non expávit, cur à proſpiciéndis malis ſequéntibus óculos mentis clauſit.

℟. Jerúſalem cívitas Dei, * Caſtigávit te Dóminus in opéribus mánuum tuárum. Confitére Dómino, & bénedic Deum ſæculórum, ut reædíficet in te tabernáculum ſuum. ℣. Eò quòd non cognóveris tempus viſitatiónis tuæ, * Caſtigávit. *Tob.* 13. 11. 12. *Luc.* 19. 44.

Lectio ix.

UNde ei dícitur: Nunc autē abſcōdita ſunt ab óculis tuis. Pervérſa quippe ánima rebus præſéntibus dédita, in terrénis voluptátibus reſolúta, abſcóndit ſibi mala ſequéntia; quia prævidére futúra réfugit, quæ præſéntem lætítiam pertúrbant: dumque in præſéntis vitæ obleĉtatiónibus ſe déſerit, quid áliud quàm clauſis óculis ad ignem vadit? Unde bene ſcriptum eſt: In die bonórum non ímmemor ſis malórum. Et inde per Paulum dícitur: Qui gaudent, tamquam non gaudéntes ſint. Quia, & ſi qua eſt præſéntis témporis, ita eſt agénda lætítia, ut numquam amaritúdo ſequéntis judícii recédat à memória: quátenus dum mens pávida extrémæ ultiónis timóre transfígitur, quantùm nunc præſens lætítia, tantùm poſt ira ſubſequens temperétur.

℞. Emundáte manus, peccatóres; lugéte, & ploráte; riſus veſter in luctum convertátur, & gáudium in mœrórem; * Humiliámini in conſpéctu Dñi, & exaltábit vos. ℣. Hódie ſi vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda veſtra. * Humiliámini. Glória. * Humiliámini. *Jac.* 4. 8. 9. 10. *Pſ.* 94. 8.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *D.* Ingreſſus Jeſus in templum, cœpit ejícere vendéntes in illo, & eméntes, dicens illis: Scriptum eſt: Domus mea domus oratiónis eſt; vos autem fecíſtis illam ſpelúncam latrónum. *Luc.* 19. 45. 46.

Oratio.

DEus, qui peccántium ánimas non vis períre, ſed culpas; cóntine quam merémur iram, & quam precámur ſuper nos infúnde cleméntiam; Per, &c.

CANON

Ex Concílio Reménſi.

An. 1583.

SImóniæ vítio peccátum uſúræ eſſe affíne nemo non cónſpicit. Cum ígitur ſacræ litteræ exclúdant eum à divíno tabernáculo qui pecúniam déderit ad uſúram, apertèque núntient ut mútuum demus, nihil inde ſperántes: quiſquis præter ſortem præcípuam ex mútuo áliquid ámplius exégerit, vel accéperit, cujuſcúmque géneris illud ſit, modò pecúniâ æſtimári poſſit, uſurárius eſſe cenſeátur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. *A.* Erat docens quotídie Jeſus in templo, & omnis pópulus ſuſpénſus erat, áudiens illum. *Luc.* 19. 47. 48.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De libro Proverbiórum.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 8.

FIli mi, ne oblivíſcáris legis meæ, & præcépta mea cor tuum cuſtódiat; longitúdinem enim diérum,

& annos vitæ, & pacem appónent tibi. Miſericórdia & véritas te non déſerant: circúmda eas gútturi tuo, & deſcríbe in tábulis cordis tui; & invénies grátiam & diſciplínam bonam, coram Deo & homínibus. Habe fidúciam in Dómino ex toto corde tuô, & ne innitáris prudéntiæ tuæ. In ómnibus viis cógita illum, & ipſe díriget gréſſus tuos. Ne ſis ſápiens apud temetípſum. Time Deum, & recéde à malo.

℟. Beátus, *ex* I. *Noct. Dominic. pag.* 293.

Lectio ij. v. 9. *ad* 16.

HOnóra Dóminum de tua ſubſtántia, & de primítiis ómnium frugum tuárum da ei; & implebúntur hórrea tua ſaturitáte, & vino torculária tua redundábunt. Diſciplínam Dómini, fili mi, ne abjícias; nec defícias cùm ab eo corripéris: quem enim díligit Dóminus córripit; & quaſi pater in fílio cómplacet ſibi. Beátus homo, qui invénit ſapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ; mélior eſt acquiſítio ejus negotiatióne argénti, & auri primi & puríſſimi fructus ejus. Pretióſior eſt cunctis ópibus; & ómnia, quæ deſiderántur, huic non valent comparári.

℟. Sapiéntia, *pag.* 293.

Lectio iij. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 14.

FIli mi, atténde ad ſapiéntiam meam; & prudéntiæ meæ inclína aurem tuam, ut cuſtódias cogitatiónes, & diſciplínam lábia tua consérvent. Ne atténdas falláciæ mulíeris: favus enim diſtíllans lábia meretrícis, & nitídius óleo guttur ejus; noviſſima autem illíus amára quaſi absynthium, & acúta quaſi gládius biceps. Pedes ejus deſcéndunt in mortem, & ad ínferos greſſus illíus pénetrant. Per ſémitam vitæ non ámbulant; vagi ſunt greſſus ejus, & inveſtigábiles. Nunc ergo, fili mi, audi me, & ne recédas à verbis oris mei. Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropínques fóribus domûs ejus. Ne des aliénis honórẽ tuum, & annos tuos crudéli; ne fortè impleántur extránei víribus tuis, & labóres tui ſint in domo aliéna; & gemas in noviſſimis, quando conſúmpſeris carnes tuas & corpus tuum, & dicas: Cur deteſtátus ſum diſciplínam, & increpatiónibus non acquiévit cor meum, nec audívi vocem docéntium me, & magíſtris non inclinávi aurem meam?

℟. Da mihi, *pag.* 294.

C A N O N

Ex Concílio Arelaténſi.

An. 452. *Cap.* 14.

SI quis Clericus pecúniam déderit ad uſuram, aut condúctor rei aliénæ volúerit eſſe, aut turpis lucri grátiâ genus áliquod negotiatiónis exercúerit, depó-

ſitus à Clero, à communióne fiat aliénus.

FERIA TERTIA.

De libro Proverbiórum.

Lectio j. Cap. 6. v. 6. ad 12.

VAde ad formícam, ô piger, & consídera vias ejus, & diſce ſapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptórem, nec príncipem, parat in æſtáte cibum ſibi, & cóngregat in meſſe quod cómedat. Uſquequò, piger, dórmies? quando consurges è ſomno tuo? paululùm dórmies, paululùm dormitábis, páululùm cónſeres manus, ut dórmias; & véniet tibi quaſi viator, egéſtas, & paupéries quaſi vir armátus. Si verò impiger fúeris, véniet ut fons meſſis tua, & egéſtas longè fúgiet à te.

℟. Dómine, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 294.

Lectio ij. v. 12. *ad* 20.

HOmo apóſtata, vir inútilis graditur ore pervérſo, annuit óculis, terit pede, dígito lóquitur, pravo corde machinátur malum, & omni témpore júrgia séminat. Huic extémplò véniet perdítio ſua, & súbitò conterétur, nec habébit ultrà medicínam. Sex ſunt quæ odit Dóminus, & séptimum deteſtátur ánima ejus: Oculos ſublímes, linguam mendácem, manus effundéntes innóxium sánguinem, cor máchinans cogitatiónes péſſimas, pedes velóces ad curréndum in malum, proferéntem mendacia teſtem fallacem, & eum qui séminat inter fratres diſcórdias.

℟. Vanitátem, *pag.* 295.

Lectio iij. Cap. 8. *v.* 12. *ad* 18.

EGo ſapiéntia hábito in consílio, & erudítis intérſum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum: arrogántiam, & ſupérbiam, & viam pravam, & os bilíngue deteſtor. Meum eſt consíliũ, & æquitas; mea eſt prudéntia, mea eſt fortitúdo. Per me reges regnant, & legum conditóres juſta decérnunt: per me príncipes ímperant, & poténtes decérnunt juſtítiam. Ego diligéntes me díligo; & qui manè vígilant ad me, invénient me.

℟. Réſpice, *pag.* 295.

CANON

Ex Concílio Lateranénſi.

An. 1139. *Cap.* 13.

DEteſtábilem & probróſam divínis & humánis légibus abdicátam illam, inquam, inſatiábilem fœneratórum rapacitátem damnámus, & ab omni Eccléſiáſtica conſolatióne ſequeſtrámus: præcipiéntes ut nullus in órdine & Clero niſi cum ſumma cautéla uſurários recípere præſúmat, ſed in tota vita infámes habeántur.

FERIA QUARTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 10. v. 1. ad 6.

FIlius ſápiens lætíficat patrem; fílius verò ſtultus mœſtitia eſt matris ſuæ. Nil próderunt theſáuri impietátis: juſtítia verò liberábit à morte. Non affliget Dóminus fame ánimam juſti, & insídias impiórum ſubvértet. Egeſtátem operáta eſt manus remíſſa; manus autem fórtium divítias parat. Qui nítitur mendáciis, hic paſcit ventos; idem autem ipſe ſéquitur aves volántes. Qui cóngregat in meſſe, filius ſápiens eſt; qui autem ſtertit æſtáte, fílius confuſiónis.

℟. Quid eſt, *ex 3. Noct. Dom. pag. 296.*

Lectio ij. v. 6. ad 13.

BEnedíctio Dómini ſuper caput juſti; os autem impiórum óperit iníquitas. Memória juſti cum láudibus; & nomen impiórum putréſcet. Sápiens corde præcépta ſúſcipit; ſtultus cæditur lábiis. Qui ámbulat ſimplíciter, ámbulat confidénter: qui autem deprávat vias ſuas, maniféſtus erit. Qui ánnuit óculo, dabit dolorem; & ſtultus lábiis verberábitur. Vena vitæ, os juſti: & os impiórum óperit iniquitátem. Odium ſúſcitat rixas; & univérſa delícta óperit cháritas.

℟. Jeruſalem, *pag. 296.*

Lectio iij. v. 13. ad 21.

IN lábiis ſapiéntis invenitur ſapiéntia: & virga in dorſo ejus qui índiget corde. Sapiéntes abſcóndunt ſciéntiam: os autem ſtulti confuſióni próximum eſt. Subſtántia dívitis, urbs fortitúdinis ejus: pavor páuperum, egéſtas eórum. Opus juſti ad vitam; fructus autem ímpii ad peccátum. Via vitæ, cuſtodiénti diſciplinam: qui autem increpatiónes relínquit, errat. Abſcóndunt ódium lábia mendácia: qui profert contuméliam, insípiens eſt. In multilóquio non déerit peccátum: qui autem moderátur lábia ſua, prudentíſſimus eſt. Argéntum eléctum, lingua juſti; cor autem impiorum pro níhilo. Lábia juſti erúdiunt plúrimos: qui autem indócti ſunt, in cordis egeſtáte morientur.

℟. Emundate, *pag. 297.*

CANON

Ex Concílio Nicæno.

An. 325. Can. 18.

QUóniam multi Clérici, avarítiæ causâ, túrpia lucra ſectántes, oblíti divíni præcépti, fœnerántes centéſimos éxigunt: ſtátuit hoc ſanctum Concilium, ut ſi quis invéntus fúerit poſt hanc definitiónem uſúras accípere, vel ex quólibet tali negótio túrpia lucra ſectári, vel étiam ſpécies frumentórum ad séptuplum dare, omnis qui tale aliquid conátus

fúerit ad quæſtum, dejiciátur à Clero.

FERIA QUINTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 11. *v.* 1. *ad* 9.

STatéra dolóſa, abominátio eſt apud Dóminum; & pondus æquum, volúntas ejus. Ubi fúerit ſupérbia, ibi erit & contumélia: ubi autem eſt humílitas, ibi & ſapiéntia. Simplícitas juſtórum díriget eos; & ſupplantátio perversórum vaſtábit illos. Non próderunt divítiæ in die ultiónis; juſtítia autem liberábit à morte. Juſtítia símplicis díriget viam ejus; & in impietáte ſua córruet ímpius. Juſtítia rectórum liberábit eos, & in insídiis ſuis capiéntur iníqui. Mórtuo hómine ímpio, nulla erit ultrà ſpes; & expectátio ſollicitórum períbit. Juſtus de angúſtia liberátus eſt; & tradétur ímpius pro eo.

℟. Beátus, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 293.

Lectio ij. Cap. 14. *v.* 12. *ad* 18.

ESt via quæ vidétur hómini juſta, noviſſima autem ejus dedúcunt ad mortem. Riſus dolóre miſcébitur, & extréma gáudii luctus óccupat. Viis ſuis replébitur ſtultus, & ſuper eum erit vir bonus. Innocens credit omni verbo: aſtútus consíderat greſſus ſuos. Fílio dolóſo nihil erit boni; ſervo autem ſapiénti próſperi erunt actus, & dirigétur via ejus. Sápiens timet, & declínat à malo; ſtultus tránſilit, & confídit. Impátiens operábitur ſtultítiam; & vir verſútus odióſus eſt.

℟. Sapiéntia, *pag.* 293.

Lectio iij. Cap. 15. *v.* 16. *ad* 22.

MElius eſt parum cum timóre Dómini, quàm theſáuri magni & inſatiábiles. Mélius eſt vocári ad ólera cum charitáte, quàm ad vitulum ſaginátum cum ódio. Vir iracúndus próvocat rixas: qui pátiens eſt, mítigat ſuſcitátas. Iter pigrórum quaſi ſepes ſpinárum: via juſtórum abſque offendículo. Fílius ſápiens lætíficat patrem: & ſtultus homo déſpicit matrem ſuam. Stultítia gáudium ſtulto: & vir prudens dírigit greſſus ſuos.

℟. Da mihi, *pag.* 294.

CANON

Ex Concílio Cabillonénſi.

An. 813. *Cap.* 6.

ECclésia ſancta non ſolùm fidéles ſpoliáre non debet; quin pótiùs inópibus opem ferre, ut débiles, páuperes, víduæ, órphani, & cæteri neceſſitátem patiéntes à ſancta Ecclésia, ut putá à pia matre & ómnium gubernatríce, ſubsídium accípiant.

FERIA SEXTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 16. *v.* 2. *ad* 9.

SPiríruum ponderátor eſt Dóminus. Revéla Dómi-

no ópera tua, & dirigéntur cogitatiónes tuæ. Univérſa propter ſemetípſum operátus eſt Dóminus; ímpium quoque ad diem malum. Abominátio Dómini eſt omnis árrogans; etiámſi manus ad manum fúerit, non eſt ínnocens. Inítium viæ bonæ, fácere juſtítiam; accépta eſt autem apud Deum magis, quàm immoláre hóſtias. Miſericórdiâ & veritáte redímitur iníquitas; & in timóre Dómini declinátur à malo. Cùm placúerint Dómino viæ hóminis, inimícos quoque ejus convértet ad pacem. Mélius eſt parum cum juſtítia, quàm multi fructus cum iniquitáte.

℟. Dómine, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 294.

Lectio ij. Cap. 17. *v.* 10. *ad* 17.

PLus próficit corréptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud ſtultum. Semper júrgia quærit malus: angelus autem crudélis mittétur contra eum. Expedit magis urſæ occúrrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti in ſtultítia ſua. Qui reddit mala pro bonis, non recédet malum de domo ejus. Qui dimíttit aquam, caput eſt jurgiórum: & ántequam patiátur contuméliam, judícium déſerit. Qui juſtíficat ímpium, & qui condemnat juſtum, abominábilis eſt utérque apud Deum. Quid prodeſt ſtulto habére divítias, cùm ſapiéntiam émere non poſſit? Qui altam facit domum ſuam, quærit ruínam: & qui évitat díſcere, íncidet in mala.

℟. Vanitátem, *pag.* 295.

Lectio iij. Cap. 18. *v.* 1. *ad* 9.

OCcaſiónes quærit qui vult recédere ab amíco: omni témpore erit exprobrábilis. Non récipit ſtultus verba prudéntiæ; niſi ea díxeris, quæ verſántur in corde ejus. Impius cùm in profúndum vénerit peccatórum, contémnit; ſed ſequitur eum ignomínia & oppróbrium. Aqua profúnda verba ex ore viri: & torrens redúndans fons ſapiéntiæ. Accípere perſonam ímpii non eſt bonum, ut declínes à veritáte judícii. Labia ſtulti miſcent ſe rixis, & os ejus júrgia próvocat. Os ſtulti contrítio ejus, & labia ipſíus ruína ánimæ ejus. Verba bilínguis, quaſi ſimplícia; & ipſa pervéniunt uſque ad interióra ventris. Pigrum déjicit timor: ánimæ autem effœminatórum esúrient.

℟. Réſpice, *pag.* 295.

CANON

Ex Concílio Matiſconénſi.

An. 585. *Cap.* 11.

SEctatóres hoſpitalitátis nos eſſe non ſolum Dóminus Jeſus ádmonet cùm ſe dicit in hoſpitem recéptum fuiſſe; ſed étiam ejus Apoſtolus ómnibus penè

præcéptis. Proptérea, beatiſſimi fratres, unumquémque noſtrûm opórtet non ſolùm ſemetípſum ad hoc opus aptáre, ſed étiam omnium fidélium mentes; ut poſſint apud Deum miſericórdiæ opéribus pro noſtris peccátis intercédere, & nos ei per veram hoſpitalitátem reconciliáre.

SABBATO.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 22. v. 6. ad 16.

Provérbium eſt: Adoléſcens juxta viam ſuam, étiam cùm ſenúerit, non recédet ab ea. Dives paupéribus ímperat; & qui áccipit mútuum, ſervus eſt fœneràntis. Qui séminat iniquitátem, metet mala, & virga iræ ſuæ conſummábitur. Qui pronus eſt ad miſericórdiam, benedicétur; de pánibus enim ſuis dedit páuperi. Victóriam & honórem acquíret qui dat múnera; ánimam autem aufert accipiéntium. Ejice deriſórem, & exíbit cum eo júrgium, ceſſabúntque cauſæ & contuméliæ. Qui díligit cordis mundítiam, propter grátiam labiórum ſuórum habébit amícum regem. Oculi Dómini cuſtódiunt ſciéntiam; & ſupplantántur verba iníqui. Dicit piger: Leo eſt fortis, in médio plateárum occidéndus ſum. Fóvea profúnda os aliénæ: cui irátus eſt Dóminus, íncidet in eam. Stultítia colligáta eſt in corde púeri, & virga diſciplínæ fugábit eam.

Lectio ij. Cap. 28. v. 20. ad 28.

Vir fidélis multùm laudábitur: qui autem feſtínat ditári non erit ínnocens. Qui cognóſcit in judício fáciem, non bene facit: iſte & pro buccélla panis déſerit veritátem. Vir qui feſtínat ditári, & áliis ínvidet, ignórat quòd egéſtas ſupervéniet ei. Qui córripit hóminem, grátiam póſtea invéniet apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandiménta décipit. Qui ſúbtrahit áliquid à patre ſuo, & à matre: & dicit hoc non eſſe peccátum, párticeps homicídæ eſt. Qui ſe jactat, & dilátat, júrgia concitat: qui verò ſperat in Dómino, ſanábitur. Qui confídit in corde ſuo, ſtultus eſt: qui autem gráditur ſapiénter, ipſe ſalvábitur. Qui dat páuperi, non indigébit: qui déſpicit deprecántem, ſuſtinébit penúriam.

Lectio iij. Cap. 29. v. 17. ad finem.

Erudi fílium tuum, & refrigerábit te, & dabit delícias ánimæ tuæ. Cùm prophetía defécerit, diſſipábitur pópulus: qui verò cuſtódit legem, beátus eſt. Servus verbis non poteſt erudíri; quia quod dicis intélligit, & reſpondére contémnit. Vidíſti hóminem velócem ad loquéndum? ſtultítia magis ſperánda eſt, quàm illíus corréptio. Qui delicatè

à pueritiâ nutrit ſervum ſuum, póſtea séntiet eum contumácem. Vir iracúndus próvocat rixas: & qui ad indignándum fácilis eſt, erit ad peccándum proclívior. Supérbum ſequitur humílitas; & húmilem ſpíritu ſuſcípiet glória. Qui cum fure partícipat, odit ánimā ſuam; adjurántem audit, & non índicat. Qui timet hóminem, citò córruet: qui ſperat in Dómino, ſublevábitur. Multi requírunt fáciem príncipis; & judícium à Dómino egréditur ſingulórum. Abominántur juſti virum ímpium; & abominántur ímpii eos, qui in recta ſunt via. Verbum cuſtódiens fílius, extra perditiónem erit.

CANON

Ex Concílio Burdigalénſi. *An.* 1583. *Tit.* 18.

INquírant Párochi ſtudióſè de paupéribus ſuæ paróchiæ, præſértim ... de víduis, órphanis, pupíllis, ægrótis, sénio conféctis, aliiſque persónis, temporáli, vel ſpirituáli miſericórdiâ indigéntibus, quibus & ipſi pro víribus opitulári, & álios ſuo exémplo atque hortátu ad id offícium incitáre ſtúdeant.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *a.* Cùm eſſet ſapientíſſimus Eccleſiáſtes, dócuit pópulum, & conſcrípſit sermónes rectíſſimos, ac veritáte plenos. *Eccle.* 12. 9. 10.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Eccleſiáſtæ.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 9.

VErba Eccleſiaſtæ, filii David, regis Jeruſalem. Vánitas vanitátum, dixit Eccleſiáſtes, vánitas vanitátum, & ómnia vanitas. Quid habet ámplius homo de univérſo labóre ſuo, quo labórat ſub ſole? Generátio prætérit, & generátio ádvenit; terra autem in ætérnum ſtat. Oritur ſol, & óccidit, & ad locum ſuum revértitur; ibíque renáſcens, gyrat per merídiem, & fléctitur ad Aquilónem. Luſtrans univérſa in circúitu pergit ſpíritus; & in círculos ſuos revértitur. Omnia flúmina intrant in mare, & mare non redúndat: ad locum, unde éxeunt flúmina, revertúntur, ut íterum fluant.

℟. Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * Potens es, Dómine, & véritas tua in circúitu tuo: tu domináris poteſtáti maris. ℣. Magna & mirabília ſunt ópera tua, Dómine, Deus omnípotens. * Potens es. *Pſ.* 88. 9. 10. *Apoc.* 15. 3.

Lectio ij. v. 8. *ad* 12.

CUnctæ res difficiles: non poteſt eas homo explicáre sermóne. Non ſaturátur óculus viſu; nec auris audítu implétur. Quid eſt quod fuit? ipſum quod futúrum

ctum eſt. Quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciéndum eſt. Nihil ſub ſole novum, nec valet quiſquam dícere: Ecce hoc recens eſt; jam enim præcéſſit in ſæculis quæ fuérunt ante nos. Non eſt priorum memoria; ſed nec eórũ quidem quæ póſtea futúra ſunt, erit recordátio apud eos, qui futúri ſunt in noviſſimo.

℟. Tu, Deus noſter, ſuávis & verus es: noſſe te, conſummáta juſtítia eſt; * Et ſcire juſtítiam, & virtútem tuam, radix eſt immortalitátis. ℣. Hæc eſt vita ætérna: Ut cognóſcant te ſolum Deum verum, & quem miſíſti Jeſum Chriſtum. * Et ſcire. *Sap.* 15. 1. 3. *Joan.* 17. 3.

Lectio iij. v. 12. ad finem.

EGo Eccleſiáſtes fui rex Iſrael in Jerúſalem, & propóſui in ánimo meo quærere & inveſtigáre ſapiénter de ómnibus quæ fiunt ſub ſole. Hanc occupatiónem péſſimam dedit Deus fíliis hóminum, ut occuparéntur in ea. Vidi cuncta, quæ fiunt ſub ſole, & ecce univérſa vánitas & afflíctio ſpíritûs. Pervérſi difficilè corrigúntur, & ſtultórum infinitus eſt númerus. Locútus ſum in corde meo, dicens: Ecce magnus effé-ctus ſum, & præceſſi omnes ſapiéntiâ, qui fuérunt ante me in Jerúſalem; & mens mea contempláta eſt multa ſapiénter, & dídici. Dedíque cor meum, ut ſcirem prudéntiam, atque doctrínam, erroréſque & ſtultítiam; & agnóvi quòd in his quoque eſſet labor & afflíctio ſpíritûs; eò quòd in multa ſapiéntia multa ſit indignátio; & qui addit ſciéntiam, addit & labórem.

℟. Finem loquéndi páriter omnes audiámus.* Deum time, & † Mandáta ejus obſérva: hoc eſt enim omnis homo. ℣. Finis præcépti eſt cháritas de corde puro, & conſciéntiâ bonâ, & fide non fictâ. * Deum time. Glória. † Mandáta. *Eccleſ.* 12. 13. 1. *Tim.* 1. 5.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Lectio iv.

Serm. 2. contra Concub. Tom. 4. Edit. Paris. 1621.

SAlomon, cùm ſæculárium rerum concupiſcéntiâ tenerétur, magnas eas & admirándas putábat, multùmque in eis labóris & ſollicitúdinis inſumébat; magníſicas ædificándo domos, copióſum coacervándo aurum, congregándo cantórum choros, vária génera miniſtrórum menſæ & popínæ, quæréndo ánimæ ſuæ voluptátē ab hortórum & córporum formoſórum grátiâ, & omnem, ut ita dicam, oblectatiónis & refrigérii viam ſectándo. At ubi inde ad ſe revérſus, & quaſi ex umbra

ſa quadam abyſſo ad lumen veræ ſapiéntiæ reſpícere váluit; tunc ſublímem illam, & cœlis dignam emíſit vocem: Vánitas vanitátum, & ómnia vanitas. Hanc & vos, & hâc ſublimiórem, ſi voluéritis, efferétis ſenténtiam de intempeſtíva hac voluptáte, ſi aliquãtíſper à mala conſuetúdine vos ſequeſtravéritis.

℟. Cùm me convertíſſem ad univérſa ópera, quæ fécerant manus meæ, & ad labóres, in quibus fruſtrà ſudáveram, * Vidi in ómnibus vanitátem & afflictiónem ánimi. ℣. Mundus tranſit, & concupiſcéntia ejus. * Vidi in. *Eccleſ.* 2. 11. 1. *Joan.* 2. 17.

Lectio v.

QUamvis autem à Salomone ſæculis ſuperióribus non tam multa ſapiéntiæ exigebátur diligéntia; neque enim delícias lex vetus prohibébat, neque áliis frui ſupervácuis dicébat vanum: áttamen, & ſic ſe habéntibus rebus, in ipſis contuéri licébit quàm viles & vanitáti obnóxiæ res ſint. Nos verò ad majórem vocáti vitam, & ad excelléntius faſtígium aſcéndimus, & in majóribus exercémur palæſtris: & quid áliud, quàm quòd, ſicut ſupérnæ Virtútes intellectuáles & incorpóreæ illæ, vitam inſtitúere jubémur?

℟. Vani filii hóminum, mendáces in ſtatéris: ut decípiant ipſi de vanitáte in idípſum. * Divítiæ ſi áffluant, nolíte cor appónere: ſemel locútus eſt Deus, duo hæc audívi: quia potéſtas Dei eſt, & tibi, Dómine, miſericórdia. ℣. Exórtus eſt ſol cum ardóre, & areſécit fœnum; ita & dives in itinéribus ſuis marcéſſet. * Divítiæ. *Pſ.* 61. 10. 11. 12. 13. *Jacob.* 1. 11.

Lectio vj.

ITaque licèt parva volúptas ſit, opponátur ei vermis perpétuus, ténebræ exterióres, ignis inextinguíbilis, tribulátio, angúſtia, ſtridor déntium, víncula insolubília. Hæc ſicut in tábula proponámus ante óculos, reſiliamúſque à perniciόſo graviſſimóque morbo, ut cum fulgéntibus corónis hinc migrémus, & poſsímus líbero ore ad Chriſtum dícere: Propter te & glóriam tuam, & familiaritátes contémpſimus, & voluptáti imperávimus, & ánimam noſtram afflíximus, & eléctis amícis, te, amorémque tuì rebus ómnibus præpoſúimus. Sic enim lucrabimur noſmetipſos, lucrábimur eos qui ſcandalizántur, & cum ipſis Martyribus collocábimur, primóque in órdine eórum qui hoc certámine vicérunt, & fortiter cruciátus tulérunt.

℟. Mélius eſt módicum juſto ſuper divítias peccatórum multas. * Inimíci Dómini mox ut honorificáti fúerint & exaltáti, deficien-

tes, quemádmodum fumus deficient. ✝ Juſti autem hereditábunt terram. ℣. Agite nunc, dívites, ploráte ululántes in miſériis veſtris quæ advénient vobis. * Inimíci. Glória. ✝ Juſti. *Pſ.* 36. 16. 20. 29. *Jacob.* 5. 1.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 18. *v.* 9.

IN illo témpore; Dixit Jeſus ad quoſdam qui in ſe confidébant, tamquam juſti, & aſpernabántur cæteros, parábolam iſtam: Duo hómines aſcendérunt in templum ut orárent: unus Phariſæus, & alter Publicánus. Et réliqua.

Homilia ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

Enarr. 2. *in Pſal.* 31. *N.* 10.

QUi vult fortis eſſe, velut præſúmens de ſe, & jactans mérita ſua, qualiacúmque illa ſint, erit ſímilis Phariſæo illi, qui quod à Deo ſe dicébat accepiſſe, ſupérbè tamen jactábat. Grátias, inquit, tibi. Atténdite, fratres mei, quale genus ſupérbiæ comméndet Deus: verè quale poteſt ſubintráre juſto hómini, quale poteſt ſubrépere étiam bonæ ſpei viro. Grátias tibi, dicébat. Ergo cùm dicébat, Grátias tibi, fatebátur ab illo ſe accepíſſe quod habébat. Quid enim habes quod non accepiſti? Ergo, Grátias tibi ago, dixit: Grátias tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptóres, injúſti, adúlteri, ſicut & Publicánus iſte. Unde ergo ſupérbus? Non quia de bonis ſuis Deo grátias agébat, ſed quia ſuper álterum ſe de ipſis bonis extollébat.

℟. Dómine Pater, & Deus vitæ meæ, extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, & ánimæ irreverénti & infrunítæ ne tradas me. * In vanitáte ſua apprehénditur peccator. ℣. Deus ſupérbis reſíſtit, humílibus autem dat grátiam. * In vanitáte ſua. *Eccli.* 23. 4. 5. 6. 8. 1. *Petri.* 5. 5.

Lectio viij. Serm. 115. *de verbis Evang. tom.* 5. *C.* 2.

PHariſæus dicébat: Grátias tibi, Deus, quia non ſum ſicut cæteri hómines. Díceret ſaltē, Sicut multi hómines. Quid eſt, Sicut cæteri hómines, niſi omnes prǽter ipſum? Ego, inquit, juſtus ſum, cæteri peccatóres. Et ecce tibi ex vicíno Publicáno majóris tumóris occáſio. Sicut, inquit, Publicánus iſte. Jejúno bis in Sábbato, décimas do ómnium quæcúmque poſſídeo. Quid rogáverit Deum, quære in verbis ejus, nihil invénies. Aſcéndit oráre, nóluit Deum rogáre, ſed ſe laudáre; inſuper & rogánti inſultáre. Publicanus autem de longínquo ſtabat. Et Deo tamen

ipſe propinquábat. Cordis conſciéntia removébat, píetas applicábat. Publicánus de longínquo ſtabat, ſed Dóminus eum de propínquo attendébat.

℟. Dóminus judex eſt, & non eſt apud illum gloria perſónæ.* Orátio humiliántis ſe, nubes penetrábit: & non diſcédet, donec Altíſſimus aſpíciat. ℣. Humiliámini in conſpéctu Dómini, & exaltábit vos.* Oratio. *Eccli.* 35. 15. 21. *Jac.* 4. 10.

Lectio ix. unde ſuprà Enar. 2. *in Pſ.* 31. *Num.* 11.

QUare Deus ab illo de longínquo non ſtabat? quia álio loco dícitur: Propè eſt Dóminus his qui obtrivérunt cor. Vidéte ſi Publicánus ille obtríverat cor, & ibi vidébitis quia propè eſt Dóminus his qui obtrivérunt cor. Publicánus autem de longínquo ſtabat, & neque volébat ad cœlum óculos ſuos leváre, ſed percutiébat pectus ſuum. Túnſio péctoris, obtrítio cordis. Quid dicébat tundens pectus? Deus, propítius eſto mihi peccatóri. Et quid ſenténtiæ Dóminus? Amen dico vobis, deſcéndit juſtificátus de templo Publicánus ille, magis quàm ille Phariſæus. Quare? Hoc eſt judícium Dei... Quare, rogo te, Dómine, expóne mihi hanc juſtítiam tuam, expone nobis æquitátem juris tui. Expónit Deus régulam legis ſuæ. Vultis audíre, Quare? Quia omnis qui ſe exáltat, humiliábitur; & qui ſe humíliat, exaltábitur.

℟. Anima, quæ triſtis eſt ſuper magnitúdine mali, & incédit curva, & infirma, & óculi deficiéntes, &* Anima esúriens dat tibi glóriam & juſtítiam, Dómine. ℣. Gloriétur frater húmilis in exaltatióne ſua.* Anima. Glória.* Anima. *Baruch.* 2. 18. *Jac.* 1. 9.

Ad Bened. *Ant.* ſ. 6. *f.* Publicánus à longè ſtans, nolébat nec óculos ad cœlum leváre: ſed percutiébat pectus ſuum, dicens: Deus, propítius eſto mihi peccatóri. *Luc.* 18. 13.

Oratio.

DEus, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máximè, & miſerándo maniféſtas: multíplica ſuper nos miſericórdiam tuam; ut ad tua promíſſa curréntes, cœleſtium bonórum facias eſſe consórtes; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Sardicénſi.

An. 347. *Can.* 1.

NOn minùs mala conſuetudo, quàm perniciósa corruptéla fúnditùs eradicánda eſt, ne cui líceat Epíſcopo de civitáte ſua ad áliam transíre civitátem. Maniféſta eſt enim cauſa, quâ hoc fácere tentant: cùm nullus in hac re invéntus ſit Epíſcopus, qui de majóre

civitáte ad minórem tranſíret: unde appáret avarítiæ ardóre eos, inflammári, & ambitióni ſervíre. Ut hujúſmodi perníciſes ſæviùs & auſtériùs vindicétur placet ut nec communiónem láicam hábeat qui talis eſt.

Ad Magnif. Ant. t. 6. f. Deſcéndit hic juſtificátus in domum ſuam ab illo, quia omnis qui ſe exáltat, humiliábitur: & qui ſe humíliat, exaltábitur. *Luc.* 18. 14.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De libro Eccleſiáſtæ.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 9. *ad* 14.

SUpergréſſus ſum ópibus omnes, qui ante me fuérunt in Jerúſalem. Sapiéntia quoque perſeverávit mecũ & ómnia, quæ deſiderav érunt óculi mei, non negávi eis; nec prohíbui cor meum quin omni voluptáte fruerétur, & oblectáret ſe in his quæ præparáveram: & hanc ratus ſum partẽ meam, ſi úterer labóre meo. Cùmque me convertíſſem ad univérſa ópera, quæ fécerant manus meæ, & ad labóres, in quibus fruſtrà ſudáveram, vidi in ómnibus vanitátem & afflictiónem ánimi, & nihil permanére ſub ſole. Tranſívi ad contemplándam ſapiéntiam, erroréſque & ſtultítiam; quid eſt, inquam, homo, ut ſequi poſſit regem Factórem ſuum?) & vidi quòd tantùm præcéderet ſapiéntia ſtultítiam, quantùm differt lux à ténebris.

℟. Dómine, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 304.

Lectio ij. Cap. 3. *v.* 9. *ad* 18.

QUid habet ámpliùs homo de labóre ſuo? Vidi afflictiónem quam dedit Deus filiis hóminum ut diſtendántur in ea. Cuncta fecit bona in témpore ſuo, & mundum trádidit diſputatióni eórum, ut non invéniat homo opus quod operátus eſt Deus ab inítio uſque ad finem. Et cognóvi quòd non eſſet mélius niſi lætári & fácere bene in vita ſua. Omnis enim homo qui cómedit & bibit & videt bonum de labóre ſuo hoc donum Dei eſt. Dídici quòd ómnia ópera quæ fecit Deus perſevérent in perpétuum non póſſumus eis quidquam áddere nec auférre quæ fecit Deus ut timeátur. Quod factum eſt, ipſum pérmanet quæ futúra ſunt jam fuérunt: & Deus inſtáurat quod ábiit. Vidi ſub ſole in loco judícii impietátem, & in loco juſtítiæ iniquitátem. Et dixi in corde meo: Juſtum & ímpium judicábit Deus & tempus omnis rei tunc erit.

℟. Tu, Deus, *pag.* 305.

Lectio iij. Cap. 4. *v.* 1. *ad* 5.

VErti me ad ália, & vidi calúmnias, quæ ſub ſole gerúntur, & lácrymas innocéntium, & némiem con-

ſolatórem: nec poſſe resíſtere córum violéntiæ, cunctórum auxílio deſtitútos. Et laudávi magis mórtuos, quàm vivéntes: & feliciórem utróque judicávi, qui necdum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt. Rurſum contemplátus ſum omnes labóres hóminum, & indúſtrias animadvérti patére invídiæ próximi: & in hoc ergo vánitas, & cura ſupérflua eſt.

℟. Finem, *pag.* 305.

C A N O N

Ex Concílio Turonénſi. *An.* 813. *Can.* 14.

DE título minóri ad majórem migráre nulli Présbytero lícitum eſt, ſed in eo permáneat, ad quem eſt ordinátus. Quod ſi invéntus fúerit contra ſtatúta id fácere, eâdem feriátur ſenténtiâ, quâ Epíſcopus, ſi de minore ad majórem transmigráverit ſedem.

FERIA TERTIA.

De libro Eccleſiáſtæ.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 7.

NE témerè quid loquáris, neque cor tuum ſit velox ad proferéndum ſermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, & tu ſuper terram: idcírco ſint pauci ſermónes tui. Multas curas ſequúntur sómnia, & in multis ſermónibus inveniétur ſtultítia. Si quid vovíſti Deo, ne moréris réddere: diſplicet enim ei infidélis & ſtulta promíſſio. Sed quodcúmque vóveris, redde: multòque mélius eſt non vovére, quàm poſt votum promíſſa non réddere. Ne déderis os tuum ut peccáre fácias carnē tuam: neque dicas coram ángelo: Non eſt providéntia: ne fortè irátus Deus contra ſermónes tuos, díſſipet cuncta ópera mánuum tuárum. Ubi multa ſunt sómnia, plúrimæ ſunt vanitátes, & ſermónes innúmeri: tu verò Deum time.

℟. Cùm me, 306.

Lectio ij. v. 7. *ad* 15.

SI víderis calúmnias egenórum, & violénta judícia, & ſubvérti juſtítiam in província, non miréris ſuper hoc negótio: quia excélſo excélſior eſt álius, & ſuper hos quoque eminentióres ſunt alii, & ínſuper univérſæ terræ rex ímperat ſerviénti. Avárus non implébitur pecúniâ: & qui amat divítias, fructum non cápiet ex eis: & hoc ergo vánitas. Ubi multæ ſunt opes, multi & qui cómedunt eas. Et quid prodeſt poſſeſſóri, niſi quòd cernit divítias óculis ſuis? Dulcis eſt ſomnus operánti, ſive parùm, ſive multùm cómedat: ſatúritas autem dívitis non ſinit eum dormíre. Eſt & ália infírmitas péſſima, quam vidi ſub ſole: divítiæ conſervátæ in malum dómini ſui. Péreunt enim in afflictióne péſſima: generávit fílium, qui

in ſumma egeſtáte erit. Sicut egréſſus eſt nudus de útero matris ſuæ, ſic revertétur, & nihil áuferet ſecum de labóre ſuo.

℟. Vani, *pag.* 306.

Lectio iij. Cap. 6. v. 1. ad 8.

EST & áliud malum quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud hómines: vir, cui dedit Deus divítias, & ſubſtántiam, & honórem, & nihil deeſt ánimæ ſuæ, ex ómnibus quæ desíderat: nec tríbuit ei poteſtátem Deus ut cómedat ex eo, ſed homo extráneus vorábit illud. Hoc vánitas, & miséria magna eſt. Si genúerit quiſpiam centum líberos, & víxerit multos annos, & plures dies ætátis habúerit, & ánima illíus non utátur bonis ſubſtántiæ ſuæ, ſepulturâque cáreat: de hoc ego pronúntio quòd mélior illo ſit abortívus. Fruſtrà enim venit, & pergit ad ténebras, & oblivióne delébitur nomen ejus. Non vidit ſolem, neque cognóvit diſtántiam boni & mali; etiámſi duóbus míllibus annis víxerit, & non fúerit perfrúitus bonis, nonne ad unum locum próperant ómnia? Omnis labor hóminis in ore ejus; ſed ánima ejus non implébitur.

℟. Melius, *pag.* 306.

CANON

Ex Concílio Moguntíno.

An. 813. *C.* 44.

OBlatiónem & pacem in Eccléſia ſácere júgiter admoneátur populus chriſtiánus: quia ipſa oblátio ſibi & ſuis magnum remédium eſt animárum, & in ipſa pace, vera unanímitas, & concórdia demonſtrátur.

FERIA QUARTA.

De libro Eccleſiáſtæ.

Lectio j. Cap. 7. v. 1. ad 9.

QUid necéſſe eſt hómini majóra ſe quærere, cùm ignóret quid condúcat ſibi in vita ſua, número diérum peregrinatiónis ſuæ, & témpore quod velut umbra prætérit? Aut quis ei póterit indicáre quid poſt eum futúrum ſub ſole ſit? Mélius eſt nomen bonum, quàm unguénta pretióſa; & dies mortis die nativitátis. Mélius eſt ire ad domum luctûs, quàm ad domum convívii: in illa enim finis cunctórum admonétur hóminum, & vivens cógitat quid futúrum ſit. Mélior eſt ira riſu: quia per triſtítiam vultûs, corrígitur ánimus delinquéntis. Cor ſapiéntium ubi triſtítia eſt, & cor ſtultórum ubi lætítia. Mélius eſt à ſapiénte córripi, quàm ſtultórum adulatióne décipi; quia ſicut ſónitus ſpinárum ardéntium ſub olla, ſic riſus ſtulti: ſed & hoc vánitas. Calúmnia contúrbat ſapiéntem, & perdet robur cordis illíus.

℟. Dómine, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 307.

Lectio ij. v. 10. ad 16.

NE ſis velox ad iraſcéndum: quia ira in ſinu ſtulti requiéſcit. Ne dicas: Quid, putas, cauſæ eſt quòd prióra témpora melióra fuére quàm nunc ſunt? Stulta enim eſt hujuſcémodi interrogátio. Utílior eſt ſapiéntia cum divítiis, & magis prodeſt vidéntibus ſolem. Sicut enim prótegit ſapiéntia, ſic prótegit pecúnia: hoc autem plus habet erudítio & ſapiéntia quòd vitam tríbuunt poſſeſſóri ſuo. Consídera ópera Dei, quòd nemo poſſit corrígere quem ille deſpéxerit. In die bona fruére bonis, & malam diem præcave: ſicut enim hanc, ſic & illam fecit Deus, ut non invéniat homo contra eum juſtas querimónias.

℟. Dóminus, *pag.* 308.

Lectio iij. v. 17. ad 24.

NOli eſſe juſtus multùm: neque plus ſápias quàm necéſſe eſt, ne obſtupéſcas. Ne ímpiè agas multùm: & noli eſſe ſtultus, ne moriáris in témpore non tuo. Bonum eſt te ſuſtentáre juſtum, ſed & ab illo ne ſúbtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil négligit. Sapiéntia confortávit ſapiéntem ſuper decem príncipes civitátis. Non eſt enim homo juſtus in terra, qui fáciat bonum, & non peccet. Sed & cunctis ſermónibus, qui dicúntur, ne accómmodes cor tuum: ne fortè áudias ſervum tuum maledicéntem tibi: ſcit enim conſciéntia tua, quia & tu crebrò maledixíſti áliis.

℟. Anima, *pag.* 308.

CANON

Ex Concílio Carthaginénſi.

An. 398. *C.* 93. *&* 94.

OBlatiónes diſcordántium fratrum neque in Sacrário neque in gazophilácio recipiántur. Eórum qui páuperes ópprimunt, dona à ſacerdótibus refutánda.

FERIA QUINTA.

De libro Eccleſiáſtæ.

Lectio j. Cap. 8. v. 9. ad 15.

DEdi cor meum in cunctis opéribus quæ fiunt ſub ſole. Intérdum dominátur homo hómini in malum ſuum. Vidi ímpios ſepúltos: qui étiam cùm adhuc víverẽt, in loco ſancto erant, & laudabántur in civitáte quaſi juſtórum óperum; ſed & hoc vánitas eſt. Etenim quia non profértur citò contra malos ſenténtia, abſque timóre ullo fílii hóminum pérpetrant mala. Attamen peccátor ex eo quod cénties facit malum, & per patiéntiam ſuſtentátur, ego cognóvi quòd erit bonum timéntibus Deum, qui veréntur fáciem ejus. Non ſit bonum ímpio, nec prolongéntur dies ejus, ſed quaſi umbra tránſeant qui non timent fáciem Dómini. Eſt & ália vánitas, quæ fit ſuper ter-

ram. Sunt juſti, quibus mala provéniunt, quaſi ópera égerint impiórum: & ſunt impii, qui ita ſecúri ſunt, quaſi juſtórum facta hábeant. Sed & hoc vaniſſimum júdico.

℟. Dómine, *pag.* 304.

Lectio ij. Cap. 9. v. 1. ad 4

OMnia hæc tractávi in corde meo, ut curióſè intellígerem: Sunt juſti atque ſapiéntes, & ópera eórum in manu Dei: & tamen neſcit homo, utrùm amóre an ódio dignus ſit: ſed ómnia in futúrum ſervántur incérta, eò quòd univérſa æquè evéniant juſto & ímpio, bono & malo, mundo & immúndo, immolánti víctimas, & ſacrifícia contemnénti. Sicut bonus, ſic & peccátor; ut perjúrus, ita & ille qui verum déjerat. Hoc eſt péſſimum inter ómnia, quæ ſub ſole fiunt, quia éadem cunctis evéniunt: unde & corda filiórum hóminum impléntur malítiâ, & contémptu in vita ſua, & poſt hæc ad ínferos deducéntur.

℟. Tu, Deus, *pag.* 305.

Lectio iij. v. 13 ad finem.

HAnc quoque ſub ſole vidi ſapiéntiam, & probávi máximam: Cívitas parva, & pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus, & vallávit eam, extruxítque munitiónes per gyrum, & perfécta eſt obsídio. Inventúsque eſt in ea vir pauper & ſápiens, & liberávit urbem per ſapiéntiam ſuam, & nullus deínceps recordátus eſt hóminis illíus páuperis. Et dicébam ego, meliórem eſſe ſapiéntiam fortitúdine: quómodo ergo ſapiéntia páuperis contémpta eſt, & verba eus non ſunt audíta? Verba ſapiéntium audiúntur in ſiléntio, plus quàm clamor príncipis inter ſtultos. Mélior eſt ſapiéntia, quàm arma béllica: & qui in uno peccáverit, multa bona perdet.

℟. Finem, *pag.* 305.

CANON

Ex Concílio Toletáno.

An. 675. *C.* 4.

DE perſónis diſcordántium id ſpeciáliter definitióne præcípimus, ut ántequam eos reconciliátio vera innéctat, nullus eórum accédere ad altáre Dómini áudeat, vel grátiam communiónis ſanctæ percípiat.

FERIA SEXTA.

De libro Eccleſiáſtæ.

Lectio j. Cap. 10. v. 2. ad 8.

COr ſapiéntis in déxtera ejus, & cor ſtulti in ſiníſtra illíus. Sed & in via ſtultus ámbulans, cùm ipſe insípiens ſit, omnes ſtultos æſtimat. Si ſpíritus poteſtátem habéntis aſcénderit ſuper te, locum tuum ne dimíſeris: quia curátio fáciet ceſſáre peccáta máxima. Eſt malum quod vidi ſub ſole, quaſi per errórem egrédiens

à fácie principis : pòſitum ſtultum in dignitáte ſublími, & dívites ſedére deórſum. Vidi ſervos in equis, & príncipes ambulántes ſuper terram quaſi ſervos.

℟. Cùm me, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 306.

Lectio ij. v. 8. *ad* 15.

QUi fodit fóveam, íncidet in eam : & qui diſſipat ſepem mordébit eum cóluber. Qui transfert lápides, affligétur in eis : & qui ſcindit ligna, vulnerábitur ab eis. Si retúſum fúerit ferrum, & hoc non ut priùs, ſed hebetátum fúerit, multo labóre exacuétur, & poſt indúſtriam ſequétur ſapiéntia. Si mórdeat ſerpens in ſiléntio, nihil eo minus habet qui occúltè détrahit. Verba oris ſapiéntis grátia : & lábia inſipiéntis præcipitábunt eum : inítium verbórum ejus ſtultítia, & novíſſimum oris illius error péſſimus. Stultus verba multíplicat. Ignórat homo, quid ante ſe fúerit : & quid poſt ſe futúrum ſit, quis ei póterit indicáre?

℟. Vani, *pag.* 306.

Lectio iij. v. 16. *ad finem.*

VÆ tibi terra, cujus rex puer eſt, & cujus príncipes manè cómedunt. Beáta terra, cujus rex nóbilis eſt, & cujus príncipes veſcúntur in témpore ſuo, ad reficiéndum, & non ad luxúriam. In pigrítiis humiliábitur contignátio, & in infirmitáte mánuum perſtillábit domus. In riſum fáciunt panem, & vinum ut epuléntur vivéntes : & pecúniæ obédiunt ómnia. In cogitatióne tua regi ne détrahas, & in ſecréto cubículi tui ne maledíxeris díviti : quia & aves cœli portábunt vocem tuam, & qui habet pennas annuntiábit ſenténtiam.

℟. Mélius, *pag.* 306.

CANON

Ex Concílio Carthaginénſi quarto.

An. 398. *Can.* 58.

CLérici... qui frequénter lítigat, & ad causándum fácilis eſt, teſtimónium nemo abſque grandi exámine recípiat.

SABBATO.

De libro Eccleſiáſtæ.

Lectio j. Cap. 11. *v.* 1. *ad* 7.

MItte panem tuum ſuper tranſeúntes aquas : quia poſt témpora multa invénies illum. Da partem ſeptem, nec-non & octo : quia ignóras quid futúrum ſit mali ſuper terram. Si replétæ fúerint nubes, imbrem ſuper terram effúndent. Si cecíderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilónem, in quocúmque loco cecíderit, ibi erit. Qui obſérvat ventum, non séminat : & qui conſíderat nubes, numquam metet. Quómodo ignóras quæ ſit via ſpíritûs, & quâ ratióne compingántur oſſa in

ventre prægnántis; ſic neſcis ópera Dei, qui fabricátor eſt ómnium. Manè ſémina ſemen tuum, & véſperè ne ceſſet manus tua: quia neſcis quid magis oriátur, hoc aut illud; & ſi utrúmque ſimul, mélius erit.

Lectio ij. Cap. 12. v. 1. ad 8.

MEménto Creatóris tui in diébus juventútis tuæ, ántequam véniat tempus afflictiónis, & appropínquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent: ántequam tenebréſcat ſol, & lumen, & luna, & ſtellæ, & revertántur nubes poſt plúviam: quando commovebúntur cuſtódes domûs, & nutábunt viri fortíſſimi, & otióſæ erunt moléntes in minúto número, & tenebréſcent vidéntes per forámina: & claudent óſtia in platéa, in humilitáte vocis moléntis, & conſúrgent ad vocem vólucris, & obſurdéſcent omnes fíliæ cárminis. Excélſa quoque timébunt, & formidábunt in via, florébit amygdalus, impinguábitur locúſta, & diſſipábitur cápparis: quóniam ibit homo in domum æternitátis ſuæ, & circuíbunt in platéa plangéntes. Antequam rumpátur funículus argénteus, & recúrrat vitta áurea, & conterátur hydria ſuper fontem, & confringátur rota ſuper ciſtérnam, & revertátur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpíritus rédeat ad Deum, qui dedit illum.

Lectio iij. v. 8. ad finem.

VAnitas vanitátum, dixit Ecclesiáſtes, & ómnia vánitas. Cùmque eſſet ſapientíſſimus Ecclesiáſtes, dócuit pópulum, & enarrávit quæ fécerat: & inveſtígans compóſuit parábolas multas. Quæſívit verba utilia, & conſcripſit ſermónes rectíſſimos, ac veritáte plenos. Verba ſapiéntium ſicut ſtímuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrórum consílium data ſunt à paſtóre uno. His ámplius, fili mi, ne requíras. Faciéndi plures libros nullus eſt finis; frequénſque meditátio, carnis afflíctio eſt. Finem loquéndi páriter omnes audiámus. Deum time, & mandáta ejus obſérva: hoc eſt enim omnis homo: & cuncta, quæ fiunt, addúcet Deus in judícium pro omni erráto, ſive bonum, ſive malum illud ſit.

CANON

Ex Concílio Románo.

Sub Sylveſtro Pontifice. Act. 2.

NEmo Cléricus, aut Diáconus, aut Présbyter propter ſuam cauſam quámlibet intret in cúriam... quóniam ſi quis Cléricus ad cúriam introíret, anathéma ſuſcípiat, numquam rédiens ad matrem Ecclésiam.

Ad Magnif. *Ant. t. 5. a.*

Per ſapiéntiam ſanáti ſunt quicúmque placuérunt tibi, Dómine, à princípio. *Sap.* 9. 19.

Oratio ut infra ad Laudes.

DOMINICA UNDECIMA Post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 6.

DIlígite juſtítiam, qui judicátis terram. Sentíte de Dómino in bonitáte, & in ſimplicitáte cordis quærite illum: quóniam invenítur ab his, qui non tentant illum: appáret autem eis, qui fidem habent in illum: perverſæ enim cogitatiónes ſéparant à Deo: probáta autem virtus córripit inſipiéntes; quóniam in malévolam ánimam non introíbit ſapiéntia, nec habitábit in córpore súbdito peccátis. Spíritus enim ſanctus diſciplinæ effúgiet fictum, & áuferet ſe à cogitatiónibus, quæ ſunt ſine intelléctu, & corripiétur à ſuperveniénte iniquitáte.

℟. Deus patrum meórum, qui feciſti ómnia verbo tuo, & ſapiéntiâ tuâ conſtituíſti hóminem; * Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitúdinis tuæ, ut ſciam quid accéptum ſit apud te. ℣. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. * Mitte. *Sap.* 9. 1. 2. 10. *Joan.* 1. 9.

Lectio ij. v. 6. *ad* 12.

BEnígnus eſt enim ſpíritus ſapiéntiæ, & non liberábit maledícum à lábiis ſuis: quóniam renum illíus teſtis eſt Deus, & cordis illíus ſcrutátor eſt verus, & linguæ ejus audítor. Quóniam Spíritus Dómini replévit orbem terrárum: & hoc, quod cóntinet ómnia, ſciéntiam habet vocis. Propter hoc qui lóquitur iníqua, non poteſt latére, nec prætériet illum corrípiens judícium. In cogitatiónibus enim ímpii interrogátio erit: ſermónum autẽ illíus audítio ad Deum véniet, ad correptiónem iniquitátum illíus. Quóniam auris zeli audit ómnia, & tumúltus murmuratiònum non abſcondétur. Cuſtodíte ergo vos à murmuratióne, quæ nihil prodeſt, & à detractióne párcite linguæ, quóniam ſermo obſcúrus in vácuum non ibit: os autem, quod mentítur, óccidit ánimam.

℟. Tecum ſapiéntia tua, Dómine, quæ novit ópera tua, & ſciébat quid eſſet plácitum óculis tuis, & quid diréctum in præcéptis tuis, * Dedúcet me in opéribus meis ſóbriè, & diſpónam pópulum tuum juſtè. ℣. Fructus enim lucis eſt in omni bonitáte, & juſtítiâ, & veritáte: * Dedúcet. *Sap.* 9. 9-11. 12. *Epheſ.* 5. 9.

Lectio iij. v. 12. *ad finem.*

NOlíte zeláre mortem in erróre vitæ veſtræ, ne-

que acquirátis perditiónem in opéribus mánuum veſtrárum. Quóniam Deus mortem non fecit, nec lætátur in perditióne vivórum. Creávit enim, ut eſſent ómnia: & ſanábiles fecit natiónes orbis terrárum: & non eſt in illis medicaméntum extermínii, nec inferórum regnum in terra. Juſtítia enim perpétua eſt, & immortális. Impii autem mánibus & verbis accerſiérunt illam: & æſtimántes illam amícam, defluxérunt, & ſponſiónes poſuérunt ad illam: quóniam digni ſunt qui ſint ex parte illíus.

℟. Vani ſunt omnes hómines, * In quibus non ſubeſt ſciéntia Dei: & de his quæ vidéntur bona, non potuérunt intellígere eum qui eſt. † Sciant quantò his dominátor eórũ ſpecióſior eſt. ℣. Inviſibília Dei, per ea quæ facta ſunt, intelléčta, conſpiciúntur, ita ut ſint inexcuſábiles. * In quibus. Glória. † Sciant. *Sap.* 13. 1. 3. *Rom.* 1. 20.

IN II. NOCTURNO.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lectio iv. Epiſt. 120. *Cap.* 4. *n.* 19. *&* 20.

Juſtítia quæ vivit in ſe ipſa, procul dúbiò Deus eſt, atque incommutabiliter vivit. Sicut autem hæc cùm ſit in ſe ipſa vita, étiam nobis fit vita, cùm ejus efficimur utcúmque partícipes; ita cùm in ſeipſa ſit juſtítia, étiam nobis fit juſtítia, cùm ei cohæréndo juſtè vívimus, & tantò magis minùſve juſti ſumus, quantò magis illi minùſve cohærémus. Unde ſcriptum eſt de unigénito Fílio Dei, cùm ſit utique Patris Sapiéntia atque Juſtítia, & ſemper in ſeipſa ſit, quòd factus ſit nobis à Deo Sapiéntia & Juſtítia. Eſt planè ille ſummus Deus vera juſtítia, quam profectò eſuríre & ſitíre, ea noſtra eſt in hac peregrinatióne juſtítia; & quâ poſtea ſaturari, ea noſtra eſt in æternitáte plena juſtítia. Quid eſt autem áliud juſtítia, cùm in nobis eſt, quàm interióris hóminis pulchritúdo? Et certè ſecúndùm hanc pulchritúdinem, magis quàm ſecúndùm corpus, facti ſumus ad imáginem Dei.

℟. Salus ánimæ in ſanctitáte juſtítiæ, mélior eſt omni auro & argénto. Miſerére ánimæ tuæ placens Deo: * Cóngrega cor tuum in ſanctitáte ejus. ℣. Chriſtus factus eſt nobis ſapiéntia à Deo, & juſtítia. * Cóngrega. *Eccli.* 30. 15. 24. 1. *Cor.* 1. 30.

Lectio v. Serm. 159. *aliàs* 17. *de verbis Apoſt. Cap.* 2. *&* 5.

Amánda eſt juſtítia; & in hac juſtítiâ amandâ gradus ſunt proficiéntium. Prius eſt ut amóri juſtítiæ non præponántur ómnia quæ

delèctant. Ipſe eſt primus gradus. Quid eſt quod dixi? Ut inter omnia quæ deléctant, plus te deléctet ipſa juſtítia: non ut ália non deléctent, ſed plus ipſa delèctet. Deléctant enim quædam naturáliter infirmitátem noſtram, ut cibus & potus deléctant eſuriéntes atque ſitiéntes; ut nos deléctat hæc lux quæ de cœlo fúnditur, ſole exórto. Hæc lícita: ſed deléctant étiam illícita. Juſtítia ſic deléctet, ut vincat étiam lícitas delectatiónes; & ei delectatióni quâ lícitè delectáris, præpóne juſtítiam. Mentem veſtram delectet invisíbilis, pulchra, caſta, ſancta, canóra, dulcis juſtítia, ut non ad eam timóre cogámini. Si enim timóre cogámini, nondum deléctat.

℟. Optávi, & datus eſt mihi ſenſus: invocávi, & venit in me Spíritus ſapiéntiæ; & * Divítias nihil eſſe duxi in comparatióne illíus: Super ſalútem & ſpéciem diléxi illam. ℣. Quæ deſúrſum eſt ſapiéntia, eſt ſuadíbilis, plena miſericórdiâ, & frúctibus bonis. * Divítias. *Sap.* 7. 7. 8. 10. *Jacob.* 3. 17.

Lectio vj. Cap. 5. 6. & 7.

QUando peccabátis, delectabámini in peccátis veſtris; timor vos adducébat ad peccándum, an ſuávitas peccáti? Probáte vos, inſpícite vos. Amáte juſtítiam, quómodo amáſtis iniquitatem. Digna eſt juſtítia, quæ à vobis ímpetret ut exhibeátis illi quod exhibuíſtis iniquitáti... In iniquitáte ſecútus es voluptátem: pro juſtítia tólera dolórem. Parum eſt ut contémnas quidquid te delectábat: contémne quidquid te terrébat: contémne cárceres, contemne víncula, contémne torménta, contémne mortem. Hæc viciſti, me inveniſti. Invénimus fórſitan aliquos qui præpónant juſtítiæ delectatiónem, voluptátibus & delectatióni córporis ſui; qui autem pro illa pœnas, mortemque contémnat, putas eſt áliquis in vobis? Saltem cogitémus quod profitéri non audémus. Quid cogitámus? Ubi cogitámus? Míllia Mártyrum adjacent óculis noſtris, ipſi veri amatóres perfectíque juſtítiæ... O amáre! ô ire! ô ſibi períre! ô ad Deum perveníre! ſic amándus eſt amátor juſtítiæ.

℟. Inítium ſapiéntiæ, veríſſima eſt diſciplínæ concupiſcéntia. * Cura diſciplínæ, diléctio eſt: & diléctio, cuſtódia legum illíus eſt: cuſtodítio legum, conſummátio incorruptiónis eſt: † Incorrúptio autem facit eſſe próximum Deo. ℣. Plenitúdo ergo legis eſt diléctio. * Cura. Gloria. † Incorrúptio *Sap.* 6. 18. 19. 20. *Rom.* 13. 10.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangelii ſecúndum Marcum.

Lectio vij. Cap. 7. v. 31.

IN illo témpore; Exiens Jeſus de finibus Tyri, venit per Sidónem ad mare Galilææ inter médios fines Decapóleos. Et addúcunt ei ſurdum & mutum, & deprecabántur eum, ut impónat illi manum. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Présbyteri.

In id. Evang. inter Homil. æſtiv.

QUod Dóminus ait Ephphéta, id eſt, Adaperíre, propter aures dicit ſanándas, quas súrditas diútina cláuſerat, ſed ad audiéndum jam tactus pateſécit ipsius. Unde credo quòd mos increbrúerit Eccléſiæ, ut Sacerdótes illíus his quos percipiéndis baptíſmi ſacraméntis præparant, priùs inter cætera conſecratiónis exórdia de ſaliva oris ſui nares tangant & aures, dicéntes: Ephphéta. Per ſalivam quidem oris ſui, guſtum quo initiandi ſunt ſupérnæ ſapiéntiæ desígnant; per tactum verò nárium, ut abjéctis delectatiónibus nóxiis, ſolùm Chriſti ſemper ampleċtántur odórem, de quo dicit Apóſtolus: Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco; & ut memínerint ſe juxta exémplum beáti Job, Donec ſúpereſt hálitus in eis & Spíritus Dei in náribus eórum, non loqui iniquitátem lábiis, nec lingua mendacium meditári debére.

℟. Quis eſt homo qui vult vitam, díligit dies vidére bonos? * Prohibe linguam tuam à malo: & lábia tua ne loquántur dolum. ℣. Si quis in verbo non offéndit, hic perfectus eſt vir. * Próhibe. *Pſ.* 33. 13. 14. *Jac.* 3. 2.

Lectio viij.

UNuſquíſque noſtrûm, fratres chariſſimi, qui baptíſma Chriſti ritè ſuſcépit, hoc órdine conſecrátus eſt. Unde multùm necéſſe eſt, ut quod Dóminus in nobis propítius ablúere & ſanctificáre dignátus eſt, ipſi paſſim contamináre & pro níhilo profanáre timeámus. Sed & ſi qui in cœnum nequítiæ ſordidántis incídimus, feſtinémus rurſum lacrymárum & pœniténtiæ fonte mundári. Renovémus áurium puritátem, quam nobis audítu fidei divinitùs conſtat fuiſſe collátam, cavéntes illud Apóſtoli, quod quibúſdā expróbrans: ait: Et à veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem convertént ur. Cohibeámus linguam à malo, quæ confeſſióne fidei ſanctificáta eſt. Timeámus in ipſa quâ benedícimus Deum & Patrem, maledícere hómines, qui ad imáginem Dei facti ſunt. Qui enim putat ſe religióſum eſſe, non refrænans

linguam ſuam, hujus vana eſt relígio.

℟. Clamávi ad te, exáudi me. * Pone, Dómine, cuſtódiam ori meo, & óſtium circumſtántiæ lábiis meis: non declínes cor meum in verba malítiæ. ℣. Lingua módicū quidem membrū eſt, & magna exáltat: ignis eſt, univérſitas iniquitátis. * Pone, Dómine. *Pſ.* 140. 1. 3. 4. *Jac.* 3. 5. 6.

Lectio ix.

QUi ergo rectè loqui baptíſmatis noſtri témpore didícimus, corde credéndo ad juſtítiam, ore autem confeſſiónem faciéndo ad ſalútem, curándum ſummóperè eſt, ne poſt baptíſma ad injúſta & nóxia verba declinémus. Si enim, ipſo júdice atteſtánte, omne verbum otióſum quod locúti fúerint hómines, reddent ratiónem de eo in die judícii, quid putámus fíeri de illis, qui non ſolùm otióſa, ſed & criminóſa loquúntur, qui impudicítiæ, jactántiæ, blaſphémiæ, &, quod maximè minus libet, detractiónis ſermónibus ſervíre non timent; qui próferunt mendácia, teſtes fallaces, qui ſéminant inter fratres diſcórdias?

℟. Lingua, inquiétum malum, plena venéno mortífero: in ipſa benedícimus Deū & Patrem: & in ipſa maledícimus hómines, qui ad ſimilitúdinem Dei facti ſunt. * Quis ſápiens, & diſciplinátus, inter vos? Oſténdat ex bona converſatióne operatiónem ſuam. ℣. Qui moderátur lábia ſua, prudentíſſimus eſt. * Quis. Glória. * Quis. *Jacob.* 3. 8. 9. 13. *Prov.* 10. 19.

Ad Bened. *Ant. t.* 4. *E.* Suſpíciens in cœlum Jeſus, ingémuit, & ait illi: Ephphéta, quod eſt, Adaperíre: & ſtatim apértæ ſunt aures ejus, & ſolútum eſt vínculum linguæ ejus. *Marc.* 7. 34. 35.

Oratio.

SEntiámus, quæſumus, Dómine, auxílium grátiæ tuæ, quæ aures noſtras ad obediéndum tibi apériat; & linguam noſtram ad rectè & piè loquéndum ſolvat; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Calcedonénſi.

An. 451. *Can.* 9.

SI Clericus advérsùs Cléricum habet negótium: non relínquat ſuum Epíſcopum, & ad ſæculária judícia non concúrrat; ſed priùs negótium agitétur apud próprium Epíſcopum.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *a.* Admirabántur, dicentes: Bene ómnia fecit: & ſurdos fecit audíre, & mutos loqui. *Marc.* 7. 37.

FERIA SECUNDA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 9.

JUſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos torméntum mortis. Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori: &c.

ri: & æſtimáta eſt afflíctio éxitus illórum; & quod à nobis eſt iter, extermíniũ: illi autem ſunt in pace. Et ſi coram homínibus torménta paſſi ſunt: ſpes illórum immortalitáte plena eſt. In paucis vexáti, in multis bene diſponéntur; quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos ſe. Tamquam aurum in fornácę probávit illos, & quaſi holocáuſti hóſtiam accépit illos, & in témpore erit reſpéctus illorũ. Fulgébunt juſti, & tamquam ſcintíllæ in arundinéto diſcúrrent. Judicábunt natiónes, & dominabúntur pópulis, & regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℟. Deus, *ex* I. *Noct. Dom. pag.* 316.

Lectio ij. Cap. 4. *v.* 7. *ad* 17.

JUſtus autem ſi morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis eſt, non diutúrna, neque annórum número computáta: cani autem ſunt ſenſus hóminis; & ætas ſenectútis vita immaculáta. Placens Deo factus eſt diléctus, & vivens inter peccatóres tranſlátus eſt. Raptus eſt, ne malítia mutáret intelléctum ejus, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Faſcinatio enim nugacitátis obſcúrat bona, & inconſtántia concupiſcéntiæ tranſvértit ſenſum ſine malítia. Conſummátus in brevi, explévit témpora multa; plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum: pópuli autem vidéntes, & non intelligentes, nec ponéntes in præcórdiis tália; quóniam grátia Dei & miſericórdia eſt in ſanctos ejus, & reſpéctus in eléctos illius. Condémnat autem juſtus mórtuus vivos ímpios; & juvéntus celérius conſummáta, longam vitam injúſti.

℟. Tecum, *pag.* 316.

Lectio iij. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 8.

TUnc ſtabunt juſti in magna conſtántia, advérſus eos qui ſe anguſtiavérunt, & qui abſtulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, & mirabúntur in ſubitatióne inſperátæ ſalútis; dicéntes intra ſe, pœniténtiam agéntes, & præ angúſtiâ ſpíritûs geméntes: Hi ſunt quos habúimus aliquándo in deríſum, & in ſimilitúdinem impropérii. Nos inſensáti vitam illórum æſtimabámus inſániam, & finem illórum ſine honóre: ecce quómodo computáti ſunt inter fílios Dei, & inter ſanctos ſors illórum eſt. Ergo errávimus à via veritátis, & juſtítiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligéntiæ non eſt ortus nobis. Laſsáti ſumus in via iniquitátis, & perditiónis, & ambulávimus vias difficiles; viam autem Dómini ignorávimus.

℟. Vani, *pag.* 317.

C A N O N

Ex Concílio Carthaginénſi quarto.

An. 398. *Can.* 59.

DIſcordántes Cléricos Epíſcopus vel ratióne, vel poteſtáte ad concórdiam trahat: inobediéntes Synodus per audiéntiam damnet.

F E R I A T E R T I A.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 6. *v.* 1. *ad* 7.

MElior eſt ſapiéntia quã vires; & vir prudens, quàm fortis. Audíte ergo, reges, & intellígite; díſcite, júdices fínium terræ. Præbete aures, vos qui continétis multitúdines, & placétis vobis in turbis natiónum; quóniã data eſt à Dño potéſtas vobis, & virtus ab Altíſſimo, qui interrogábit ópera veſtra, & cogitatiónes ſcrutábitur: quóniam cùm eſsétis miníſtri regni illíus, non rectè judicáſtis, nec cuſtodíſtis legem juſtitiæ, neque ſecúndùm voluntátem Dei ambuláſtis. Horréndè & citò apparébit vobis; quóniam judícium duríſſimum his qui præſunt, fiet.

℟. Salus, *ex* 2. *Noct. Dominicæ, pag.* 317.

Lectio ij. v. 7. *ad* 13.

EXíguo enim concéditur miſericórdia: poténtes autem poténter torménta patiéntur. Non enim súbtrahet persónã cujúſquã Deus, nec verebitur magnitúdinem cujúſquam; quoniam puſíllum & magnum ipſe fecit, & æquáliter cura eſt illi de ómnibus: fortióribus autem fórtior inſtat cruciátio. Ad vos ergo, reges, ſunt hi ſermónes mei; ut diſcátis ſapiéntiam, & non excidátis. Qui enim cuſtodíerint juſta juſtè, juſtificabúntur: & qui didícerint iſta, invénient quid reſpóndeant. Concupíſcite ergo ſermónes meos, dilígite illos, & habébitis diſciplínam.

℟. Optávi, *pag.* 318.

Lectio iij. v. 13. *ad* 22.

CLara eſt, & quæ numquã marcéſſit, ſapiéntia; & fácilè vidétur ab his qui díligunt eam, & invenítur ab his qui quærunt illam. Præóccupat qui ſe concupíſcunt, ut illis ſe prior oſténdat. Qui de luce vigiláverit ad illam, non laborábit: aſſidéntem enim illam fóribus ſuis invéniet. Cogitáre ergo de illa, ſenſus eſt conſummátus: & qui vigiláverit propter illam, citò ſecúrus erit. Quóniam dignos ſeipsâ círcuit quærens, & in viis oſténdit ſe illis hiláriter, & in omni providéntia occúrrit illis. Inítium enim illíus, veríſſima eſt diſciplínæ concupiſcéntia. Cura ergo diſciplínæ, diléctio eſt: & diléctio, cuſtódia legum illíus eſt: cuſtodítio autem legum, conſummátio incorruptiónis eſt: incorrúptio autem facit eſſe próximum Deo. Concupiſcéntia itaque ſapientiæ dedúcit ad regnũ perpétuũ.

℟. Inítium, *pag.* 318.

CANON

Ex Concílio Tulléníi ad Saponárias.

An. 859. *In Epiſt. ad Brit.*

DIſcórdia tam grande malum eſt, quòd oblátio, quæ ſolet ália peccáta delére, non recípitur à Deo, donec diſcórdia deponátur, & ad bonam concórdiam redeátur. Hoc vobis notum eſt ex Evãgélio. Etiam ſapiéntes mundi intellexérunt, & bene docuérunt, quia parvæ res per concórdiam creſcunt, & máximæ res per diſcórdiam córruunt.

FERIA QUARTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 3. *ad* 11.

EGo natus accépi commúnem áërem, & in ſimíliter factam décidi terram, & primam vocem símilem ómnibus emiſi plorans. In involuméntis nutrítus ſum, & curis magnis. Nemo enim ex régibus áliud habuit nativitátis inítium. Unus ergo intróitus eſt ómnibus ad vitam, & símilis éxitus. Propter hoc optávi, & datus eſt mihi ſenſus: & invocávi, & venit in me ſpíritus ſapiéntiæ: & præpóſui illam regnis & sédibus, & divítias nihil eſſe duxi in comparatione illíus: nec comparavi illi lapidem pretióſum: quoniam omne aurum in comparatióne illíus, arena eſt exigua, & tamquam lutum æſtimabitur argéntum in conſpectu illíus. Super ſalútem & ſpéciem diléxi illam, & propoſui pro luce habere illam: quóniam inextinguíbile eſt lumen illíus.

℟. Quis, *ex* 3. *N. D. pag.* 319.

Lectio ij. v. 11. *ad* 17.

VEnérunt autẽ mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerábilis honéſtas per manus illíus, & lætátus ſum in ómnibus: quóniam antecedébat me iſta ſapiéntia, & ignorábam quóniam horum ómnium mater eſt. Quam ſine fictióne dídici, & ſine invídia commúnico, & honeſtátem illíus non abſcondo. Infinítus enim theſáurus eſt homínibus: quo qui uſi ſunt, partícipes facti ſunt amicítiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendáti. Mihi autem dedit Deus dícere ex ſenténtia, & præſúmere digna horum quæ mihi dantur: quóniam ipſe ſapiéntiæ dux eſt, & ſapiéntium emendátor: in manu enim illíus, & nos, & ſermónes noſtri, & omnis ſapiéntia, & óperum ſciéntia & diſciplína.

℟. Clamávi, *pag.* 320.

Lectio iij. v. 21. *ad* 27.

QUæcúmque ſunt abſcónſa & improvíſa, dídici: ómnium enim ártifex dócuit me ſapiéntia: eſt enim in illa ſpíritus intelligéntiæ, ſanctus, únicus, múltiplex, ſubtílis, diſértus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuávis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefáciens, hu-

manus, benígnus, ſtábilis, certus, ſecúrus, omnem habens virtútem, ómnia proſpíciens, & qui cápiat omnes ſpíritus: intelligíbilis, mundus, ſubtílis. Omnibus enim mobílibus mobílior eſt ſapiéntia: attíngit autem ubíque propter ſuam mundítiam. Vapor eſt enim virtútis Dei, & emanátio quædam eſt claritátis omnipoténtis Dei ſincéra; & ideò nihil inquinátum in eam incúrrit: candor eſt enim lucis ætérnæ, & ſpéculum ſine mácula Dei majeſtátis, & imágo bonitátis illíus.

℟. Lingua, *pag.* 320.

CANON

Ex Concílio Lateranénſi quarto œcuménico.

An. 1215. *Can.* 15.

VEnatiónem & aucupationem univérſis Cléricis interdícimus; unde nec canes, nec aves ad aucupándum habére præſúmant.

FERIA QUINTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 8. *v.* 1. *ad* 8.

SApiéntia attíngit à fine uſque ad finem fórtiter, & diſpónit ómnia ſuáviter. Hanc amávi, & exquiſívi à juventúte mea, & quæſívi ſponſam mihi eam aſſúmere, & amátor factus ſum formæ illíus. Generoſitátem illíus glorificat, contubérnium habens Dei: ſed & ómnium Dóminus diléxit illam. Doctrix enim eſt diſciplínæ Dei, & eléctrix óperum illíus. Et ſi divítiæ appetúntur in vita, quid ſapiéntiâ locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem ſenſus operátur: quis horum, quæ ſunt, magis quàm illa eſt ártifex? Et ſi juſtítiam quis díligit: labóres hujus magnas habent virtútes: ſobrietátem enim, & prudéntiam docet, & juſtítiam, & virtútem, quibus utílius nihil eſt in vita homínibus.

℟. Deus, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 316.

Lectio ij. v. 9. *ad* 17.

PRopóſui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum: Sciens quóniam mecum communicábit de bonis, & erit allocútio cogitatiónis & tædii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, & honórem apud ſenióres júvenis: & acutus invéniar in judício, & in conſpéctu poténtium admirábilis ero, & fácies príncipum mirabúntur me: tacéntem me ſuſtinébunt, & loquéntem me reſpícient, & ſermocinánte me plura, manus ori ſuo impónent. Prætérea habébo per hanc, immortalitátem: & memóriam ætérnam his, qui poſt me futúri ſunt, relínquam. Diſpónam pópulos: & natiónes mihi erunt súbditæ. Tá-

tuébunt me audiéntes reges horréndi: in multitúdine vidébor bonus, & in bello fortis. Intrans in domum meam, conquiéſcam cum illa: non enim habet amaritúdinem conversátio illius, nec tædium convíctus illíus, ſed lætítiam & gáudium.

℟. Tecum, *pag.* 316.

Lectio iij. Cap. 8. v. 21. & Cap. 9. v. 1. ad 7.

ET ut ſcivi quóniam áliter non poſſem eſſe cóntinens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapiéntiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum: ádii Dóminum, & deprecátus ſum illum, & dixi ex totis præcórdiis meis: Deus patrum meórum, & Dómine misericórdiæ, qui fecíſti ómnia verbo tuo, & ſapiéntiâ tuâ conſtituíſti hóminem, ut dominarétur creatúræ, quæ à te facta eſt, ut diſpónat orbem terrárum in æquitáte & juſtítia, & in directióne cordis judícium júdicet: da mihi sédium tuárum aſſiſtrícem ſapiéntiam, & noli me reprobáre à púeris tuis: quóniam ſervus tuus ſum ego, & fílius ancíllæ tuæ, homo infírmus, & exígui témporis, & minor ad intelléctum judícii & legum. Nam & ſi quis erit conſummátus inter fílios hóminum, ſi ab illo abfúerit ſapiéntia tua, in nihilum computábitur.

℟. Vani, *pag.* 317.

CANON.

Ex Concílio Agathénſi.

Can. 35.

EPíſcopum, Presbyterũ, aut Diáconum canes ad venándum, aut accipitres, aut hujúſmodi res habére non líceat. Quòd ſi quis tálium perſonárum in hac voluptáte ſæpius deténtus fúerit, ſi Epíſcopus eſt, tribus ménſibus, à communióne ſuſpendátur; Présbyter duóbus ménſibus ſe abſtíneat. Diáconus verò ab omni offício, vel communióne ſuſpendátur.

FERIA SEXTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 13. v. 1. ad 6.

VAni ſunt omnes hómines, in quibus non ſubeſt ſciéntia Dei: & de his quæ vidéntur bona, non potuérunt intellígere eum qui eſt, neque opéribus attendéntes agnovérunt quis eſſet ártifex: ſed aut ignem, aut ſpíritum, aut citátum áërem, aut gyrum ſtellárum, aut nímiam aquam, aut ſolem & lunam, rectóres orbis terrárum deos putavérunt. Quorum ſi ſpécie delectáti, deos putavérunt: ſciant quantò his dominátor eórum ſpecióſior eſt: ſpeciéi enim generátor hæc ómnia conſtítuit. Aut ſi virtútem & ópera eórum miráti ſunt, intélligant ab illis,

quóniam qui hæc fecit, fórtior eſt illis : à magnitúdine enim ſpeciéi & creatúræ, cognoſcibíliter póterit creátor horum vidéri.

℟. Salus, *ex* 2. *Noct. Dom.* *pag.* 317.

Lectio ij. v. 6. *ad* 11.

SEd tamen adhuc in his minor eſt queréla. Et hi enim fortáſſe errant, Deum quæréntes, & voléntes invenire Etenim cùm in opéribus illius converséntur, inquírunt : & perſuáſum habent quóniam bona ſunt quæ vidéntur. Iterum autem nec his debet ignóſci. Si enim tantum potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimáre ſæculum : quomodo hujus Dominum non facilius invenérunt ? Infelíces autem ſunt, & inter mortuos ſpes illórum eſt, qui appellavérunt deos, ópera mánuum hóminum, aurum & argéntum, artis inventiónem, & ſimilitúdines animálium, aut lapidem inútilem opus manûs antíquæ.

℟. Optávi, *pag.* 318.

Lectio iij. Cap. 14. *v.* 21. *ad* 28.

ET hæc fuit vitæ humánæ decéptio : quóniam aut affectui, aut régibus deſerviéntes hómines, incommunicabile nomen lapídibus & lignis impoſuérunt. Et non ſuffécerat erráſſe eos circa Dei ſciéntiam, ſed & in magno vivéntes inſciéntiæ bello, tot & tam magna mala, pacem appéllant. Aut enim fílios ſuos ſacrificántes, aut obſcúra ſacrifícia faciéntes, aut inſániæ plenas vigílias habéntes, neque vitam, neque núptias mundas jam cuſtódiunt, ſed álius álium per invídiam occídit, aut adúlterans contríſtat : & ómnia commíſta ſunt, ſanguis, homicídium, furtum & fictio, corrúptio & infidélitas, turbátio & perjúrium, tumúltus bonórum, Dei immemorátio, animárum inquinátio, nativitátis immutátio, nuptiárum inconſtántia, inordinátio mœchiæ & impudicítiæ. Infandórum enim idolórum cultúra, omnis mali cauſa eſt, & inítium & finis.

℟. Inítium, *pag.* 318.

C A N O N

Ex Concílio Mediolanénſi primo.

Tit. de vita & honeſt. Cleric.

CLericórum arma ſunt orationes & lácrymæ : edícimus, ne Clérici arma cujúsvis géneris ad offenſiónem, vel étiam ad defenſiónem gerant.

S A B B A T O.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 15. *v.* 1. *ad* 7.

TU, Deus noſter, ſuávis & verus es, pátiens, & in miſericórdia diſpónens ómnia. Etenim ſi peccavérimus, tui ſumus, ſciéntes magnitúdinem tuam; & ſi

non peccavérimus, ſcimus quóniam apud te ſumus computáti. Noſſe enim te, conſummáta juſtítia eſt: & ſcire juſtítiam, & virtútem tuam, radix eſt immortalitátis. Non enim in errórem indúxit nos hóminum malæ artis excogitátio, nec umbra pictúræ labor ſine fructu, effigies ſculpta per vários colóres, cujus aſpéctus inſensáto dat concupiſcéntiam, & díligit mórtuæ imáginis effígiem ſine ánima. Malórum amatóres, digni ſunt qui ſpem hábeant in tálibus, & qui fáciunt illos, & qui díligunt, & qui colunt.

Lectio ij. v. 7. ad 10.

SEd & fígulus mollem terram premens, laborióſè fingit ad uſus noſtros unumquódque vas, & de eódem luto fingit quæ munda ſunt in uſum vaſa, & ſimíliter quæ his ſunt contrária; horum autem vaſórum quis ſit uſus, judex eſt fígulus. Et cum labóre vano deum fingit de eódem luto, ille qui paulò antè de terra factus fúerat, & poſt pusíllum redúcit ſe unde accéptus eſt, repetítus ánimæ débitum quam habébat. Sed cura eſt illi, non quia laboratúrus eſt, nec quóniam brevis illi vita eſt, ſed concertátur aurifícibus & argentáriis: ſed & ærários imitátur, & glóriam præfert, quóniam res ſupervácuas fingit.

Lectio iij. v. 14. ad 18.

OMnes enim inſipiéntes, & infelíces ſupra modum ánimæ ſupérbi, ſunt inimíci pópuli tui, & imperántes illi: quóniam ómnia idóla natiónum deos æſtimavérunt, quibus neque oculórum uſus eſt ad videndum, neque nares ad percipiéndum ſpíritum, neque aures ad audiéndum, neque dígiti mánuum ad tractándum, ſed & pedes eórum pigri ad ambulándum; homo enim fecit illos: & qui ſpíritum mutuátus eſt, is finxit illos. Nemo enim ſibi ſímilem homo póterit deum fingere. Cùm enim ſit mortális, mórtuum fingit mánibus iníquis. Mélior enim eſt ipſe his quos colit, quia ipſe quidem vixit, cùm eſſet mortális, illi autem numquam.

C A N O N

Ex Concílio Lateranénſi quarto œcuménico.

An. 1215. *Cap.* 18.

SEnténtiam ſánguinis nullus Cléricus dictet, aut próferat, aut ubi exercétur intérſit. Nec quiſquam Cléricus lítteras ſcribat aut dictet pro vindícta ſánguinis deſtinándas.

Ad Magnif. *Ant.* t. 5. a. Doctrínam ſapiéntiæ & diſciplínæ ſcripſit Jeſus fílius Sirach. Beátus, qui in iſtis verſátur bonis, qui ponit illa in corde ſuo; quia lux

OMnis ſapiéntia à Dómino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt antè ævum Arénam maris, & plúviæ guttas, & dies ſæculi quis dinumerávit? Altitúdinem cœli, & latitúdinem terræ, & profúndum abyſſi quis diménſus eſt? Sapiéntiam Dei præcedéntem ómnia quis inveſtigávit? Prior ómnium creáta eſt ſapiéntia, & intelléctus prudéntiæ ab ævo. Fons ſapiéntiæ verbum Dei in excélſis, & ingréſſus illius mandáta ætérna. Radix ſapiéntiæ cui reveláta eſt, & aſtútias illius quis agnóvit? Diſciplína ſapiéntiæ cui reveláta eſt, & manifeſtáta? & multiplicatiónem ingréſsus illius quis intelléxit? Unus eſt Altíſſimus Creátor omnípotens, & Rex potens, & metuéndus nimis, ſedens ſuper thronum illius, & dóminans

bilis ſapiéntia. Quibus apparúerit in viſu, d
eam in viſióne, & in a
ne magnálium ſuórun
tium ſapiéntiæ timor
ni, & cum fidélibus i
concreátus eſt, cum
fœminis gráditur, & c
tis & fidélibus agnó
Timor Dómini, ſcién
ligióſitas. Religióſita
diet & juſtificábit cor,
ditátem atque gaudi
bit. Timénti Dóminu
ne erit, & in dieb
ſummatiónis illius be
tur.

℟. Dómine Pater,
minátor vitæ meæ, *
relínquas me: quis ſu
net in corde meo
nam ſapiéntiæ? ℣. Om
num perféctum, de
eſt; deſcéndens à Patr
num. * Ne derelínqua
...

theſáuros illíus. Ne ſis incredíbilis timori Dómini: & ne accéſſeris ad illum dúplici corde. Ne fúeris hypócrita in conſpéctu hóminum, & non ſcandalizéris in lábiis tuis. Atténde in illis, ne fortè cadas, & addúcas ánimæ tuæ inhonoratiónem, & revélet Deus abſcónſa tua, & in médio ſynagógæ elídat te: quóniam acceſſiſti malignè ad Dóminum, & cor tuum plenum eſt dolo & fallácià.

℟. Quis eſt homo qui timet Dóminum? legem ſtátuit ei in via quam elégit? Anima ejus in bonis demorábitur; & ſemen ejus hæreditábit terram. * Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum. ℣. Mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & ſpíritûs, perficiéntes ſanctificatiónem in timóre Dei.* Firmaméntum. Glória. * Firmaméntum. *Pſ.* 24. 12. 13. 14. 2. *Cor.* 7. 1.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Morálium ſancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. Lib. 1. *Cap.* 25.

SUnt nonnúlli qui vitam ſuam négligunt: & dum tranſitória áppetunt, dum ætérna vel non intélligunt, vél intelléctà contémnunt, nec dolórem séntiunt, nec habére consílium ſciunt. Cùmque ſupérna, quæ amiſérunt, non consíderant, eſſe ſe (heu míſeri!) in bonis felíces putant. Nequáquam enim ad veritátis lucem, cui cónditi fúerant, mentis óculos erigunt: nequáquam ad contemplatiónem ætérnæ pátriæ, deſidérii áciem tendunt; ſed ſemetípſos in his, ad quæ projécti ſunt deſeréntes, vice pátriæ díligunt exílium quod patiúntur: & in cæcitáte quam tólerant, quaſi in claritáte lúminis exúltant.

℟. Fílii hóminum, úſquequò gravi corde? * Ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium? ℣. Tempus breve eſt: prǽterit figúra hujus mundi. * Ut quid dilígitis. *Pſ.* 4. 3. 1. *Cor.* 7. 29. 31.

Lectio v.

AT contrà, electórum mentes, dum tranſitória cuncta nulla eſſe conſpíciunt, ad quæ ſint cónditæ exquírunt: cùmque eórum ſatisfactióni nihil extra Deũ súfficit, ipsâ inquiſitiónis exercitatióne fatigáta illórum cogitátio, in Conditóris ſui ſpe & contemplatióne requiéſcit, ſupérnis intérſeri cívibus áppetit: & unuſquíſque eórum adhuc in mundo córpore pósitus, mente tamen extra mundum ſurgit, ærúmnam exílii quam tólerat, deplórat, & ad ſublímem pátriam inceſſántibus ſe amoris ſtímulis éxcitat. Cùm ergo dolens videt, quàm ſit ætérnum quod pérdidit, ínvenit ſalúbre consílium, tem-

porále hoc deſpícere quod percúrrit; & quo magis creſcit conſílii ſciéntia, ut peritúra déſerat, eò augétur dolor, quòd necdum ad manſúra pertingat.

℟. Agnóſcent qui derelícti ſunt, quóniam nihil mélius eſt quàm timor Dei; * Et nihil dúlcius, quàm reſpícere in mandátis Dómini. ℣. Tribulátio & angúſtia in omnem ánimam hóminis operántis malum. * Et nihil. *Eccli.* 23. 37. *Rom.* 2. 9.

Lectio vj.

INtuéndum quoque eſt, quod nullus dolor mentis ſit in actióne præcipitatiónis. Qui enim ſine conſíliis vivunt, qui ſeipſos rerum evéntibus præcípites déſerunt, nullo ínterim cogitatiónum dolóre fatigántur. Nam qui ſolérter in vitæ consílio figit mentem, cautè ſeſe in omni actióne circumſpiciéndo cónſiderat; & ne ex re quæ ágitur, repentínus finis, adverſuſque ſubrípiat, hunc priùs mólliter pósito pede cogitatiónis palpat: penſat, ne ab iis quæ agénda ſunt, formído præpédiat; ne in his quæ differénda ſunt, præcipitátio impellat; ne prava per concupiſcéntiam apérto bello súperent; ne recta per inánem glóriam inſidiándo ſupplántent.

℟. Vias tuas, Dómine, demónſtra mihi: & sémitas tuas édoce me: * Dírige me in veritáte tua, & doce me: † Quia tu es Deus ſalvátor meus. ℣. Scimus quia viam Dei in veritáte doces. * Dírige me. Glória. † Quia. *Pſ.* 24. 4. 5. *Luc.* 20. 21.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10. *v.* 23.

IN illo témpore; Convérſus Jeſus ad diſcípulos ſuos, dixit: Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quòd multi prophétæ & reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, & non vidérunt. Et réliqua.

Homilía ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 171. *de verbis Domini aliàs* 37. *Cap.* 2.

TOtum genus humánum eſt homo ille qui jacébat in via ſemivívus à latrónibus relíctus, quem contémpſit tránſiens Sacérdos & Levítes, & accéſſit ad eum curándum eíque opitulándum tránſiens Samaritánus. Tránſiit Sacérdos, útique género próximus; prætériit jacéntem. Tránſiit Levítes, & hic génere próximus; jacéntem étiam ipſe contempſit. Tránſiit Samaritánus, génere longínquus, miſericórdiâ próximus: fecítque quod noſtis. In quo Samaritáno ſe vóluit intélligi Dóminus noſter Jeſus Chriſtus.

℟. In hoc cognóvimus charitátem Dei, quóniam ille ánimam ſuam pro nobis póſuit: * Et nos debémus

pro frátribus ánimas pónere. ℣. Dedit ſe ut liberáret pópulum ſuum. * Et nos. 1. *Joan.* 3. 16. 1. *Mach.* 6. 44.

Lectio viij. Cap. 3.

QUid tam longínquum, quid tam remótum quàm Deus ab homínibus, immortális à mortálibus, juſtus à peccatóribus? Non loco longè, ſed diſſimilitúdine... Cùm ergo longè à nobis eſſet immortális & juſtus, tamquam à mortálibus & peccatóribus; deſcéndit ad nos, ut fíeret nobis próximus ille longínquus. Et quid fecit? Cùm habéret ille duo bona, & nos duo mala: ille duo bona, juſtítiam & immortalitátem: nos duo mala iniquitátem, & mortalitátem; ſi utrúmque malum noſtrum ſuſcepíſſet, par nobis factus eſſet, & liberári nobíſcum opus habéret.

℟. Nos debémus altérutrum dilígere. * Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, & cháritas ejus in nobis perfécta eſt. ℣. Fílii ſapiéntiæ, ecclésia juſtórum: & nátio illórum, obediéntia & diléctio. * Si diligámus. 1. *Joan.* 4. 11. 12. *Eccli.* 3. 1.

Lectio ix.

QUid ergo fecit ut eſſet próximus nobis? Próximus, non hoc quod nos; ſed prope nos. Duo atténde: Juſtus eſt, immortális eſt. In duóbus tuis malis, una eſt culpa; áltera eſt pœna. Culpa eſt, quòd injúſtus pœna eſt, quia mortális es. Ille ut eſſet próximus, ſuſcépit pœnam tuam; non ſuſcépit culpam tuam; & ſi ſuſcépit, deléndam ſuſcépit, non faciéndam, juſtus & immortális, longè ab injúſtis & mortálibus. Peccátor mortális longè eras à juſto immortáli. Non eſt ille factus peccátor, quod tu: ſed factus eſt mortális, quod tu. Manens juſtus, factus eſt mortális. Suſcipiéndo pœnam & non ſuſcipiéndo culpam, & culpam delévit & pœnam.

℟. Magíſter, in veritáte dixíſti, quia unus eſt Deus, & ut diligátur ex toto corde: * Et dilígere próximum tamquam ſeípſum, † Majus eſt ómnibus holocautomátibus. ℣. Diléctio Dei honorábilis ſapiéntia. * Et dilígere. Glória. † Majus eſt. *Marc.* 12. 32. 33. *Eccl.* 1. 14.

Ad Bened. *Ant. t.* 3. *a.* Apprópians Samaritánus, alligávit vúlnera ejus, infúndens óleum, & vinum; & curam ejus egit. *Luc.* 10. 34.

Orátio.

COnfírma, quæſumus, Dómine, tuorum corda fidéliũ; & grátiæ tuæ virtúte corróbora; ut & in tua ſint ſupplicatióne devóti; & mútuâ dilectióne ſincéri; Per.

CANON

Ex Concílio Senonénſi.

An. 1528. *Cap.* 24.

CLérici ne in público ludant pilâ aut áliis ludis, máximè cum Láïcis. A ludo

aleárum, aliíſque qui à ſorte pendent abſtíneant; neque ludéntium fautóres, ſpectatóres, aut teſtes exíſtant.

Ad Magnif. *Ant. t. 7. a.* Quis vidétur tibi próximus fuiſſe illi, qui íncidit in latrónes? At ille dixit: Qui fecit miſericórdiam in illum. Et ait illi Jeſus: Vade, & tu fac ſimíliter. *Luc.* 10. 36. 37.

FERIA SECUNDA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. Cap. 2. v. 1. ad 7.

FIli, accédens ad ſervitútem Dei, ſta in juſtítia, & timóre, & præpara ánimam tuam ad tentatiónem. Déprime cor tuum, & ſúſtine: inclína aurem tuam, & ſúſcipe verba intelléctûs: & ne feſtínes in témpore obductiónis. Súſtine ſuſtentatiónes Dei: conjúngere Deo, & ſúſtine, ut creſcat in noviſſimo vita tua. Omne, quod tibi applícitum fúerit, áccipe: & in dolóre ſúſtine, & in humilitáte tua patiéntiam habe: quóniam in igne probátur aurum & argéntum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, & recuperábit te: & dírige viam tuam, & ſpera in illum. Serva timórem illíus, & in illo veteráſce.

℟. Si quis, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 328.

Lectio ij. v. 11. ad 18.

REſpícite, filii, natiónes hóminum: & ſcitóte quia nullus ſperavit in Dómino, & confúſus eſt. Quis enim permánſit in mandátis ejus, & derelíctus eſt? aut quis invocávit eum, & deſpéxit illum? Quóniam pius & miſéricors eſt Deus, & remíttet in die tribulatiónis peccáta: & protéctor eſt ómnibus exquiréntibus ſe in veritáte. Væ dúplici corde, & lábiis ſceleſtis, & mánibus malefaciéntibus, & peccatóri terram ingrediénti duábus viis. Væ diſſolútis corde, qui non credunt Deo: & ídeò non protegéntur ab eo. Væ his, qui perdidérunt ſuſtinéntiam, & qui dereliquérunt vias rectas, & divertérunt in vias pravas. Et quid fácient, cùm inſpícere cœperit Dóminus?

℟. Dómine, *pag.* 328.

Lectio iij. v. 18. ad finem.

QUi timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus: & qui díligunt illum, conſervábunt viam illíus. Qui timent Dóminum, inquírent quæ beneplácita ſunt ei: & qui díligunt eum, replebúntur lege ipſíus. Qui timent Dóminum, præparábunt corda ſua, & in conſpectu illíus ſanctificábunt ánimas ſuas. Qui timent Dóminum, cuſtódiunt mandáta illíus, & patiéntiam habébunt uſque ad inſpectiónem illíus, dicéntes: Si pœniténtiam non egérimus, incidémus in manus Dómini, & non in manus hóminum. Secúndùm enim magnitúdi-

nem ipſíus, ſic & miſericórdia illíus cum ipſo eſt.

℟. Quis eſt, *pag.* 329.

CANON

Ex Canónibus Apoſtolórum.

Can. 42. & 43.

EPíſcopus, aut Présbyter, aut Diáconus, áleæ atque ebrietáti desérviens, aut déſinat, aut certè communióne privétur: Subdiáconus, aut Lector, aut Cantor ſimília fáciens, aut déſinat, aut communióne privétur.

FERIA TERTIA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. Cap. 3. v. 7. ad 16.

QUi honórat patrem ſuum, vitâ vivet longióre: & qui óbedit patri, refrigerábit matrem. Qui timet Dóminum, honórat paréntes, & quaſi dóminis sérviet his, qui ſe genuérunt. In ópere & ſermóne, & omni patiéntia honóra patrem tuum, ut ſupervéniat tibi benedíctio ab eo, & benedíctio illíus in novíſſimo máneat. Benedíctio patris firmat domos filiórum: maledíctio autem matris eradícat fundaménta. Ne gloriéris in contumélia patris tui: non enim eſt tibi glória, ejus confúſio: glória enim hóminis ex honóre patris ſui, & dédecus filii pater ſine honóre. Fili, ſúſcipe ſenéctam patris tui, & non contríſtes eum in vita illíus: & ſi deféceri ſenſu, véniam da, & ne ſpernas eum in virtúte tua: eleemoſyna enim patris non erit in oblivióne.

℟. Fílii, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 329.

Lectio ij. v. 19. ad 27.

FIlli, in manſuetúdine ópera tua pérfice, & ſuper hóminum glóriam dilígéris. Quantò magnus es, humília te in ómnibus, & coram Deo invénies grátiam: quóniam magna poténtia Dei ſolíus, & ab humílibus honorátur. Altióra te ne quæsíeris, & fortióra te ne ſcrutátus fúeris: ſed quæ præcépit tibi Deus, illa cógita ſemper, & in plúribus opéribus ejus ne fueris curióſus. Non eſt enim tibi neceſſárium, ea quæ abſcóndita ſunt, vidére óculis tuis. In ſupervácuis rebus noli ſcrutári multiplíciter, & in plúribus opéribus ejus non eris curióſus. Plúrima enim ſuper ſenſum hóminum oſténſa ſunt tibi. Multos quoque ſupplantávit ſuſpício illórum, & in vanitáte detínuit ſenſus illórum.

℟. Agnóſcent, *pag.* 330.

Lectio iij. v. 27. ad finem.

COr durum habébit malè in novíſſimo: & qui amat perículum, in illo períbit. Cor ingrédiens duas vias, non habébit ſuccéſſus, & pravus corde in illis ſcandalizábitur. Cor nequam gravábitur in dolóribus, & peccátor adjíciet ad peccándum. Synagógæ ſuperbórum non erit ſánitas; frutex enim pec-

ſcati radicábitur in illis, & non intelligétur. Cor ſapiéntis intellígitur in ſapiéntia, & auris bona áudiet cum omni concupiſcéntia ſapiéntiam. Sápiens cor & intelligíbile abſtinébit ſe à peccátis, & in opéribus juſtítiæ ſuccéſſus habébit. Ignem ardéntem extínguit aqua, & eleemóſyna resíſtit peccátis: & Deus proſpéctor eſt ejus qui reddit grátiam: méminit ejus in póſterum, & in témpore casûs ſui invéniet firmaméntum.

℟. Vias, *pag.* 330.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſ. 22. de reform. Cap. 1.

STátuit ſancta Synodus, ut quæ áliàs à ſacris Concíliis de Clericórum vita, honeſtáte... ac ſimul de luxu, commeſſatiónibus, choréis, áleis, lúſibus, ac quibuscúmque crimínibus, necnon ſæculáribus negótiis fugiéndis copiósè ac ſalúbriter ſancíta fuérunt, éadem in poſterum iiſdem pœnis obſervéntur.

FERIA QUARTA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. Cap. 4. *v.* 1. *ad* 12.

FIli, eleemóſynam páuperis ne defraudes, & óculos tuos ne transvértas à páupere. Animam eſuriéntem ne deſpéxeris: & non exaſperes pauperem in inópia ſua. Cor inopis ne afflíxeris, & non prótrahas datum anguſtiánti. Rogatiónem contribuláti ne abjícias: & non avértas fáciem tuam ab egéno. Ab ínope ne avértas óculos tuos propter iram: & non relínquas quæréntibus tibi retrò maledícere: maledicéntis enim tibi in amaritúdine ánimæ, exaudiétur deprecátio illíus: exáudiet autem eum, qui fecit illum. Congregatióni páuperum affábilem te fácito, & presbytero humília ánimam tuam, & magnáto humília caput tuum. Declína páuperi ſine triſtítia aurem tuam, & redde débitum tuum, & reſpónde illi pacífica in manſuetúdine. Líbera eum, qui injúriam pátitur de manu ſupérbi: & non ácidè feras in ánima tua. In judicándo eſto pupíllis miséricors ut pater, & pro viro matri illórum: & eris tu velut fílius Altíſſimi obédiens, & miſerébitur tuî magis quàm mater.

℟. In hoc, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 330.

Lectio ij. v. 23. *ad* 31.

FIli, conſérva tempus, & devita à malo. Pro ánima tua ne confundáris dícere verum. Eſt enim confúſio addúcens peccátum, & eſt confúſio addúcẽs gloriam & gratiã. Ne accípias faciem advérsùs fáciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium. Ne reverearis próximum in caſu ſuo: nec retíneas verbum in témpore

ſalútis. Non abſcóndas ſapiéntiam tuam in decóre ſuo. In linguâ enim ſapiéntia dignóſcitur: & ſenſus, & ſciéntia, & doctrína in verbo ſensáti, & firmaméntum in opéribus juſtítiæ. Non contradícas verbo veritátis ullo modo, & de mendácio ineruditiónis tuæ confúndere.

℟. Nos, *pag.* 331.

Lectio iij. v. 31. *ad finem.*

NOn confundáris confitéri peccáta tua, & ne ſubjícias te omni hómini pro peccáto. Noli reſíſtere contra fáciem poténtis, nec conéris contra ictum flúvii. Pro juſtítia agonizáre pro ánima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtítia, & Deus expugnábit pro te inimícos tuos. Noli citátus eſſe in lingua tua; & inútilis, & remíſſus in opéribus tuis. Noli eſſe ſicut leo in domo tua, evértẽs domeſticos tuos, & ópprimens ſubjéctos tibi. Non ſit porrecta manus tua ad accipiéndum, & ad dandum colléćta.

℟. Magíſter, *pag.* 331.

CANON

Ex Concílio Lateranénſi quarto œcuménico.

An. 1215. *Tit.* 15.

A Crapula & ebrietáte omnes Clérici diligenter abſtíneant; unde vinum ſibi témperent, & ſe vino. Nec ad bibéndum quiſpiam incitétur, cum ebríetas & mentis indúcat exílium, & libídinis provócet incentívum.

FERIA QUINTA.

De libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 8.

NOli atténdere ad poſſeſſiónes iníquas, & ne dixeris: Eſt mihi ſufficiens vita: nihil enim próderit in témpore vindíctæ & obductiónis. Ne ſequaris in fortitúdine tua concupiſcéntiam cordis tui: & ne díxeris: Quómodo pótui? aut quis me ſubjíciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicábit. Ne díxeris: Peccavi, & quid mihi accidit triſte? Altíſſimus enim eſt patiens redditor. De propitiáto peccáto noli eſſe ſine metu, neque adjícias peccátum ſuper peccátum. Et ne dicas: Miſerátio Dómini magna eſt, multitúdinis peccatorum meórum miſerébitur. Miſericórdia enim & ira ab illo citò próximant, & in peccatóres réſpicit ira illius.

℟. Si quis, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 328.

Lectio ij. v. 8. *ad* 13.

NOn tardes convérti ad Dóminum, & ne díſferas de die in diem. Súbitò enim véniet ira illíus, & in témpore vindíctæ diſpérdet te. Noli anxius eſſe in divítiis injúſtis; non enim próderunt tibi in die obductiónis & vindíctæ. Non véntiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam: ſic enim omnis peccátor pro-

bátur in dúplici lingua. Eſto firmus in via Dómini, & in veritáte ſensûs tui, & ſciéntiâ, & proſequátur te verbum pacis & juſtitiæ.

℟. Dómine, *pag.* 328.

Lectio iij. v. 13. ad finem.

ESto manſuétus ad audiéndum verbum, ut intélligas: & cum ſapiéntia próferas reſponſum verum. Si eſt tibi intelléctus, reſpónde próximo: ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiáris in verbo indiſciplináto, & confundáris. Honor & glória in ſermóne ſensáti, lingua verò imprudéntis ſubvérſio eſt ipsíus. Non appelléris ſusúrro, & linguâ tuâ ne capiáris, & confundáris. Super furem enim eſt confúſio & pœniténtia, & denotátio péſſima ſuper bilínguem: ſuſurratóri autem ódium, & inimicítia, & contumélia. Juſtífica puſillum, & magnum ſimíliter.

℟. Quis eſt, *pag.* 329.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénſi.

An. 816. *C.* 94.

FAcilè contémnitur Cléricus, qui ſæpè vocátus ad prándium, ire non recúſat, numquam peténtes, rarò accipiámus rogáti ... Neſcis enim quómodo ipſe étiam qui déprecátur ut tríbuat cùm accéperis, vilióṛem te júdicet; & mirum in modum, ſi eum rogántem contémpſeris, plus te poſtériùs venerátur.

FERIA SEXTA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. Cap. 6. v. 5. ad 12.

VErbum dulce multíplicat amícos, & mitigat inimícos: & lingua eúcharis in bono hómine abúndat. Multi pacífici ſint tibi, & conſiliárius ſit tibi unus de mille. Si póſſides amícum, in tentatióne póſſide eum, & ne fácilè credas ei. Eſt enim amícus ſecúndùm tempus ſuum, & non permanébit in die tribulatiónis. Et eſt amícus qui convértitur ad inimicítiam: & eſt amícus qui ódium & rixam & convítia denudábit. Eſt autem amícus ſócius menſæ, & non permanébit in die neceſſitátis. Amícus ſi permánſerit fixus, erit tibi quaſi coæquális, & in domeſticis tuis fiduciáliter aget.

℟. Filii, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 329.

Lectio ij. v. 18. ad 24.

FIli, à juventúte tua éxcipe doctrínam, & uſque ad canos invénies ſapiéntiam. Quaſi is qui arat, & séminat, accéde ad eam; & súſtine bonos fructus illíus. In ópere enim ipsíus exíguum laborábis, & citò edes de generatiónibus illíus. Quàm áſpera eſt nímiùm ſapiéntia indóctis homínibus! & non permanébit in illa excors. Quaſi lápidis virtus probátio

erit in illis, & non demorabúntur projícere illam: ſapiéntia enim doctrínæ ſecúndùm nomen eſt ejus, & non eſt multis maniféſta: quibus autem cógnita eſt, pérmanet uſque ad conſpéctum Dei.

℟. Agnoſcent, *pag.* 330.

Lectio iij. Cap. 7. *v.* 4. *ad* 12.

NOli quærere à dómino ducátum, neque à rege cáthedram honóris. Non te juſtífices ante Deum, quóniam ágnitor cordis ipſe eſt: & penès regem noli velle vidéri ſápiens. Noli quærere fieri judex, niſi váleas virtúte irrúmpere iniquitátes: ne fortè extiméſcas fáciem poténtis, & ponas ſcándalum in æquitáte tua. Non pecces in multitúdinem civitatis, nec te immíttas in pópulum, neque álliges duplícia peccáta: nec enim in uno eris immúnis. Noli eſſe puſillánimis in ánimo tuo: exoráre, & fácere eleemóſynam ne deſpícias. Ne dicas: In multitúdine múnerum meórum reſpíciet Deus, & offerénte me Deo altiſſimo, múnera mea ſuſcípiet.

℟. Vias, *pag.* 330.

CANON

Ex Concílio Laodicéno

Ineunte 4. *ſæculo. Cap.* 54.

NOn oportet Sacerdótes aut Clericos quibuscúmque ſpectáculis, in ſcenis, aut in núptiis interéſſe.

SABBATO.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 12. *ad* 19.

NOn irrídeas hóminem in amaritúdine animæ: eſt enim qui humiliat & exáltat, circumſpéctor Deus. Noli aráre mendacium advérsùs fratrem tuum: neque in amícum ſimíliter facias. Noli velle mentíri omne mendácium: aſſidúitas enim illíus non eſt bona. Noli verbóſus eſſe in multitúdine presbyterórum, & non íteres verbum in oratióne tua. Non óderis laborióſa ópera, & ruſticatiónem creátam ab Altíſſimo. Non te réputes in multitúdine indiſciplinatórum. Meménto iræ, quóniam non tardábit.

Lectio ij. v. 22. *ad* 31.

NOn lædas ſervum in veritáte operántem, neque mercenárium dantem ánimam ſuam. Servus ſenſátus ſit tibi diléctus quaſi ánima tua: non defráudes illum libertáte, neque ínopem derelínquas illum. Pécora tibi ſunt? atténde illis: & ſi ſunt utília, perſevérent apud te. Fílii tibi ſunt? érudi illos, & curva illos à puerítia illórum. Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illárum, & non oſtendas hilarem fáciem tuam ad illas. Trade filiam, & grande opus féceris, & hómini ſenſato da illam. Múlier ſi

eſt tibi ſecúndùm ánimam tuam, non projícias illam: & odíbili non credas te. In toto corde tuo honóra patrem tuum, & gémitûs matris tuæ ne obliviſcaris: meménto quóniam niſi per illos natus non fuíſſes: & retríbue illis, quómodo & illi tibi.

Lectio iij. v. 31. ad finem.

IN tota ánima tua time Dóminum, & ſacerdótes illíus ſanctífica. In omni virtúte tua dílige eum qui te fecit: & miniſtros ejus ne derelínquas. Honóra Deum ex tota ánima tua, & honorífica ſacerdótes, & propúrga te cum bráchiis. Da illis partem, ſicut mandátum eſt tibi, primitiárum & purgatiónis: & de negligéntia tua purga te cum paucis. Datum brachiórum tuórum & ſacrificium ſanctificatiónis óffe- res Dómino, & inítia ſanctórum: & páuperi pórrige manum tuam, ut perficiátur propitiátio & benedíctio tua. Grátia dati in conſpéctu omnis vivéntis, & mórtuo non prohíbeas grátiam. Non deſis plorantibus in conſolatióne, & cum lugéntibus ámbula. Non te pigeat viſitáre infírmum: ex his enim in dilectióne firmáberis. In ómnibus opéribus tuis memoráre novíſſima tua, & in ætérnum non peccábis.

CANON

Ex Concílio Veneténſi.

An. 465. *C.* II.

PResbyteri, Diáconi, atque Subdiáconi, vel dénique quibus ducéndi uxóres licéntia non eſt, étiam alienárum nuptiárum évitent convívia; nec eis cœtibus admíſceántur, ubi amatória cantántur, & túrpia, aut obſcæni motus córporum choris & sáltibus efferúntur: ne audítus & obtútus ſacris myſtériis deputátus, túrpium ſpectaculórum atque verbórum contágio polluántur.

Ad Magnif. *Ant.* *t.* 3. *a.* Peccántem in ánimam ſuam quis juſtificábit? & quis honorificábit exhonorántē ánimam ſuam? *Eccli.* 10. 32.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XIII.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. Cap. 8. *v.* 6. *ad* 15.

NE deſpícias hóminem averténtem ſe à peccáto, neque impróperes ei: meménto quoniam omnes in correptióne ſumus. Ne ſpernas hóminem in ſua ſenectúte: étenim ex nobis ſeneſcunt. Noli de mórtuo inimíco tuo gaudére: ſciens quóniam omnes mórimur, & in gáudium nólumus ve-

naſtræ. Ne deſpícias narratiónem presbyterórum ſapiéntium, & in provérbiis eórum converſáre: ab ipſis enim diſces ſapiéntiam, & doctrínam intelléctûs, & ſervíre magnátis ſine queréla. Non te prætéreat narrátio ſeniórum: ipſi enim didicérunt à pátribus ſuis: quóniam ab ipſis diſces intelléctum, & in témpore neceſſitátis dare reſpónſum. Non incéndas carbónes peccatórum árguens eos, & ne incendáris flammâ ignis peccatórum illórum. Ne contra fáciem ſtes contumelióſi, ne ſédeat quaſi inſidiátor ori tuo.

℟. Quia non profértur citò contra malos ſenténtia, abſque timóre ullo fílii hóminum pérpetrant mala: áttamen peccátor ex eo quòd cénties facit malum, & per patiéntiã ſuſtentátur, * Ego cognóvi quòd erit bonum timéntibus Deum. ℣. Quòd ſi Deus volens, ſuſtínuit in multa patiéntia, vaſa iræ, apta in intéritum. * Ego cognóvi. *Eccleſ.* 8. 11. 12. *Rom.* 9. 22.

Lectio ij. Cap. 10. *v.* 1. *ad* 7.

JUdex ſápiens judicábit pópulum ſuum, & principátus ſenſáti ſtábilis erit. Secúndùm júdicem pópuli, ſic & miniſtri ejus: & qualis rector eſt civitátis, tales & inhabitántes in ea. Rex inſípiens perdet pópulum ſuum: & civitátes inhabitabúntur per ſenſum poténtium. In manu Dei potéſtas terræ: & útilem rectórem ſuſcitábit in tempus ſuper illam. In manu Dei proſpéritas hóminis, & ſuper fáciem ſcribæ impónet honórem ſuum. Omnis injúriæ próximi ne memíneris, & nihil agas in opéribus injúriæ.

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino; & * Noli oblivíſci retributiónes ejus; qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; qui ſanat omnes infirmitátes tuas. ℣. An divítias bonitátis ejus & longanimitátis cõtémnis? ignóras quóniam benígnitas Dei ad pœniténtiã te addúcit? * Noli oblivíſci. *Pſ.* 102. 2. 3. *Rom.* 2. 4.

Lectio iij. v. 7. *ad* 18.

ODíbilis coram Deo eſt & homínibus ſupérbia: & execrábilis omnis iníquitas géntium. Regnum à gente in gentẽ transfértur propter injuſtítias, & injúrias, & contumélias, & divérſos dolos. Avàro autem nihil eſt ſceléſtius. Quid ſupérbit terra & cinis? Nihil eſt iníquius quàm amáre pecúniã: hic enim & ánimam ſuam venálem habet; quóniam in vita ſua projécit íntima ſua. Omnis potentátus brevis vita. Languor prolíxior gravat médicum. Brevem languórem præcídit médicus: ſic & rex hódie eſt, & cras

moriétur. Cùm enim moriétur homo, hæreditabit ſerpéntes, & beſtias, & vermes. Inítium ſupérbiæ hóminis, apoſtatare à Deo: quóniam ab eo, qui fecit illum, recéſſit cor ejus: quóniam inítium omnis peccáti eſt ſupérbia: qui tenúerit illam, adimplébitur maledíctis, & ſubvértet eum in finē. Proptérea exhonorávit Dóminus convéntus malórum, & deſtrúxit eos uſque in finem. Sedes ducum ſuperborum deſtrúxit Deus, & ſedére fecit mites pro eis.

℟. Tu dominátor virtútis, júdicans das locum in peccátis pœniténtiæ. * Das nobis diſciplínam, ut cùm de nobis judicátur, † Sperémus miſericórdiam tuam. ℣. Dum judicámur, corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur. * Das nobis. Glória. † Sperémus. *Sap.* 12. 18. 19. 22. 1. *Cor.* 11. 32.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Joánnis Chryſoſtomi.

Lectio iv. Hom. 22. in Epiſt. 2. ad Cor. in Moral.

NE tardes convérti ad Dóminum, & ne díffeas de die in diem; neſcis enim quid paritúra ſit ſuperventúra dies. Periculum enim & metus eſt in dilatióne: ſalus verò certa & ſecúra, ſi nulla ſit dilatio. Virtútem igitur cole; ſic enim ſive júvenis hinc abſcédas, tutò abſcédes; ſive ad ſenectútem pervénias, cum ampliſſimis opibus excédes; duplicémque feſtivitátem per omnem vitam habebis, & à vitio ábſtinens, & virtútem ámplexans.

℟. Quámdiu ponam consília in anima mea, dolórem in corde meo per diem? * Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me? réſpice, & exáudi me, Dómine Deus meus. ℣. Vídeo áliam legem in membris meis, repugnántem legi mentis meæ, & captivántem me in lege peccáti. * Uſquequò. *Pſ.* 12. 2. 3. 4. *Rom.* 7. 23.

Lectio v.

NE dicas: Erit tempus: quando convérti licébit; verba enim hæc valdè Deum exáſperant. Cur enim cum ipſe tibi ætérna ſæcula promíſerit, tu, in præſénti vita quæ brevis & momentánea eſt, laboráre non vis; ſed ſic ignávus ac diſſolútus agis, quaſi hâc breviórem áliam quamdam inquiras? Annon eædem quotídie comeſſatiónes? annon eædem menſæ? annon éadem theátra? annon eædem pecúniæ?

℟. Deus meus, confúndor & erubéſco leváre fáciem meam ad te: * Quóniam iniquitátes noſtræ multiplicátæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delícta noſtra crevérunt uſque ad cœlum. ℣. Dómine, miſerere noſtri,

fili David. * Quóniam. 1. *Eſdr. 9. 6. Matth. 20. 30.*

Lectio vj.

Inebriatus es? ventri indulsíſti? rapuíſti? ſiſte jam gradum: verte te in divérſum: confitére Deo grátiam quòd non in médiis peccátis te abripúerit: ne quære áliud tibi prorogari tempus, ut malè operéris. Multi aliis fraudem faciéntes abrépti ſunt, & in manifeſtam damnatiónem abiérunt; time ne idem tibi áccidat. Sed multis, inquis, dedit Deus ſpátium, ut in última ſenéctâ confiteréntur. Quid ígitur? numquid & tibi dabit? Fortáſſe dabit, inquis. Cur dicis, Fortáſſe? Cóntigit aliquoties. Cógita quòd de ánima delíberas; & contrárium étiam pone, ac réputa, & dic: Quid autem, ſi non det? Quid autem ſi det, inquis? Dedit quidem ipſe: verúmtamen hoc illo tútius eſt & utílius.

℟. Salva, Dómine, pópulum tuum, relíquias Iſrael. * Convérte me, & convértar; quia tu Dóminus Deus meus. ℣. Omnia enim poſſibília ſunt apud Deum. * Converte. Glória. * Converte. *Jerem. 31. 7. 18. Marc. 10. 27.*

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 17. v. 11.

In illo témpore; Dum iret Jeſus in Jerúſalem, tranſibat per médiam Samaríam & Galilæam. Et cùm ingrederétur quoddam caſtéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi. Et réliqua.

Homília ſancti Bernárdi Abbatis.

Serm. 27. de Diverſ. contr. vitium ingratitud. n. 5. & 6.

Nonne decem mundáti ſunt? & novem ubi ſunt? Meminíſtis, credo, verba Salvatóris hæc eſſe, novem illórum ingratitúdinem arguéntis. Multos vidémus uſque hódie ſatis importúnè peténtes, quod ſibi deéſſe cognovérunt; ſed paucos ádmodum nóvimus qui dignas ſuper acceptis benefíciis grátias ágere videántur. Nec reprehenſíbile eſt quod inſtánter pétimus; ſed planè petitióni negat efféctum, quòd invenímur ingráti. Et fortè étiam hoc deméntiæ eſſe vidétur, ingrátis negáre quod póſtulant: ne contíngat nobis ut tantò grávius de ingratitúdine judicémur, quantò magis accumulatis benefíciis, ingráti probábimur extitíſſe. Ergo miſericórdiæ res eſt in hac parte ſubtráhere miſericórdiam, quemádmodum iræ & indignatiónis, miſericórdiam exhibére, eam ſanè de qua per Prophétam ipſe Pater miſericordiárum lóquitur, dicens: Miſereámur ímpio, & non diſcet fácere juſtítiam.

℟. Generátio prava quæ non diréxit cor ſuum; * O-

blíti ſunt benefactórum ejus. & mirabílium ejus quæ oſténdit eis. ℣. Nonne decem lepróſi mundáti ſunt? & novem ubi ſunt? * Oblíti ſunt. *Pſ.* 77. 8. 11. *Luc.* 17. 17.

Lectio viij. n. 7. & 8.

Vides non ómnibus prodéſſe quòd à lepra ſæculáris converſatiónis, cujus peccáta manifésta ſunt, emundántur: ſed nonnúllis pejus in occúlto ingratitúdinis ulcus oríri, quod tantò periculóſius ſit, quantò intérius. Et bene Salvátor hinc in Evangélio novem illos ubi ſunt quærit; quóniam longè à peccatóribus ſalus. Sic enim & primum hóminem poſt peccátum ubi ſit, intérrogat; & in judício neſcíre ſeſe profitébitur operários iniquitátis, cùm legámus in Pſalmo: Quóniam novit Dóminus viam juſtórum, & iter impiórum períbit. Felix autem Samaritánus ille, qui cognóvit ſe nihil habére quod non accepíſſet: & idcírco ſervávit depóſitum, & cum gratiárum actióne ad Dóminum eſt revérſus. Felix, qui ad síngula dona grátiæ redit ad eum, in quo eſt plenitúdo ómnium gratiárum; cui, dum nos pro accéptis non ingrátos exhibémus, locum in nobis fácimus grátiæ, ut majóra adhuc recípere mereámur.

℟. Benedícite Deum cœli, & coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobíſcum miſericórdiam ſuam. * Opera Dei reveláre & confitéri honoríficum eſt. ℣. In Chriſto ambuláte, abundántes in illo in gratiárum actióne. * Opera. *Tob.* 12. 6. 7. *Coloſſ.* 2. 6. 7.

Lectio ix.

Felix proínde qui ſe aliení genam réputans, étiam pro mínimis quibúſque benefíciis non mínimas refert grates, gratúitum eſſe non dúbitans, neque diſſímulans, quod aliéno impénditur & ignóto. Nos autem míſeri, cùm in inítio, dum adhuc aliénos nos exiſtimámus, timoráti ſatis, ſatis devóti, & húmiles inveniámur, tam fácilè póſtmodum oblivíſcimur quàm gratúitum ſit quidquid accépimus, & præſuméntes non bene quaſi de familiaritáte Dei, nequáquam advértimus quod mereámur audíre; quóniam inimíci Dómini, doméſtici ejus... Obſecro ítaque, fratres, humiliémur magis ac magis ſub poténti manu Dei, & ab hoc tam máximo, tam nequíſſimo vítio ingratitúdinis longè fíeri ſtudeámus; ut totâ devotióne in gratiárum actióne verſántes conciliémus nobis grátiam Dei noſtri, quæ ſola poteſt ſalváre ánimas noſtras.

℟. Opórtet prævenire ſolem ad benedictiónem tuam, Dómine, & ad ortum lucis te adoráre: * Ingráti enim ſpes tamquam hybernális glácies

tabéſcet, & diſpériet tamquam aqua ſupervácua. ℣. Grátias ágere debémus ſemper Deo, ita ut dignū eſt.* Ingráti. Glória. * Ingráti. *Sap.* 16. 28. 29. 2. *Theſ.* 1. 3.

Ad Bened. *Ant. t.* 5. *a.* Unus ex illis, ut vidit quia mundátus eſt, regréſſus eſt, cum magna voce magníficans Deum. *Luc.* 17. 15.

Oratio.

LArgíre, quæſumus, Dómine, fidélibus tuis indulgéntiam placátus & pacem; ut páriter ab ómnibus mundéntur offénſis, & ſecúrâ, ſempérque mémori tibi mente deſérviant; Per Dóminum, &c.

C A N O N

Ex Concílio Forojuliénſi.

An. 791. *Cap.* 6.

MUndánas dignitátes quas ſæculáres viri vel príncipes terræ exercére ſolent, in venatiónibus ſcílicet, vel in cánticis ſæculáribus, aut in reſolúta & immoderáta lætítia, in lyris & tíbiis & his ſimílibus lúſibus, nullus ſub Eccleſiáſtico Cánone conſtitútus, ob inánis lætítiæ fluxum áudeat faſtu ſupérbiæ túmidus, quándoque præſuméndo ábuti.

Ad. Magnif. *Ant. t.* 4. *e.* Non eſt invéntus qui redíret, & daret glóriam Deo, niſi hic alienígena. *Luc.* 17. 18.

Oratio ut in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. Cap. 11. *v.* 4. *ad medium* 10.

IN veſtítu ne gloriéris unquam, nec in die honóris tui extolláris; quóniam mirabília ópera Altíſſimi ſolíus, & glorióſa, & abſcónſa, & invíſa ópera illíus. Multi tyránni ſedérunt in throno; & inſuſpicábilis portávit diadéma. Multi poténtes oppréſſi ſunt válidè, & glorióſi tráditi ſunt in manus alterórum. Priúſquam intérroges, ne vitúperes quemquam: & cùm interrogáveris, córripe juſtè. Priúſquam áudias, ne reſpóndeas verbum: & in médio ſermónum ne adjícias loqui. De ea re, quæ te non moléſtat, ne certéris: & in judício peccántium ne consíſtas. Fili, ne in multis ſint actus tui: & ſi dives fúeris, non eris immúnis à delicto.

℟. Quia, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 339.

Lectio ij. Cap. 13. *v.* 1. *ad* 8.

QUi tetígerit picem, inquinábitur ab ea: & qui communicáverit ſupérbo, índuet ſupérbiam. Pondus ſuper ſe tollet, qui honeſtióri ſe commúnicat. Et ditióri te ne ſócius fúeris. Quid communicábit cácabus ad ollam? quando enim ſe collíſerint, confringétur. Dives injúſtè egit, & fremet: pauper autem læſus tacébit. Si largítus fúeris, aſſúmet

te : & ſi non habúeris, derelínquet te. Si habes, convívet tecum, & evacuábit te, & ipſe non dolébit ſuper te. Si neceſſarius illi fúeris, ſupplantábit te, & ſubrídens ſpem dabit, narrans tibi bona, & dicet : Quid opus eſt tibi?

℟. Bénedic, *pag.* 339.

Lectio iij. v. 23. *ad* 31.

VEnátio leónis, ónager in erémo : ſic & páſcua dívitum ſunt pauperes. Et ſicut abominátio eſt ſupérbo humílitas : ſic & execrátio dívitis pauper. Dives commótus confirmátur ab amícis ſuis : húmilis autem cùm cecíderit, expellétur & à notis. Díviti decépto multi recuperatóres : locútus eſt ſupérba, & juſtificavérunt illum : húmilis decéptus eſt, inſúper & argúitur : locútus eſt ſensátè, & non eſt datus ei locus. Dives locútus eſt, & omnes tacuérunt, & verbum illíus uſque ad nubes perdúcent. Pauper locútus eſt, & dicunt : Quis eſt hic? & ſi offénderit, ſubvértent illum. Bona eſt ſubſtántia, cui non eſt peccátum in conſciéntia : & nequíſſima paupértas in ore ímpii.

℟. Tu dominátor, *pag.* 340.

CANON

Ex Concílio Coloniénſi.

NEſciat Présbyter domus comeſſatiónes crapulóſas, execrétur compotatiónes illas ad æquáles hauſtus obligatórias ... Bréviter vitet ómnia quæ paſtorálem auctoritátem aut dedécorant aut immínuunt.

FERIA TERTIA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. Cap. 14. *v.* 1. *ad* 8.

BEátus vir qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo, & non eſt ſtimulátus in triſtítia delícti. Felix, qui non hábuit ánimi ſui triſtítiam, & non excidit à ſpe ſua. Viro cúpido & tenáci ſine ratióne eſt ſubſtántia, & hómini lívido ad quid aurum? qui acérvat ex ánimo ſuo injuſtè, áliis cóngregat, & in bonis illíus álius luxuriábitur. Qui ſibi nequam eſt, cui álii bonus erit? & non jucundábitur in bonis ſuis. Qui ſibi ínvidet, nihil eſt illo néquius, & hæc reddítio eſt malítiæ illíus : & ſi bene fécerit, ignoránter, & non volens facit : & in noviſſimo maniféſtat malítiam ſuam.

℟. Quámdiu, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 340.

Lectio ij. v. 9. *ad* 18.

INſatiábilis óculus cúpidi in parte iniquitátis : non ſatiábitur donec conſúmat arefáciens ánimã ſuam. Oculus malus ad mala : & non ſatiábitur pane, ſed índigens & in triſtítia erit ſuper menſam ſuam. Fili, ſi habes, bénefac tecum, & Deo dignas oblatiónes offer. Memor eſto quóniam mors non tar-

dat, & teſtaméntum inferórum; quia demonſtrátum eſt tibi: teſtaméntum enim hujus mundi, morte moriétur. Ante mortem bénefac amico tuo, & ſecúndùm vires tuas expórrigens da páuperi. Non defraudéris à die bono, & partícula boni doni non te prætéreat. Nonne áliis relínques dolóres & labóres tuos in diviſióne ſortis? Da, & áccipe, & juſtífica ánimam tuam. Ante óbitum tuum operáre juſtítiam: quóniam non eſt apud ínferos inveníre cibum.

℟. Deus, *pag.* 340.

Lectio iij. C. 15. *v.* 14. *ad fin.*

DEus ab inítio conſtítuit hóminem, & relíquit illum in manu consilii ſui. Adjécit mandáta & præcépta ſua; ſi volúeris mandáta ſerváre, conſervábunt te, & in perpétuum fidem plácitam fácere. Appóſuit tibi aquam & ignem: ad quod volúeris, pórrige manum tuam. Ante hóminem vita & mors, bonum & malum: quod placúerit ei, dábitur illi: quóniam multa ſapiéntia Dei, & fortis in poténtia, videns omnes ſine intermiſſióne. Oculi Dómini ad timéntes eum, & ipſe agnóſcit omnem óperam hóminis. Némini mandávit impiè ágere, & némini dedit ſpátium peccándi: non enim concupíſcit multitúdinem filiórum infidélium & inutílium.

℟. Salva, *pag.* 341.

CANON

Ex Concílio Turonénſi, *An.* 461. *C.* I.

CUm Laïco abſtinéntia imperétur, ut poſſit oratióni vacans & Deum déprecans exaudíri; quantò magis Sacerdotibus vel Levitis, qui omni moménto paráti eſſe Deo debent in omni mundítia & puritáte, ſecúri, ne aut ſacrifícium offérre, aut baptizáre, ſi id témporis necéſſitas popóſcerit, cogántur.

FERIA QUARTA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. Cap. 21. *v.* 1. *ad* 8.

FIli, peccáſti? non adjícias íterum: ſed & de priſtinis deprecáre ut tibi dimittántur. Quaſi à fácie cólubri fuge peccáta: & ſi accéſſeris ad illa, ſuſcípient te. Dentes leónis, dentes ejus, interficiéntes ánimas hóminum. Quaſi rhomphæa bis acúta omnis iníquitas, plagæ illíus non eſt ſánitas. Objurgátio & injúriæ annullábunt ſubſtántiam: & domus quæ nimis lócuples eſt, annullábitur ſupérbiâ: ſic ſubſtántia ſupérbi eradicábitur. Deprecátio páuperis ex ore uſque ad aures ejus pervéniet, & judícium feſtinatò advéniet illi. Qui odit correptiónem, veſtígium eſt peccatóris: & qui timet Deum, convertétur ad cor ſuum.

℟. Generátio, *ex* 3. *Noct.* I. *Dom. pag.* 341.

Lectio ij, Cap. 22. v. 28. ad finem.

FIdem póſſide cum amíco in paupertáte illíus, ut & in bonis illíus lætéris. In témpore tribulatiónis illíus pérmane illi fidélis, ut & in hæreditáte illíus cohæres ſis. Ante ignem camíni vapor, & fumus ignis inaltátur: ſic & ante ſánguinem maledícta, & contumélia, & minæ. Amícum ſalutáre non confúndar, à fácie illíus non me abſcóndam: & ſi mala mihi evénerint per illum, ſuſtinébo. Omnis qui áudiet, cavébit ſe ab eo. Quis dabit ori meo cuſtódiam, & ſuper lábia mea ſignáculum certum, ut non cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me?

℟. Benedícite, *pag.* 342.

Lectio iij. Cap. 23. v. 25. ad 32.

OMnis homo qui transgréditur lectum ſuum, contémnẽs in ánimam ſuam, & dicens: Quis me videt? ténebræ circúmdant me, & paríetes coopériunt me, & nemo circúmſpicit me: quẽ véreor? delictórum meórum non memorábitur Altíſſimus. Et non intélligit quóniam ómnia videt óculus illíus, quóniam expéllit à ſe timórem Dei hujúſmodi hóminis timor, & óculi hóminum timéntes illum: & non cognóvit quóniam óculi Dómini multò plus lucidióres ſunt ſuper ſolem, circumſpiciéntes omnes vias hóminum, & profúndum abyſſi, & hóminum corda intuéntes in abſcónditas partes. Dómino enim Deo ántequam crearéntur, ómnia ſunt ágnita: ſic & poſt perféctum réſpicit ómnia. Hic in platéis civitátis vindicábitur, & quaſi pullus equínus fugábitur: & ubi non ſperávit, apprehendétur. Et erit dédecus ómnibus, eò quòd non intelléxerit timórem Dómini.

℟. Opórtet, *pag.* 342.

CANON

Ex Concílio Moguntíno.

An. 815. *Cap.* I.

CLérici non vagis óculis, non infræni linguâ, aut petulánti tumidóque geſtu incédant; ſed pudórem & verecúndiam mentis hábitu inceſſúque oſténdant: obſcænitátem étiam verbórum, ſicut & óperum pénitùs execeréntur.

FERIA QUINTA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. Cap. 25. v. 1. ad 9.

IN tribus plácitum eſt ſpirítui meo, quæ ſunt probáta coram Deo & homínibus: Concórdia fratrum, & amor proximórum, & vir & múlier bene ſibi conſentiéntes. Tres ſpécies odívit ánima mea, & ággravor valdè ánimæ illórum: Páuperem ſupérbũ: dívitem mendácem: ſenem fátuum & inſensátum. Quæ in juventúte

tua non congregáſti, quómodo in ſenectúte tua invénies? Quàm ſpecióſum caníriéi judícium, & presbýteris cognóſcere consílium! Quàm ſpecióſa veteránis ſapiéntia, & glorióſis intelléctus, & consílium! Coróna ſenum multa perítia, & glória illórum timor Dei.

℟. Quia, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 339.

Lectio ij. Cap. 28. *v.* 1. *ad* 11.

QUi vindicári vult, à Dómino inveniet vindíctam, & peccáta illíus ſervans ſervábit. Relínque próximo tuo nocénti te: & tunc deprecánti tibi peccáta ſolvéntur. Homo hómini resérvat iram, & à Deo quærit medélam? In hóminem símilem ſibi non habet miſericórdiam, & de peccátis ſuis deprecátur? Ipſe cùm caro ſit, resérvat iram, & propitiatiónem petit à Deo? quis exorábit pro delíctis illíus? Meménto noviſſimórum, & désine inimicári: tabitúdo enim & mors ímminent in mandátis ejus. Memoráre timórem Dei, & non iraſcáris próximo. Memoráre teſtaméntum Altíſſimi, & déſpice ignorántiam próximi. Abſtine te à lite, & mínues peccáta.

℟. Bénedic, *pag.* 339.

Lectio iij. Cap. 31. *v.* 30. *ad* 41.

DIligéntes in vino noli provocáre: multos enim exterminávit vinum. Ignis probat ferrum durum: ſic vinum corda ſuperbórum árguet in ebrietáte potátum. Æqua vita homínibus, vinum in ſobrietáte: ſi bibas illud moderátè, eris ſóbrius. Quæ vita eſt ei, qui minúitur vino? quid defráudat vitam? Mors. Vinum in jucunditátem creátum eſt, & non in ebrietátem, ab inítio. Exultatio ánimæ & cordis, vinum moderátè potátum. Sánitas eſt ánimæ & córpori ſóbrius potus. Vinum multum potátum, irritatiónem, & iram, & ruínas multas facit. Amaritúdo ánimæ vinum multum potátum. Ebrietátis animóſitas, imprudéntis offénſio, minórans virtútem, & fáciens vúlnera.

℟. Tu dominátor, *pag.* 340.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 718. *Lib.* 2. *Cap.* 1.

RArus ſit egréſſus tuus in públicum; crébrius lege; diſce quàm plúrimùm; tenénti códicem ſomnus obrépat, & cadéntem faciem página ſacra ſuſcípiat.

FERIA SEXTA.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. Cap. 32. *v.* 9. *ad* 18.

AUdi tacens, & pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Adoléſcens, lóquere in tua cauſa vix. Si bis interrogátus fúeris, hábeat caput reſpónſum tuum. In

multis eſto quaſi ínſcius, & audi tacens ſimul & quærens. In medio magnatórum non præſúmas: & ubi ſunt ſenes, non multùm loquaris. Ante grandinem præibit corruſcátio: & ante verecúndiam præibit gratia, & pro reverentia accedet tibi bona grátia. Et horâ ſurgéndi non te trices: præcúrre autem prior in domum tuam, & illic avocare, & illic lude, & age conceptiónes tuas, & non in delictis & verbo ſupérbo. Et ſuper his ómnibus benedícito Dominum, qui fecit te, & inebriantem te ab ómnibus bonis ſuis.

℟. Quámdiu, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 340.

Lectio ij. Cap. 33. *v.* 23. *ad* 32.

IN ómnibus opéribus tuis præcéllens eſto. Ne déderis máculam in glória tua. In die conſummatiónis diérum vitæ tuæ, & in témpore éxitûs tui diſtríbue hæreditátem tuam. Cibária, & virga, & onus áſino: panis, & diſciplína, & opus ſervo. Operatur in diſciplína, & quærit requiéſcere: laxa manus illi, & quærit libertátem. Jugum & lorum curvant collum durum, & ſervum inclínant operatiónes aſſíduæ. Servo malévolo tortúra, & compedes, mitte illum in operatiónem, ne vacet: multam enim malitiam dócuit otióſitas. In opera conſtitue eum: ſic enim cóndecet illum. Quòd ſi non obaudíerit, curva illum compédibus, & non amplífices ſuper omnem carnem: verùm ſine judício nihil fácias grave. Si eſt tibi ſervus fidélis, ſit tibi quaſi ánima tua: quaſi fratrem ſic eum tracta: quóniam in ſanguine ánimæ comparáſti illum.

℟. Deus, *pag.* 340.

Lectio iij. Cap. 34. *v.* 1. *ad* 8.

VAna ſpes, & mendácium viro inſensáto: & ſómnia extollunt imprudéntes. Quaſi qui apprehéndit umbram, & perséquitur ventum: ſic & qui atténdit ad viſa mendácia. Hoc ſecúndùm hoc víſio ſomniórum: ante fáciem hóminis ſimilitúdo hóminis. Ab immúndo quid mundabitur? & à mendáce quid verum dicétur? Divinátio errória, & augúria mendacia, & ſómnia malefaciéntium, vánitas eſt. Et ſicut parturiéntis, cor tuum phantáſias pátitur, niſi ab Altiſſimo fúerit emíſſa viſitátio, ne déderis in illis cor tuum: multos enim erráre fecérunt ſómnia, & excidérunt ſperántes in illis.

℟. Salva, *pag.* 341.

CANON

Ex Concílio Lingonénſi. *An.* 1404.

ASſíduè & devótè oráre, ſicut & lectióni perfectè atténdere ſunt ópera Clericórum.

SABBATO.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. Cap. 37. v. 15. ad 24.

CUm viro ſancto aſsíduus eſto, quemcúmque cognóveris obſervántem timórem Dei, cujus ánima eſt ſecúndùm animam tuam: & qui, cùm titubáveris in ténebris, condolébit tibi. Cor boni consilii ſtátue tecum: non eſt enim tibi áliud pluris illo. Anima viri ſancti enúntiat aliquándo vera, quàm ſeptem circumſpectóres ſedéntes in excélſo ad ſpeculándum. Et in his ómnibus deprecáre Altiſſimum, ut dírigat in veritáte viam tuã. Ante ómnia ópera verbum verax præcédat te, & ante omnem actum consilium ſtábile. Verbum nequam immutábit cor: ex quo partes quátuor oriúntur, bonum & malum, vita & mors: & dominátrix illórum eſt aſsídua lingua. Eſt vir aſtutus multórum erudítor, & ánimæ ſuæ inutilis eſt. Vir perítus multos erudívit, & ánimæ ſuæ ſuavis eſt. Qui ſophíſticè lóquitur, odíbilis eſt: in omni re defraudábitur.

Lectio ij. Cap. 41. v. 1. ad 11.

O Mors, quàm amára eſt memória tua, hómini pacem habenti in ſubſtántiis ſuis; viro quiéto, & cujus viæ directæ ſunt in ómnibus, & adhuc valénti accípere cibum! O mors, bonum eſt judícium tuum hómini indigénti, & qui minorátur víribus, defécto ætáte, & cui de ómnibus cura eſt, & incredíbili, qu perdit patiéntiam! Noli metúere judícium mortis. Meménto quæ ante te fuérunt, & quæ ſuperventúra ſunt tibi: hoc judícium à Dómino omni carni; & quid ſupervéniet tibi in beneplácito Altíſſimi? ſive decem, ſive centum, ſive mille anni: non eſt enim in inférno accuſátio vitæ. Fílii abominatiónum fiunt filii peccatórum, & qui conversántur ſecus domos impiórum. Filiórum peccatórum períbit hæréditas, & cum sémine illórum aſſidúitas oppróbrii. De patre ímpio queréntur fílii, quóniam propter illum ſunt in opprobrio.

Lectio iij. v. 11. ad 18.

VÆ vobis, viri ímpii, qui dereliquíſtis legem Dómini Altíſſimi. Et ſi nati fuéritis, in maledictióne naſcémini: & ſi mórtui fuéritis, in maledictióne erit pars veſtra. Omnia, quæ de terra ſunt, in terram converténtur; ſic ímpii à maledícto in perditionem. Luctus hóminum in córpore ipsórum, nomen autem impiórum delebitur. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanébit tibi, quàm mille theſauri pretioſi & magni. Bonæ vitæ númerus diérum: bonum autem nomen permanébit in ævum. Diſciplinam in pace conſervate, fílii.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 112.

CLéricus duas res proféſſus eſt, Sanctitátem & Clericátum ... ſed quis ſápiens, & intélligit hæc?

Ad Magnif. *Ant.* 2. 6. *f.* Numquid conſiderâſti ſervum meum Job, quòd non ſit ei ſímilis in terra, vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo. *Job.* 2. 3.

Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine, regnum tuū & juſtítiam ejus primùm inquírere: & præſta, ut bonis temporálibus, quæ ex benignitáte ſpirituálibus ádjicis, sóbriè & piè utámur; Per, &c.



DOMINICA XIV. poſt Pentecoſten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Job.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 6.

VIr erat in terra Hus, nómine Job, & erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo: natíque ſunt ei ſeptem fílii, & tres fíliæ. Et fuit poſſéſſio ejus, ſeptem míllia óvium, & tria míllia camelórum, quingénta quoque juga boum, & quingéntæ áſinæ, ac família multa nimis: erátque vir ille magnus inter omnes Orientáles. Et ibant fílii ejus, & faciébant convívium per domos, unuſquiſque in die ſuo. Et mittentes vocábant tres ſoróres ſuas, ut comédérent & bíberent cum eis. Cùmque in orbem transíſſent dies convívii, mittebat ad eos Job, & ſanctificábat illos; conſurgénſque dilúculo offerébat holocáuſta pro ſíngulis. Dicébat enim: Ne fortè peccáverint fílii mei, & benedíxerint Deo in córdibus ſuis. Sic faciébat Job cunctis diébus.

℟. Beátus dives, qui invéntus eſt ſine mácula; & qui poſt aurum non ábiit, nec ſperávit in pecúnia & theſáuris. * Qui probátus eſt in illo & perféctus eſt, erit illi glória ætérna. ℣. Divítibus hujus ſæculi præcipe non ſublíme ſápere, neque ſperare in incérto divitiárum, bene ágere, dívites fíeri in bonis opéribus. * Qui probátus eſt. *Eccli. 31. 8. 10. 1. Tim. 6. 17. 18.*

Lectio ij. v. 6. ad 13.

QUádam autem die, cùm veníſſent fílii Dei ut aſſiſterent coram Dómino, ádfuit inter eos étiam ſatan. Cui dixit Dominus: Unde venis? Qui reſpóndens ait: Circuívi terram, & perambulávi eam. Dixítque Dóminus ad eum: Numquid conſiderâſti ſervum meum Job, quòd non ſit ei ſímilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo? Cui reſpóndens ſatan, ait: Numquid Job fruſtrà timet Deum? nonne tu vallâſti eum, ac domum ejus, universámque ſubſtántiam per circúitum? opéribus mánuum ejus benedixíſti, & poſſéſſio ejus crevit in terra? Sed exténde páululùm manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in fáciem benedíxerit tibi. Dixit ergo Dóminus ad ſatan: Ecce univérſa quæ habet, in manu tua ſunt: tantum in eum ne exténdas manum tuam. Egreſſúſque eſt ſatan à fácie Dómini.

℟. Benedíctio peritúri ſuper me veniébat, & cor víduæ conſolátus ſum: juſtítiâ indútus ſum, * Oculus fui cæco, & pes claudo; pater eram páuperum. ℣. Fac-

tus ſum infirmis infirmus: ómnibus ómnia factus ſum. * Oculus. *Job.* 29. 13. 14. 15. 16. 1. *Cor.* 9 22.

Lectio iij. v 13. *ad* 20.

CUm autem quâdam die filii & filiæ ejus coméderent & bíberent vinum in domo fratris ſui primogéniti, núntius venit ad Job, qui díceret: Boves arábant, & áſinæ paſcebántur juxta eos, & irruérunt Sabæi, tulerúntque ómnia, & púeros percuſſérunt gladio, & evaſi ego ſolus ut nuntiárem tibi. Cúmque adhuc ille loquerétur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cécidit è cœlo, & tactas oves pueróſque conſúmpſit, & effúgi ego ſolus ut nuntiárem tibi. Sed & illo adhuc loquénte, venit alius, & dixit: Chaldæi fecérunt tres turmas, & invaſérunt camélos, & tulérunt eos, necnon & púeros percuſſérunt gládio, & ego fugi ſolus ut nuntiárem tibi. Adhuc loquebátur ille, & ecce álius intrávit, & dixit: Filiis tuis & filiábus veſcéntibus & bibéntibus vinum in domo fratris ſui primogéniti, repéntè ventus véhemens írruit à regióne deſérti, & concúſſit quátuor ángulos domûs, quæ córruens oppréſſit líberos tuos, & mortui ſunt; & effúgi ego ſolus ut nuntiárem tibi.

℟. Surréxit Job, & córruens in terram, * Adorávit, & dixit: † Nudus egréſſus ſum de útero matris meæ, & nudus revértar illuc: Dóminus dedit, Dóminus abſtulit: ſit nomen Dómini benedíctum. ℣. Exémplum accípite laboris, & patiéntiæ: ſufferéntiam Job audíſtis. * Adorávit. Glória. † Nudus. *Job.* 1. 20. 21. *Jacob.* 5. 10. 11.

IN II. NOCTURNO.

Ex libris Morálium ſancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. Lib. 2. *Cap.* 18.

SAnctus vir Job, tentánte adverſário, cuncta perdiderat; ſed tamen ſciens, quia contra ſe ſatan tentándi vires, niſi permitténte Dómino, non habébat, non ait: Dóminus dedit, diábolus abſtulit; ſed, Dóminus dedit, Dóminus abſtulit. Fortáſſe enim fúerat doléndum, ſi quod Cónditor déderat, hoſtis abſtuliſſet: at poſtquam non abſtulit niſi ipſe qui dedit, ſua recépit, non noſtra abſtulit. Si enim ab illo accípimus quibus in hac vita útimur, cur doleámus quòd, ipſo judicánte, exſígimur, quo largiénte fœnerámur? Nec aliquándo injuſtus eſt créditor, qui dum præfixo reddéndi témpore non conſtríngitur, quando vult, éxigit quod fœnerátur. Ubi & bene ſubjúngitur: Sicut Dómino plácuit, ita factum eſt. Cùm enim in hac vita ea quæ nólumus pátimur, neceſſe eſt ut ad eum qui injúſtum velle nil poteſt,

ſtúdia noſtræ voluntátis inclinémus.

℟. Scio quòd non juſtificétur homo compóſitus Deo: * Quis reſpondébit ei? vel quis dícere poteſt: Cur ita facis? Deus, ſub quo curvántur qui portant orbem: quantus ſum ego ut reſpóndeam ei? Si juſtificáre me volúero, os meum condemnábit me. ℣. O homo, tu quis es, qui reſpóndeas Deo? Numquid dicit figméntum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? * Quis. *Job.* 9. 2. 12. 13. 14. 20. *Rom.* 9. 20.

Lectio v.

MAgna quippe eſt conſolátio in eo quod díſplicet, quòd illo ordinánte erga nos agátur, cui non niſi juſtum placet: Si ígitur juſta placére Dómino ſcimus, pati autem nulla, niſi quæ Dómino placúerint, póſſumus; juſta ſunt cuncta quæ pátimur, & valdè injúſtum eſt, ſi de juſta paſſióne murmurámus. Sed quia orator fortis quómodo aſſertiónem partis ſuæ contra adverſárium alligávit, audívimus; nunc quómodo in oratiónis ſuæ término júdicem benedicéndo laudet, audiámus. Séquitur: Sit nomen Dómini benedíctum. Ecce omne quod rectum ſenſit, Dómini benedictióne conclúſit: ut hinc adverſárius inſpíciat, & ad pœnam ſuam victus erubéſcat; quia ipſe Dómino cóntumax, étiam in beatitúdine cónditus éxtitit, cui homo hymnum glóriæ, étiam percúſſus dicit.

℟. Ecce qui ſérviunt ei non ſunt ſtábiles, & in ángelis ſuis réperit pravitátem: * Qanto magis hi qui hábitant domos lúteas, qui terrénum habent fundaméntum, conſuméntur velut à tínea? ℣. Deus ángelis peccántibus non pepércit, ſed detráctos in tártarum trádidit cruciándos, in judícium reſervári. * Quantò magis. *Job.* 4. 18. 19. 2. *Petr.* 2. 4.

Lectio vj.

INtuéndum verò eſt quia hoſtis noſter tot nos jáculis pércutit quot tentatiónibus afflígit. Quotídie námque in ácie ſtamus; quotídie tentatiónum ejus tela excípimus. Sed & nos contra illum jácula míttimus, ſi confóſſi tribulatiónibus humília reſpondémus. Beátus ígitur Job percúſſus damno rerum, percúſſus morte filiórum, quia vim dolóris vertit in laudem Conditóris, dicens: Dóminus dedit, Dóminus ábſtulit; ſicut Dómino plácuit, ita factum eſt: ſit nomen Dómini benedíctum: ſupérbum hoſtem humilitáte pércutit, crudélem patiéntiâ ſtravit.

℟. Beátus homo, qui corrípitur à Deo: & increpatiónem Dómini ne réprobes: * Quia ipſe vúlnerat, & me-

détur. ℣. Tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio verò ſpem, ſpes autem non confundit. * Quia ipſe. Glória. * Quia ipſe. *Job.* 5. 17. 18. *Rom.* 5. 3. 4. 5.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 6. v. 24.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Nemo poteſt duóbus dóminis ſervíre: aut enim unum ódio habébit, & álterum díliget; aut unum ſuſtinébit, & álterum contémnet. Non potéſtis Deo ſervíre & mammonæ. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lib. 2. de Serm. Dom. Cap. 14.

NEmo poteſt duóbus dóminis ſervíre. Ad hanc ipſam intentiónem referéndum eſt quod conſequénter expónit, dicens: Aut enim unum ódio habébit, & álterum díliget: aut álterum patiétur, & álterum contémnet. Quæ verba diligénter conſiderénda ſunt; nam, qui ſint duo dómini, deínceps oſténdit, cùm dicit: Non potéſtis Deo ſervíre & mammónæ. Mammóna apud Hebræos divítiæ appellári dicúntur. Cóngruit & Púnicum nomen: nam lucrum Púnicè Mammon dícitur.

℟. Abſit ut relinquámus Dóminum, & ſerviámus diis aliénis: ſerviémus Dómino, quia ipſe eſt Deus noſter. * Deus enim ſanctus, & fortis æmulátor eſt. ℣. Habémus grátiam, per quam ſerviámus placéntes Deo, cum metu & reveréntia. * Deus enim. *Joſué* 24. 16. 18. 19. *Hebr.* 12. 28.

Lectio viij. Cap. 16.

NOlíte ſollíciti eſſe dicéntes: Quid edémus, aut quid bibémus, aut quid veſtiémur? Hic manifeſtíſſimè oſténdit, non hæc eſſe appeténda, tamquam tália bona noſtra, ut propter ipſa debeámus bene fácere ſi quid fácimus, ſed tamen eſſe neceſſária. Quid enim intérſit inter bonum quod appeténdum eſt, & neceſſárium quod ſuméndum eſt, hâc ſenténtiâ declarávit, cùm ait: Quærite primùm regnum Dei, & juſtítiam ejus, & hæc ómnia apponéntur vobis. Regnum ergo & juſtítia Dei bonum noſtrum eſt: & hoc appeténdum, & ibi finis conſtituéndus; propter quod ómnia faciámus, quæcúmque fácimus.

℟. Duo rogávi te, Dómine, ne déneges mihi antequam móriar. Vanitátem, & verba mendácia longè fac à me. Mendicitátem & divítias ne déderis mihi; * Tríbue tantùm víctui meo neceſſária, ne fortè ſatiátus

illíciar ad negándum, & dicam: Quis eſt Dóminus? ℣. Non in abundantia cujúſquam vita ejus eſt, ex his quæ póſſidet. * Tríbue. *Prov.* 30. 7. 8. 9. *Luc.* 12. 15.

Lectio ix.

SEd quia in hac vita militámus, ut ad illud regnum perveníre poſsímus, quæ vita ſine his neceſſáriis agi non poteſt; Apponéntur vobis hæc, inquit; ſed vos regnum Dei & juſtítiam ejus primùm quærite. Cùm enim dixit illud, Primùm, ſignificávit quòd hoc poſteriùs quærendum eſt, non témpore, ſed dignitáte: illud tamquam bonum noſtrum; hoc tamquam neceſſárium noſtrum: neceſſárium autem propter illud bonum. Neque enim, verbi grátiâ, ídeò debémus evangelizáre ut manducémus; ſed ídeò manducáre, ut evangelizémus: nam ſi proptérea evangelizámus, ut manducémus, vílius habémus Evangélium quàm cibum; & erit jam bonum noſtrum in manducándo, neceſſárium autem in evangelizándo.

℟. Quid próderit hómini de univérſo labóre ſuo, & afflictióne ſpíritûs, quâ cruciátus eſt? * Hómini bono dedit Deus lætítiam: peccatóri autem dedit afflictiónem, & curam ſupérfluam, ut addat & congreget: ſed & hoc vánitas eſt, & caſſa ſollicitúdo mentis. ℣. Nolíte ſolliciti eſſe, dicéntes, Quid manducábimus, aut quo operiémur: hæc ómnia gentes inquírunt. * Hómini. Glória. * Hómini. *Eccleſ.* 2. 22. 26. *Matth.* 6. 31. 32.

Ad Bened. *Ant.* 1. 1. *D.* Nemo poteſt duóbus dóminis ſervíre.... Non potéſtis Deo ſervíre & mammonæ. *Matth.* 6. 24.

Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine, regnum tuum & juſtítiam ejus inquírere: & præſta, ut bonis temporálibus, quæ ex benignitáte ſpirituálibus ádjicis, ſóbriè & piè utámur; Per, &c.

CANON

Ex Concílio Moguntíno.

An. 1549. *Can.* 61.

SAnctórum celebritátes in diem Dóminicam incidéntes cenſémus ſubmovéndas, & in Fériam áliquam præcedéntem, vel ſequéntem transferéndas; quo ſanctórum ómnium Dómino ſua conſervétur ſolémnitas, excéptis ſummis Feſtivitátibus.

Ad Magnif. *Ant.* 1. 1. *d.* Quærite primùm regnum Dei, & juſtítiam ejus; & hæc ómnia adjiciéntur vobis. *Matth.* 6. 33.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 1. v. 20. ad finem, & Cap. 2. v. 1. ad 3.

SUrrexit Job, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo cápite córruens in terram, adorávit, & dixit: Nudus egréſſus ſum de útero matris meæ, & nudus revértar illuc: Dóminus dedit, Dóminus abſtulit; ſicut Dómino plácuit, ita factum eſt: ſit nomen Dómini benedíctum. In ómnibus his non peccávit Job lábiis ſuis, neque ſtultum quid contra Deum locútus eſt. Factum eſt autem, cùm quâdam die veníſſent fílii Dei, & ſtarent coram Dómino, veníſſet quoque ſatan inter eos, & ſtaret in conſpéctu ejus; ut díceret Dóminus ad ſatan: Unde venis? Qui reſpóndens ait: Circuívi terram, & perambulávi eam.

℟. Beátus. *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 351.

Lectio ij. v. 3. ad 11.

ET dixit Dóminus ad ſatan: Numquid conſiderâſti ſervum meum Job, quòd non ſit ei ſímilis in terra, vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo, & adhuc rétinens innocéntiam? Tu autem commovíſti me advérsùs eum, ut affl ígerem eum fruſtrà. Cui reſpóndens ſatan, ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro ánima ſua, alióquin mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem; & tunc vidébis quòd in fáciem benedícat tibi. Dixit ergo Dóminus ad ſatan: Ecce in manu tua eſt, verúmtamen ánimam illíus ſerva. Egréſſus igitur ſatan à fácie Dómini, percúſſit Job úlcere péſſimo, à planta pedis uſque ad vérticem ejus: qui teſtâ ſaniem radébat, ſedens in ſterquilínio. Dixit autem illi uxor ſua: Adhuc tu pérmanes in ſimplicitáte tua? bénedic Deo, & mórere. Qui ait ad illam: Quaſi una de ſtultis muliéribus locúta es: ſi bona ſuſcépimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiámus? In ómnibus his non peccávit Job lábiis ſuis.

℟. Benedíctio, *pag.* 351.

Lectio iij. v. 11. ad finem.

IGitur audiéntes tres amíci Job omne malum quod accidíſſet ei, venérunt ſínguli de loco ſuo, Eliphaz Themanítes, & Baldad Suhítes, & Sophar Naamathítes. Condíxerant enim, ut páriter veniéntes, viſitárent eũ, & conſolaréntur. Cùmque elevâſſent procul óculos ſuos, non cognovérunt eum; & exclamántes ploravérunt, ſciſsíſque véſtibus ſparſérunt púlverem ſuper caput ſuum in cœlum. Et ſedérunt cum eo in terra ſeptem diébus & ſeptem nóctibus, & nemo loquebátur ei verbum; vidébant enim dolórem eſſe vehementem.

℟. Surréxit, *pag.* 352.

CANON

Ex Concílio Toletáno.

An. 589. *C.* 23.

EXterminánda eſt omníno irreligióſa conſuetúdo, quam vulgus per Sanctórum ſolemnitátes ágere conſuévit; ut pópuli qui debent divína offícia atténdere, ſaltatiónibus & túrpibus invígilent cánticis, non ſolùm ſibi nocéntes, ſed & Religioſórum officiis obſtrepéntes. Hoc étenim, ut depellátur, Sacerdótum & Júdicum à Concílio ſancto curæ commíttitur.

FERIA TERTIA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 11.

POſt hæc apéruit Job os ſuum: & maledíxit diéi ſuo, & locútus eſt: Péreat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt: Concéptus eſt homo. Dies ille vertátur in ténebras; non requírat eum Deus déſuper, & non illuſtrétur lúmine. Obſcurent eum ténebræ, & umbra mortis; óccupet eum calígo, & involvátur amaritúdine. Noctem illam tenebróſus turbo poſsídeat, non computétur in diebus anni, nec numerétur in ménſibus. Sit nox illa ſolitária, nec laude digna: maledícant ei qui maledícunt diéi, qui paráti ſunt ſuſcitáre Levíathan. Obtenebréntur ſtellæ calígine ejus: expéctet lucem, & non vídeat, nec ortum ſurgéntis auróræ; quia non conclúſit óſtia ventris qui portávit me, nec ábſtulit mala ab óculis meis.

℟. Scio, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 353.

Lectio ij. Cap. 4. *v.* 1. *ad* 10.

REſpóndens autem Eliphaz Themanítes, dixit: Si cœpérimus loqui tibi, fórſitan moléſtè accípies: ſed concéptum ſermónem tenére quis póterit? Ecce docuíſti multos, & manus laſſas roboráſti: vacillántes confirmavérunt ſermónes tui, & génua treméntia confortáſti: nunc autem venit ſuper te plaga, & defecíſti: tétigit te, & conturbátus es. Ubi eſt timor tuus, fortitúdo tua, patiéntia tua, & perféctio viárum tuárum? Recordáre, óbſecro te, quis umquam ínnocens périit? aut quando recti deléti ſunt? Quin pótiùs vidi eos, qui operántur iniquitátem, & séminant dolóres, & métunt eos, flante Deo, periiſſe, & ſpíritu iræ ejus eſſe conſúmptos.

℟. Ecce, *pag.* 353.

Lectio iij. Cap. 6. *v.* 1. *ad* 11.

REſpóndens autem Job, dixit; Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, & calámitas, quam pátior, in ſtatéra. Quaſi aréna maris hæc grávior apparéret: unde & verba mea dolóre ſunt plena; quia ſagíttæ Dómini in me ſunt, quarum indignátio ébibit ſpíritum meum, & ter-

rores Domini mílitant contra me. Numquid rúgiet ónager, cùm habúerit herbam? aut múgiet bos, cùm ante præsépe plenum ſtéterit? aut póterit cómedi insúlſum, quod non eſt ſale condítum? aut poteſt áliquis guſtáre, quod guſtátum affert mortem? Quæ priùs nolébat tángere ánima mea, nunc præ angúſtia, cibi mei ſunt. Quis det, ut véniat petítio mea, & quod expécto, tríbuat mihi Deus? Et qui cœpit, ipſe me conterat: ſólvat manum ſuam, & ſuccídat me? Et hæc mihi ſit conſolátio, ut afflígens me dolóre, non parcat, nec contradícam ſermónibus Sancti.

℣. Beátus, *pag.* 353.

CANON

Ex Concílio Rotomagénſi.

Anno 1581.

CEſſent in Eccléſiis fraternitátum & ſocietátum concília; ceſſent confabulatiónes quælibet: ceſſent vana, & multò pótiùs fœda & profána collóquia: eò nec libri, niſi oratiónis & pietátis ergo, nec ália niſi ſancta inferántur.

FERIA QUARTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 8. v. 1. ad 8.

REſpóndens autem Baldad Suhítes, dixit: Uſquequò loquéris tália, & ſpíritus múltiplex ſermónes oris tui? Numquid Deus ſupplántat judícium? aut Omnípotens ſubvértit quod juſtum eſt? Etiam ſi fílii tui peccavérunt ei, & dimíſit eos in manu iniquitátis ſuæ; ut tamen ſi dilúculo conſurréxeris ad Deum, & Omnipoténtem fúeris deprecátus: ſi mundus & rectus incéſſeris, ſtatim evigilábit ad te, & pacátum reddet habitáculum juſtítiæ tuæ; in tantùm, ut ſi prióra tua fúerint parva, & noviſſima tua multiplicéntur nimis.

℟. Abſit, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 354.

Lectio ij. Cap. 9. v. 1. ad 11.

ET reſpóndens Job, ait: Verè ſcio quòd ita ſit, & quòd non juſtificétur homo compóſitus Deo. Si volúerit conténdere cum eo, non poterit ei reſpondére unum cum mille. Sápiens corde eſt, & fortis róbore: quis réſtitit ei, & pacē hábuit? Qui tránſtulit montes, & neſciérunt hi quos ſubvértit in furóre ſuo. Qui cómmovet terram de loco ſuo, & colúmnæ ejus concutiúntur. Qui præcipit ſoli, & non oritur; & ſtellas claudit quaſi ſub ſignáculo: qui exténdit cœlos ſolus, & gráditur ſuper fluctus maris. Qui facit Arctúrum, & Oriōna, & Hyadas, & interióra Auſtri. Qui facit magna, & incomprehenſibília, & mirabília quorum non eſt númerus.

℟. Duo, *pag.* 354.

Lectio iij. v. 11. *ad* 21.

SI vénerit ad me, non vidébo eum; ſi abíero, non

intélligam. Si repéntè intérroget, quis reſpondébit ei? vel quis dícere poteſt: Cur ita facis? Deus, cujus iræ nemo resíſtere poteſt, & ſub quo curvántur qui portant orbem. Quantus ergo ſum ego, ut reſpóndeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui étiam ſi habúero quíd piam juſtum, non reſpóndébo, ſed meum júdicem deprecábor. Et cùm invocántem exaudíerit me, non credo quòd audíerit vocem meam. In túrbine enim cónteret me, & multiplicábit vúlnera mea étiam ſine cauſa. Non concédit requiéſcere ſpíritum meum, & implet me amaritudínibus. Si fortitúdo quæritur, robuſtíſſimus eſt: ſi æquitas judícii, nemo audet pro me teſtimónium dícere. Si juſtificáre me volúero, os meum condemnábit me: ſi innocéntem oſténdero, právum me comprobábit.

℟. Quid, *pag.* 355.

CANON

Ex Concílio Aquileïénſi.

An. 1596. *Can.* 14.

TEmpus diéi Feſti in audiéndis Conciónibus, Miſſæ ſacro, & divínis Offíciis ponéndum eſt, non in commeſſatiónibus: multò minùs, peráĉto prándio, ad ſaltatiónes & luſus declinándum.

FERIA QUINTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 11. *v.* 1. *ad* 11.

REſpóndens autem Sophar Naamathítes, dixit: Numquid qui multa lóquitur, non & áudiet? aut vir verbóſus juſtificábitur? Tibi ſoli tacébunt hómines? Et cùm cæteros irríſeris, à nullo confutáberis? Dixíſti enim: Purus eſt ſermo meus, & mundus ſum in conſpéĉtu tuo. Atque útinam Deus loquerétur tecum, & aperíret lábia ſua tibi; ut oſténderet tibi ſecréta ſapiéntiæ, & quòd múltiplex eſſet lex ejus, & intellígeres quòd multò minóra exigáris ab eo, quàm merétur iníquitas tua. Forſitan veſtígia Dei comprehéndes, & uſque ad perféĉtum Omnipoténtem repéries? Excélſior cœlo eſt, & quid fácies? Profúndior inférno, & unde cognóſces? Lóngior terrâ menſúra ejus, & látior mari. Si ſubvérterit ómnia, vel in unum coarctáverit, quis contradícet ei?

℟. Beátus, *ex* 2. *Noĉt. Dom. pag.* 351.

Lectio ij. Cap. 12. *v.* 1. *ad* 11.

REſpóndens autem Job, dixit: Ergo vos eſtis ſoli hómines, & vobíſcum moriétur ſapiéntia? Et mihi eſt cor, ſicut & vobis, nec inférior veſtri ſum: quis enim hæc, quæ noſtis, ignórat? Qui deridétur ab amíco ſuo ſicut ego, invocábit Deum, & exáudiet eum: derídétur enim juſti ſimplícitas. Lampas contémpta apud

cogitatiónes dívitum, paráta ad tempus ſtatutum. Abúndant tabernácula prædónum, & audácter próvocant Deum, cúm ipſe déderit ómnia in manus eórum. Nimírum intérroga juménta, & docébunt te: & volatília cœli, & indicábunt tibi Lóquere terræ, & reſpondébit tibi; & narrábunt piſces maris. Quis ignórat quòd ómnia hæc manus Dómini fécerit? In cujus manu ánima omnis viuéntis, & ſpíritus univérſæ carnis hóminis.

℟. Benedíctio, 351.

Lectio iij. Cap. 13. *v.* 6. *ad* 17.

Audíte ergo correptiónem meam, & judícium labiórum meórum atténdite. Numquid Deus índiget veſtro mendácio; ut pro illo loquámini dolos? Numquid fáciem ejus accípitis, & pro Deo judicáre nitímini? Aut placébit ei quem celáre nihil poteſt? Aut decipiétur ut homo, veſtris frauduléntiis? Ipſe vos árguet, quóniam in abſcóndito fáciem ejus accípitis. Statim ut ſe commóverit, turbábit vos; & terror ejus írruet ſuper vos. Memória veſtra comparábitur cíneri, & redigéntur in lutum cervíces veſtræ. Tacéte paulíſper, ut loquar quodcúmque mihi mens ſuggeſſerit. Quare lácero carnes meas déntibus meis, & ánimam meam porto in mánibus meis? Etiámſi occíderit me, in ipſo ſperábo: verúmtamen vias meas in conſpéctu ejus árguam. Et ipſe erit Salvátor meus: non enim véniet in conſpéctu ejus omnis hypócrita.

℟. Surréxit, *pag.* 352.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 25. *de Invoc. Ss.*

Omnis ſuperſtítio in Sanctórum invocatióne, Reliquiárum veneratióne, & imáginum ſacro uſu tollátur; omnis turpis quæſtus eliminétur; omnis dénique laſcívia vitétur; ita ut procáci venuſtáte imagines non pingántur, nec ornéntur; & Sanctórum celebratióne, ac Reliquiárum viſitatióne, hómines ad commeſſatiónes atque ebrietátes non abutántur; quaſi feſti dies in honórem Sanctórum per luxum & laſcíviam agántur.

FERIA SEXTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 32. *v.* 1. *ad* 10.

Omiſérunt autem tres viri iſti reſpondére Job, eò quòd juſtus ſibi viderétur. Et irátus, indignatúſque eſt Eliu fílius Bárachel Buzítes, de cognatióne Ram: irátus eſt autem advérsùm Job, eò quòd juſtum ſe eſſe díceret coram Deo. Porrò advérsùm amícos ejus indignátus eſt, eò quòd non inveniſſent reſponſiónem rationábilem, ſed tantúmmodò condemnáſſent Job. Igitur Eliu expectavit Job loquéntem: eò quòd ſenióres eſſent qui lo-

quebántur. Cùm autem vidíſſet quòd tres reſpondére non potuíſſent, irátus eſt veheménter. Reſpondénſque Eliu fílius Bárachel Buzítes, dixit: Júnior ſum témpore, vos autem antiquióres, idcírcò demíſſo cápite, vétitus ſum vobis indicáre meam ſenténtiam. Sperábam enim quòd ætas prolíxior loquerétur, & annórum multitúdo docéret ſapiéntiam. Sed ut vídeo, ſpíritus eſt in homínibus, & inſpirátio Omnipoténtis dat intelligéntiã. Non ſunt longævi ſapiéntes, nec ſenes intélligunt judícium.

℟. Scio, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 353.

Lectio ij. Cap. 36. v. 1. *ad* 12.

ARdens quoque Eliu, hæc locútus eſt: Súſtine me páululum, & indicábo tibi: adhuc enim hábeo quod pro Deo loquar. Répetam ſciéntiam meam à princípio, & operatórem meum probábo juſtum. Verè enim abſque mendácio ſermónes mei, & perfécta ſciéntia probábitur tibi. Deus poténtes non ábjicit, cùm & ipſe ſit potens. Sed non ſalvat ímpios, & judícium paupéribus tríbuit. Non áuferet à juſto óculos ſuos, & reges in ſólio cóllocat in perpétuum, & illi erigúntur. Et ſi fúerint in caténis, & vinciántur fúnibus paupertátis, indicábit eis ópera eórum, & ſcélera eórum, quia violénti fúerunt. Revelábit quoque aurem eórum, ut corrípiat: & loquétur, ut revertántur ab iniquitáte. Si audíerint, & obſerváverint; complébunt dies ſuos in bono, & annos ſuos in glória.

℟. Ecce, *pag.* 353.

Lectio iij. Cap. 38. *v.* 1. *ad* 12.

REſpóndens autem Dóminus Job de túrbine, dixit: Quis eſt iſte invólvens ſenténtias ſermónibus imperítis? Accínge ſicut vir lumbos tuos: interrogábo te, & reſpónde mihi. Ubi eras quando ponébam fundaménta terræ? Indica mihi, ſi habes intelligéntiam. Quis póſuit menſúras ejus, ſi nôſti? vel quis teténdit ſuper eam líneam? Super quo baſes illíus ſolidátæ ſunt? aut quis demíſit lápidem anguláream ejus, cùm me laudárent ſimul aſtra matutína, & jubilárent omnes fílii Dei? Quis conclúſit óſtiis mare, quando erumpébat quaſi de vulva procédens: cùm pónerem nubem veſtiméntum ejus, & calígine illud quaſi pannis infántiæ obvólverem? Circúmdedi illud términis meis, & póſui vectem, & óſtia, & dixi: Uſque huc vénies, & non procédes ámpliùs, & hîc confrínges tuméntes fluctus tuos.

℟. Beátus, *pag.* 353.

CANON
Ex Concílio Burdigalénſi.
Anno 1583. *Tit.* 6.

MAgiſtrátus omnes pro ſui noſtríque offícii ratióne, quoad poſſumus, adhortamur, ut quod in ipſis máximè ſitum eſt, ſacros dies ac ſolémnes piè ſanctèque celebrári curent; tabérnas aperíri prohíbeant: & quo témpore divínum Offícium explétur, aut Concióṅes habéntur, otióſam & vagam turbam... pœnis propóſitis, rebus ſacris intereſſe propéllant.

SABBATO.
De libro Job.
Lectio j. Cap. 42. *v.* 1. *ad* 9.

REſpóndens autem Job Dómino, dixit: Scio quia ómnia potes, & nulla te latet cogitátio. Quis eſt iſte, qui celat consílium abſque ſciéntia? Ideò inſipiénter locútus ſum, & quæ ultra modum excéderent ſciéntiam meam. Audi, & ego loquar; interrogábo te, & reſpónde mihi. Audítu auris audívi te, nunc autem óculus meus videt te. Idcírco ipſe me reprehéndo, & ago pœniténtiam in favilla & cínere. Poſtquam autem locútus eſt Dóminus verba hæc ad Job, dixit ad Elíphaz Themaníthem: Irátus eſt furor meus in te, & in duos amícos tuos, quóniam non eſtis locúti coram me rectum, ſicut ſervus meus Job. Súmite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem aríetes, & ite ad ſervum meum Job, & offérte holocáuſtum pro vobis: Job autem ſervus meus orábit pro vobis: fáciem ejus ſuſcípiam ut non vobis imputétur ſtultítia, neque enim locúti eſtis ad me recta, ſicut ſervus meus Job.

Lectio ij. v. 9. *ad* 15.

ABiérunt ergo Elíphaz Themanítes, & Baldad Suhítes, & Sophar Naamathítes, & fecérunt ſicut locútus fúerat Dóminus ad eos, & ſuſcépit Dóminus fáciem Job. Dóminus quoque convérſus eſt ad pœniténtiam Job, cùm oráret ille pro amícis ſuis. Et áddidit Dóminus ómnia quæcúmque fúerant Job, duplícia. Venérunt autem ad eum omnes fratres ejus, & univérſæ ſoróres ſuæ, & cuncti qui nóverant eum priùs, & comedérunt cum eo panem in domo ejus: & movérunt ſuper eum caput, & conſoláti ſunt eum ſuper omni malo quod intúlerat Dóminus ſuper eum: & dedérunt ei unuſquíſque ovem unam, &ináurem auream unam.

Lectio iij. v. 12. *uſque ad finem.*

DOminus autem benedíxit noviſſimis Job magis quàm princípio ejus. Et facta ſunt ei quatuórdecim míllia óvium, & ſex míllia camelórum, & mille juga boum, & mille áſinæ. Et fuérunt ei ſeptem fílii, &

tres fíliæ. Et vocávit nomen uníus Diem; & nomen ſecúndæ, Cáſſiam; & nomen tértiæ, Cornuſtíbii. Non ſunt autem invéntæ mulíeres ſpecióſæ ſicut fíliæ Job in univérſa terra: dedítque eis pater ſuus hæreditátem inter fratres eárum. Vixit autem Job poſt hæc, centum quadraginta annis, & vidit fílios ſuos, & fílios filiórum ſuórum uſque ad quartam generatiónem; & mórtuus eſt ſenex, & plenus diérum.

C A N O N

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 25. de Reliq. & Invocat. Sanctorum.

STátuit ſancta Synodus, némini licére ullo in loco, vel Eccléſiâ, étiam quomodólibet exémptâ, ullam inſólitam pónere, vel ponéndam curáre imáginem, niſi ab Epíſcopo approbáta fúerit; nulla étiam admitténda eſſe nova mirácula, nec novas Relíquias recipiéndas, niſi eódem recognoſcénte & approbánte Epíſcopo.

Ad Magnif. *Ant. 2. D* Cóntigit ut Tobías fíeret cæcus: hanc autem tentatiónem ídeò permíſit Dóminus evenire illi, ut pósteris darétur exémplum patiéntiæ ejus, ſicut & ſancti Job. *Tob. 2. 10 11. 12.*

Oratio ut infrà in Laudibus.

DOMINICA XV. poſt Pentecoſten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Tobiæ.

Lectio j. Cap. 1. v 1. ad 9.

TObías ex tribu & civitáte Néphtali quæ eſt in ſuperióribus Galilææ ſupra Naáſſon, poſt viam quæ ducit ad Occidéntem, in ſiníſtro habens civitátem Sephet, cùm captus eſſet in diébus Salmanaſar regis Aſſyriórũ, in captivitáte tamen póſitus, viam veritátis non deséruit; ità ut ómnia, quæ habére póterat, quotídie concaptívis frátribus, qui erant ex ejus génere, impertíret. Cùmque eſſet júnior ómnibus in tribu Néphthali, nihil tamen puerile geſſit in ópere. Dénique cùm irent omnes ad vítulos áureos, quos Jeróboam fécerat rex Iſrael, hic ſolus fugiébat consórtia ómnium; ſed pergébat in Jerúſalem ad templum Dómini, & ibi adorábat Dóminum Deum Iſrael, ómnia primitíva ſua, & décimas ſuas fidéliter ófferens; ita ut in tértio anno proſelytis & ádvenis miniſtráret omnem decimatiónem. Hæc & his ſimília ſecúndùm legem Dei puérulus obſervábat.

℟. Fílii Iſrael, áſpicite quæ fecit nobíſcum Deus, & cum timóre & tremóre confitémini illi. Regémque ſæculórum exaltáte in opéribus veſtris. * ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi. ℣. Qui in hoc ſervit, placet Deo, & probátus eſt homínibus. * Ego. *Tob. 13. 6. 7. Rom. 14. 18.*

Lectio ij. v. 9. ad 15.

CUm verò factus eſſet vir, accépit uxórem Annam de tribu ſua; genuít que ex ea fílium, nomen ſuum impónens ei, quem ab infántia timére Deum dócuit, & abſtinére ab omni peccáto. Igitur, cùm per captivitátem deveníſſet cum uxóre ſua & fílio in civitátem Nínivem cum omni tribu ſua: (cùm omnes éderent ex cibis Gentílium) iſte cuſtodívit ánimam ſuam, & numquam contaminátus eſt in eſcis eórum. Et quóniam memor fuit Dómini in toto corde ſuo, dedit illi Deus grátiam in conſpéctu Salmánaſar regis: & dedit illi poteſtátem quocúmque vellet ire, habens libertátem quæcúmque fácere voluíſſet.

℟. Fílii Sanctórum ſumus, & vitam illam expectámus * Quam Deus datúrus eſt his, qui fidem ſuam numquam mutant ab eo. ℣. Scimus, quóniam ſi terréſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cœlis. * Quia. *Tob.* 2. 18. 2. *Cor.* 5. 1.

Lectio iij. v. 15. ad 21.

PErgébat ergo ad omnes, qui erant in captivitáte, & mónita salútis dabat eis. Cúm autem veníſſet in Rages civitátem Medórum, & ex his, quibus honorátus fúerat à rege, habuíſſet decem talénta argénti: & cùm in multa turba géneris ſui Gabélum egéntem vidéret, qui erat ex tribu ejus, ſub chirógrapho dedit illi memorátum pondus argénti. Poſt multum verò témporis, mórtuo Salmánaſar rege, cùm regnáret Sennácherib fílius ejus pro eo, & fílios Iſrael exóſos habéret in conſpéctu ſuo: Tobías quotídie pergébat per omnem cognatiónem ſuam, & conſolabátur eos, dividebátque unicuíque, prout póterat, de facultátibus ſuis; eſuriéntes alébat, nudíſque veſtiménta præbébat, & mórtuis atque occíſis ſepultúram ſollícitus exhibébat.

℟. Quando orábas cum lácrymis, & ſepeliébas mórtuos, & derelinquébas prándium tuum, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino: & quia accéptus eras Deo: * Necéſſe fuit ut tentátio probáret te. ℣. Ut probátio fídei multo pretióſior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem; * Necéſſe. Glória. Necéſſe. *Tob.* 12. 12. 13. 1. *Petr.* 1. 7.

IN II NOCTURNO.

Ex libro ſancti Ambróſii Epiſcopi, de Tobiâ.

Lectio iv. Cap. 1.

LEcto Prophético libro qui inſcríbitur, Tobías, quamvis plane vobis virtútes ſancti Prophétæ Scriptú-

ra inſinuáverit, tamen compendiário mihi ſermóne, de ejus méritis recenséndis & opéribus, apud vos uténdum árbitror; ut ea quæ Scriptúra hiſtórico more digéſſit látiùs, nos ſtrictiùs comprehendámus, virtútum ejus género, velut quodam breviário colligéntes. Fuit Tobías vir juſtus, miséricors, hoſpitális; & hoc virtútum præditus choro, ſúbiit ærúmnam captivitátis quam ferébat humíliter atque patiénter, commúnem magis injúriam, quàm privátam dolens; nec ſibi virtútum ſuffrágia nihil profuíſſe deplórans, ſed magis eam ſibi contuméliam minórem peccatórum ſuórum prétio illátam arbitrátus. Méruit edíctum, nequis ex filiis captivitátis mortuum ſepultúræ daret.

℟. Juſtus es, Dómine: & ómnia judícia tua juſta ſunt.* Quóniam non obedívimus præcéptis tuis, ídeò tráditi ſumus in captivitátem: & nunc, Dómine, ſecundùm voluntátem tuam fac mecum. ℣. Ob quam cauſam hæc pátior, ſed non confúndor * Quóniam. *Tob.* 3. 2. 4. 6. 2. *Tim.* 1. 12.

Lectio v.

AT ille interdícto non revocabátur magis quàm incitabátur, ne deſérere officium pietátis, mortis metu viderétur; erat enim miſericórdiæ prétium mortis pœna. Talis flagítii depreheńſus reus, vix tandem per amícum pótuit, dirépto património, egénus & exul reſtítui ſuis. Iterum in his verſabátur officiis: & ſi quid aliménti foret, peregrínum cum quo ſúmeret cibum, quærébat. Itaque cùm feſſus à ſepultúræ revertíſſet múnere, appóſitis ſibi edéndi ſubsídiis, miſſo fílio, quærébat conſórtem convívii. Dum convíva accérſitur, nuntiátis inſepúlti còrporis relíquis convívium deſerébat; nec putábat pium ut ipſe cibum ſúmeret, cùm in público corpus jacéret exánime. Hoc illi quotidiánum opus, & magnum.

℟. Audíte, fílii mei, patrem veſtrum: Servíte Dómino in veritáte, & inquírite ut faciátis quæ plácita ſunt illi: * Et fíliis veſtris mandáte ut fáciant juſtítias & eleemóſynas, ut ſint mémores Dei. ℣. Date eleemóſynam: fácite vobis ſácculos, qui non veteráſcunt, theſáurum non deficiéntem in cœlis. * Et fíliis. *Tob.* 14. 10. 11. *Luc*, 12. 33.

Lectio vj. Cap. 2.

TAm ſancto feſſus officio Prophéta, dum requiéſcit juxta paríetem aulæ, cadénte de páſſerum nido ſtércore, albúgine cæcitátem íncidit; nec conquéſtus ingémuit, nec dixit: Hæc merces labórum meórum? Fraudári magis ſe dóluit obſé-

quiórum, quàm oculórum múnere, nec cæcitátem pœnam, ſed impediméntum putábat. Et cùm victum mercéde leváret cónjugis, ne quid furtívum domum ſuam intráret, cavébat. Dénique plus honeſtáti quàm neceſſitáti cónſulens, cui ſua déerant, commodáverat próximo ſuo pecúniam quamdam, quam toto vitæ ſuæ témpore in tanta indigéntia non repopóſcit. Vix ubi ſe feſſum vidit, & depóſitum ſenectúte, inſinuávit fílio, non tam cúpiens commodátum repóſcere, quàm ſollícitus ne fraudáret hæredem. Quòd ígitur commodávit pecúniam & non fœnerávit, juſti ſervávit offícium.

℟. Non eſt in hóminis poteſtáte conſílium tuum, * Dómine; hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita ejus, ſi in probatióne fúerit, coronabitur: † Quia poſt fletum, exultatiónem infúndis. ℣. Beátus vir qui ſuffert tentatiónem, quóniam cum probátus fúerit, accípiet coronam vitæ. * Dómine. Glória. † Quia. *Tob.* 3. 20. 21. 22. *Jac.* 1. 12.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio viij. Cap. 7. v. 11.

IN illo témpore; Ibat Jeſus in civitátem quæ vocátur Naïm; & ibant cum eo diſcípuli ejus, & turba copióſa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matris ſuæ. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 98. de verbis Evangelii aliàs 44. Cap. 4.

VIdeámus quid Chriſtus nos díſcere vóluit in tribus mórtuis quos ſuſcitávit. Reſuſcitávit fíliam mórtuam Archiſynagógi, ad quam ægrotántem petebátur, ut eam de ægritúdine liberáret.... Excitávit & hunc júvenem víduæ fílium, de quo nunc admóniti ſumus, ut hinc iſta quæ ipſe largíri dignátur, cum veſtra charitáte loquerémur. Modò audíſtis quómodo excitátus eſt. Appropinquábat Dominus civitáti: & ecce efferebátur mórtuus jam extra portam. Miſericórdiâ commótus quòd flebat mater vídua, & deſtitúta único fílio, fecit quod audíſtis, dicens: Adoléſcens, tibi dico, Surge Surréxit ille mórtuus, cœpit loqui; & réddidit illum matri ſuæ. Excitávit & Lázarum de ſepúlchro.

℟. Magnus es, Dómine, in ætérnum, & in ómnia ſæcula: quóniam dedúcis ad ínferos & redúcis: * Confitémini Dómino, fílii Iſrael, & in conſpéctu géntium laudáte eum. ℣. Cum eſſémus mórtui peccátis, convivificávit nos Deus in Chriſto, cujus

cujus grátiâ eſtis ſalváti. * Confitémini. *Tob.* 13. 1. 2. 3. *Eph. eſ.* 2. 5.

Lectio viij. Cap. 5.

ISta tria génera mortuórum, ſunt tria génera peccatórum, quos hodieque ſúſcitat Chriſtus. Illa enim mórtua fília Archiſynagógi intùs erat in domo: nondum erat de ſecrétis pariétibus eláta in públicum. Ibi intùs ſuſcitáta eſt, viva paréntibus réddita. Iſte autem jam quidem non in domo, ſed tamen nondum in ſepúlchro; pariétibus elátus erat, terræ mandátus non erat. Qui ſuſcitávit mórtuam nondum elátam, ſuſcitávit mórtuum jam elátum, nondum ſepúltum. Tértium reſtábat, ut & ſepúltum ſuſcitáret: & hoc fecit in Lázaro.

℟. Tuus, Dómine, ſermo ſanat ómnia: * Tu es enim qui vitæ & mortis habes poteſtátem, & dedúcis ad portas mortis, & redúcis. ℣. Beátus & ſolus potens, Rex regum, & Dóminus dominántium. * Tu es enim. *Sap.* 16. 12. 13. 1. *Tim.* 6. 15.

Lectio ix.

SUnt ergo qui peccátum intùs in corde habent, in facto nondum habent.... Alii poſt conſénſum eunt in factum, tamquam efferéntes mórtuum; ut quod latébat in ſecréto, appáreat in público. Numquid jam iſti, quia in factum proceſſérunt, deſperáti ſunt? Nonne & illi júveni dictum eſt: Tibi dico, Surge? Nonne & ille rédditus eſt matri ſuæ? Sic ergo & qui jam fécerit, ſi fortè commónitus & commótus verbo veritátis ad Chriſti vocem reſúrgit, vivus rédditur. Pótuit ad tempus prógredi, in ætérnum períre non pótuit. Qui autem faciéndo quod malum eſt, étiam malâ conſuetúdine ſe ímplicant ut ipſa conſuetúdo mali non eos ſinat vidére quia malum eſt, fiunt defenſóres malórum factórum ſuórum. Tales conſuetúdine malígnâ preſſi, tamquam ſepúlti ſunt.

℟. Qui fáciunt peccátum, & iniquitátem, hoſtes ſunt ánimæ ſuæ. * Convertímini ítaque, peccatóres, & fácite juſtítiam coram Deo: credéntes † Quòd fáciat vobíſcum miſericórdiam ſuam. ℣. Si confiteámur peccáta noſtra, fidélis eſt, & juſtus, ut remíttat nobis peccáta noſtra, & emúndet nos ab omni iniquitate. * Convertímini. Glória. † Quòd fáciat. *Tob.* 12. 10. & 13. 8. 1. *Joan.* 1. 9.

Ad Bened. Ant. 1. 7. C. Resédit qui erat mórtuus, & cœpit loqui; & dedit illum matri ſuæ. *Luc.* 7. 15.

Oratio.

ECcléſiæ tuæ, Dómine, lácrymas & preces benígnus exáudi; ut quæ de ſuórum contriſtátur ſpiritáli morte filiórum, de eorum

ad grátiæ vitam reſurrectióne lætétur; Per, &c.

CANON
Ex Concílio Lateranénſi quarto.

An. 1215. *Can.* 62.

STatúimus ut antíquæ Relíquiæ ámodò extra capſam non oſtendántur: nec exponántur venáles. Prælati verò non permíttant illos qui ad eórũ Ecclẽſias, cauſâ veneratiónis, accédunt, vanis figméntis, aut falſis décipi documéntis.

Ad Magnif. *Ant. ſ. 6. f.* Accépit omnes timor; & magnificábant Deum, dicéntes: Quia Prophéta magnus ſurréxit in nobis. *Luc.* 7. 16.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.
De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 8.

POſt hæc verò, cùm eſſet dies feſtus Dómini, & factum eſſet prándium bónum in domo Tobíæ, dixit fílio ſuo: Vade, & adduc áliquos de tribu noſtra, timéntes Deum, ut epuléntur nobíſcum. Cùmque abiíſſet, revérſus nuntiávit ei unum ex fíliis Iſrael jugulátum jacére in platéa. Statímque exiliens de accúbitu ſuo, relínquens prándium, jejúnus pervénit ad corpus; tollénsque illud portávit ad domũ ſuam occúltè, ut, dum ſol occubuíſſet, cautè ſepelíret eum. Cùmque occultâſſet corpus, manducávit panem cum luctu & tremóre, mémorans illum ſermónem, quem dixit Dóminus per Amos Prophétam: Dies feſti veſtri converténtur in lamentatiónem & luctũ. Cùm verò ſol occubuíſſet, ábiit, & ſepelívit eum.

℞. Fílii Iſrael, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 363.

Lectio ij. v. 8. *ad* 13.

ARguébant autem eum omnes próximi ejus, dicéntes: Jam hujus rei causâ intérfici juſſus es, & vix effugíſti mortis impérium, & íterum ſépelis mórtuos? Sed Tobías, plus timens Deum, quàm regem, rapiébat córpora occiſórum, & occultábat in domo ſua, & médiis nóctibus ſepeliébat eá. Cóntigit autem ut quâdam die fatigátus à ſepultúra, véniens in domum ſuam, jactâſſet ſe juxta paríetem, & obdormîſſet: & ex nido hirúndinum dormiénti illi cálida ſtércora incíderent ſuper óculos ejus, fierétque cæcus. Hanc autem tentatiónem ídeò permíſit Dóminus evenire illi, ut póſteris darétur exémplum patiéntiæ ejus, ſicut & ſancti Job.

℞. Fílii ſanctórum, *pag.* 364.

Lectio iij. v. 15. *ad finem.*

NAm ſicut beáto Job inſultábant reges, ita iſti paréntes & cognáti ejus irridébant vitam ejus, dicéntes:

Ubi eſt ſpes tua, pro qua eleemóſynas & ſepultúras faciébas? Tobías verò increpábat eos, dicens: Nolíte ita loqui: quóniam fílii ſanctórum ſumus, & vitam illam expectámus, quam Deus datúrus eſt eis, qui fidem ſuam numquam mutant ab eo. Anna verò uxor ejus ibat ad opus textrínum quotídie, & de labóre mánuum ſuárum victum, quem cónſequi póterat, deferébat. Unde factum eſt, ut hœdum caprárum accípiens detuliſſet domi; cujus cùm vocem balántis vir ejus audíſſet, dixit: Vidéte, ne fortè furtívus ſit; réddite eum dóminis ſuis; quia non licet nobis aut édere ex furto áliquid, aut contíngere. Ad hæc uxor ejus iráta, reſpóndit: Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua, & eleemóſynæ tuæ modò apparuérunt. Atque his & áliis hujuſcémodi verbis exprobrábat ei.

℟. Quando, *pag.* 364.

CANON

Ex Concílio Ravennénſi.

Ann. 1311. *Can.* 5.

Sanctórum Relíquiæ de quibus nulla certitúdo poteſt habéri, in altáribus, vel álibi, ſicut viſum fúerit, recondántur; nec de cætero pópulis exponántur.

FERIA TERTIA.

De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 7.

Tunc Tobías ingémuit, & cœpit oráre cum lácrymis, dicens: Juſtus es, Dómine, & ómnia judícia tua juſta ſunt, & omnes viæ tuæ, miſericórdia, & véritas, & judícium. Et nunc, Dómine, memor eſto mei, & ne vindíctam ſumas de peccátis meis, neque reminiſcáris delícta mea, vel paréntum meórum. Quóniam non obedívimus præcéptis tuis, ídeò tráditi ſumus in direptiónem, & captivitátem, & mortem, & in fábulam, & in impropérium ómnibus natiónibus, in quibus diſperſíſti nos. Et nunc, Dómine, magna judícia tua, quia non égimus ſecúndùm præcépta tua: & non ambulávimus ſincériter coram te. Et nunc, Dómine, ſecúndùm voluntátem tuam fac mecum, & præcipe in pace récipi ſpíritum meum: éxpedit enim mihi mori magis quàm vívere.

℟. Juſtus, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 365.

Lectio ij. Cap. 4. *v.* 1. *ad* 8.

Igitur cùm Tobías putáret oratiónem ſuam exaudíri, ut mori potuíſſet, vocávit ad ſe Tobíam fílium ſuum, dixítque ei: Audi, fili mi, verba oris mei, & ea in corde tuo quaſi fundaméntum cónſtrue. Cùm accéperit Deus ánimam meam, corpus meum ſépeli; & honórem habébis matri tuæ ómnibus diébus vitæ ejus: memor enim eſſe debes, quæ & quanta perícula paſſa ſit propter

te in útero ſuo. Cùm autem & ipſa compléverit tempus vitæ ſuæ, ſepélias eam circa me. Omnibus autem diébus vitæ tuæ in mente habéto Deum; & cave ne aliquándo peccáto conſéntias, & prætermíttas præcépta Dómini Dei noſtri. Ex ſubſtántia tua fac eleemóſynam, & noli avértere fáciem tuam ab ullo páupere: ita enim fiet, ut nec à te avertátur fácies Dómini.

℟. Audíte, *pag.* 365.

Lectio iij. v. 16. *ad finem.*

QUod ab álio óderis fíeri tibi, vide ne tu aliquándo álteri fácias. Panem tuum cum eſuriéntibus & egénis cómede, & de veſtiméntis tuis nudos tege. Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepultúrã juſti conſtítue, & noli ex eo manducáre & bíbere cum peccatóribus. Consílium ſemper à ſapiénte perquíre. Omni témpore bénedic Deum; & pete ab eo, ut vias tuas dírigat, & ómnia consília tua in ipſo permáneant. Indico étiam tibi, fili mi, dedíſſe me decem talénta argénti, dum adhuc infántulus eſſes, Gabélo, in Rages civitáte Medórum, & chirógrahum ejus apud me hábeo; & ídeò perquíre quómodo ad eum pervénias, & recípias ab eo ſuprà memorátum pondus argénti, & reſtítuas ei chirógraphum ſuum. Noli timére, fili mi; páuperem quidem vitam gérimus, ſed multa bona habébimus, ſi timuérimus Deum, & receſſérimus ab omni peccáto, & fecérimus bene.

℟. Non eſt, *pag.* 366.

C A N O N

Ex Concílio Reménſi.

An. 1583. *num.* 3.

PAuperes, quibus ádeò ténues fuére facultátes, ut própriis impénſis humári néqueant, gratìs & honéſtè tamen ſepéliant Parœci; alióqui pœnas arbitrárias exſolutúri.

FERIA QUARTA.

De libro Tobiæ.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 9.

TUnc reſpóndit Tobías patri ſuo, & dixit: Omnia quæcúmque præcepíſti mihi, fáciam, pater. Quómodo autem pecúniam hanc requíram, ignóro. Ille me neſcit, & ego eum ignóro: quod ſignum dabo ei? Sed neque viam per quam pergátur illuc, aliquándo cognóvi. Tunc pater ſuus reſpóndit illi, & dixit: Chirógraphũ quidem illíus penes me hábeo: quod dum illi oſténderis, ſtatim reſtítuet. Sed perge nunc, & inquíre tibi áliquem fidélem virum, qui eat tecum, ſalvâ mercéde ſuâ: ut, dum adhuc vivo, recípias eam. Tunc egréſſus Tobías, invénit júvenem ſpléndidum, ſtantem præcínctum, & quaſi parátum ad ambulándum. Et ignórans quòd Angelus Dei eſſet, ſalutávit eum, & dixit: Unde te

habémus, bone júvenis? At ille reſpóndit: Ex fíliis Iſrael. Et Tobías dixit ei: Nôſti viam quæ ducit in regiónem Medórum? Cui reſpóndit: Novi; & ómnia itínera ejus frequénter ambulávi, & manſi apud Gabélum fratrem noſtrum, qui morátur in Rages civitáte Medórum, quæ póſita eſt in monte Ecbátanis.

℟. Magnus, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 366.

Lectio ij. Cap. 6. *v.* 1. *ad* 10.

PRofectus eſt autem Tobías, & canis ſecútus eſt eum, & manſit primâ manſióne juxta flúvium Tigris. & exívit ut laváret pedes ſuos; & ecce piſcis immánis exívit ad devorándum eum. Quem expavéſcens Tobías, clamávit voce magnâ, dicens: Dómine, invádit me. Et dixit ei Angelus: Apprehénde bránchiam ejus, & trahe eum ad te. Quod cùm feciſſet, attráxit eum in ſiccum, & palpitáre cœpit ante pedes ejus. Tunc dixit ei Angelus: Exéntera hunc piſcem; & cor ejus, & fel, & jecur repóne tibi; ſunt enim hæc neceſſária ad medicaménta utíliter. Quod cùm feciſſet, aſſávit carnes ejus, & ſecum tulérunt in via; cætera ſaliérunt, quæ ſufficerent eis, quoúſque perveniírent in Rages civitáte Medórum. Tunc interrogávit Tobías Angelum, & dixit ei: Obſecro te, Azaría frater, ut dicas mihi, quod remédium habébunt iſta, quæ de piſce ſerváre juſsíſti? Et reſpóndens Angelus, dixit: Cordis ejus partículam ſi ſuper carbónes ponas, fumus ejus extrícat omne genus dæmoniórum, ſive à viro, ſive à mulíere, ita ut ultrà non accédat ad eos. Et fel valet ad ungéndos óculos, in quibus fúerit albúgo, & ſanabúntur.

℟. Tuus, *pag.* 367.

Lectio iij. v. 10. *ad* 18.

ET dixit ei Tobías: Ubi vis ut maneámus? Reſpondénſque Angelus, ait: Eſt hîc Ráguel nómine, vir propínquus de tribu tua, & hic habet fíliam nómine Saram; ſed neque máſculum, neque fœminam ullam habet áliam præter eam. Tibi debétur omnis ſubſtántia ejus, & opórtet eam te accípere cónjugem. Pete ergo eam à patre ejus, & dabit tibi eam in uxórem. Tunc reſpóndit Tobías, & dixit: Audio quia trádita eſt ſeptem viris, & mórtui ſunt: ſed & hoc audívi, quia dæmónium occídit illos. Tímeo ergo, ne fortè & mihi hæc evéniant; & cùm ſim únicus paréntibus meis, depónam ſenectútem illórum cum triſtítia ad ínferos. Tunc Angelus Ráphael dixit ei: Audi me, & oſténdam tibi qui ſunt, quibus prævalére poteſt dæmónium. Hi namque qui conjúgium ita ſuſcípiunt, ut Deum à ſe & à ſua mente

excludant, & ſuæ libídini ita vacent, ſicut equus & mulus quibus non eſt intelléctus: habet poteſtátem dæmónium ſuper eos.

℟. Qui fáciunt, *pag.* 367.

CANON
Ex Concílio Reménſi.

Anno 1583. *Tit. de Sepult. Num.* 1. & 2.

PAroeci in hanc Offícii ſui partem diligénter incúmbant, ut piórum fúnera Chriſtiánæ ſimplicitátis ac modéſtiæ límites non excédant. Id autem fiet, ſi ipſi primùm mercéde conſuetâ & honéſtâ conténti, deínde ſupérfluas expénſas, quæ propter ambitiónem & faſtum fiunt, vel hærédibus relínqui, vel paupéribus erogári ſuádeant.

FERIA QUINTA.

De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 1. *ad* 11.

INgréſſi ſunt ad Raguélem; & ſuſcépit eos Ráguel cum gáudio. Intuénſque Tobíam Ráguel, dixit Annæ uxóri ſuæ: Quàm símilis eſt júvenis iſte conſobríno meo! Et cùm hæc dixíſſet, ait: Unde eſtis, júvenes fratres noſtri? At illi dixérunt: Ex tribu Néphthali ſumus, ex captivitáte Nínive. Dixítque illis Ráguel: Nôſtis Tobíam fratrem meum? Qui dixérunt: Nóvimus. Cùmque multa bona loquerétur de eo, dixit Angelus ad Raguélem: Tobías, de quo intérrogas, pater iſtíus eſt. Et miſit ſe Ráguel, & cum lácrymis oſculátus eſt eum; & plorans ſupra collum ejus, dixit: Benedíctio ſit tibi, fili mi, quia boni & óptimi viri fílius es. Et Anna uxor ejus, & Sara ipſórum fília, lacrymátæ ſunt. Poſtquam autem locúti ſunt, præcépit Ráguel occídi aríetem, & parári convívium. Cùmque hortarétur eos diſcúmbere ad prándium, Tobías dixit: Hîc ego hódie non manducábo, neque bibam, niſi priùs petitiónem meam confírmes, & promíttas mihi dare Saram fíliam tuam.

℟. Fílii Iſrael, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 363.

Lectio ij. v. 13. *ad finem.*

TUnc dixit Ráguel: Non dúbito quòd Deus preces & lácrymas meas in conſpéctu ſuo admíſerit: & credo quóniam ideò fecit vos veníre ad me, ut iſta conjungerétur cognatióni ſuæ ſecúndùm legem Móyſi: & nunc noli dúbium gérere, quòd tibi eam tradam. Et apprehéndens déxteram fíliæ ſuæ, déxteræ Tobíæ trádidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob vobíſcum ſit, & ipſe conjúngat vos, impleátque benedictiónem ſuam in vobis. Et accéptâ chartâ, fecérunt conſcriptiónem conjúgii. Et poſt hæc epuláti ſunt, benedicéntes Deum. Voca-

viſque Ráguel ad ſe Annam uxórem ſuam, & præcépit ei ut præparáret álterum cubículum. Et introdúxit illuc Saram fíliam ſuam, & lacrymáta eſt. Dixítque ei: Forti ánimo eſto, fília mea: Dóminus cœli det tibi gáudium præ tædio quod perpéſſa es.

℟. Fílii ſanctórum, p. 364.

Lectio iij. Cap. 8. v. 4. ad 11.

TUnc hortátus eſt vírginem Tobías, dixítque ei: Sara, exúrge, & deprecémur Deum hódie, & cras, & ſecundum cras; quia his tribus nóctibus Deo júngimur: tértiâ autem tranſáctâ nocte, in noſtro érimus conjúgio: filii quippe ſanctórum ſumus, & non póſſumus ita conjúngi, ſicut gentes quæ ignórant Deum. Surgéntes autem páriter, inſtánter orábant ambo ſimul, ut ſánitas darétur eis. Dixítque Tobías: Dómine Deus patrum noſtrórum, benedícant te cœli & terræ, mareque & fontes, & flúmina, & omnes creatúræ tuæ quæ in eis ſunt. Tu feciſti Adam de limo terræ, dediſtíque ei adjutórium Evam. Et nunc, Dómine, tu ſcis, quia non luxúriæ causâ accípio ſorórem meam cónjugem, ſed ſolâ poſteritátis dilectióne, in qua benedicátur nomen tuũ in ſæcula ſæculórum. Dixit quóque Sara: Miſerére nobis, Dómine, miſerére nobis, & conſeneſcámus ambo páriter ſani.

℟. Quando, pag. 364.

CANON

Ex Concílio Coloniénſi, *An.* 1536. *Part.* 7. *C.* 29.

CAvénda ſummópere poſt exéquias delicáta convívia, crápulæ, ac commeſſatiónes, ne Deus placándus magis irritétur.

FERIA SEXTA.

De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap. 9. v. 1. ad 8.

TUnc vocávit Tobías Angelum ad ſe, quem quidem hóminem exiſtimábat, dixítque ei: Azária frater, peto ut auſcúltes verba mea. Si meípſum tradam tibi ſervum, non ego condígnus providéntiæ tuæ. Tamen óbſecro te, ut aſſúmas tibi animália ſive ſervítia, & vadas ad Gabélum in Rages civitátem Medórum; reddáſque ei chirógraphum ſuum, & recípias ab eo pecúniam, & roges eum veníre ad núptias meas. Scis enim ipſe quóniam númerat pater meus dies; & ſi tardávero unâ die plus, contriſtátur ánima ejus. Et certè vides quómodo adjurávit me Ráguel, cujus adjuraméntum ſpérnere non poſſum. Tunc Ráphael aſſúmens quátuor ex ſervis Ráguélis, & duos camélos, in Rages civitátem Medórum perréxit: & invéniens Gabélum, réddidit ei chirógraphum ſuum, & recépit ab eo omnem pecúniam. Indicavítque ei de Tobía fílio Tobíæ, ómnia quæ geſta,

ſunt; fecítque eum ſecum veníre ad núptias..

℟. Juſtus, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 365.

Lectio ij. Cap. 10. *v.* 1. *ad* 7.

CUm vero moras fáceret Tobías, causâ nuptiárum, ſollícitus erat pater ejus Tobías, dicens: Putas quare morátur fílius meus, aut quare deténtus eſt ibi? Putáſne Gabélus mórtuus eſt, & nemo reddet illi pecúniam? Cœpit autem contriſtári nimis ipſe, & Anna uxor ejus cum eo; & cœpérunt ambo ſimul flere, eò quòd die ſtatúto mínimè reverterétur fílius eórum ad eos. Flebat ígitur mater ejus irremediabílibus lácrymis, atque dicébat: Heu, heu me, fili mi, ut quid te mísimus peregrinári, lumen oculórum noſtrórum, báculum ſenectútis noſtræ, ſolátium vitæ noſtræ, ſpem poſteritátis noſtræ? Omnia ſimul in te uno habéntes, te non debúimus dimíttere à nobis. Cui dicébat Tobías: Tace, & noli turbári, ſanus eſt fílius noſter: ſatis fidélis eſt vir ille cum quo mísimus eum.

℟. Audite, *pag.* 365.

Lectio iij. Cap. 11. *v.* 5. *ad* 16.

ANna autem ſedébat ſecus viam quotídie in ſupercílio montis, unde reſpícere póterat de longínquo. Et dum ex eódem loco ſpecularétur advéntum ejus, vidit à longè, & illícò agnóvit veniéntem fílium ſuum; curréńſque nuntiávit viro ſuo, dicens: Ecce venit fílius tuus. Dixítque Ráphael ad Tobíam: At ubi introíeris domum tuam, ſtatim adóra Dóminum Deum tuum; & grátias agens ei, accéde ad patrem tuum, & oſculáre eum. Statímque lini ſuper óculos ejus ex felle iſto piſcis quod portas tecum: ſcias enim quóniam mox aperiéntur óculi ejus; & vidébit pater tuus lumen cœli, & in aſpectu tuo gaudébit. Tunc præcucúrrit canis qui ſimul fúerat in via; & quaſi núntius advéniens, blandiménto ſuæ caudæ gaudébat. Et conſúrgens cæcus pater ejus, cœpit offéndens pédibus cúrrere; & datâ manu púero, occúrrit óbviàm fílio ſuo: & ſuſcípiens oſculatus eſt eum cum uxóre ſua, & cœpérunt ambo flere præ gáudio. Cùmque adoráſſent Deum, & grátias egíſſent, conſedérunt. Tunc ſumens Tobías de felle piſcis, linívit óculos patris ſui. Et ſuſtinuit quaſi dimídiam ferè horam: & cœpit albúgo ex óculis ejus, quaſi membrána ovi, égredi: quam apprehéndens Tobías traxit ab óculis ejus, ſtatímque viſum recépit.

℟. Non eſt, *pag.* 366.

CANON

Ex Concílio Narbonénſi.

Anno 1509. *Cap* 24.

INtra Eccleſiam, & máximè prope altare, non ita

ſácilè admittántur ſepeliéndi, ſed illi tantùm, quos aut dígnitas Eccleſiáſtica, aut nóbilis proſápia, aut virtútis laudábilis ſplendor commendârint: quòd ſi ſepúlchra intra Eccléſiam conſtrúxerint, ſuper ſoli planítiem non attollántur.

SABBATO.

De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap. 12. v. 1. ad 6.

TUnc vocávit ad ſe Tobías fílium ſuum; dixítque ei: Quid póſſumus dare viro illi ſancto, qui venit tecum? Reſpóndens Tobías, dixit patri ſuo: Pater, quam mercédem dábimus ei? aut quid dignum póterit eſſe benefíciis ejus? Me duxit & redúxit ſanum, pecúniam à Gabélo ipſe recépit, uxórem ipſe me habére fecit, & dæmónium ab ea ipſe compéſcuit, gáudium paréntibus ejus fecit, meípſum à devoratióne piſcis erípuit, te quoque vidére fecit lumen cœli, & bonis ómnibus per eum repléti ſumus. Quid illi ad hæc potérimus dignum dare? Sed peto te, pater mi, ut roges eum, ſi fortè dignábitur medietátem de ómnibus quæ alláta ſunt, ſibi aſſúmere. Et vocántes eum, pater ſcilícet & fílius, tulérunt eum in partem, & rogáre cœpérunt, ut dignarétur dimídiam partem ómnium, quæ attúlerant, accéptam habére.

Lectio ij. v. 11. ad 21.

TUnc dixit eis occúltè: Manifésto vobis veritátem, & non abſcóndam à vobis occúltum ſermónem. Quando orábas cum lácrymis, & ſepeliébas mórtuos, & derelinquébas prándium tuum, & mórtuos abſcondébas per diem in domo tua, & nocte ſepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necéſſe fuit ut tentátio probáret te. Et nunc miſit me Dóminus ut curárem te, & Saram uxórem fílii tui à dæmónio liberárem. Ego enim ſum Ráphael Angelus, unus ex ſeptem, qui aſtámus ante Dóminum. Cùmque hæc audîſſent, turbáti ſunt, & treméntes cecidérunt ſuper terram in fáciē ſuam. Dixítque eis Angelus: Pax vobis, nolíte timére. Etenim cùm eſſem vobíſcum, per voluntátem Dei eram; ipſum benedícite, & cantáte illi. Vidébar quidem vobíſcum manducáre, & bíbere; ſed ego cibo inviſíbili & potu, qui ab homínibus vidéri non poteſt, utor. Tempus eſt ergo ut revértar ad eum qui me miſit.

Lectio iij. Cap. 14. v. 5. ad 15.

IN hora autem mortis ſuæ vocávit ad ſe Tobíam fílium ſuum, & ſeptem júvenes fílios ejus nepótes ſuos, dixítque eis: Propè erit intéritus Nínive; non enim ex-

cidit verbum Dómini: & fratres noſtri qui dipérſi ſunt à terra Iſrael, reverténtur ad eam. Omnis autem deſérta terra ejus replébitur; & domus Dei, quæ in ea incénſa eſt, iterum reædificabitur; ibíque reverténtur omnes timéntes Deum, & relínquent gentes idola ſua, & vénient in Jerúſalem, & inhabitábunt in ea; & gaudébunt in ea omnes reges terræ, adorántes regem Iſrael. Audíte ergo, filii mei, patrem veſtrum: Servíte Dómino in veritáte, & inquírite ut faciátis quæ plácita ſunt illi; & fíliis veſtris mandáte, ut fáciant juſtítias & eleemóſynas, ut ſint mémores Dei, & benedícant eum in omni témpore in veritáte, & in tota virtúte ſua. Nunc ergo, fílii, audíte me, & nolíte manére hic; ſed quàcúmque die ſepeliéritis matrem veſtram circa me in uno ſepúlchro, ex eo dirígite greſſus veſtros ut exeátis hinc: vídeo enim quia iníquitas ejus finem dabit ei. Factum eſt autem poſt óbitum matris ſuæ, Tobías abſcéſſit ex Nínive cum uxóre ſua, & fíliis, & filiórum fíliis, & revérſus eſt ad ſóceros ſuos.

CANON

Ex Concílio Mediolanénſi quarto.

An. 1576. *Part.* 6. *Tit.* 14.

Coemetéria, ut muro vel áliàs tutè úndique ſepiántur, & eórum ingréſſus béſtiis occludátur, curet Epíſcopus diligénter, in eórum médio Crux fírmiter erécta ſit.

Ad Magnif. *Ant. t.* 2. *D.* Venit Aſſur in multitúdine fortitúdinis ſuæ. Dóminus autē omnípotens trádidit eū in manus fœminæ, & confódit eum. *Judith.* 16. 5. 7.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XVI. poſt Pentecoſten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Judith.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 6.

Arphaxad, rex Medórum, ſubjugáverat multas gentes império ſuo; & ipſe ædificávit civitátem potentíſſimam, quam appellávit Ecbátanis, ex lapídibus quadrátis & ſectis: fecit muros ejus in latitúdinem cubitórum ſeptuagínta, & in altitúdinem cubitórum trigínta, turres verò ejus póſuit in altitúdinē cubitórum centum. Per quadrum verò eárum latus utrùmque vicenórum pedum ſpátio tendebátur; poſuítque portas ejus in altitúdinem túrrium: & gloriabátur quaſi potens in poténtia exércitûs ſui, & in glória quadrigarū ſuárum. Anno ígitur duodécimo regni ſui, Nabuchodónoſor rex Aſſyriórum, qui regnábat in Nínive civitáte magna, pugnávit contra Arphaxad, & obtínuit eum.

℟. Dómine, qui confídunt in multitúdine ſua, &

in cúrribus ſuis, & in ſagíttis ſuis gloriántur, * Néſciunt quia tu ipſe es Deus noſter, qui cónteris bella ab inítio, & Dóminus nomen eſt tibi. ℣. Evanuérunt in cogitatiónibus ſuis, & obſcurátum eſt insípiens cor eórum. * Néſciunt. *Judith.* 9. 9. 10. *Rom.* 1. 21.

Lectio ij. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 7.

ANno tértio décimo Nabuchodónoſor regis, vigéſimâ & ſecúndâ die menſis primi, factum eſt verbum in domo Nabuchodónoſor regis Aſſyriórum, ut defénderet ſe. Vocavítque omnes majóres natu, omnéſque duces, & bellatóres ſuos, & hábuit cum eis myſtérium consílii ſui: dixítque cogitatiónem ſuam in eo eſſe, ut omnem terram ſuo ſubjugáret império. Quod dictum cùm placuíſſet ómnibus, vocávit Nabuchodónoſor rex Holoférnem príncipem milítiæ ſuæ, & dixit ei: Egrédere advérsùs omne regnum Occidéntis, & contra eos præcípuè qui contempſérunt impérium meum. Non parcet óculus tuus ulli regno, omnémque urbem munítam ſubjugábis mihi.

℟. Non in multitúdine eſt virtus tua, Dómine, nec ſupérbi ab inítio placuérunt tibi: ſed * Humílium & manſuetórum ſemper tibi plácuit deprecátio. ℣. Omnis qui ſe exáltat, humiliábitur; & qui ſe humíliat, exaltábitur. * Humílium. *Judith.* 9. 16. *Luc.* 18. 14.

Lectio iij. Cap. 4. *v.* 1. *ad* 8.

TUnc audiéntes hæc fílii Iſrael, qui habitábant in terra Juda, timuérunt valdè à fácie ejus. Tremor & horror inváſit ſenſus eórum, ne hoc fáceret Jerúſalem & templo Dómini, quod fécerat cæteris civitátibus & templis eárum. Et miſérunt in omnem Samaríam per circúitum uſque Jéricho, & præoccupavérunt omnes vértices móntium: & muris circumdedérunt vicos ſuos, & congregavérunt fruménta in præparatiónem pugnæ. Sacérdos étiam Elíachim ſcripſit ad univérſos qui erant contra Eſdrelon, quæ eſt contra fáciem campi magni juxta Dóthain, & univérſos per quos viæ tránſitus eſſe póterat, ut obtinérent aſcénſus móntium, per quos via eſſe póterat ad Jerúſalem, & illic cuſtodírent, ubi anguſtum iter eſſe póterat inter montes. Et fecérunt fílii Iſrael ſecúndùm quod conſtitúerat eis Sacérdos Dómini Elíachim.

℟. Reputántes peccátis noſtris hæc ipſa ſupplícia minóra eſſe, * Flagélla Dómini, quibus corrípimur, ad emendatiónem, & non ad perditiónē noſtram eveníſſe credámus. ℣. A Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur. * Flagélla *Judith.* 8. 27. 1. *Cor.* 11. 32.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro ſancti Ambróſii Epíſcopi de Elía & jejúnio.

Lectio iv. Cap. 9.

POtentes vinum prohibéntur bíbere, ne cùm bìberint, oblivìſcantur ſapiéntiam. Bibébant vinum in ebrietáte potentes, qui Holoférni princìpi milítiæ regis Aſſyriórum ſe trádere geſtiébant: ſed non bibébat fœmina Judith, jejúnans ómnibus diébus viduitátis ſuæ, præter feſtórum diérum ſolemnitátes. His armis munita procéſſit, & omnem Aſſyriórum circúmvenit exércitum. Sóbrii vigóre consílii, ábſtulit Holoférnis caput, ſervávit pudicítiam, victóriam reportávit. Hæc enim ſuccíncta jejúnio, in caſtris prætendebat aliénis: ille vino ſepúltus jacébat, ut ictum vúlneris ſentíre non poſſet. Itaque unius mulíeris jejúnium innúmeros ſtravit exércitus Aſſyriórum.

℟. Deus cœli & terræ, réſpice ad noſtram humilitátem: * Oſténde quóniam non derelínquis præſuméntes de te; & præſuméntes de ſe, & de ſua virtúte gloriántes humílias. ℣. Locúti ſunt contra Deum peccatóres ímpii: os eórum lóquitur ſupérba. * Oſténde. *Judith.* 6. 15. *Judæ* 15. 16.

Lectio v.

ESther quoque púlchrior facta eſt jejúnio; Dóminus enim grátiam ſóbriæ mentis augébat. Omne genus ſuum: id eſt, totum pópulum Judæórum à perſecutiónis acerbitátibus liberávit; ita ut regem ſibi fáceret eſſe ſubjéctum, non libídinis ardóre flammátum, ſed cœléſti miſeratióne convérſum; ita ut pœna retorquerétur in ímpium, & honor ſacris redderétur altáribus. Itaque illa quæ tríduo jejunávit contíNuo, & corpus ſuum aquâ lavit, plus plácuit, & vindíctam rétulit. Aman autem, dum ſe régali jactat convívio, inter ipſa vina pœnam ſuæ ebrietátis exólvit. Eſt ergo jejúnium reconciliatiónis ſacrifícium, virtútis increméntum, quod fecit étiam fœminas fortióres augménto grátiæ.

℟. Meménto, Dómine, & oſténde te nobis in témpore tribulatiónis noſtræ, & da mihi fidúciam, Dómine Rex deórum, & univérſæ poteſtátis. * Adjuva me nullum áliud auxílium habéntem, niſi te, Dómine. ℣. Secúndùm expectatiónem & ſpem meam, quia in nullo confúndar. * Adjuva me. *Eſther.* 14. 12. 14. *Philip.* 1. 20.

Lectio vj. Cap. 10.

NOn omnis fames acceptábile jejúnium facit; ſed fames quæ Dei timóre ſuſcípitur. Non ſola fames quæritur, ſed planè diſciplína jejúnii. Aliis dícitur: In diébus jejuniórum veſtrórum invenítis voluntátes veſ-

tras, & omnes ſúbditos veſtros ſtimulátis. Non tale jejúnium ego elégi, dicit Dóminus. Quod jejúnium improbétur, audívimus: nunc audiámus quòd ſit probábile. Sed ſolve omnem colligatiónem injuſtítiæ tuæ: diſſólve obligatiónes violentárum commutatiónum: dimítte confráctos in remiſſiónem, & omnem conſcriptiónem iníquam dirúmpe: frange eſuriénti panem tuum: & egénos non habéntes tectũ, induc in domum tuam: & ſi víderis nudum, coóperi eum, & doméſticos séminis tui non deſpícias.

℟. Quia pátiens Dóminus eſt, in hoc ipſo pœniteámus: * Humiliémus illi ánimas noſtras, & † Expectémus húmiles conſolatiónem ejus. ℣. In Spíritu ſancto orántes, expectántes miſericórdiam Dómini noſtri, * Humiliémus. Glória. † Expectémus. *Judith.* 8. 14. 16. 20. *Judæ* 20. 21.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 14. *v.* 1.

IN illo témpore; Cùm intráret Jeſus in domum cujúſdam príncipis Phariſæórum ſábbato manducáre panem, & ipſi obſervábant eum: & ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et réliqua.

Homilía ſancti Gregórii Papæ.

Lib. 16. Mor. in Job. Cap. 23. & 24.

QUantálibet ſit juſtítia óperis, apud intérnum júdicem nulla eſt, ſi hanc élevat tumor mentis. Qui enim humiliátus fúerit, erit in glória; & qui inclináverit óculos ſuos, ipſe ſalvábitur. Quæ nimírum ſenténtia à Veritátis ore non díſcrepat, dicéntis: Omnis qui ſe exáltat, humiliábitur; & qui ſe humíliat, exaltábitur. Unde & per Salomónem dícitur: Antequam conterátur, exaltátur cor hóminis; & ántequam gloriétur, humiliátur. Rectè autem dícitur: Qui inclináverit óculos ſuos, ipſe ſalvábitur; quia quantùm per membrórum miniſtérium deprehéndi poteſt, prima ſupérbiæ oſténſio eſſe in óculis ſolet... Oculos ergo inclináre, eſt nullum reſpiciéndo deſpícere; ſed ſe minórem atque ímparem cunctis quos áſpicit æſtimáre. Salvábitur qui óculos inclínat; quia qui falſum ſupérbiæ vérticem déſerit, veritátis altitúdinẽ aſcéndit.

℟. Indulgéntiam Dei fuſis lácrymis poſtulémus, in ſpíritu conſtitúti humiliáto ſerviéntes illi: * Ut ſicut conturbátum eſt cor noſtrum in ſupérbia eórum, ita étiam de noſtra humilitáte gloriémur. ℣. Nihil per inánem glóriam, ſed in humilitáte

ſuperióres ſibi ínvicem arbitrántes, * Ut ſicut. *Judith.* 8. 14. 16. 17. *Philip.* 2. 3.

Lectio viij. Homil. 7. in Evang. n. 4.

REſtat ergo ut in omne mens ſeſe déprimat, ne quod virtus ſciéntiæ cóngregat, ventus elatiónis tollat. Cùm bona, fratres, ágitis, ſemper ad memóriam malè acta revocáte; ut dum cautè culpa conſpícitur, numquam de bono ópere incáutè ánimus lætétur. Superióres ínvicem, eos máximè qui vobis commíſſi non ſunt, próximos veſtros atténdite; quia & quos ágere áliqua prava conſpícitis, quæ in eis láteant bona neſcitis. Magnus ergo unuſquiſque eſſe ſtúdeat, ſed tamen áliquo modo eſſe ſe néſciat: ne dum ſibi magnitúdinem arrogánter tríbuit, amíttat. Hinc étenim per Prophétam dícitur: Væ, qui ſapiéntes eſtis in óculis veſtris, & coram vobiſmetípſis prudéntes. Hinc Paulus ait: Nolíte prudéntes eſſe apud voſmetípſos. Hinc contra ſuperbiéntem Saül dícitur: Cùm eſſes párvulus in óculis tuis, caput in tríbubus Iſrael factus es. Ac ſi apértè diceretur: Cùm tu te párvulum conſpíceres, ego te præ cæteris magnum feci. Quia verò tu te magnum cónſpicis, à me parvus æſtimáris.

℟. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, & omnes reges terræ glóriam tuam; quia Dóminus * Reſpéxit in oratiónem humílium, & non ſprevit precem eórum. ℣. Qui potens eſt, diſpérſit ſupérbos, & exaltávit húmiles. * Reſpéxit. *Pſ.* 101. 16. 18. *Luc.* 1. 49. 51. 52.

Lectio ix.

SI ergo ſancti viri, étiam cùm agunt fórtia, de ſemetípſis vília ſéntiunt; quid in ſua excuſatióne dictúri ſunt, qui ſine ópere virtútis intuméſcunt? Sed etſi quælibet bona adſint ópera, nulla ſunt, niſi ex humilitáte condiántur. Miránda quippe áctio cum elatióne non élevat, ſed gravat. Qui enim ſine humilitáte virtútes cóngregat, in ventum púlverem portat, & unde áliquid ferre cérnitur, inde detérius cæcátur. In cunctis ergo quæ ágitis, fratres mei, radícem boni óperis humilitátem tenéte; nec quibus jam ſuperióres, ſed quibus inferióres eſtis, aſpícite; ut dum meliórum vobis exémpla propónitis, ad majóra ſemper aſcéndere ex humilitáte valeátis.

℟. Quantò magnus es, humília te in ómnibus, * Et coram Deo invénies grátiam: † Quóniam magna poténtia Dei ſolíus, & ab humílibus honorátur. ℣. Tu fideſ ſtas: noli altum ſápere, ſed time. * Et coram. Glória. † Quóniam. *Eccli.* 3.

Rom. 11. 20.
ned. Ant. t. 7. D.
.tátus fúeris ad núp-
cúmbe in noviſſimo
, cùm vénerit qui te
, dicat tibi: Amíce,
ſupériùs. Tunc erit
ia coram ſimul diſ-
ibus. Luc. 14. 8.

Oratio.

potens ſempitérne
s, qui ſupérbis ré-
grátiam præſtas hu-
tríbue, quæſumus,
idignatiónem tuam
ius eláti; ſed pro-
is tuæ capiámus do-
li; Per Dóminum.

A N O N

ilio Aquiſgranénſi.
6. Lib. 1. C. 131.
lùm Dómini ſan-
m, domus ejus, do-
iónis vocánda eſt:
;itur ab otióſis ſer-
ónibus audítum pá-
ígent & linguam;
léſia cum timóre &
ine ſtantes, aut o-
cantent, aut legant,
int.
ignif. Ant. t. 8. G.
qui ſe exáltat, hu-
ir; & qui ſe humí-
ábitur Luc. 14. 11.
t ſuprà in Laudibus.

A SECUNDA.

libro Judith.
Cap 8. v. 4. ad 9.

Judith relícta vidua
annis tribus, &
s ſex. Et in ſuperió-
omûs ſuæ fecit ſibi
ſecrétum cubículum, in quo
cum puéllis ſuis clauſa mo-
rabátur. Et habens ſuper
lumbos ſuos cilícium, jeju-
nábat ómnibus diébus vitæ
ſuæ, præter Sábbata, & Neo-
ménias, & feſta domûs Iſ-
raël. Erat autem elegánti aſ-
péctu nimis; cui vir ſuus re-
líquerat divitias multas, &
famíliam copióſam, ac poſ-
ſeſſiónes arméntis boum &
grégibus óvium plenas. Et
erat hæc in ómnibus famo-
ſiſſima, quóniam timébat
Dóminum valdè; nec erat
qui loquerétur de illa ver-
bum malum.

℟. Dómine, *ex* 1. *Noct.*
Dom pag. 376.

Lectio ij. Cap. 10. *v.* 11.
ad 18.

FActum eſt autem, cùm
deſcénderet montem cir-
ca ortum diéi, occurrérunt
ei exploratóres Aſſyriórum,
& tenuérunt eam, dicéntes:
Unde venis? aut quò vadis?
Quæ reſpóndit: Fília ſum
Hebræórum, ídeò ego fugi
à fácie eórum, quóniam fu-
tùrum agnóvi, quòd den-
tur vobis in deprædatiónem,
pro eo quòd contemnéntes
vos, noluérunt ultrò tráde-
re ſeípſos, ut invenírent mi-
ſericórdiã in conſpéctu veſ-
tro. Hac de cauſa cogitávi
mecum, dicens: Vadam ad
fáciem príncipis Holoférnis,
ut indicem illi ſecréta illó-
rum, & oſténdam illi quo
áditu poſſit obtinére eos, ita
ut non cadat vir unus de

exércitu ejus. Et cum audiſſent viri illi verba ejus, conſiderábant fáciem ejus, & erat in óculis eórum ſtupor, quóniam pulchritúdinem ejus mirabántur nimis. Et dixérunt ad eam: Conſervâſti ánimam tuam, eò quòd tale reperíſti consílium, ut deſcénderes ad dóminum noſtrum. Hoc autem ſcias, quóniam cùm ſtéteris in conſpéctu ejus, bene tibi fáciet, & eris gratiſſima in corde ejus. Duxerúntque illam ad tabernáculum Holoférnis, annuntiántes eam. Cùmque intrâſſet ante fáciem ejus, ſtatim captus eſt in ſuis óculis Holoférnes.

℟. Non in, *pag.* 377.

Lectio iij. Cap. 13. *v.* 3. *ad* 10.

ERátque Judith ſola in cubículo. Porrò Holoférnes jacébat in lecto, nímiâ ebrietáte ſopítus. Dixítque Judith puellæ ſuæ, ut ſtaret foris ante cubículum, & obſervâret. Stetítque Judith ante lectum, orans cum lácrymis, & labiórum motu in ſiléntio, dicens: Confírma me, Dómine Deus Iſrael, & réſpice in hac hora ad ópera mánuum meárum, ut, ſicut promiſiſti, Jerúſalem civitátem tuam érigas: & hoc quod credens per te poſſe fieri cogitávi, perfíciam. Et cùm hæc dixiſſet, accéſſit ad colúmnam quæ erat ad caput léctuli ejus, & pugiónem ejus, qui in ea ligátus pendébat, exólvit. Cùmque evagināſſet illum, apprehéndit comam cápitis ejus, & ait: Confírma me, Dómine Deus, in hac hora, & percúſſit bis in cervícem ejus, & abſcídit caput ejus.

℟. Reputántes, *pag.* 377.

CANON

Ex Concílio Senonénſi.

An. 1528. *Cap.* 15.

CUm Eſſent in Eccléſiis quæcúmque poſſunt divínum perturbáre Officium, aut óculos divínæ majeſtátis offéndere: ne, ubi peccatórum eſt vénia poſtulánda, ibi peccándi detur occáſio, aut deprehendántur peccáta commítti.

FERIA TERTIA.

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 15. *v.* 1. *ad* 5.

CUm omnis exércitus decolátum Holoférnem audíſſet, fugit mens & consílium ab eis, & ſolo tremóre & metu agitáti, fugæ præsídium ſumunt, ita ut nullus loquerétur cum próximo ſuo, ſed inclinato cápite, relíctis ómnibus, evádere feſtinabant. Hebræos quos armatos ſuper ſe veníre audiébant, fugiéntes per vias campórum & ſémitas cóllium. Vidéntes ítaque fílii Iſrael fugiéntes, ſecúti ſunt illos; deſcenderúntque clangéntes tubis & ululántes poſt ipſos. Et quóniam Aſſyrii non adunáti, in fugam ibant præcípites: fílii autē Iſrael uno ágmine perſequentes,

ſequéntes, debilitábant omnes quos invenire potuíſſent.

℟. Deus, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 378.

Lectio iij. v. 9. ad 14.

JOachim autem ſummus Póntifex, de Jerúſalem venit in Bethúliam cum univérſis Presbyteris ſuis, ut vidéret Judith. Quæ cùm exiſſet ad illum, benedixérunt eam omnes unâ voce, dicéntes: Tu glória Jerúſalem, tu lætítia Iſrael, tu honorificéntia pópuli noſtri; quia fecíſti viríliter, & confortátum eſt cor tuum, eò quòd caſtitátem amáveris, & poſt virum tuum álterum neſcíeris: ídeò & manus Dómini confortávit te, & ídeò eris benedícta in ætérnum. Et dixit omnis pópulus; Fiat, fiat. Per dies autem trigínta, vix colléćta ſunt ſpólia Aſſyriórum à pópulo Iſrael.

℟. Meménto, *pag.* 378.

Lectio iij. Cap. 16. v. 22. ad 30.

ET factum eſt poſt hæc, omnis pópulus poſt victóriam venit in Jerúſalem adoráre Dóminum: & mox ut purificáti ſunt, obtulérunt omnes holocáuſta, & vota, & repromiſſiónes ſuas. Porrò Judith, univérſa vaſa béllica Holoférnis quæ dedit illi pópulus, & conopéum, quod ipſa ſuſtúlerat de cubíli ipsíus, obtulit in anathéma obliviónis. Erat autem pópulus jucúndus ſecúndùm fáciem Sanctórum, & per tres menſes gáudium hujus victóriæ celebrátum eſt cum Judith. Poſt dies autem illos unuſquíſque rédiit in domum ſuam; & Judith magna facta eſt in Bethúlia, & præclárior erat univérſæ terræ Iſrael. Erat étiam virtúti caſtitas adjúncta, ita ut non cognóſceret virum ómnibus diébus vitæ ſuæ, ex quo defúnctus eſt Manáſſes vir ejus. Erat autem diébus feſtis procédens cum magna glória. Manſit autem in domo viri ſui annos centum quinque, & dimíſit Abram ſuam líberam, & defúncta eſt ac ſepúlta cum viro ſuo in Bethulia. Luxítque illam omnis populus diébus ſeptem.

℟. Quia, *pag.* 379.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816. *C.* 132.

CUm ad Eccléſiam vel ad divínæ laudis débita ſolvénda, vel ad agénda Miſſárum ſolémnia intrámus, ſemper Anhélicæ præséntiæ memores, cum timóre & veneratióne competénti cœléſte compleámus Offícium, ne ſi, quod abſit, id negligénter, aut inhonéſtè, vel tépidè expléverimus, in ſenténtiam quâ dícitur, Maledíctus homo qui opus Dei fécerit negligénter, miſerabíliter labámur.

PROPRIUM SANCTORUM.

PARS ÆSTIVA.

FESTA MAII.

DIE IX.

TRANSLATIO SANCTI NICOLAI, MYRENSIS EPISCOPI.

Simplex. Omnia de Communi unius Pontificis.

ORATIO.

DEus, qui beátum Nicoláum Pontíficem tuum innumeris decoráſti miráculis: tríbue, quæſumus, ut ejus méritis & précibus à gehénnæ incéndiis liberémur; Per Dominum, &c.

Duæ primæ Lectiones ex Script. occur. ſecundâ & tertiâ in unam junctis; & ſic in omni Officio ſimplici.

Lectio iij.

Ex Joanne Archidiac. Barii, Translatione ſancti Nicolai auctore coævo.

EX nóminis celebritáte & miraculórum famâ, ſub magni título cólitur toto terrárum orbe Nicoláus Myrénſis Epíſcopus. Sacrum ipsíus corpus Myræ, ubi ſepúltum fúerat, diu jácuit: donec Barénſibus quibúſdam mercatóribus mirabílium, quæ ibi fieri audíerant, famâ permótis, in mentem venit ſacrum hoc pignus in pátriam ſuam ſecum advéhere. Hi, anno ſalútis milléſimo octogéſimo séptimo, Myram ádeunt ubi ſancti Nicolai Relíquias ſacro liquóri ex eis profluénti immérſas in urna repériunt, & extráctas návibus impónunt, ægrè conſentiéntibus

tribus mónachis, quibus ſolis ſacrárum Reliquiárum crédita erat cuſtódia; & Bárium Apúliæ in Itália civitátem aſpórtant. Mox Bariénſium cívium impénſis, ſub ipſíus invocatióne magnífica cœpit ædificári baſílica, quã Urbánus ſecúndus conſecrávit, & in ea ſacrum cóndidit corpus, quod ibi in hunc uſque diem cólitur. Extat in Oppido ſancti Nicolái de Portu nuncupáto dicáta in illíus honórem Ecclésia, ſtructúrâ & arte ſpectábilis, peregrinórum célebris frequentiâ, quæ Sancti Reliquias, unum ex dígito artículum, habére ſe gloriátur.

DIE X.

S. GREGORII, Nazianzeni Epiſcopi, & Eccleſiæ Doctoris.

Duplex 3. Claſſis.

Oratio. Deus, qui pópulo tuo, *pag.* xxix.

Comm. S. Epimachi & Sociorum, Martyrum.

Oratio. Mártyris tui, *pag.* xvij.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ipſius S. Gregorii Carmin. & Oration. ac ex antiquis Script. Eccleſ.

GRegórius, ob ſinguláre m divinárum litterárum ſciéntiam Theólogus nuncupátus, Ariánzi in Cappadócia ſecúnda natus eſt, Gregório patre, qui Nazianzénæ Ecclésiæ Epíſcopus fuit; & Nonnâ matre, quæ nondum in lucem éditum Deo conſecrávit. Adoléſcens Cæſaréam primùm, deínde Alexandríam, hinc Athénas, diſcéndi ſtúdio, venit: ubi amicítiam íniit cum Baſílio, & ab Atheniénſibus eloquéntiæ profeſſor eſt deſignátus. In pátriam revérſus, Présbyter à patre, invítus licèt, ordinátus, mox ne ab eódem Epíſcopus conſecrarétur, fugit in Ponti ſolitúdinem, ubi cum Baſílio monáſticæ vitæ inſtitúta cóndidit. Imperánte Juliáno, Naziánzum venit, ubi patrem nonagenárium, qui ab Ariánis decéptus, confeſſióni Ariminénſi ſubſcrípſerat, addúxit ut ſubſcriptiónem revocáret, eúmque mónachis & majóri gregis parti, quæ ab ipſo deſcíverat, reconciliávit.

Lectio v.

SAſimórum Ecclésiæ præfectus, ne cauſa eſſet diſſídii Baſílium inter & Anthimum Tyanénſem Epíſcopum de Soſimórum óppido, Epiſcopatu ceſſit; & Naziánzum in auxílium patris eâ conditióne venit, ut illo vitâ functo, recédere ſibi licéret. Conſtantinópolim ad reſtaurandam hujus civitátis Ecclésiam miſſus, Ariános, & Apollinariſtas expugnávit; multíſque ab hæréſi ad fidem revocátis, lapídibus ob Trinitátis dogma appetítus, orat pro perſecutóribus; & ut ſeditióſum

ſeditioſus tráhitur ad judíciū, ſed absólvitur. Tantis perfúnctum labóribus Petrus Alexandrínus Conſtantinopolitanórum Epíſcopum per lítteras inſtítuit : at paulò poſt, mutáto consílio, ad eam ſedem Máximum Cynicum, clero & plebe repugnántibus, evéxit.

Lectio vj.

CONvocátâ deínde Conſtantinopolitánâ Synodo, Máximus dejícitur; Gregórius verò confirmátur. Sed adveniéntibus Ægypti & Macedóniæ Epíſcopis, qui negárent citra ſuum conſenſum Conſtantinópoli dari potuíſſe Epíſcopum, Gregórius in Concílio, ſtúdio pacis ſe ábdicans, dixit: Si vobis ullo modo diſsidii cauſa ſum, Jonam Prophétam vitæ integritáte non súpero, projícite me in mare, & hæ tumúltuū procéllæ conquiéſcent. Poſt hæc à Synodo diſcédens, cùm Nectarius ei ſubſtitútus eſſet, Ariánzum ſe recépit: unde Cæſaréam profèctus, in laudem Basílii nuper defúncti oratiónem funebrem hábuit. Dehinc Naziánzum Præſule orbátam aliquámdiu adminiſtrávit; eíque ab hæreſi purgátæ præficiéndum curávit Eulálium. Rus deínde ſeceſſit, ubi Mónachi vitam agens, gravíſſimas carnis tentatiónes oratiónibus, jejúniis, ac vigíliis ſuperávit. Demum, Theodoſio imperánte, decéſſit; multis ſuper ægros, & energúmenos patratis in vita miráculis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5. 13.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? ad níhilum valet ultrà, niſi ut mittátur foràs, & conculcétur ab homínibus. Vos eſtis lux mundi. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Nazianzéni.

Orat. 1. Apolog. de fuga ſua in Pontum. circa init.

QUemádmodum in córpore áliud membrum principatum tenet, ac véluti præſidet; áliud ſubeſt, & régitur: ad eúmdem quoque modum Deus, vel æquitátis lege, quæ méritum cujúſque perpéndit, vel étiam providéntiæ, per quam ómnia inter ſe velut devínxit, hoc in Eccléſiis conſtítuit, ut álii paſcantur & páreant (quibus vidélicet id utílius eſt) ac tum ſermóne, tum ópere ad officium dirigántur: álii autem ad Eccléſiæ perfectiónem, paſtóres ac magíſtri ſint; nimírum qui virtúte, conjunctionéque & familiaritáte apud Deum vulgò ſublimióres ſint, ratiónem ánimæ ad corpus, aut mentis ad ánimam obtinéntes.

Lectio viij. paulò post.

AD hoc mihi res accidit, rúſtico an ingénuo viro digna haud ſcio, ſed áccidit tamen. Aliórum me púduit, qui cùm pleríſque níhilo melióres ſint, atque útinam non étiam multò pejóres, illótis, ut dici ſolet, mánibus, prophaníſque ánimis, in ſanctíſſima miniſtéria ſeſe ínferunt, ac priúſquam digni ſint, qui ad res ſacras accédant, ſacrarium ipſum ámbiunt, & circum ſacroſánctam menſam ſeſe invicē premunt ac protrúdunt, tamquā non virtútis exémplum; ſed victus parándi occaſiónem & ſubsídium hunc órdinem eſſe judicántes, ac non munus referéndis ratiónibus obnóxium, ſed impérium ab omni censúra immúne. Qui étiam eos qui præſunt, número jam ferè ſúperant, ob pietátem útique miseri, ob ſplendórem infelíces. * Itaque malo hoc unà cum témpore progréſſum ac vires capiénte, ne habitúri quidem mihi vidéntur quibus præſint; ómnibus vidélicet, pro eo ut à Deo (quēádmodum divína promíſſio ferébat) edoceántur, docéntibus & vaticinántibus, adeò ut, juxta véterem hiſtóriam & parœmiam, Saül quoque inter Prophétas ſit: neque enim tanta ullíus rei ubértas, aut nunc eſt, aut umquam fuit, quàm nunc apud Chriſtianos crebra ſunt hujúsmodi probra & peccáta.

Ex Epíſtola ſancti Dionyſii Alexandríni ad Fábium Anthiochénum.

Apud Euſeb. Lib. 6. Hiſt. Cap. 41.

Lectio ix. de S. Epimac.

ET Dictum Imperatóris aſſértur, & ſubſéquitur illud à Dómino noſtro prædíctum, prope horrendíſſimum, nempe, ut & elécti ſcandalizéntur, ſi fíeri poſſit. Terréntur omnes... álii fúgiunt, álii capiúntur.... At álii fortes & beáti, tamquam colúmnæ Dómini ab ipſo corroboráti, fortíſque in ipſis fídei condígnam & conveniéntem virtútem & conſtántiam nacti, præcláti facti ſunt regni ipsíus Mártyres... Epímachus étiam & Alexánder diu in vínculis conſtitúti, innumeróſque dolóres novaculárum & vérberum perpéſſi, in rogum ardéntem & iſti conjiciúntur, cumque illis quátuor étiam mulíeres. Et Ammonárion quoque ſancta Virgo, quam judex diu ádmodum & pertináciter tórſerat, eò quòd illi nihil ſe quod jubéret factúram eſſe prædixíſſet, idque ſerváſſet, abdúcitur. Reliquæ verò, Mercúria, anus honeſtíſſima, & Dionyſia, multis quidem líberis fœcúnda, quos tamen ſupra Dóminum non diléxit, Præſide confúſo quòd ineſficáciter eas torsiſſet, & à mulíeribus victus eſſet, nul-

lum ámpliùs tormentórum ſenſum capiéntes, ferro necántur. Ammonárion quippe præ ómnibus, velut anteſignána torménta pertúlerat.

D i e xi.

S. GENGULPHI, IN BURGUNDIA MARTYRIS.

Duplex 3. Claſ.

Oratio.

DEus, qui nos beáti Gengúlphi Mártyris tui méritis, & interceſſióne lætíficas: concéde propítius, ut qui tua per eum benefícia póſcimus, dono tuæ grátiæ conſequámur; Per Dóminum, &c.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ejus vita apud Bolland.

GEngúlphus, cui natále ſolum Burgúndia, paréntes altâ proavórum série nóbiles, prima virtútum sémina ſuſcépit puer, adáuxit adoléſcens. Quâ enim ætáte júvenes, calcáto virtútis fœdere, per médias ruunt voluptátes indómiti, is ut vitam ſummæ cautélæ præsídiis contra vim impoténtis adoleſcéntiæ muníret, non ſe iis quibus frui potuíſſet, delíciis addíxit; non eas quæsivit júvenum confabulatiónes, quæ mentis puritátem ſuis detúrpant illécebris; ſed piórum dumtáxat virórum delectátus consórtio, jocos aversátus & lúdicra, oratióni aſsíduus, legis Chriſtiánæ ſtudioſíſſimus, eam præ ſe tulit morum integritátem, quæ ómnibus exémplum fíeret.

Lectio v.

NEc parum virtútes álias decorávit illa creſcens cum ipſo miſericórdia, ex qua, ampliſſimi patrimónii hæres factus, óptimam bonórum partem paupéribus ſublevándis impéndit. Uxórem duxit, géneris quidem nobilitáte ſibi non ímparem, ſed móribus longè diſsímilem. Dum enim ipſe in Pipíni Francórum Regis exércitu mílitans, ſic ſtrénui mílitis partes adímplet, ut nulli deſit Chriſtiáni viri offício, illam, ſpretâ conjúgii fide, adúltero palàm adhærére non púduit. Ad ſua revérſus, nihil non movit, ut infídam ad melióra revocáret: verùm creſcénte in dies nefáriæ mulíeris audáciâ, ab ea diſcéſſit, ut totum ſe pietátis & miſericórdiæ opéribus devovéret.

Lectio vj.

VEriti autem uxor pérfida & ipsíus adúlter, ne ſanctus vir ſcéleri débitas ab eis pœnas expóſceret, de ipsíus morte consílium inter ſe habuérunt: datâque occaſióne, in ejus cubículum írruens adúlter, Gengulphum nil tale ſuſpicátum, & famulórum miniſtério deſtitútum, gládio confódit. Letháliter vulnerátus, áliquot tantùm ſupervíxit dies;

& ſacro Domínici córporis & ſánguinis munítus Viático, juſtítiæ & caſtitátis conjugális Martyr óbiit; & ſepúltus eſt in Basílica, quam in honórem ſancti Petri ſuis súmptibus conſtrúctam, copióſo cenſu dotáverat. Tanto autem poſt mortem cláruit miraculórum & ſanctitátis nómine, ut ſub ipsíus invocatióne multæ per divérſa loca conſtrúctæ fúerint Eccléſiæ: inter quas una Tulli vísitur, ſtructúrâ & antiquitáte célebris, quam ſanctiſſimus Leucórum Præſul Gerárdus ſub finem décimi ſæculi beáto Mártyri eréxit, & Canonicórum Collégio decorávit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19. *v.* 3.

IN illo témpore; Acceſſérunt ad Jeſum Phariſæi, tentántes eum, & dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem ſuam quacúmque ex cauſa? Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Comment. in Cap. 19. *Matth.*

DE Galilæa vénerat Dóminus ad Judæam; idcírco Phariſæórum Scribarúmque fáctio intérrogat eum, utrùm líceat hómini dimíttere uxórem ſuam quâlibet causâ; ut quodcúmque reſpónderit, captióni páteat. Si dixerit dimitténdas eſſe uxóres quâlibet ex causâ, & ducéndas álias, pudicítiæ prædicátor ſibi vidébitur docére contrária. Si autem reſpónderit non omnem ob cauſam debére dimítti, quaſi ſacrilégii reus tenébitur, & advérsùs doctrínam Móyſi, ac per Móyſen Dei fácere judicábitur. Igitur Dóminus ſic reſponſiónem témperat, ut decípulam eórum tránſeat, Scriptúram ſanctam addúcens in teſtimónium, & naturálem legem primámque Dei ſenténtiam ſecúndæ oppónens, quæ non voluntáte Dei, ſed peccántium neceſſitáte concéſſa eſt.

Lectio viij.

QUid ergo Móyſes mandavit dari libéllum repúdii, & dimíttere? Apériunt calúmniam quã paráverant. Et certè Dóminus non própriam ſenténtiam protúlerat, ſed véteris hiſtóriæ & mandatórum Dei fúerat recordátus. Ait illis: Quóniam Móyſes ad durítiam cordis veſtri permíſit vobis dimíttere uxóres veſtras: ab inítio autem non fuit ſic. Quod dicit iſtiúſmodi eſt: Numquid poteſt Deus ſibi eſſe contrárius, ut áliud antè júſſerit, & ſenténtiam ſuam novo frangat império? Non ita ſentiéndum eſt: ſed Móyſes cùm vidéret propter deſidérium ſecundárum cónjugum, primas uxóres interfíci, aut malam vitam dúcere, maluit indul-

gére diſcórdiam, quàm ódia aut homicídia perſeveráre. Simúlque conſidera quòd non dixit: Propter durítiam cordis veſtri permíſit vobis Deus; ſed Moyſes: ut, juxta Apóſtolum, consílium ſit hóminis, non impérium Dei.

Lectio ix.

DIco autem vobis, quia quicúmque dimíſerit uxórem ſuam, niſi ob fornicatiónem, & áliam dúxerit, mœchátur. Et qui dimiſſam dúxerit mœchátur. Sola fornicátio eſt, quæ uxóris vincat affectum: imò cùm illa unam carnem in áliam divíſerit, & ſe fornicatióne ſeparáverit à maríto, non debet tenéri; ne virum quoque ſub maledícto fáciat, dicénte Scriptúra: Qui adúlteram tenet, ſtultus & ímpius eſt. Ubicúmque eſt ígitur fornicátio, & fornicatiónis ſuſpício, líberè uxor dimíttitur. Et quia póterat accídere ut áliquis calúmniam fáceret innocénti, ſic priórem dimíttere jubétur uxórem, ut ſecúndam, primâ vivénte, non hábeat.

Die xii.

S. EPIPHANII, Salaminæ Episcopi.

Semidup.

Oratio. Da Eccléſiæ tuæ *pag.* xxiv.

Comm. SS. Nerei, Achillei, atque Pancratii, Martyrum.

Oratio Exaúdi, quæſumus, *pag.* xxiv.

In I. Noct. Lectiones de Scriptura occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Sozom. Lib. 6 1. Cap. 32. Hieron. Epiſt. 62. & ex ipſius Sancti ſcriptis.

EPiphánius in Palæſtína natus, adoléſcens ad virtútem à præſtantíſſimis Mónachis inſtitútus eſt: hiſque magiſtris eum áttigit vitæ perfectæ gradum, quo apud Ægyptios, Palæſtínos, & Cyprios, & Mónachus & monachórum Pater florére merúerit. A Cypriis eléctus, ut Salamínæ (quæ tunc Conſtántia vocabátur) totíus ínſulæ Metrópolis onus Epiſcopále ſuſcíperet, ex ſedis dignitáte, eruditiónis præſtántiâ, & virtútum nitóre, máximam per univérſum orbem nóminis celebritátem adéptus eſt.

Lectio v.

QUo témpore Valens Imperator Ariánam hæreſim totis promovébat víribus, Epiphánio ſummus fuit labor, non ſolùm Eccléſiam ſuam, ſed & totam Cyprum ínſulam ab hæreſis contagióne tuéri. Quin & hoc mirum máximè, quod hærétici certo impérii favóre audáces, dum alios Epíſcopos ſuis expéllerent sedibus, Epiphánium, licèt notum & fortiſſimum veritátis aſſertórem veneráti, ipſum

numquam ággredi, aut ſede ſuà movere tentáverint. Hanc autem veneratiónem apud omnes obtinuit, non ſolum ex doctrínæ & virtútis nomine, ſed & ex illa inprímis charitate, quà in egénos ſic fuit liberalis, ut ſuis facultatibus pénitus abſúmptis, Eccléſiæ bona impéndere non recuſáret.

Lectio vi.

CUm Apollinaríſtis quoque, Antidicomarianitánis, & Collyridiánis hæréticis ſejúnctim congréſſus eſt: deínde omnes ſui témporis hæreſes uno ópere, & colléctis víribus impugnávit. Ardéntem ex pietáte zelum hábuit, quem facíliùs exerébat, ſi quos veritáti repugnáre nóverat, aut ſuſpicarétur; ita ut nec magno Chryſóſtomo pepércerit, Theóphili calúmniis decéptus. Fuit illi cum Athanáſio, Basílio, Dámaſo, Hilarióne familiáritas; cum Hierónymo ſumma conjúnctio, cujus Pauliniánum fratrem presbyterum ordinávit & hábuit. Móritur, Arcádio Príncipe, anno quadringentéſimo tértio, insígni vitæ converſatióne & miráculis, apud Græcos & Latínos multùm commendátus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 7. v. 15.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Atténdite à falſis prophétis, qui véniunt ad vos in veſtiméntis óvium, intrínſecùs autem ſunt lupi rapáces. Et réliqua.

Homilía ſancti Epiphánii Epíſcopi.

Hæres. 48. Num. 1. & 3.

JOánnes Apóſtolus ſic in Epíſtola ſua nos ádmonet: Probáte ſpíritus, ſi ex Deo ſunt: & rurſus: Audíſtis quia antichríſtus venit, & nunc antichríſti multi ſunt. E nobis exiérunt; ſed non erant è nobis: ſi enim è nobis fuiſſent, mansíſſent útique nobíſcum.... Quocírca verum eſt illos è ſanctórum grege non eſſe. Ab iis enim contendéndi ſtúdio receſſérunt, & erróris ac fabulárum auctóres ſpíritus conſectáti ſunt.... Quámdiu Prophétis opus fuit, & veri Spíritûs inſtínctu, cum ánimi firmitáte, atque conſtántia, & eórum quæ loqueréntur intelligéntiâ, ſanctíſſimi viri ſua ómnia reſpónſa & orácula dedérunt; iidémque pro cuíque conceſſorum à Spíritu ſancto donórum, ac fídei ratióne, commúnem ad utilitátem illo ipſo Spíritu repléti ſunt. Quid ígitur ab illis hæréticis eſt ad hóminum utilitátem prædíctum, aut quæ hábita fídei ratio? Nonne ejúſmodi pótiùs habéndi illi ſunt, de quibus locútus eſt Dóminus; Atténdite à falſis prophétis, qui véniunt ad vos in veſti-

méntis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapáces?

Lectio viij.

Lib. 3. tom. 2. in expoſit. fidei Num. 18. 19. & 20.

Sancta mater Eccléſia quod verè ſibi prædicátum, verèque mandatum eſt, credit.... nam quæcúmque vel Apóſtolus, vel ſacra ómnis Scriptúra teſtátur, vera ſunt; licèt infidéles ac pérperàm intelligentes áliter exiſtiment. Nobis verò ea demum fides eſt, is honor, ac dígnitas: hæc eſt noſtra mater Eccléſia, quæ per fidem ſervátur, ſpe corroborátur, Chriſti charitáte, necnon & ejúſmodi profeſſióne ac myſtériis, baptiſmíque vi ac purgatióne perficitur. Vos ígitur omnes rogo plúrimùm & exhórtor, & uti digni ſitis póſtulo, fructum iſtinc aliquem, & utilitátem cápere atque hæréſeon moléſtiam ac perníciem ab animis veſtris longíſſimè removére.

Lectio ix.

Ibid. Num. 23. 24. 25.

Sunt in eâdem cathólica Eccléſia inſtitúta vivéndi præſtántia. Jam verò hoſpitalitátis, humanitátis, & in omnes páuperes beneficéntiæ fructus totli cathólicæ & Apoſtólicæ Eccléſiæ commúnis ómnibus eſt indíctus. Ab ómnium hæréſeon communióne ſe ſégregat: libídinem proſcríbit omnem; item idololatríam, homicídium ſcelus omne; tum maledicéntiam omnem, detractiónem, pugnam atque rixam, blaſphémiam, injúriam, cupiditátem & usúrā. Oblationes ab his qui injúriâ néminem affécerint, neque ſcelus áliquod perpetrarint, ſed juſtè vitam inſtítuant, admíttit. Preces aſsíduè ad Deum fúndere, eáſdem frequentíſſimas ac sédulas, génibus ínterim opportúno témpore flexis, noctes & dies præcipit. Forma quidem & nota Eccléſiæ cathólicæ eſt ejúſmodi: ex leges & decréta in ea celebrántur.

In 2. Veſp. Comm. de ſequenti.

DIE XIII.

S. MAMERTI,

VIENNENSIS EPISCOPI

Simplex.

Oratio. Omnípotens Deus, *pag.* xxiv.

Lectio iij.

Ex Sidonio Appoll. Alcimo Avito, Greg. Tur. Adone, &c.

Mamértus Hilari Papæ tempóribus, circa annum quadringentéſimum ſexagéſimū ſecúndum, Viennénſis poſt Simplícium Epíſcopus, ipsâ Reſurrectiónis Domínicæ vigíliâ, deflagránte regális palátii arce, cùm cives facultátibus ſuis dominibúſque metuéntes, ex Eccléſia diſceſsíſſent, ipſe ſolus in ea rémanens, lácrymis &

orationibus ignē extinguere méruit. Sed jam ántea ferè per anni ſpátium, frequéntes terræ motus, plurés ejúſdem civitátis domos & basilicas concuſſerant. Insóliti quoque sónitus noctúrni, & lupi, urſi, ac cervi per urbem oberrántes, exitiale quiddam & ferále minitabántur. Quæ flagélla ut avérteret, eâdem nocte, cívibus poſt extínctum incéndium ad Eccléſiam revérſis, ánimo concépit instituere Litanías uſitatis ſolemnióres. Has póſtea indixit tríduo ante Aſcenſiónem Dómini celebrandas in jejúniis, compunctióne cordis, précibus & eleemóſynis; ad quas univérſis fidelibus concurréntibus coorta, ceſsávit calámitas. Eas Supplicatiónes mox totá Gálliâ præſcríptas & obſervátas Roma ipſa Leonis tértii auctoritáte ampléxa eſt.

Die xiv.

S. PACHOMII, IN THEBAIDE ABBATIS.

Simplex.

Oratio. Omnipotens ſempitérne, *pag.* xl.

Lectio iij.

Ex ejus vita, auctore ſuppàris ævi Monacho, ex Sozom. & aliis.

Illúſtris prorſus apud magni moménti Scriptóres, inque mónuméntis ſacris, ſeu Græcis, ſeu Latínis, eſt Pachomii memória. Is in ſuperióri Thebaïde parentes hábuit gentiles. Vigéſimo ætátis anno, Chriſtianórum benéficam in milites expértus charitátem, vovit, ubi primùm milítia, cui adſcriptus erat, ſolveretur, ſe Chriſto adhæſúrum. Igitur libertátem adéptus, baptíſmum ſuſcépit, moxque eremum ádiens, Palemónem in vitæ auſteritáte & monáſtica diſciplína institutorem hábuit. Tanto magíſtro par diſcipulus ad locum Nilo próximum, cui Tabénnæ nomen, penetrávit; in quo ampliſſima Monaſtéria iis ædificávit, qui plúrimi ad eum ſanctióris vitæ deſidério úndique confluébant. Unus ómnia regébat Pachómius, una ómnibus regula, unus qui neceſſária provideret œcónomus, una ad públicas preces Eccléſia, nullus inter eos qui Clericátûs officio fungeretur: in ſolemnitátibus ex vicinis locis advocabántur Presbyteri, qui Sacra perágerent, & ſacrum Chriſti corpus & ſanguinem Monachis miniſtrarent. Conſtrúxit étiam in adverſa Nili ripa Monaſtérium, in quo Vírgines Deo dicátæ, prævia & regénte Pachomii ſorore, Mónachos æmulabantur. Multa prophetico ſpíritu prædixit, infirmos curávit, nec ei defuit donum linguárum, quo plures diverſæ ná-

tiónis hómines inſtrúeret. Obiit ætáte gravis, áſpero vivéndi génere conféctus, anno Chriſti círciter trecentéſimo quadragéſimo octávo.

Die xvi.

SS. QUADRAGINTA QUATUOR MONACHORUM ex Laura S. Sabæ Martyrum.

Simplex.

Oratio.

DEus, qui in córdibus Mártyrũ tuórum flammas tantæ dilectiónis accendiſti, ut mundi terróres víncerent: da nobis eúmdem tuæ charitátis affectum; ut te unum poſſidére cupiéntes; te unum amíttere metuéntes, ómnia mundi próſpera & adverſa æquáliter deſpiciámus: Per Dóminum, &c.

Lectio iij.

Ex Epíſtola Antíochi Mónachi ad Euſtáchium Præpóſitum Monaſtérii Atalínæ civitátis Ancyræ in Galátia.

Apud Bolland.

DE laudábili horum Monachórum vita in præſentiárum ágere, id témporis non póſtulat. Illud tantùm dicam, quòd hómines erant revérâ divíni, cùm in exercitatióne ſpiritáli & monáſtica vita, & labóribus, quos pro pietáte ſuſtulérunt, à juventúte ſua inſenúerint. Senes quidem venerándi & canos capíllos habébant; ſed mente magis præſtábant & humilitáte, ómnibus bonis ornáti, & divíno repléti amóre. Cùm Iſmaelítæ ad noſtram Lauram acceſſiſſent, & univérſa ſacra vaſa Eccléſiæ diripuíſſent, pleríque Patres quàm primùm aufugérunt. Remanſérunt autem in Laura, qui fortiores fúerant Chriſti ſervi, ſacrum illum locum deſtitúere nullo pacto voléntes. Bárbari verò cùm illos comprehendíſſent, multos dies inhumánè tractárunt, & torméntis afflixérunt, pecúnias hoc pacto ſeſe inventúros ſperántes, apud quos nihil hujus ſæculi reperiebatur. Simul autem atque intellexérunt ſuâ ſe tandem ſpe ac propóſito excidíſſe, in efferatíſſimam verſi rábiem, ad unum membrátim Beátos illos concidérunt. Qui & lætítiâ incredíbili perfuſi, ac proínde álacri vultu renidéntes, omni cum gratiárum actióne ánimas reddidérunt Dómino. Córpora verò pluſquam trágicè cæſa, cùm non paucos dies in humum disjécta ſine ſepultúræ beneficio jacuiſſent, ab Arábia illò uſque properávimus. Modéſtus prætérea & ipſe vir ſanctíſſimus, ſanctas relíquias compléxus, in Patrum ſuperiórum depóſuit conditóriis. Númerus ſanctórum Patrum, quos tyránnica ſúſtulit impréſſio eſt quadragínta quátuor.

DIE XIX.

S. PETRI COELESTINI PAPÆ.

Simplex.

Oratio. Da Eccléſiæ tuæ, *pag.* xxiv.

Comm. S. Yvonis, Trecorenſis Presbyteri.

Oratio. Dómine Deus, *pag.* xxxv.

Lectio j. de Scriptura occur. ex tribus fit una.

Lectio ij.

De S. Cæleſtino, ex ejus vita, auctore Petro de Alliac. Antonino, & aliis.

COeleſtínus quintus, Petrus de Muróne ante Pontificátum dictus, piis paréntibus ex Apúlia oriúndus, à téneris annis deſérta pétiit. Tanta fuit ejus vitæ aſpéritas, ut dies ferè noctéſque ánimum oratiónibus & legéndo pſaltério inténderet; jejuniiſque, labóre mánuum, ac cilicio, adhíbitâ étiam caténâ férreâ, corpus domáret. Cùmque multi ad eum, tantæ ſanctitátis famâ permóti confluérent, Congregatiónem Cœleſtinórum ſub régula ſancti Benedícti, ſtatútis étiam arctióribus ádditis inſtítuit. Poſt mortem Nicolái quarti, cùm Sedes Apoſtólica biénnio & ámplius vacáſſet, ad Pontificátum inſcius & invítus evéctus eſt; cui ſe dignitáti ímparem exíſtimans, poſt ſex circiter menſes eam abdicávit, ut rerum divinárum contemplatióni libérius vacáret. Cùmque deſérta repéteret, deténtus & in cuſtódiam miſſus, poſt multas ærúmnas, patiéntiæ corónam felíci morte proméruit; quem miráculis conſpícuum Clemens quintus in Sanctórum númerum rétulit.

Lectio iij. de S. Yvone.

Ex probationibus ad ejus Canoniz. factis 27. annis ab ejus morte.

YVo in Diœcéſi Trecorénſi natus, júdicis Eccleſiáſtici munus multis annis íntegrè & laudabíliter implévit. Deínde curam animárum hábuit in prima Paróchia per annos octo, in ſecúnda per decem. Ubíque viſus eſt páuperum, viduárum, orphanórum, omniúmque qui fúerint ope deſtitúti, modò pater amantíſſimus, modò acérrimus deſenſor. Quin & omnes facultátes ſuas páuperum eſſe exiſtimans, paſtorálem domū egenórum fécerat commúne hoſpítium. Interim ipſe ſibi durus, vino ábſtinens, cibi parcíſſimus, auſtéro indútus cilício, oratióni aſſíduus, conciónes quas bis terque in die habébat, multis præparábat effúſis in conſpéctu Dómini précibus & lácrymis. Unde audítus eſt tantâ virtúte evangelízans Yvo, ut per illum ipſe Dei Spíritus loqui viderétur. Tandem mul-

tis in ſua & Parochianórum ſalúte curánda labóribus perfúnctus, poſt ſe & ómnia ſua ad commiſſum ſibi miniſtérium impénſa, móritur, anno milléſimo trecentéſimo tértio; dignus, qui Parochis in dies multos ſanctitátis & paſtorális curæ memorétur exémplum mirábile.

DIE XXIV.

S. VINCENTII LIRINENSIS, PRESBYTERI & Monachi.

Simplex.

Omnia de Comm. unius Monachi.

Oratio. Deus, qui nos ádmones. *pag.* xl.

Lectio iij.

Ex ipſius oper. S. Eucherio Lugd. Epiſc. Gennadio, &c.

VIncéntium intra mœnia ſua, & ſancti Lupi Trecénſis Epíſcopi germánum fratrem noſtra hæc ſibi víndicat Leucórum cívitas. Is várias in ſæculo expértus turbas & tempeſtátes, rerum humanárum pertæſus, mundo valedíxit, & in Monaſtérium Lirinénſe, tunc témporis in ínſula maris Mediterránei celebérrimum, ſeceſſit, ut Deo totus vacáret. Nec mínimum ipſe dicto Monaſtério nomen cóntulit; quippe qui ſe ibi pietate probáverit virum, inquit ſanctus Euchérius Lugdunenſis Epiſcopus, intérno gemmárum ſplendóre perſpícuum; nec minus doctrínâ, quam virtutibus floruérit. Sub Peregrini título, celáto ex humilitáte próprio nómine, librum áureum edidit, in quo luculénter & ſólidè certa ſtátuit princípia, tum confutándis ómnium hæréſeon novitátibus, tum cathólicæ veritáti aſſeréndæ in ævum profutúra. Obiit, Theodóſio & Valentiniáno regnántibus. In Martyrológio Románo his commendátur verbis ipſíus memória: In Monaſtério Lirinénſi, ſancti Vincéntii Prebyteri, doctrínâ & ſanctitáte conſpícui.

DIE XXV.

SS. DONATIANI, ET ROGATIANI, IN AREMORICA Martyrum.

Simplex.

Oratio. Exaúdi, Dómine. *pag.* xvij.

Comm. S. Urbani, Papæ, per Antiph. de Comm. unius Pontif.

Oratio. Omnípotens Deus. *pag.* xxiv.

Lectio iij.

Ex eorum actis apud Ruinart.

DOnatiánus & Rogatiánus fratres, Nannétis in Aremórica propter Chriſti religiónem in perſecutióne Diocletiáni & Maximiáni comprehénſi ſunt: ille ætáte matúrior, ac jam baptizátus

hic júnior, & cathecúmenus tantùm. Quare Donatiánus poſtquam interrogátus, Chriſtiánum ſe coram Præſide profeſſus eſt, ſtatim convíctus deſértæ religiónis públicæ, in cárcerem conjícitur. Rogatiánus verò blandítiis & illécebris tentátur, ne à deórum cultu témerè recéderet, aut baptíſma Chriſtianórum expéteret. Sed cùm Præſidi in utróque conſentíre conſtánter recuſáret, in eámdem cuſtódiam cum fratre detrúſus eſt; qui, cùm illum mœſtum ſensíſſet, quòd ſacro baptíſmate nondum tinctus, in mortis diſcrímine verſarétur, & ſacerdótis fuga omnem ſpem illíus ſuſcipiéndi præcidíſſet, orávit Dóminum ut pura fides illi baptíſmatis vicem præſtáret, & Sacraménti grátiam ſánguinis obtinéret effúſio. Quo facto, cùm ambo poſtrídie ante Præſidem dedúcti eſſent, eódem jubénte, in catálta equúlei ſuſpénſi, crudéliter laniáti ſunt. Sed nihilóminus Chriſtum intrépidè confiténtes, lánceâ militári perfóſſi, tandem, cæſis capítibus, martyrium conſummavérunt. Horum précibus Nannéticam civitátem ab obſidione barbarórum liberátam Clodovæi regis tempóribus, ſcribit ſanctus Gregórius Turonénſis Epíſcopus.

In Veſperis, à Capitulo de ſequenti.

Die xxvi.

S. PHILIPPI NERII, Presbyteri.

Simplex.

Omnia de Comm. unius Preſb.

Oratio. Deus, qui ad plebis, *pag.* xxxv.

Lectio iij.

Ex ejus vita, auctoribus Gallon. & Barnab. apud Boll.

Philippus Nérius piis paréntibus Floréntiæ natus, amplâ pátrui hæreditáte dimíſſâ, Romam ſe cóntulit, ubi pœniténtiæ & pietátis quibuſcúmque exercítiis Philoſóphiæ & Theológiæ ſtúdium ſumma cum laude áddidit. Anno ætátis trigéſimo ſexto Présbyter ordinátus, totum ſe tríbuens procurándæ animárum ſalúti, confeſſiónibus audiéndis ad extrémum uſque diem aſſíduus, innúmeros propè fílios Chriſto péperit; atque ut verbi divíni quotidiáno pábulo, ſacramentórum frequéntiâ, & áliis enutriréntur pietátis exercitatiónibus, Oratórii Congregatiónem inſtítuit. Nullum omíſit charitátis offícium, quo egénos & páuperes proſecútus non fúerit, álios cibis & veſtiméntis refíciens, hoſpítio álios excípiens; modò adoleſcéntibus, ſive ad lítteras, ſive ad artes diſcéndas neceſſaria ſubminíſtrans auxília; modò religiónem íngredi voléntibus liberaliter ſubvéniens. Quàm autem altas in eo radíces egerit chriſtiána

humilitas, haud dúbiè aſſéruit, tum ſumma illa, quâ injúrias excépit, patiéntia; tum ea invincíbilis conſtántia, quâ dignitátes etiam primarias non ſemel ultrò oblátas recuſávit. Vigíliis, jejúniis & labóribus conféctus, anno Chriſti milleſimo quingentéſimo nonagéſimo quinto, poſtquam Sacrum máximâ ſpiritûs exultatióne perégit, quâ horâ ipſe prædíxerat, obdormívit in Dómino: quem Gregórius décimus quintus miráculis clarum in Sanctórum númerum rétulit.

DIE XXVII.

S. JOANNIS, PAPÆ ET MARTYRIS.

Simplex.

Oratio. Omnípotens, *pag.* xi.

Lectio iij.

Ex Hiſtor. Theodor. regis Goth. Theoph. Chron. Gregorio Magno Dialog. L. 3. & aliis.

JOánnes Etrúſcus, ex patre Conſtántio, Eccléſiam rexit, dum in Oriénte imperáret Juſtínus ſénior; ad quem, compellénte Theodoríco rege Gothórum Ariáno, qui tunc Itáliam obtinébat, Conſtantinópolim proféctus eſt. Máximo cum honóre pium Pontíficem ſuſcépit Imperátor, & Chriſti Vicárium in eo agnóſcens, ſummamque venerátus poteſtátem pronus in terram prócidit. De Joánne illud mirábile, inquit Gregórius Magnus, à noſtris ſenióribus narrari ſolet, quòd in Conſtantinopolitána urbe, ad portam quæ vocátur Aurea, véniens, populórum turbis ſibi occurréntibus, in conſpéctu ómnium rogánti cæco lumen réddidit, & manu ſuperpóſitâ oculórum ténebras fugávit. Illum à Juſtíno reverténtem Ravénnæ cum dolo ſúſcipit Theodorícus, & in cárcerem detrúdit; ubi ſqualóre & inédiâ conféctus, móritur anno ſalútis quingenteſimo vigéſimo ſexto. Corpus ejus Ravénnâ Romam delatum, in Baſilica ſancti Petri ſepúltum eſt.

DIE XXVIII.

S. GERMANI, EPISCOPI PARISIENSIS.

Simplex.

Oratio. Exaúdi, *pag.* xxiv.

Lectio iij.

Ex ejus vita, auctore Venant. Fortun. Pictav. Epiſc.

GErmánus honéſtis paréntibus apud Æduos natus, ſacro Presbyterátûs órdine ſuſcépto, factus eſt ex Mónacho primùm Abbas ſancti Symphoriáni, Auguſtodunénſis, deínde Pariſienſis Epíſcopus. In Epiſcopatu nihil de ea remíſit vitæ auſteritáte, quam in Monaſterio égerat. Horâ noctis tértiâ Eccléſiam ingréſſus, non recedébat ante dilúculum,

cæteris de clero per tres vigilias ſibi invicem ad pſalléndum ſuccedéntibus. Ita Deo erat inténtus, ut de illo ſemper aliquid in privátis conférret colloquiis; lectiónes ſacras ad menſam ádhibens, & dum iter ágeret, curſum canónicum nudo perſolvens capite. Mira ejus in páuperes fuit beneficéntia; quæ ei Childebértum regem ita conciliavit, ut ex ærario público ad pias largitiónes ingéntem ei pecúniam ſubminiſtráret. Quem apud Cellos in pago Melodunénſi ægrotántem ſanitati reſtitúerat, Rex ipſam villam in hujus miráculi gratitúdinem Eccléſiæ Pariſienſi donávit. Caribértum reprehendit quòd uxóris ſororem duxiſſet, eíque ſacris interdíxit. Sedit in Concíliis Pariſiénſibus tértio & quarto, & in Turonénſi ſecundo. Multis clarus miráculis, prænuntiáto mortis die, in pace quiévit anno quingenteſimo ſeptuagéſimo ſexto. Corpus ejus in Baſilica ſancti Vincéntii ſepúltum eſt: quæ nunc ſancti Germáni à Pratis ex ejus nómine dícitur.

DIE XXIX.

S. MAXIMINI, TREVIRENSIS EPISCOPI.

Simplex.

Oratio. Omnípotens, *pag.* xxiv.

Lectio iij.

Ex Hier. Chron. ad ann. 343. *Athan. Apolog.* 1. *Hilar. fragm. ex variis Conciliis. & aliis Script.*

Maximínus ſub Conſtantíno, & fílio ejus Conſtánte, Trevirénſem insígnem Galliárum rexit Eccléſiam. Jam claro nótus erat nómine cùm Arianórum criminatiónibus relegátum magnum Athanáſium ſuſcépit, non ut éxulem, ſed ut orthodóxæ fidei víndicem: cujus zelum in Arianos imitatus, eórum maledicta & anathémata cum Athanáſio, Paulo, Oſio, Júlio excípere méruit. Honorífice quoque ſuſcépit ſanctum Paulum Conſtantinopolitánum pro fídei negótio è ſua ſede pulſum. Cùm autem Ariáni, ex quo cauſâ ſuâ in Concilio Nicæno ceciderant, nihil non movérent ut Conſtántem, & Július Románum Pontíficem Athanáſii deſensóres ártibus ómnibus capiárent, utrumque Maximínus tutum præſtitit ab eorum insídiis, ſubdolum ſemper ſuſpicátus quidquid Verbi divíni conſubſtantialitátem apertè non confiterétur. Concilio Mediolanénſi, &, poſt biénnium, Sardicénſi ſuá apud Conſtántem auctoritáte & précibus convocato intérfuit; effecítque ut Athanáſius & Paulus ſuis ſédibus redderéntur. Obiit vir zeli verè Apoſtolici, circa annum trecentéſimum quadragéſimum nonum.

Die xxx.

S. FELICIS, PAPÆ ET MARTYRIS.

Simplex.

Oratio. Fac nos, Dómine, *pag.* xj.

Lectio iij.

Ex Euſeb. Hiſtor. Lib. 7. Cap. 30. Concil. Epheſ. Vincent. Lirin. & aliis.

Felix commúni cleri & pópuli ſuffrágio ad Sedem Románam poſt ſanctum Dionyſium evéctus eſt, imperánte Cláudio. Ad Máximum Alexandrínum Epíſcopum ſcripſit epíſtolam, in qua erróres Pauli Samoſaténi jam in Concílio Antiochéno anathémate percúſſos, ipſe damnávit. Illíus verbis & auctoritáte poſtmodum uſus eſt ſanctus Cyríllus Alexandrínus advérsùs Neſtórium. Exórtâ ſub Aureliáno Imperatóre, gravi perſecutióne, fidéles ad perferénda fórtiter pro Chriſti nómine torménta hortátus eſt Felix, & ipſe certáminis ſtádium ingréſſus, hóſtium fídei victor éxtitit. Eum Mártyrem vocant ſanctus Cyríllus Alexandrínus, & Patres Concílii Ephesíni œcuménici. Eccléſiam rexit annis círciter quinque, & in Cœmetério Callíſti ſepúltus eſt.

FESTA JUNII.

Die ii.

SS. POTHINI, Lugdunensis Episcopi, & ſociórum Martyrum.

Simplex.

Oratio. Mártyris tui Pothíni, *pag.* xvij.

Comm. SS. Marcellini & Petri, Martyrum.

Oratio. Exaúdi, *pag.* xvij.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Epíſtola Eccleſiárum Viennénſis & Lugdunénſis, ad Eccléſias Aſiæ & Phrygiæ.

Apud Euſ. Hiſt. L. 5. Cap. 1.

Beatíſſimus Pothínus Eccléſiæ Lugdunénſis Epíſcopus, nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix ſpíritum trahens, ſed præ cupiditáte martyrii mirâ alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quò à milítibus perlátus, proſequéntibus ipſum Magiſtrátibus civitátis, & univérſâ plebe váriis eum clamóribus impeténte, tamquam ipſe Chriſtus eſſet, egrégium edidit teſtimónium. Interrogátus à Præſide quiſnam eſſet Chriſtianórum Deus, reſpóndit: Si dignus fúeris, cognóſces. Poſt hæc inhumánè raptátus, & innúmeris plagis affectus eſt; cum ii qui-

dem, qui propiùs aſtabant, calcibus & pugnis illum contumeliosè appéterent; qui vero longiùs diſtabant, quidquid ad manum erat, in ipſum conjicerent; omnes dénique graviſſimi piáculi reos ſe exiſtimárent, niſi pro ſua quiſque parte ei petulánter inſultárent. Exinde vix adhuc ſpirans, in cárcerem projéctus eſt, tandémque poſt bíduum ánimam exhalávit.

Lectio v.

MAtúrus verò Neóphytus, & Sanctus Diáconus Viennénſis cum Blandína ancilla & Attalo ducti ſunt ad béſtias in amphiteátrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus conſuéta illic flagrórum vérbera pertulérunt, & beſtiarum ipſos trahéntiū morſus, ipſam poſtremò ferream cáthedrā, cui ſuperpoſita Mártyrum membra cùm torreréntur, illórum nares moleſtiſſimus nidor implébat. Hi ergo máximo certámine perfúncti, tandem juguláti ſunt. Blandína autem ad palum ſuſpénſa, béſtiis objécta eſt. Quæ cùm in crucis ſpeciem ſuſpenſa cerneretur, Deoque inténtiſſimè ſupplicaret, maximam alacritátem addebat certántibus; quippe qui ſub ſorória perſonâ cernerent illum qui pro ipſis crucifixus eſt. Cùmque nulla tunc béſtia corpus ejus attigiſſet, depóſita ex ſtípite, rurſus in cárcerem conjicitur, in áliud certámen reſerváta.

Lectio vj.

INeŭnte ígitur ſolémni apud nos mercátu, Præſes addúci jubet Mártyres ad tribúnal, tamquam in theatráli pompa eos pópulis oſténtans. Cùmque illos dénuo interrogáſſet, quicúmque cives Románi repérti ſunt, cápite truncávit; réliquos trádidit béſtiis. Cæterùm ingens glória accéſſit Chriſto per eos qui priùs quidem negáverant, tunc verò confitebántur fidem. Quibus exámini ſubjéctis, Alexánder natióne Phryx, profeſſióne médicus, plures jam annos morátus in Gálliis, cùm illos ad fídei confeſſiónem nútibus hortarétur, cunctis qui tribúnal circúmdabant, tamquam partúriens videbátur. Inſtans illico Præſes interrogávit eum quis eſſet. Qui cùm Chriſtiánum ſe eſſe dixíſſet, irátus judex eum ad béſtias damnávit. Poſtrídie ígitur unà cum Attalo ingréſſus eſt; nam & hunc Præſes béſtiis íterum tradíderat. Ambo itaque cùm ómnia tormentórum génera in amphiteatro ſuſtinuiſſent, gladio percuſſi ſunt. Ultimo tandem ſpectaculórum die, Blandína rurſus illáta eſt, unà cum Póntico adoleſcénte quíndecim círciter annos nato. Et Pónticus quidem cuncta ſupplícia generosè perpeſſus, emíſit ſpíritum. Beata verò Blandína, poſt béſtias, poſt ſartáginem, re-

tículo inclúſa, tauro objécta eſt, à quo diu in altum jactáta, tandem & ipſa inſtar víctimæ juguláta eſt.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 6. v. 17.

In illo témpore; Deſcéndens Jeſus de monte, ſtetit in loco campéſtri, & turba diſcipulórum ejus, & multitúdo copióſa plebis ab omni Judæa, & Jerúſalem, & marítima, & Tyri, & Sidónis. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

De cura gerend. pro mort. Cap. 6.

Legimus in Eccleſiáſtica hiſtória, quam Græcè ſcripſit Eusébius, & in Latínam linguam vertit Ruffínus, Mártyrum córpora in Gállia cánibus expóſita, canúmque reliquias atque oſſa mortuórum uſque ad extrémam conſumptiónem ígnibus concremáta; eosdémque cíneres flúvio Rhódano, ne quid ad memóriam qualemcúmque relinquerétur, inſpérſos. Quod non ob aliud credéndum eſt divínitùs fuíſſe permíſſum, niſi ut diſcerent Chriſtiani, in confitendo Chriſtum, dum contémnunt hanc vitam, multò magis contémnere ſepulturam. Hoc enim quod ingénti ſævítia de corpóribus Mártyrum factum eſt, ſi eis quidquam nocéret, quóminus beátè requiéſcerent eórum victorioſiſſimi ſpíritus, non útique fieri ſinerétur.

Si S. Pothini Officium transferatur, Lectio ſequens dividetur in duas ad Aſteriſcum, & ſic in alio Officio novem Lectionum, cùm eadem recurrit occaſio.

Lectio viij. Cap. 6. 7. & 8.

Re ipſa ergo declarátum eſt, non ideò dixíſſe Dóminum: Nolíte timére eos qui corpus occídunt, & póſtea non habent quid fáciant, quòd non eſſet permiſſurus aliquid eos fácere de ſuórum corporibus mortuórum; ſed quóniam quidquid fácere permíſſi eſſent, nihil, quo minuerétur Chriſtiána defunctórum felícitas, fieret; nihil inde ad ſenſum poſt mortem vivéntium perveniret; nihil ad detriméntum ſaltem ipsórum córporum, quominus íntegra reſúrgerent, pertineret. * Et tamen ex illo humáni cordis afféctu, quo nemo umquam carnem ſuam ódio habet, ſi cognóſcant hómines áliquid poſt mortem ſuam ſuis corpóribus defutúrum, quod in ſua cujúſque gente vel pátriâ poſcit ſolémnitas ſepulturæ, contriſtantur ut hómines: & quod ad eos poſt mortẽ non pértinet, ante mortem ſuis corpóribus timent... Hunc afféctum Mártyres Chriſti pro veritáte certántes vicé-

runt: nec mirum quia contempſérunt quod non fúerant peráctâ morte ſenſúri, qui non potuérunt eis, quos vivéntes ſentiébant, cruciátibus vinci.

Lectio ix.

De Ss. Marcellino & Petro, ex Carmin. S. Damaſi Papæ.

Diocletiáno & Maximiáno imperántibus, Marcellínus Eccléſiæ Románæ Présbyter, & Petrus Exorcíſta pro Chriſto cápite truncáti ſunt in ſylva quæ nunc Cándidæ nomen habet: ibi urbs poſtmodum ædificáta eſt, & ſedes Epiſcopális fixa. Horum córpora in altam ſpecum juſſu Júdicis projécta, & hinc Mártyrum revelatióne edúcta, honoríficè ſepúlta ſunt. Hæc Dámaſus ſummus Póntifex ſcripto à ſe cármine memóriæ trádidit: quæ olim adoléſcens ab ipſo ſanctórum Mártyrum carnífice didiciſſe affírmat. Eórum córpora témpore Ludovíci Pii Imperatóris, Francorúmque Regis, Eginhárdo teſte & ſcribénte, in Germániam tranſláta ſunt.

Die iii.

SANCTÆ CLOTILDIS, Reginæ Francorum, Viduæ. *Semiduplex.*

Oratio.

Reſpice, Dómine, ad Francórum benígnus impérium, & quibus per devótam ſanctæ Clotíldis inſtántiam donum fidei contuliſti, iiſdem nunc per ejus interceſſiónem tríbue ſincérum Chriſtianæ pietátis afféctum; Per Dóminum, &c.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Hiſtor. Francorum.

Clotíldis Chilperíci Burgundiónum Regis fília, poſt paréntum necem à pátruo Gundobáldo Rege educáta, Clodovæo adhuc éthnico in cónjugem trádita eſt. Cùm primogénitum peperíſſet, eum, toleránte magis quàm approbánte Clodovæo, baptizári vóluit. Quo infánte in albis defúncto, id ægrè ádmodùm tulit Clodovæus, ac baptíſmo imputávit, áſſerens deos pátrios ob contémptum núminis ſui iratos, ſibi filium eripuíſſe. At illa, Deo, inquit, omnipoténti, Creatóri ómnium grátias ago, qui me non uſquequáque judicávit indígnam, ut de útero meo génitum regno ſuo dignarétur aſcíre.

Lectio v.

Alterum fílium génuit Regína, & hũc quoque baptizári vóluit: qui cùm ægrotáre cœpíſſet, affirmánte Rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus conváluit. At Regína non ceſsábat hortári virum, ut abjéctâ idolola-

tríâ, Deum verum cóleret: Sed ille ſuperſtitióni Francórum adhæſit; donec in expeditióne Alamánnicâ inclinátam cernens ſuorum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Chriſti imploráto, de hóſtibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei geſtæ cognóvit, ſanctū advocávit Remígium, à quo Rex baptizátus, & Chríſmate ſacro inúnctus eſt.

Lectio vj.

POſt mortem Clodovæi, Turónos ádiit Clotíldis, ibíque ad ſepúlchrum ſancti Martíni ſummâ pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemóſynis, aliíſque piis opéribus júgiter inténta, munífica erga Eccléſias & Monaſtéria. Clodoméris in bello Burgúndico occíſi fílios, nepótes ſuos, Theodováldum, Guntárium & Clodoáldum ſummâ curâ educávit. Tandem plena diérum, Turónis migrávit ad Dóminum; & Paríſios inter pſalléntium choros tranſláta, ſepúlta eſt à fíliis Childebérto & Clotário Régibus ad latus Clodovæi, in ſacrário Baſílicæ ſancti Petri, ubi corpus ſanctæ Genovéfæ quiéſcit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13. v. 44.

IN illo tempóre; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hanc: ſímile eſt regnum cœlórum theſáuro abſcóndito in agro; quem qui invénit homo, abſcóndit, & præ gáudio illius vadit, & vendit univérſa quæ habet, & emit agrum illum. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 11. in Evang. n. 1.

COelórum regnum, fratres chariſſimi, idcírco terrénis rebus símile dícitur, ut ex his quæ ánimus novit, ſurgat ad incógnita: quátenus exémplo viſibílium ſe ad inviſibília rápiat, & per ea quæ uſu dídicit, quaſi confricátus incaléſcat; ut per hoc quod ſcit notum dilígere, diſcat & incógnita amáre. Ecce enim cœlórum regnum theſáuro abſcóndito in agro comparátur; quem qui invénit homo, abſcóndit, & præ gáudio illius vadit, & vendit univérſa quæ habet, & emit agrum illum.

Lectio viij.

QUa in re hoc quoque notándum eſt, quòd invéntus theſáurus abſcónditur, ut ſervétur: quia ſtúdium cœleſtis deſidérii à malígnis ſpirítibus cuſtodíre non ſúfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abſcóndit. In præſénti étenim vita quaſi in via ſumus, quâ ad pátriam pérgimus: malígni autem ſpíritus iter noſtrum quaſi quidam latrúnculi obſídent. Deprædári er-

go deſíderat, qui theſáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera noſtra bona non vídeant, cum ſcriptum ſit: Vídeant ópera veſtra bona, & glorífícent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt; ſed ut per hoc quod ágimus, laudes extérius non quærámus. Sic autem ſit opus in público, quátenus inténtio máneat in occúlto: ut & de bono ópere próximis præbeámus exémplum; & tamen per intentiónem, quâ Deo ſoli placére quærimus, ſemper optémus ſecrétum.

Lectio ix.

Theſáurus autem, cœléſte eſt deſíderiũ; ager verò in quo theſáurus abſcónditur, diſciplína ſtúdii cœleſtis. Quem profécto agrũ vénditis ómnibus cómparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta ſua terréna deſidéria per diſciplínæ cœléſtis cuſtódiam calcat; ut nihil jam quod caro blandítur, líbeat; nihil quod carnálem vitam trucídat, ſpíritus perhorréſcat.

D I E V.

SANCTI BONIFACII, MOGUNTINI EPISCOPI & Martyris. *Simplex.*

Oratio. Fac nos, Dñe, *pag.* xj.

Lectio iij.

Ex ejus vita Auctor. Willibaldo, Otholono, & apud Mabil. ſæcul. 2. *Bened.*

Bonifácius in majóri Británnia nóbili génere natus, à patre ſepténnis in Monaſtérium ductus, pietáte & rerum divinárum ſciéntiâ excélluit. Présbyter ordinátus, creſcénte in dies illíus famâ eò quòd ſingularem in tractándis negótiis Eccleſiáſticis exhibéret perítiam, ipſe ſibi fugâ conſuléndum ratus, obténtâ Abbátis licéntiâ, Fríſiam áppulit, Evangélium infidélibus annuntiatúrus. Sed meſſe nondum matúrâ, in pátriam redíre cógitur. Abbas eléctus, ut onus refúgiat, Romam proficíſcitur; ubi à Gregório ſecúndo benígnè excéptus, in Germániam míttitur, qui Evangélium prædicáret. Ob inſígnem Evangélii fructum, Romam poſt annum revocátus, conſecrátur Epíſcopus, & Apoſtólici Legáti dignitáte auctus, remíttitur in Germániam. Vix credíbile eſt quantis labóribus opus Evangélicum provéxerit. Sedem Moguntínam ſuſcípere coáctus, cùm illam Eccléſiã annos áliquot ſanctíſſimè adminiſtráſſet, ſuffécto in locum ſuum ſancto Lúllio Epíſcopo, ipſe ad prædicándum Fríſiis Evangélium íterum progréditur. Ibi cùm innúmeros propè ad Chriſti fidem convertíſſet, martyrio coronátur, anno Chriſti ſeptingentéſimo quinquageſimo quinto.

Veſperæ de ſequenti.

DIE VI.

S. NORBERTI MAGDEBURGENSIS EPISC. Ordinis Præmonſtratenſis Inſtitutoris.

Duplex 4. Claſ.

Oratio. Exáudi, *pag.* xxiv.

Comm. S. Claudii, Veſuntini Epiſcopi.

Oratio. Omnípotens, *pag.* xxiv.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

NOrbértus, Sanctis, Clíviæ óppido, in Diœcéſi Coloniénſi natus, génere nóbilis, liberálibus diſciplínis óptimè eruditus adoléſcens, Eccleſiáſticæ milítiæ aſcríbitur, & ſacris initiátur. Nec adhuc mundi tunc vícerat illécebras, cùm iter quondam fáciens, crepitánte tónitrûs fragóre, fulgurántibus è cœlo crebris ígnibus, & ruénte haud procul fúlmine térritus, & humi ſtratus, ad melióra ſe convértere propóſuit; nec à terra ſurréxit, niſi ut propóſitum mox exequerétur.

Lectio v.

IGitur, relíctâ Imperatóris aulâ, abdicátis beneficiis Eccleſiáſticis, & património in páuperes erogáto, auſteriórem vitam ampléctitur, pellíceâ melóte indútus, ſemel in die ad véſperam ſolo ſe paſcens cibo quadrageſimáli, nudíſque pédibus & lácerâ veſte ſub brumáli frígore incédens. Inſuper & in divíni verbi prædicatióne contínuus, ópere & ſermóne ſic potens factus eſt, ut innúmeros hæréticos ad fidem; peccatóres ad pœniténtiam; diſſidéntes ad concórdiam revocáverit. Cùm eſſet Laudúni, à Bartholomæo Epíſcopo rogátus ne à ſua Diœcéſi diſcéderet, deſértum in ea locum, qui Præmonſtrátus dicebátur, ſibi delégit; ex quo totus Ordo, quem ibi ſub régula ſancti Auguſtíni inſtítuit, nomen accépit.

Lectio vj.

ANtuérpiam accerſítus, graſſántem in ea urbe Sacramentáriam & Adamíticam Tanchelini hæreſim profligavit. Qui multò ante oblátum ſibi Cameracénſem Epiſcopátum recuſáverat, ad Magdeburgénſem ſedem Lothárii Imperatóris précibus, & Legáti Apoſtolici juſſu póſtea raptus, eccleſiaſticam diſciplínam, præſertímque ſacrórum miniſtrórum cœlibátum conſtanter propugnávit. Remis in Concilio Innocéntium ſecúndum egrégiè adjúvit; & Romam cum áliis Epíſcopis profectus, ſchiſma Petri Leónis compréſſit, Innocéntio ſuæ Sedi réddito. Exáctis in Pontificátu annis fere octo, ábiit ad Dómi-

num anno milléſimo centéſimo trigeſimo quarto; & à Gregório decimo tértio in númerum Sanctórum aſcríptus eſt, miraculis ante & poſt mortem illuſtris.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24. v. 42.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vigiláte, quia neſcitis quâ horâ Dóminus veſter venturus ſit. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

Serm. 46. de Paſtoribus, tom. 5. Edit. Bened. n. 2.

NOs quos in iſto loco, de quo periculóſa rátio rédditur, Dóminus ſecúndùm dignatiónem ſuam, non ſecundùm méritum noſtrum conſtituit, habémus duo quædam: unum, quòd Chriſtiáni ſumus; álterum, quòd Præpóſiti ſumus. Illud quòd Chriſtiáni ſumus, propter nos eſt; quòd autem Præpóſiti ſumus, propter vos eſt. In eo quòd Chriſtiáni ſumus, attènditur utílitas noſtra: in eo quòd Præpóſiti ſumus, nonníſi veſtra. Sunt autem multi Chriſtiáni, & non Præpóſiti, qui pervéniunt ad Deum facilióre fórſitan itínere, & tantò fortè expedítiùs ambulántes, quantò minórem ſárcinam portant.

Lectio viij.

NOs autem, excépto quòd Chriſtiáni ſumus, unde ratiónem reddémus Deo de vita noſtra, ſumus étiam Præpóſiti, unde ratiónem reddemus Deo de diſpenſatióne noſtra. Ad hoc iſtam difficultatem propóno, ut compatiéntes nobis, orétis pro nobis.... Véniet dies quo cuncta addücántur in judícium: & ille dies, ſi ſæculo longè eſt, unicuíque hómini vitæ ſuæ últimus propè eſt. Tamen utrúmque latére Deus vóluit; & quando véniat dies últimus ſæculi, & quando ſit in unoquóque hómine hujus vitæ finis.* Vis non timére diem occúltum? Dum vénerit, invéniat te parátum. Cùm ergo Præpóſiti ad hoc ſint, ut his qui ſubjécti ſunt, cónſulant, non in eo quòd præſunt, utilitátem ſuam atténdant, ſed eórum quibus miniſtrant. Quiſquis ita Præpóſitus eſt, ut in eo quòd Præpóſitus eſt gáudeat, & honórem ſuum quærat, & cómmoda ſua ſola reſpíciat, ſe paſcit, non oves.

Lectio ix. de S. Claudio.

Ex Mabill. ſæculo 2. Bened.

CLáudius Veſuntionénſis Epíſcopus ſubſcripſit Concílio Epaonénſi anno Chriſti quingentéſimo décimo ſeptimo, & Concilio Lugdunénſi anno ſequénti; in quibus multa circa diſciplínam eccleſiáſticam egré-

giè ſancíta ſunt. Cùm ſedem ſuper annos ſeptem ſumma cum laude tenuíſſet, abdicáto Epiſcopátu, ad Juréſe Monaſtérium ſe cóntulit, ubi monaſtici inſtitúti régulam ampléxus eſt. Injurióſo illíus cœnóbii ſanctíſſimo Abbáte vitâ functo, ómnium votis expetítus, in ejus locum ſufficitur: cui Monaſtério per annos quinquagínta tráditur præfuíſſe. Dénique longa vitæ ſpátia eménſus, & méritis plenus, ábiit ad Dóminum anno Chriſti quingentéſimo octogéſimo primo. Corpus ejus uſque nunc incorrúptum & íntegrum ſervátur in Jurénſi Monaſtério, quod ob ejus ſanctitátis celebritátem ab áliquot ſæculis ſancti Cláudii nomen óbtinet.

DIE VIII.

S. MEDARDI,

NOVIOMENSIS EPISCOPI.

Semiduplex.

Oratio. Da Eccléſiæ, *pag.* xxiv.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Fortunato Pictav. Gregor. Tur. &c.

Medárdus, apud Salentíacum, in pago Viromanduénſi natus, à paréntibus piè inſtitútus, magna dedit à primis annis futúræ ſanctitátis indícia. Cùm enim ſcholas adhuc puérulus frequentáret, páuperis nudi miſértus, túnicam ſuam éxuit, ut illum veſtíret. Cibos étiam in prándium ſibi datos non ſemel egénis diſtríbuit, jejúnus ipſe diem ad véſperam uſque tradúcens. His & áliis quibus elucébat virtútibus jam laudándus júvenis, Viromanduénſi Epíſcopo tráditus eſt, ut in Clericórum número aſcriberétur.

Lectio v.

Creſcéntibus cum ætáte méritis & doctrínâ, ad altióres gradus aſcéndit. Présbyter conſecrátus, promovéndæ animárum ſalúti totus incúbuit, verbo Dei inſtans, aſſíduè próximi neceſſitátibus próvidens, ſuámque diligénter in ómnibus paſtorális curæ negótiis Epíſcopo cónferens óperam. Longè olébant præcláræ ipsíus virtútes, cùm Viromanduórum Epiſcopátum, multórum iterátis précibus victus, regéndum ſuſcépit; ac ſedem, eò quòd Augúſta Viromanduórum à Vándalis & Hunnis eſſet evérſa, Noviómi, in óppido muníto, collocávit.

Lectio vj.

Interim ſanctus Eleuthérius, Tornacénſis Epíſcopus, móritur. Poſt cujus exéquias, cùm clerus & pópulus Tornacénſis Medárdum ſibi dari Epíſcopum

ibi diſcípulos Dóminum Jeſum Græcis annuntiáſſe, cùm vidíſſet grátiam Dei, gavíſus eſt, & hortabátur omnes in propóſito cordis permanére in Dómino. Proféctus eſt inde Tharſum ut quæreret Paulum, quem cùm inveníſſet, perdúxit Antiochíam: & annum totum conversáti ſunt ibi in Eccléſia, & docuérunt turbam multam; ita ut cognominaréntur primùm Antiochíæ diſcípuli, Chriſtiáni. *Lectio v.*

ORtâ fame ab Agabo prædictâ, colléctas eleemóſynas ad fratres in Judæa habitántes, cum Paulo détulit. Quo expléto miniſtério, revérſi ſunt, aſſúmpto Joánne, cui cognómen erat Marcus. Cùm autem Antiochíæ in Eccléſia cum cæteris prophétis & doctóribus miniſtrárent Dómino, & jejunárent, dixit Spíritus ſanctus: Segregáte mihi Saulum & Bárnabam in opus ad quod aſſúmpſi eos. Tunc jejunántes, & orántes, imponentéſque eis manus, dimiſérunt eos. Itaque Seléuciam venérunt, inde Cyprum: ac multas prætérea urbes regionéſque peragrárunt, prædicántes Evangélium, & conſtituéntes per ſíngulas Eccléſias Presbyteros. *Lectio vj.*

CUm autem Lyſtris propter claudum à Paulo ſanátum pro diis haberéntur, vocaréntque turbæ Bárnabam, Jovem; Paulum verò, Mercúrium, vix deterruérunt turbas ne ſibi immolárent. Revérſi Antiochíam, ortâ ibi ſeditióne propter Judæos, qui volébant gentes ad Deum convérſas circumcídi, rem ad Apóſtolos retulérunt, qui in Concílio Jeroſolymitáno ſuper ea re decrétum ſtatuérunt, remiſerúntque eos ad Eccléſiam Antiochíæ, adjúnctis Judâ & Silâ, ſcribéntes per manus eórum. Poſtrémò Bárnabas digréſſus à Paulo, unà cum Marco navigávit in Cyprum. Multis demũ perfúnctus pro Chriſto labóribus, glorióſo fine quiévit. Refert Alexánder Cyprius corpus ejus in ínſula Cypro, Zenóne imperánte, repértum eſſe, ad cujus pectus erat Evangéliũ Matthæi, ipsíus Bárnabæ manu conſcríptum.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10. *v.* 16.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Ecce ego mitto vos ſicut oves in médio lupórum. Eſtóte ergo prudéntes ſicut ſerpéntes, & símplices ſicut colúmbæ. Et réliqua.

Homilía ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 33. *in Matth. aliàs* 34. *n.* 1.

POſtquam Chriſtus omnem curam à diſcípulis

ejécerat, ac ſignórum ſpectáculo muníerat, & quaſi férreos adamantinóſque reddíderat, ſæculáribus ómnibus ſuperióres, & ab omni temporánea ſollicitúdine liberátos; demum illa prædicit mala, quæ ipſos invasúra erant: non ſolum ea quæ paulò poſt futúra, ſed étiam ea quæ poſt multum témporis erant eventúra, diu antè illos ad bellum præparans contra diábolum ſuſcipiéndum. Multa enim hinc bona emergébant; primò, quòd ipsíus præſciéntiæ vim agnóſcerent; ſecúndò, quòd nemo ſuſpicári poſſet hæc mala ob doctóris imbecillitátem evenire; tértiò, ne ii qui hæc paſsúri erant percelleréntur, ſi hæc inexpectáta ac præter ſpem accidiſſent; quartò, ne hæc crucis témpore audiéntes, turbaréntur.

Lectio viij.

IAm verò ut intélligant novam eſſe hanc bellándi legem, & inaudítum aciéi modum, cùm nudos mittat, unâ indútos túnicâ, ſine cálceis, ſine virga, ſine cíngulo vel pera, quos ali jubet ab excipiéntibus; non hîc dicéndi finem facit; ſed ſuam oſténdens ineffábilem poténtiam, dicit: Sic abeúntes óvium manſuetúdinem exhibéte, etiámſi contra lupos itúri, nec modò contra lupos; ſed étiam in médio lupórum. Neque tantùm óvium manſuetúdinem jubet habére, ſed étiam ſimplicitátem colúmbæ. Sic præſertim meam oſténdam fortitúdinem, cum oves lupos vícerint, etiamſi in medio lupórum ſint, & innúmeris morſibus lacerentur, nec modò non deleantur, ſed étiam lupos convértant.

Lectio ix.

MAjus certè atque mirabilius eſt voluntátem adverſariórum mutáre, animúmque transformáre, quàm illos occídere: & hæc cùm illi duódecim eſſent tantùm, & totus orbis lupis eſſet plenus. Erubeſcámus ígitur qui contra faciéntes, quaſi lupi inimícos invadimus. Quámdiu enim oves ſumus, víncimus, atque etſi innúmeris circúmdati lupis, ſuperámus. Si verò lupi efficiámur, víncimur: paſtóris quippe auxílio deſtitúimur. Non enim ille lupos, ſed oves paſcit; tunc autem te relínquit, ac diſcédit: quia non ſinis illum virtútem ſuam oſténdere.

Ad Bened. *Ant. t.* I. *a.* Bárnabas hortabátur omnes in propóſito cordis permanére in Dómino; quia erat vir bonus, & plenus Spíritu ſancto, & fide. *Act.* 11. 23. 24.

Oratio.

DEus, qui beátum Bárnabam plenum fide & Spíritu ſancto ad opus vocatiónis & converſiónis Géntium aſsúmere dignátus es;

concéde, ut mémores óperis & charitátis ejus, Evangélio Chriſti, quod prædicávit, dignè conversári mereámur; Per eúmdem.... in unitáte ejúſdem Spíritûs, &c.

Ad 2. Veſp. Antiph. Capit. Hymnus, & ℣. de Communi.

Ad Magnif. *Ant. t. 5. a.* Bárnabas & Paulus tradidérunt ánimas ſuas pro nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti. *Act.* 15. 26.

Die xiii.

S. ANTONII DE PADUA, ORDINIS MINORUM

Simplex.

Omnia de Communi unius Cœnobitæ.

Oratio.

Eccléſiam tuam, Deus, beáti Antónii ſolémnitas votíva lætíficet: ut ſpirituálibus ſemper muniátur auxíliis, & gáudiis pérfrui mereátur ætérnis; Per, &c.

1. *& 2. Lectio de Script. Occur. fit una Lectio ex ſecunda & tertia.*

Lectio iij.

Ex Bartholomæo Tridentino, & ex ejus vita apud Bolland.

Antónius (de Pádua dictus, propter frequéntem illuc peregrinórum concúrſum ad ſacrum illíus corpus peregrégio iſtic ſacéllo cónditum) Ulysbonam Luſitániæ civitátem patriam hábuit. Is ne quæ ſuam innocéntiam labes inficeret; ut quod à púero ſuſcéperat propóſitum, ſerváret júvenis, ſpretis mundi illécebris, Canonicórum Regulárium inſtitúto ſe obſtrínxit; ibíque virtútis ſtúdio aſſíduam in perlegéndis Pátribus áddidit óperam, quâ confutándis témporis ſui erróribus par fieret. Martyrii deínde incénſus deſidério, ad Franciſcanórum Ordinem tránſiit; moxque ſanguinem pro Chriſti nómine fundéndi ſpe animóſus, Saracenórum terræ áppulit. Verùm advérſæ valetúdinis neceſſitáte ad fidélium partes redíre coáctus, dum ad Hiſpániæ líttora applicáre cogitáret, vi ventórum in Siciliam delátus eſt, unde Aſſíſium ad Capítulum Generale venit. Sacris initiátus ordínibus, verbíque divíni tráditus miniſtério, injúnctum ſibi officium ſumma cum diligéntia perégit, non minóri fructu. Nec fácile per partes reférre, quot vicos, quot civitates circuíerit, quot ignáros ad lumen, quot errantes ad viam, quot peccatóres redúxerit ad pœniténtiam: tanto divínæ eloquéntiæ thesáuro dives ut Arca teſtaménti diceretur; tantâque obséſſus audiéntium multitúdine, ut ſæpiùs in campum edúcere cogerétur. Multis dénique pro Chriſti nómine perfúnctus labóribus, móritur anno milléſimo ducentéſimo trigéſimo pri-

mo. Cui, præ miraculorum & meritórum glória, Gregórius nonus Sanctórum honóres decrévit.

DIE XIV.

TRANSLATIO S. MANSUETI TULLI Leucorum Apoſtoli, & primi Epiſcopi.

Duplex 2. Claſ.

AD I. VESPERAS.

Fructus ex Manſueti miſſione futuri prædicuntur.

Pſalmi de Feria; & ſic in toto Officio.

Ant. t. 1. d. ECce ſuper montes pedes evangelizántis, & annuntiántis pacem. *Nah.* 1. 15.

Ant. t. 4. e. Erúdiet illum Dóminus in judício; Deus ſuus docébit illum. *Iſ.* 28. 26.

Ant. t. 5. a. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet: in bráchio ſuo congregábit agnos, & in ſinu ſuo levábit. *Iſ.* 40. 11.

Ant. t. 6. f. Idóla pénitus conteréntur: projíciet homo ſimulácra quæ fécerat, ut adoráret. *Iſ.* 2. 18. 20.

Ant. t. 8. g. Vocábunt eos, Pópulus ſanctus, redémpti à Dómino. *Iſ.* 62. 12.

Capitulum. Iſ. 66. 19.

MIttam ex eis qui ſalváti fúerint, ad eos qui non audiérunt de me: & annuntiábunt glóriam meam géntibus.

℟. Ecce teſtem pópulis dedi eum, ducem ac præceptorem géntibus. * Ecce gentem quam neſciébas, vocábis: & gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current, propter Dóminum Deum tuum. ℣. Et erit: In loco, ubi dictum eſt eis: Non plebs mea vos: ibi vocabúntur filii Dei vivi. * Ecce. Glória. * Ecce. *Iſ.* 55. 4. 5. *Rom.* 9. 26.

HYMNUS.

NOſtræ concínimus gentis Apóſtolum,
Per quem rellígio trádita pátribus,
Erroríſque jugo líbera cívitas
Fructus prótulit úberes.

Ad nos, ſpontè ſuis fínibus éxulans,
Miſſus Sede Petri, prótinùs ádvolat:
Merces eſt óperis, ſi pia cónſecret
Vero péctora Númini.

Ut Manſuétus adeſt, mox nova lux micat
Obſcúrâ pópulis nocte jacéntibus;
Quos flecti fáciles léniter íncrepans,
Ritus dédocet ímpios.

Quid fruſtrà cólitis numen inútile,
Quod ſculpſit váriis ictibus ártifex?
Senſus nullus ineſt; & frágiles manus
Fulmen fútile ſúſtinent.

Surgit ſancta fides: fit nova cívitas;
Et mutáta deos, fánaque díruit:

Sacris bárbara gens, jam
docilis Deo,
Chriſtũ fontibus índuit.
Hinc, quàm multa venit Chriſtíadum ſeges!
Hi quos quotídie, Paſtor
Apoſtolus
Fœcúndo fídei gérmine
párturis,
Hi ſunt tot tibi fílii.
Sit laus ſumma Patri, súmmaque Fílio:
Sit qui corda moves laus
tibi, Spíritus:
Da, vox ſancta, tui géſtaque Præſulis
Natos ad bona próvocent. Amen.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizantibus,

℟. Virtúte multâ. *Pſ.* 67. 12.

Ad Magn. *Ant. t.* 5. *a.* Pópulus qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta eſt eis. *Iſ.* 9. 2.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFIC. NOCT.

Invit. Deum qui de ténebris nos vocávit in admirábile lumen ſuum, * Veníte, adorémus. 1. *Pet.* 2. 9.

Pſalm. 94. Venite, *pag.* 2.

IN I. NOCTURNO.

S. Manſueti miſſio & prædicatio.

Ant. t. 4. *c.* Quæsívit Dóminus ſibi virum juxta cor ſuum; & præcépit ei ut eſſet dux ſuper pópulum ſuum. 1. *Reg.* 13. 14.

Ant. t. 7. *a.* Factum eſt verbum Dómini ad eum, dicens: Vade in civitátem, & prædica in ea prædicatiónem quam ego loquor ád te. *Jonæ.* 3. 1. 2.

Ant. t. 8. *c.* Surréxit, & ábiit juxta verbum Dómini; & cœpit introíre in civitátem. *Jonæ.* 3. 3. 4.

℣. Lingua ejus loquétur judícium.

℟. Lex Dei ejus in corde ipsíus. *Pſ.* 36. 30. 31.

Lectiones de Scriptura occurr.

℟. Surréxit quaſi ignis, * Et verbum ipsíus quaſi fácula ardébat: ſic amplificátus eſt in mirabílibus ſuis. ℣. Incitabátur ſpíritus ejus in ipſo, videns idololatríæ déditam civitátem. Diſputábat ígitur in foro per omnes dies ad eos qui áderant. * Et verbum. *Eccli.* 48. 1. 4. *Act.* 17. 16. 17.

℟. Locútus eſt ómnia verba quæ díxerat Dóminus: & fecit ſigna coram pópulo, * Et crédidit pópulus. ℣. Intendébant turbæ his quæ dicebántur, vidéntes ſigna quæ faciébat. * Et. *Exod.* 4. 30. 31. *Act.* 8. 6.

℟. Cùm ſumpsíſſet cor ejus audáciam propter vias Dómini, étiam excélſa & lucos ábſtulit: * Et † Miſit de ſuis ut docérent in civitátibus. ℣. Diſſeminabátur verbum Dómini per univérſam regiónem. * Et miſit. Glória. † Miſit. 2. *Paral.* 17. 6. 7. *Act.* 13. 49.

IN II. NOCTURNO.

In vita & in morte mirabilia operatus eſt.

Ant. t. 1. *irr.* Diréɛta eſt ſalus in manu ejus; & nominátus eſt uſque ad novíſſimum terræ. 1. *Mach.* 3. 6. 9.

Ant. t. 2. *d.* Salus in nos confirmáta eſt, conteſtánte Deo ſignis, & porténtis, & váriis virtútibus. *Hebr.* 2. 3. 4.

Ant. t. 3. *a.* Propóſuit pópulo ſuo præcépta, atque judícia: & poſt hæc mórtuus eſt ſervus Dómini. *Joſ.* 24. 25. 29.

℣. Numquid mórtuis, Dómine, fácies mirabília?

℟. Numquid narrábit áliquis in ſepúlchro misericórdiam tuam? *Pſ.* 87. 11. 12.

Lectio iv.

Ex Adſone, qui S. Gerardo coævus auctor: ex vita ejuſdem S. Gerardi, auctore Windrico: & ex variis Cartis & aliis Eccl. Tull. document.

EX pia ádmodum veneratióne, quâ beátum Manſuétum gentis noſtræ Apóſtolum & primum Epíſcopum proſecútus eſt ſanctíſſimus Præſul noſter Gerárdus, Oratórium extra Tulléuſes muros, Patris noſtri Manſuéti ſepultúrâ inſignítum, in majórem & auguſtiórem formam reſtitúere cogitávit, ac ſacrum illíus corpus leváre in decentióri loco reponéndum. Cùm autem ædifícium jam à ſancto Gauzelíno cœptum mox eſſet perfectúrus, áccidit ut ardens candéla, quam pia múlier, religiónis ánimo, altári imposúerat, in ipſa altáris ornaménta décidens, ſacram ſupelléctilem, & cætera ligna adjacéntia uſque ad templi tabulátum incénderet, certo totíus ædis perículo, niſi in ſomnis admónitus ſanctus Gerárdus áliquot ex doméſticis miſíſſet, qui excitátum ignem extínguerent. Hinc diem hanc ſolémnem apud nos eſſe vóluit, tum ob noctúrnam illam admonitiónem, quam ſancto Manſuéto tribúere ſolébat, tum ob peráctam córporis ejus Translatiónem.

℟. Statuíſti verba tua, Dómine, quæ locútus es, ut transferréntur oſſa patrũ noſtrórum de loco ſuo. * Et fecíſti in nobis, Dómine Deus noſter, ſecúndùm omnem bonitátem tuam. ℣. Advénit tempus réddere mercédem ſervis tuis & ſanctis. * Et fecíſti. *Baruch.* 2. 24. 27. *Apoc.* 11. 18.

Lectio v.

MUltam inſuper huic diéi celebritátem áddidit ſolémnis illa quæ, Pibóne Epíſcopo, perácta eſt earúmdem Reliquiárũ Tranſlátio, cui certam fidem facit Carta vetus in ſacro Patris noſtri féretro repóſita, cujus hæc verba ſunt. (Inſpiránte Deo, & ſancto Man-

ſuéto, dominus Theómarus, felícis memóriæ Abbas iſtíus Eccléſiæ hoc féretrum fieri juſſit. Gobértus Meténſis áurifex fecit. Gilbértus fidélis Laïcus procurávit. Arnulphus miles Jeroſolymitánus ibídem Mónachus defúnctus, majórem partem prétii cóntulit; méritis & précibus hujus Sancti optántes habére partem in regno Dei. Collátum eſt autem in hoc féretro corpus ſacratíſſimum cum cápite & omni integritáte, coram Pátribus pátriæ & copióſa plebis multitúdine, ab álio féretro levátum, ubi à ſancto Gerárdo in prima Tranſlatióne fúerat collátum. Anno ab Incarnatióne Dómini milléſimo centéſimo quarto, décimo séptimo Caléndas Júlii, Pibóne Epíſcopo, rege Henríco quarto, regnánte Dómino Jeſu Chriſto.)

℟. Vivent mórtui tui, Dómine: * Expergiſcímini, & laudáte, qui habitátis in púlvere; quia ros lucis ros tuus. ℣. Opórtet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem: & mortále hoc indúere immortalitatem. * Expergiſcímini. *Iſ.* 26. 19. 1. *Cor.* 15. 53.

Lectio vj.

SOlemnitáte pari, nec minóri Patrum & populórum utriúsque ſexûs frequéntiâ, anno milléſimo quadringentéſimo quadrageſimo quarto, dum ſancti Manſuéti Monaſtérium régeret Abbas Domínicus de Nancéio, ſacras eáſdem Relíquias tránſtulit Henrícus de Valliscolóre, Epíſcopus Chriſtopolitánus, & Ludovíci de Haracúria Tulléníis Epíſcopi Vicárius in ſpirituálibus. Dénique recógnitæ ſunt pretióſæ Patris noſtri exúviæ ab Hugóne de Hazárdis Tulléníi Epíſcopo, qui ex hæreditáriâ Anteceſſórum ſuórum veneratióne, ſtátuam, quæ nunc conſpícitur, péctore tenus, effórmátam pro múnere óbtulit, in qua ſacrum caput cum óſſibus áliquot repóſuit. Porrò máximè ſancti Manſuéti memóriam Pátribus noſtris commendáverant, præter accéptum fídei Chriſtiánæ benefícium, multa illa quæ ad ejus túmulum fiébant mirácula.

℟. Poténtiâ nemo vicit illum: & * Mórtuum prophetávit corpus ejus: † In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabília operátus eſt. ℣. Ubi eſt, mors, victória tua? ubi eſt, mors, ſtímulus tuus? * Mórtuum. Glória. † In vita. *Eccli.* 48. 13. 14. 15. 1. *Cor.* 15. 55.

IN III. NOCTURNO.

Quàm chara filiis, quos in Evangelio genuit, ipſius memoria!

Ant. t. 7. d. Córpora Sanctórum in pace ſepulta ſunt; & nomen eórum vivit in generatiónem

nerationem & generationem. *Eccli*. 44. 14.

Ant. t. 2. *d.* Sit memória illórum in benedictióne, & oſſa eórum púllulent de loco ſuo. *Eccli.* 46. 14.

Ant. t. 8. *c.* Qui ad juſtítiam erúdiunt multos, fulgébunt quaſi ſtellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12. 3.

℣. Cuſtódi innocéntiam, & vide æquitátem;

℞. Quóniam ſunt relíquiæ hómini pacífico. *Pſ.* 36. 37.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 20. *v.* 27.

IN illo témpore; Acceſſérunt quidam Sadducæórum, qui negant eſſe reſurrectiónem. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Epiſt. 75. *advers. Vigilant.*

DOlet Vigilántius Mártyrum Relíquias pretióſo operíri velámine: & non vel pannis, vel cilício colligári, vel prójici in ſterquilínium; ut ſolus Vigilántius ébrius & dórmiens adorétur. Ergo ſacrílegi ſumus, quando Apoſtolórum Baſílicas ingrédimur? Sacrílegus fuit Conſtántius Imperátor, qui ſanctas Relíquias Andréæ, Lucæ, & Timóthei tránſtulit Conſtantinópolim, apud quas dæmones rúgiunt, & inhabitatóres Vigilántii illárum ſe ſentíre præſéntiam confiténtur? Sacrílegus dicéndus eſt & nunc Auguſtus Arcádius, qui oſſa beáti Samuélis longo poſt témpore de Judæa tránſtulit in Thráciam? Omnes Epíſcopi non ſolùm ſacrílegi; ſed & fátui judicándi, qui rem viliſſimam, & cíneres diſſolútos & ſérico & vaſe áureo portavérunt? Mórtuum ſuſpicáris, & idcírco blaſphémas: lege Evangélium: Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob non eſt Deus mortuórum, ſed vivórum.

℞. Vir amátor civitátis, & bene áudiens, * Pro afféctu Pater apellabátur. ℣. Hic eſt qui fuit in Eccleſia, qui accépit verba vitæ dare nobis. * Pro afféctu. 2. *Mach.* 14. 37 *Act.* 7. 38.

Lectio viij.

DIcis in libéllo tuo, quòd dum vívimus, mútuò pro nobis oráre póſſumus; poſtquam autem mórtui fuérimus, nullíus ſit pro álio exaudiénda orátio, præſértim cùm Mártyres, ultiónem ſui ſánguinis obſecrántes, impetráre non quíverint. Si Apóſtoli & Mártyres adhuc in córpore conſtitúti, poſſunt oráre pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſollíciti; quantò magis poſt corónas, victórias & triúmphos? Unus homo Móyſes ſexcéntis míllibus armatórum impetrat à Deo véniam: & Stéphanus, imitátor Dómini ſui, & primus Martyr in Chriſto, pro

perſecutóribus véniam deprecátur: & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minùs valébunt? Paulus Apóſtolus ducéntas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in navi ánimas condonátas; & poſtquam reſolútus eſſe cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſúrus eſt, & pro his qui in toto orbe ad ſuum Evangélium credidérunt, mutíre non poterit?

℟. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem: * Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Ecclésia. ℣. Fuit gratus Deo; & erat potens in verbis, & in opéribus ſuis. * Sapiéntiam. *Eccli.* 39. 13. 14. *Act.* 7. 20. 22.

Lectio ix.

MAlè facit ergo Románus Póntifex, qui ſuper mortuórum hóminum Petri & Pauli, ſecúndùm nos, oſſa veneránda, ſecúndùm te, vilem pulvíſculum, offérri Dómino ſacrifícia, & túmulos eórum Chriſti arbitrátur altária? Et non ſolùm uníus urbis, ſed totíus orbis errant Epiſcopi, qui caupónem Vigilántium contemnéntes ingrediúntur Baſílicas mortuórum, in quibus pulvis viliſſimus & favílla, néſcio quæ, jacet linteámine convolúta; ut pollúta ómnia pólluat; & quaſi ſepúlchra Phariſáïca foris dealbáta ſint, cùm intùs immúndo cínere, juxta te, immúnda ómnia óleant, atque ſórdeant? O porténtum in terras últimas deportándum!

℟. Hic eſt fratrum amátor, & pópuli Iſrael: * Hic eſt qui multùm orat pro pópulo & univérſa civitáte. ℣. Semper ſollícitus pro vobis in oratiónibus, ut ſtetis perfécti, & pleni in omni voluntáte Dei. * Hic eſt. Glória. * Hic eſt. 2. *Mach.* 15. 14. *Col.* 4. 12.

Te Deum.

AD LAUDES.

In memoriam noſtram redeant ea quæ operatus eſt in nobis.

℣. *Sacerdot.* Quanta mandávit pátribus noſtris,

℟. Nota fácere ea fíliis ſuis! *Pſ.* 77. 5.

Ant. *t.* 1. *D.* SCitis introítum noſtrum ad vos, quia non inánis fuit: mémores enim eſtis labóris noſtri. 1. *Theſſ.* 2. 1. 9.

Ant. *t.* 3. *A.* Convérſi eſtis ad Deum à ſimulácris ſervíre Deo vivo & vero. 1. *Theſ.* 1. 9.

Ant. *t.* 4. *E.* Grátia Dei data eſt mihi in vobis: Evangélii factus ſum miníſter ſecúndùm operatiónem virtútis ejus. *Eph.* 3. 2. 7.

Ant *t.* 5. *a.* Nonne opus meum vos eſtis in Dómino? & ſi áliis non ſum Apóſtolus, ſed tamen vobis ſum. 1. *Cor.* 9. 1. 2.

Ant. t. 6. f. In Chriſto Jeſu per Evangélium ego vos génui. 1. *Cor* 4. 15.

Capitulum. 1. *Theſ* 4. 1.

FRatres; Rogámus & obſecrámus in Dómino Jeſu, ut quemádmodùm accepíſtis à nobis, quómodo opórteat vos ambuláre & placére Deo, ſic & ambulétis, ut abundétis magis.

℣. Deus meus, annuntiávi juſtítiam tuam, ℟. In Eccléſia magna. *Pſ.* 39 10.

Ad Benedict. *Ant. t.* 8. *g.* Quæ eſt noſtra ſpes, aut gáudium, aut coróna glóriæ? Nonne vos ante Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum? Vos enim eſtis glória noſtra. 1. *Theſ.* 2. 19. 20.

Oratio.

DEus, qui hunc diem honorábilem nobis in beáti Patris noſtri Manſuéti translatióne tribuíſti: da, quæſumus, Eccléſiæ tuæ in hac celebritáte lætítiam; ut cujus membra pio amóre venerátur in terris, ejus interceſſiónibus ſublevétur in cœlis; Per, &c.

Ad Horas breves Antiph. de Laudibus.

AD TERTIAM.

Capitulum. Rom. 15 20. 21.

SIc prædicávi Evangélium, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper aliénum fundaméntum ædificárem; ſed ſicut ſcriptum eſt: Quibus non eſt annuntiátum de eo, vidébunt,

℟. Debémus grátias ágere Deo, quòd elégerit vos Deus primítias in ſalútem, in fide veritatis in qua * Vocávit vos per Evangélium, in acquiſitionem glóriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti. ℣. Vobis junctus eſt Dóminus, & elégit vos, quia diléxit vos. * Vocávit. Glória. * Vocávit. 2. *Theſ.* 2. 12. 13. *Deuter.* 7. 7 8.

℣. Annuntiávi, & locútus ſum: ℟. Multiplicáti ſunt ſuper númerum. *Pſ.* 39. 6.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 2. 4. 5.

PRædicátio mea non in perſuaſibílibus humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in oſtenſióne ſpíritûs & virtútis: ut fides veſtra non ſit in ſapiéntia hóminum, ſed in virtúte Dei.

℟. *br.* Patres noſtri * Annuntiavérunt nobis. Patres. ℣. Opus quod operátus es in diébus antíquis. * Annuntiavérunt. Glória. Patres. *Pſ.* 43. 2.

℣. Fílii qui naſcéntur & exúrgent, narrábunt fíliis ſuis; ℟. Ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non oblivíſcántur óperum Dei. *Pſalm.* 77. 6 7.

AD NONAM.

Capitulum. Col. 2. 6. 7.

FRatres; Sicut accepíſtis Jeſum Chriſtum, in ipſo ambuláte, radicáti, & ſuperædificáti in ipſo, & confirmati fide, ſicut & didicíſtis.

℟. *br.* Confírma hoc, Deus, * Quod operátus es in nobis. Confírma. ℣. A templo tuo.* Quod operátus. Glória. Confírma. *Pſ.* 67. 29. 30.

℣. Deus Iſrael ipſe dabit virtútem, ℟. Et fortitúdinem plebi ſuæ. *Pſ.* 67. 36.

AD II. VESPERAS.

Manſueti gloria in cœlis, & in terris veneratio.

Ant. t. 7. a. SAcérdos magnus curávit gentem ſuam, & liberávit eam à perditióne. *Eccli.* 50 1. 4.

Ant. t. 8. c. Máximus in ſalútem electórum Dei, quam glóriam adéptus eſt! *Eccli.* 46. 2. 3.

Ant. t. 1. a. Símilem illum fecit Deus in glória Sanctórum, & magnificávit eum. *Eccli.* 45. 2.

Ant. t. 5. a. Oſſa ipsíus viſitáta ſunt, & poſt mortem prophetavérunt. *Eccli* 49. 18.

Ant. t. 6. f. Teſtimónium conſecútus eſt eſſe juſtus, & defúnctus adhuc lóquitur. *Hebr.* 11. 4.

Capitulum Hebr. 13. 7.

MEmentóte præpoſitórum veſtrórum, qui vobis locúti ſunt verbum Dei; quorum intuentes éxitum converſatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

PEr quem vera ſibi relligio ſtetit,
Juſtis Pontíficem tollat honóribus
Plebs Leucána: ſacram nos decet hanc diem
Lætis claúdere cántibus.
Dum mens, divus amor quò rapit, évolat,
Sancto quanta manet glória córpori!
Non viléſcit humus, non cinis; & ſuum
Siccis eſt decus óſſibus.
Præſens prodígiis ſe Deus ápprobat:
Jam ſurdi fáciles excípiunt ſonos;
Et qui membra trahit lánguida claúdicans,
Certo jam gráditur pede.
Urnam depóſiti córporis hóſpitam,
Cives perpétuis cíngite flóribus;
Dulces exúviæ quas cóelitis, ſacra
Tot ſunt pígnora Præſulis.
Illìc priſca Patris ſpirat adhuc fides:
Ardens fervet adhuc & ſua cháritas:
Si nos, fida parum péctora vívimus,
Vivos mórtuus árguet.
Sit laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio;
Sit par, alme tibi, glória, Spíritus,
Qui ſacris hábiles munéribus tuo
Ungis chríſmate Præſules.
Amen.

℣. Cuſtódit Dóminus ómnia oſſa juſtórum: ℟. Unum ex his non conterétur. *Pſalm.* 33. 21.

Magnif. *Ant.* t. 7. a. Quis eſt títulus ille? Sepúl-

chrum eſt hóminis Dei: & intácta manſérunt oſſa illius. 4. *Reg.* 23. 17. 18.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

Commemoratio de ſequent.

DIE XV.

S. BASILII MAGNI, CÆSARIENSIS EPISCOPI, & Eccléſiæ Doctoris.

Duplex 4. Claſſ.

Omnia de Communi unius Doctoris.

Oratio. Exeita, Dómine, *pag.* xxix.

In I. Nocturno Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex S. Baſilii vita & Scriptis, & aliis Auctoribus.

BAſilius Cáppadox, cui Magni cognómen meruére doctrínæ ſplendor & morum præſtántia, poſt datam Cæſaréæ & Bizántii lítteris óperam, Athénas venit; ubi cum Gregório Theólogo prima connéxuit ſanctæ amicítiæ fœdera. Revérſus in pátriam, & ſanctæ Macrínæ ſorórıs ſuæ consílio ſuáſus mundo valedícere, in Ægyptum, Paleſtínam, Cœleſyriam, & Meſopotámiam iter fecit, Solitários invisúrus. Deínde in erémum Ponti ſeceſſit; ubi cóndito Monaſtério, & collocátis juxta Anachorétas Cœnobítis, monáſticas régulas conſtítuit. Tum ab Eusébio Cæſaréæ in Cappadócia Epíſcopo Présbyter, licèt invítus, conſecrátur: ob cujus póſtea malévolum in ſe ánimum, íterum in Ponti ſolitúdinem ſe recépit; unde Cæſaréam revocatus eſt aliquánto poſt, ut Eusébiū in perſecutióne Valéntis Imperatóris laborántem, in Eccléſiæ adminiſtratióne adjuváret. In ſumma annónæ penúria, páuperes Cæſaréæ in unum colléctos ſuſtentávit; ſuis étiam mánibus cibos miníſtrans, quos verbi divíni pábulo condiébat. Eusébio inter manus ejus defúncto ſubrogátus eſt, anniténte in primis Gregório Gregórii Nazianzéni patre, & quartâ décimâ die Júnii ordinátus.

Lectio v.

VAlénte íterum in Cathólicos ſæviénte, Modéſtum ejus Præféctum extréma ſibi minitántem, tantâ libertáte repréſſit, ut perténitus ille díxerit: Nemo me ad hunc uſque diem ita allocútus eſt. Cui Basílius: Neque enim forſan in Epíſcopum incidíſti. Admirátus tantam ánimi fortitúdinem Modéſtus, Valéntem adit: Imperátor, inquit, ab hujus Eccléſiæ Antíſtite victi ſumus: minis ſupérior eſt, ſermonibus firmior, & verbórum blandítiis fórtior. Cùm ígitur Valens, inſtántibus Ariánis, Basílium relegáre ſtatuiſſet; & jam exilii decréto eſſet ſubſcriptúrus, plúribus prodígiis manum ejus

Deus mirabíliter inhíbuit. Modéſtum, ingraveſcénte morbo, ut ſibi ignóſceret deprecántem, ſanitáti reſtítuit.

Lectio vj.

Eccléſiæ Orientális ab Ariánis vexátæ, & Antiochéno diſſídio ſciſſæ, calamitátibus permótus, egit apud ſanctum Athanáſium, & álios Oriéntis Epíſcopos, ut auxílium ipſi ab Occidentálibus Epíſcopis poſtulárent. Mónachis leges ſanctíſſimas, totíque Eccléſiæ probátas póſuit. Cœnóbia Virgínibus Deo ſacris eréxit: paupéribus excipiéndis alendíſque ampliſſimam extra civitátem domum conſtrúxit. Præter neceſſária carnis teguménta nihil hábuit; nec propter labóres contínuos quidquam de vitæ aſperitáte remíſit. Stratus erat humi léctulus: aſſíduæ ei vigíliæ: panis & ſal pro obsónio, aqua pro potu. Ex qua vivéndi ratióne graves contráxit infirmitátes; quibus conféctus móritur has inter voces: In manus tuas comméndo ſpíritum meum. Illi pauló poſt óbitum, conſecrátum diem feſtum refert ejus frater Gregórius Nyſſénus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 14. v. 26.

In illo témpore; Dixit Jeſus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxórem, & fílios, & fratres, & ſoróres, adhuc autem & ánimam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcípulus. Et réliqua.

Homília ſancti Basílii Epíſcopi.

Regulis fuſiùs explicatis, Interrogatione 8.

Nos præcéptum hoc ad plura arbitrámur pertinére, quorum neceſſária alienátio ſit. Nam & diábolo in primis renuntiámus, deínde affectiónibus carnis, conſanguinitátibus, ac familiaritatibus hóminum, & vitæ conſuetúdini quæ Evangélicæ ſalútis perfectióni adverſátur. Atque, quod his ómnibus magis neceſſárium eſt, ſibi ipſi ille renúntiat, qui éxuit véterem hóminem cum áctibus ſuis, qui corrúmpitur ſecúndùm deſidéria erróris.

Lectio viij.

Qui hujúſmodi eſt, paréntes eos exiſtimábit à quibus in Chriſto Jeſu per Evangélium génitus eſt; fratres veró, qui eúmdem cum ipſo adoptiónis Spíritum accepérunt; facultátes veró, quaſi aliénas, ut revéra ſunt, reputábit. Nihil ígitur áliud eſt renuntiátio, quàm vinculórum terrénæ hujus ac temporális vitæ ſolútio, quæ líberos nos à mundi ſollicitudínibus effíciens, promptióres reddit ad capeſſendàm viam quæ ad Deum ducit, &

ad acquiréndam rerum pretioſiſſimárum, quæ ſuper aurum ac lápidem pretióſum ſunt, poſſeſſiónem.

Lectio ix.

RENuntiátio dénique, ut bréviter dicam, eſt cordis ab humána ad cœléſtem vitam tranſlátio; ita ut poſſimus dícere: (Noſtra conversátio in cœlis eſt:) atque, quod máximum ómnium eſt, inítium eſt noſtræ ſimilitúdinis cum Chriſto, qui cùm dives eſſet, egénus propter nos factus eſt. Eam autem niſi fuérimus aſſecúti, impoſſibile eſt nos illi vivéndi inſtitúto, quod Chriſtus in Evangélio dócuit, conformári.

Die xix.

S. DEODATI,

ex Nivernensi Episcopo Monachi Tullenſis.

Dupl. 2. Claſ. in Eccleſ. Cathed. alibi dupl. 4. Claſ.

Omnia de Communi unius Pontificis.

Oratio.

PRopitiáre nobis, quæſumus, Dómine, per ſancti Deódati Pontíficis mérita glorióſa; ut ejus piâ intercesſióne, ab ómnibus protegámur advérſis, & ad cœléſtia perducámur: Per, &c.

Commemoratio Ss. Gervaſii & Protaſii, Martyrum.

Oratio. Exáudi, Dómine, pag. xvij. in Eccleſ. Cathed. *ſit tantum Comm. eorum in Laudibus.*

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ejus vita apud Bolland. Petro Damiano, Opuſc. 18. & variis aliis documentis.

DEódatus virtúte non minùs quàm sánguine nóbilis, ad Nivernénſem ſedem commúni cleri & pópuli voto aſſúmptus, omnes Paſtóris óptimi partes adimplévit, commíſſam ſibi plebem paſcens verbis & exémplis, nec umquam ſua quærens, ſed quæ Jeſu Chriſti. Secúndo Senonénſi Concílio intérfuit anno ſexcentéſimo quinquagéſimo séptimo cum áliis trigínta Epíſcopis, inter quos célebres viſi ſunt Præſules Audoénus Rotomagénſis, Elígius Novioménſis, & Amándus Trajecténſis. Poſt annos áliquot eo in múnere ſanctíſſimè transáctos, vitæ ſolitáriæ deſidério flagrans, abdicáto Epiſcopátu, Nivernénſe ſolum deséruit, & ad Vóſagos Tulléniſ Diœcéſis montes véniens, mox ad Románum, inde ad rívuli Arrentillénſis ripas cellam extrúxit; annuénte ſancto Bodóne Tulléniſ tunc témporis Epíſcopo, qui cum Hydúlpho Treviréniſ privilégium ei indúlſit, anno ſexcentéſimo ſeptuagéſimo ſubſcriptum.

Lectio v.

INcolárum invídiâ & injúriis inde coáctus diſcédere, Vóſagi montes & ſaltus incúltos pénetrans, vergit in Alsátiam, ubi poſt varios ínviæ & anfractuóſæ ſolitúdinis circúitus, apud Vilram, conſtrúcto ſibi habitáculo, conſédit, annis plúribus ſanctos inter eremíticæ vitæ ſectatóres laudabíliter conversátus. Verùm indócilis vulgi & nobílium contínuis laceſſitus júrgiis & minis, per ſuperióres Voſagorum móntium ſylvas rémeat, & Murthæ lapſum ſecútus, ad Cumbérti montis radíces cónſtitit; ibíque conſtrúctâ ſibi céllulâ, & erécto in memóriam ſancti Martíni oratório, aliquámdiu delítuit, ſoli Deo notus, herbis tantùm & pomis agréſtibus corpus ægrè ſuſténtans, ánimum verò ſuávi cœléſtium meditatióne júgiter refíciens; donec è látebris erúmpens ejus fama tot ad ipſum collégit áſſeclas; ut creſcénti in dies diſcipulórum número, Monaſtérium in valle Galilææ váriis cinctum céllulis conſtrúxerit, locum concedénte Garibáldo insígni tunc Eccléſiæ Tullénſis Epíſcopo.

Lectio vj.

DUm informándis diſcípulis totus incúmbit, en adeſt idem ipſe Hydulphus ejus amícus, vir pietáte illúſtris, qui, relícta Trevirórum ſede, ad Deódatum in partem ſollicitúdinis & labóris ádvolat, futúrus ipſi, ex ínito ſanctæ ſocietátis fœdere, adjútor in procuránda animárum ſalúte pérvigil. Undécimo autem ab ingréſſu in vallem Galilææ anno, Deódatus sénio & pœniténtiæ labóribus conféctus, reſolutiónis ſuæ tempus inſtáre præséntiens, ad priórem céllulam, ubi in honórem ſancti Martíni ædículam conſtrúxerat, ſe récipit, qui ingeminátis oratiónibus & abſtinéntiis ad mortem ſe accíngeret. Mox ut levi febre corréptus in léctulum decúbuit, ad eum convenére fratres última ex ejus ore collectúri ſalútis mónita. Adfuit quoque amíco moriénti Hydúlphus, cujus inter manus, poſt percéptam ab ipſo ſacram Communiónem, lætus ſpíritum Deo réddidit. Corpus ejus ad Monaſtérium, quod ipſe condíderat, delátum, in Eccléſia Deíparæ Vírginis ab Hydúlpho honorífice ſepelítur. Ne quid autem pius hæres ex inteſtáti amíci bonis Hydúlphus non poſſidéret, Deódati túnicam ſibi pro relíquiis ſervándam aſſúmpſit; quàm ad ímbrium inundatiónem, peſtiléntiam aut altérius ſæviéntis flagélli ímpetus averténdos, divínis ſolébat obtútibus objícere.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12. v. 35.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris. Et reliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 69. in Matth.

IN mentem véniat memória Sanctórum, qui cilício induúntur, & eremum hábitant. Hi numquam oblátas púrpuras acceptárent; ſed quemádmodum rex, ſi quis pannóſa induménta páuperis ei induénda offérret, abominarétur atque repélleret, non áliter illi régiam púrpuram contémnunt. Hæc illis inſtitúta ciliciórum uſu, unde régibus étiam ipſis excellentióres ſunt. Nam ſi poſſes mentis eórum jánuas reſeráre, & omnem interiórem ornátum conſpícere, fulgóre percúlſus in terram concíderes; nec conſciéntiæ lucem perférre poſſes. Nihil in tabernáculis eórum triſte inveniétis; ſed tamquam in cœlo tugúria fabricáti, ſic longè à ſæculi perturbatiónibus hábitant, advérsùs diábolum militántes.

Lectio viij.

IDcírco enim in ſolitúdine domicíliū conſtituérunt, célebri habitatióne hóminū omnínò relíctâ: quóniam qui bellum gerit, non poteſt domi ſedére; ſed neceſſe eſt quaſi súbitò migratúrus, præparáto in diem domicílio hábitet. Quis enim umquam in exércitu domûs fundaménta jecit? Quis in caſtris agri júgera emit? In pátria hæc, non in caſtris faciénda ſunt: hæc tibi à me ſimíliter dicúntur. Cùm in ſuprémam civitátem pervéneris, tunc iſta fácito: hîc ſatis eſt nobis foſſam fácere, vallum fígere: ædificiórum conſtructióne opus non eſt.* Chriſtiános advérsùs diábolum pugnántes, ómnibus temporálibus negléctis, vívere opórtet. Cur ítaque magníficas ædes ſtruis, ô homo? An ut teípſum magis víncias, & ut diábolum advérsùs ánimam tuam invítes? Cur mœnia condis? an ad cárceres tibi conſtruéndos? Quòd ſi hæc tibi difficília negléctu videántur, ad tabernácula Monachórum proficiſcámur, ut reípsâ fácilè iſta contémni poſſe perdíſcas.

Lectio ix.

Ex Epíſtola ſancti Ambróſii Epíſcopi ad Marcellínam ſorórem.

Epiſt. 22. N. 7. 10. 11. 12. & 13.

PRíncipes pópuli quos álios niſi ſanctos Mártyres æſtimáre debémus, quorum jam in númerum diu antè ignoráti Protáſius Gervaſiúsque proferúntur, qui ſtérilem Martyribus Eccléſiam Mediolanénſem, jam

plurimórum matrem filiórum lætári paſſiónis própriæ fecérunt, & títulis, & exémplis? Gratias tibi, Dómine Jeſu, quòd hoc témpore tales nobis ſanctórum Mártyrum ſpíritus excitáſti, quo Eccléſia tua majóra præsídia desíderat. Cognóſcant omnes quales ego propugnatóres requíram, qui propugnáre poſſint, impugnare non sóleant. Hos ego acquisívi tibi, plebs ſancta, qui proſint ómnibus, némini noceant. Tales ego ámbio defensóres, tales mílites habeo, hoc eſt, non ſæculi mílites, ſed mílites Chriſti. Sanctórum Mártyrum cognitiónem quam illi amisérunt, nos adépti ſumus. Eruúntur nóbiles relíquiæ è ſepúlchro ignóbili; oſtendúntur cœlo trophæa: sánguine túmulus madet; apparent cruóris triumphális notæ; inviolátæ relíquiæ loco ſuo & órdine repértæ; avúlsū húmeris caput. Nunc ſenes répetunt audiſſe ſe aliquándo horum Mártyrum nómina, titulúmque legiſſe. Perdíderat cívitas ſuos Martyres, quæ rápuit aliénos. Et ſi hoc Dei munus eſt, tamen gratiam quam tempóribus ſacerdótii mei Dóminus Jeſus tríbuit, negáre non poſſum: & quia ipſe martyr eſſe non méreor, hos vobis Mártyres acquisívi. Succédant víctimæ triūpháles in loco ubi Chriſtus eſt hóſtia: ſed ille ſuper altáre, qui pro ómnibus paſſus eſt; iſti ſub altári, qui illíus redémpti ſunt paſſióne.

Die xxi.

S. EUSEBII, Samosatensis Episcopi, & Martyris.

Simplex.

De Communi unius Martyris.

Oratio. Fac nos, Dómine, *pag.* xj.

Lectio iij.

Ex Athan. Gregor. Nazianz. & ex ejus vita apud Boll.

Eusébius ferventíſſimus orthódoxæ fídei æmulátor, & ſecúndùm Gregórium Nazianzénum, colúmna & firmaméntum Eccléſiæ, Dei donum, pátriæ adminículum, fídei régula, veritátis legátus, perſecutiónibus major, Samóſatis in Euphraténſi Syria natus, ejúſdem civitátis Epíſcopus, Conſtántio Imperatóre, difficíllimis Eccleſiæ tempóribus ſummam prudéntiæ & zeli famam adéptus eſt. Commiſſum illi fúerat decretum quo Melétius fuit in Antiochénum Epíſcopum eléctus; quod decrétum cùm repéteret Conſtántius qui Cathólicam in Melétio fidem óderat, & ni reddat, déxteram manum amputándam minitarétur; negans Eusébius, ambas porréxit; quod non mirári & laudáre non pótuit ipſe Conſtántius. Perfécit cum Gregório Nazianzéno ut Eccléſiæ Cæſariénſi Epíſcopus donarétur Basílius,

qui nullum hábuit quocum cértiùs de rebus Eccleſiáſticis ágeret, cujus auctoritáti acquiéſceret libéntiùs. Furébat tunc, in Præſules præcípuè, Valens Imperátor, ut amótis Paſtóribus, greges diſpergeréntur. In vicárias fugatórum vices úndique quodámodo ſuccedébat Euſébius, qui militári hábitu & galéro tectus, províncias peragrabat; miniſtros imo & Epíſcopos ordinábat ubi erat opus. Exul abíre juſſus, pópulo ſuî amantíſſimo ſe clam ſubdúxit, ut ſine tumúltu in Thráciam proficiſcerétur. Poſt mortem Valéntis, Gratiáni juſſu revocátur, ſed cùm aliquánto poſt Dolichénſe óppidum ingrederétur, Cathólicum Epíſcopum à ſe ordinátum inſtitutúrus, múlier Ariána, conjéctâ de tecto tégulâ, caput ei contrívit. Sicque jam multóties Conféſſor, Martyr tandem efféctus eſt. Móriens énixè pétiit ne ulla ſuæ necis pœna repoſcerétur.

Veſperæ de Pſalterio, à Capitulo de ſequenti.

Die xxii.

S. PAULINI, Nolani Episcopi.

Simplex. Oratio. Exáudi, *pag.* xxiv.

Lectio iij.

Ex S. Paulini operibus ac vita; Hieron. Auguſtino, & Uriano.

Paulínus, conſulári & patrício génere natus haud procul à Burdégala, Rhetóricis & Poéticis ártibus ab Ausónio inſtitútus eſt. Património perámplo potítus, ac in ipſo juventútis flore conſulátum conſecútus, Theráſiam uxórem duxit. Circa annum vitæ ſuæ trigéſimum octávum, à Delphíno Burdigalénſi Epíſcopo baptizátus, erogátis in páuperes facultátibus, in Hiſpániam ſeceſſit, Theráſiâ à viri propóſito non diſſentiénte. Barcínonæ, facto in eum multitúdinis ímpetu, Presbyterum ſe ordinári paſſus eſt; eâ tamen lege ut Eccléſiæ Barcinonénſi non alligarétur. Inde in Itáliam proféctus eſt, ut Nolæ ad túmulum ſancti Felícis réliquum vitæ Deo ſervíret. Romæ multórum de Clero invídiâ laborávit. Nolæ dénique Mónachi vitam agens, ejúsdem civitátis Epiſcopátum ſuſcípere coáctus eſt. Vaſtántibus póſtea Nolam Gothis, Paulínus ex opulentíſſimo dívite, ut ſanctus Auguſtínus ſcribit, voluntáte paupérrimus, & copioſíſſimè Sanctus, cùm ab eis tenerétur, ſic in corde ſuo precabátur: Dñe, non excrúcier propter aurum & argéntum; ubi enim ſunt ómnia mea tu ſcis. Tandem cum láterum dolóre corréptus eſſet, cubiculum in quo jacébat terræ motu contrémuit, ac paulò poſt ánimam Deo réddidit anno ſalútis quadringentéſ-

ſimo trigéſimo primo. Multa elegánter ſcripſit verſibus & ſolútâ oratióne. Suæ virtútis præcónes habuit Martínum, Ambróſium, Auguſtínum, Hierónymum, & quotquot fuére ſuæ ætátis ſummi viri.

Veſpera de ſequenti.

DIE XXIII.

S. JACOB, TULLENSIS EPISCOPI.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Pontificis.

Oratio. Da Ecclésiæ tuæ, *pag.* xxiv.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO:

Lectio iv.

Ex prima & ſecunda vita S. Hydulphi, diplomate Ottonis II. *Petro Damiano Opuſc.* 19. *Chronic. S. Benigni Divion. & aliis monumentis.*

JAcob, vir converſatióne moribúſque admirábilis, Tulléńſem regébat Ecclésiâ, cùm vir Dei Hydúlphus vitæ ſolitáriæ ductus deſidério, ad ipſum miſit, ſecrétum rogans ſibi providéri locum; ſicut à prædeceſſóre ejus quondam Pontífice Garibáldo Deódatus olim Nivernénſis Epíſcopus, renúntians ſæculo, in ſaltu Vóſago locum obtinúerat. Laudátur ut vir Apoſtólicus in véteri illo Ottónis ſecúndi diplómate, quo Eccléſiæ noſtræ reſtitúitur ſancti Deódati Abbatia, quam violénter & injuſtà malignórum invaſióne ſublátam Jacob Epíſcopus à Pipino antíquo Rege Francórum acquiſíerat.

Lectio v.

CUm aliquot annos ſanctiſſimè Tulléńſem rexiſſet Eccleſiam, ſanctos Deódatum & Hydúlphum Præſules imitatus, abdicáto Epiſcopátu, in monaſtérium Deo liberióri animo ſervitúrus ſeceſſit. Anno ſeptingentéſimo quinquageſimo séptimo. Compendienſi ádfuit Concilio, cui cum cæteris Epíſcopis ſubſcríbens, nómini ſuo, Peccatóris cognómen humíliter áddidit. Ille idem eſſe créditur, qui, anno ſeptingentéſimo ſexageſimo quinto, Attiniacénſi Concilio ſubſcrípſit, núncupans ſe Jacob Epíſcopum de Monaſtério Gamúndias; cùm jam illic, poſt abdicátum Epiſcopátum, monáſticam in Diœcéſi Meténſi vitam ágeret.

Lectio vj.

DUm autem aliquándo Româ rédiens, Divióne transíret, miraculórum quæ illìc ſancti Benígni méritis fiébant famâ permótus, ad glorióſi Mártyris túmulum advénit, ipsíus interceſſióne ſuórum à Deo véniam delictórum rogatúrus. Cùmque per dies áliquot ad Mártyris tumbam orándo, cœlórum penetráret íntima,

à Domino vocátus eſt ad cœléſtia regna; ſanctíque Benígni adjútus précibus, & in cœlis cum eo glóriam; & in terra juxta ejus túmulum condígnam accépit ſepultúram. Sorórem hábuit Lilióſam nómine, religióne insígnem, quæ eâdem ac ille erga ſanctum Mártyrem pietáte ducta, prædium ſuum, Bertiníacam curtem vocátum, pro fratris ſui ſepultúra ſancto Benígno donávit. Quo in loco à Benigniánis Mónachis erécta eſt in honórem ſancti Mártyris Eccléſia, quæ etiámnum hódie ipsíus nómine ſub Prioratûs título vocátur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16. 24.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Si quis vult poſt me veníre, ábneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam, & ſequátur me. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri, adversùs Vigilantium.

Circa finem.

RAra eſt virtus, nec à plúribus appétitur. Atque útinam hoc omnes eſſent, quod pauci ſunt, de quibus dícitur: Multi vocáti, pauci elécti. Mónachus autem non doctóris habet, ſed plangéntis offícium: qui vel ſe, vel mundum lúgeat, & Dómini pávidus præſtolétur advéntum: qui ſciens imbecillitátem ſuam, & vas frágile quod portat, timet offéndere, ne impíngat, & córruat, atque frangátur; & in tantum caſtigátor ſui eſt, ut étiam quæ tuta ſunt pertiméſcat.

Lectio viij.

CUr, inquies, pergis ad erémum? vidélicet ut te non áudiam, non vídeam; ut tuo furóre non móvear, ut tua bella non pátiar: ne me cápiat óculus meretrícis. Reſpondébis: Hoc non eſt pugnáre, ſed fúgere. Sta in acie, adversáriis armátus obſiſte; ut poſtquam víceris, coronéris. Fateor imbecillitátem meam. Nolo ſpe pugnáre victóriæ, ne perdam aliquándo victóriam. Si fúgero, gládium devitávi: ſi ſtétero, aut vincéndum mihi eſt, aut cadéndum. Quid autem necéſſe eſt certa dimíttere, & incérta ſectári? Aut ſcuto, aut pédibus mors vitánda eſt. * Tu qui pugnas, & ſuperári potes, & víncere. Ego cùm fúgero, non vincar in eo quod fúgio: ſed ídeo fúgio, ne vincar. Nulla ſecúritas eſt vicíno ſerpénte dormíre. Poteſt fíeri ut me non mórdeat; tamen poteſt fíeri ut aliquándo me mórdeat... & idcírco úrbium frequéntias declinámus, ne fácere compellámur quæ nos non tam natúra cogit fácere, quàm volúntas.

Si Feria non impediatur, dicuntur Lectiones de Scriptura, & ut in Pſalterio.

Nona Lectio de Vigilia.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

Cap. 1. v. 5.

FUit in diebus Herodis, Regis Judææ, Sacerdos quidam nómine Zacharias, de vice Abia: & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elizabeth. Erant autem justi ambo ante Deum. Et reliqua.

Homilia ſancti Ambróſii Epiſcopi.

In Luc. Lib. 1. n. 15. & 16.

DOcet nos Scriptura divína non ſolùm mores in iis qui prædicabiles ſunt, ſed étiam paréntes oportére laudári; ut veluti tranſmiſſa immaculatæ puritátis hæréditas in iis quos vólumus laudáre, præcellat. Quæ enim ália intentio hoc in loco ſancti Evangeliſtæ, niſi ut ſanctus Joánnes Baptíſta nobilitétur paréntibus, miráculis, móribus, múnere, paſſióne? Sic étiam ſancti Samuel mater Anna laudátur: ſic Iſaac à paréntibus nobilitátem pietátis accépit, quam pólteris derelíquit. Sacérdos ítaque Zacharias, nec ſolùm Sacérdos, ſed étiam de vice Abía, id eſt, nóbilis inter ſuperióres famílias. Et uxor, inquit, ejus de filiábus Aáron. Non ſolum ígitur à paréntibus, ſed étiam à majóribus ſancti Joánnis nobílitas propagatur; non ſæculari poteſtate ſublimis, ſed religionis ſucceſſióne venerabilis. Tales enim majóres habere debuit Præcurſor Christi; ut non repénte conceptam, ſed à majoribus acceptam, & ipſo infuſam jure naturæ prædicare fidem Dominici videretur advéntûs.

In Laudibus fit Comm. de Vigilia, per Ant. & ℣. de Pſalterio.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut família tua per viam ſalútis incédat; & beáti Joannis Baptíſtæ hortaménta ſectándo, ad eum quem prædixit, ſecúra pervéniat Dñum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuũ. Qui tecum, &c.

Si hæc Vigilia venerit in Dominica, jejunium fiet in Sabbato præcedenti: & in Officio de Beata tertia Lectio erit de Evangelio Vigiliæ, cum ipſius Comm. in Laudib. & S. Miſſa ſolemnis. Quod in ſimilibus obſervabitur.

Si verò hæc Vigilia venerit in die Corporis Domini, jejunium anticipabitur Feriâ 4. ſicut & Officium Vigiliæ.

DIE XXIV.

IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Dupl. 1. Claſ. Solemne minus.

AD I. VESPERAS.

Oraculis & miraculis prænuntiatur Joannis Nativitas

& futurus ſanctitatis ejus ſplendor.

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 1. D. Cum ſacerdótio fungeréturZacharías, appáruit illi Angelus Dómini, ſtans à dextris altáris incénſi. *Luc.* 1. 8. 11.

Ant. t. 3. *A.* Ait ad illum Angelus: Ne tímeas, Zacharía, exaudíta eſt deprecátio tua: & uxor tua Elízabeth páriet tibi fílium. *Luc.* 1. 13.

Ant. t. 4. *F.* Vocábis nomen ejus Joánnem: & erit gáudium tibi, & exultátio; & multi in Nativitáte ejus gaudébunt. *Luc.* 1. 13. 14.

Ant. t. 7. *a.* Erit magnus coram Dómino: vinum & ſíceram non bibet, & Spíritu ſancto replébitur ex útero matris ſuæ. *Luc.* 1. 15.

Ant. t. 8. *C.* Multos filiórum Iſrael convértet ad Dóminum Deum ipsórum. *Luc.* 1. 16.

Capitulum. Malach. 3. 1.

Ecce ego mitto Angelum meum; & præparábit viam ante fáciem meam. Et ſtatim véniet ad templum ſuum Dominátor quem vos quæritis; & Angelus teſtaménti quem vos vultis.

℟. A ventre matris * Conſecrátus eſt Prophéta, evértere, & erúere, & pérdere, & íterum ædificáre, & renováre. ℣. Dóminus Deus ſpirítuum prophetárum miſit Angelum ſuum. * Conſecrátus. Glória. * Conſecrátus. *Eccli.* 49. 9. *Apoc.* 22. 6.

HYMNUS.

Ex Paul. Diac.

Ut queant laxis reſonáre fibris
Mira geſtórum fámuli tuorum,
Solve pollúti lábii reátum,
Sancte Joánnes.

Núntius celſo véniens olympo;
Te patri magnū fore naſcitúrum,
Nomen, & vitæ ſériem gerendæ
Ordine promit.

Ille promiſſi dúbius ſupérni,
Pérdidit promptæ módulos loquélæ:
Sed reformáſti génitus perémptæ
Organa vocis.

Ventris obſtrúſo récubans cubíli
Sénſeras Regem thálamo manéntem:
Hinc parens nati méritis utérque
Abdita pandit.

Antra deſérti téneris ſub annis,
Cívium turmas fúgiens petíſti,
Ne levi ſaltem maculáre vitam
Fámine poſſes.

Præbuit hirtum tégumen camélus
Artubus ſacris, ſtróphium bidéntes;
Cui latex hauſtum, ſociáta paſtum
Mella locúſtis.

Cæteri tantùm cecinère Vates
Corde præſágo jubar affutúrum;
Tu quidem mundi ſcelus auferéntem
Indice prodis.

Non fuit vaſti ſpátium per orbis
Sanctior quiſquam génitus Joánne
Qui nefas ſæcli méruit lavántem
Tíngere lymphis.

Láudibus cives célebrant ſupérni,
Te, Deus, ſimplex, paritérque Trine;
Súpplices & nos véniam precámur,
Parce redémptis. Amen.

℣. In te confirmátus ſum ex útero: ℟. Et tu adjútor fortis. *Pſ.* 70. 6. 7.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Ipſe præcédet ante Dóminum in ſpíritu & virtúte Elíæ paráre Dómino plebem perféctam. *Luc.* 1. 17.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Dóminum qui mittit Angelum ſuum ante fáciem ſuam, * Veníte, adorémus. *Malach.* 3. 1.

IN I. NOCTURNO.

A ſterili concipitur, & à Domino in utero matris ſanctificatur Joannes.

Ant. t. 4. *E.* Zacharías & uxor illíus Elízabeth erant juſti ante Deum, incedéntes in ómnibus mandátis Dómini. *Luc.* 1. 6.

In Pſalm. 1. Beátus vir qui non ábiit, *pag.* 3.

Ant. t. 7. *D.* Non erat illis filius, eò quòd eſſet Elízabeth ſtérilis, & ambo proceſsíſſent in diébus ſuis. *Luc.* 1. 7.

In Pſalm. 8. Dómine Dóminus noſter, *pag.* 28.

Ant. t. 8. *C.* Ecce ipſa concépit filium in ſenectúte ſua; quia non erit impoſsíbile apud Deum omne verbum. *Luc.* 1. 36. 37.

In Pſalm. 14. Dómine, quis habitábit, *pag.* 135.

℣. Multiplicabúntur in ſenécta úberi: ℟. Et bene patiéntes erunt. *Pſ.* 91. 15.

Léctio Iſaíæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 49. *v.* 1. *ad* 6.

Audíte, ínſulæ, & atténdite, pópuli de longè: Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meæ recordátus eſt nóminis mei. Et póſuit os meum quaſi gládium acútum: in umbra manûs ſuæ protéxit me, & póſuit me ſicut ſagittam eléctam: in pháretra ſua abſcóndit me; & dixit mihi: Servus meus es tu, Iſrael, quia in te gloriábor... Et nunc dicit Dóminus, formans me ex útero ſervum ſibi, ut redúcam Jacob ad eum, & Iſrael non congregábitur: & glorificátus ſum in óculis Dómini, & Deus meus factus eſt fortitúdo mea.

℟. Intrávit María in domum Zacharíæ, & ſalutávit Elízabeth. Et factum eſt, * Ut

Ut audívit ſalutatiónem Maríæ Elízabeth, exultávit infans in útero ejus. ℣. Prævenísti eum, Dómine, in benedictiónibus dulcédinis. * Ut audívit. *Luc.* 1. 40. 41. *Pſ.* 20. 4.

Lectio ij. v. 6. ad 8.

ET dixit: Parum eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitándas tribus Jacob, & fæces Iſrael convertendas. Ecce dedi te in lucem géntium, ut ſis ſalus mea uſque ad extrémum terræ. Hæc dicit Dóminus Redémptor Iſrael, Sanctus ejus ad contemptíbilem ánimam, ad abominátam gentem, ad ſervum dominórum: Reges vidébunt, & conſúrgent príncipes, & adorábunt propter Dóminum, quia fidelis eſt, & Sanctum Iſrael qui elégit te.

℟. Repléta eſt Spíritu ſancto Elízabeth; & exclamávit voce magnâ: Unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? * Ecce ut facta eſt vox ſalutatiónis tuæ in àuribus meis, exultávit infans in útero meo. ℣. Experiménto dídici, quia benedíxerit mihi Deus propter te. * Ecce ut facta. *Luc.* 1. 41. 42. 43. 44. *Gen.* 30. 27.

Lectio iij. v. 8. ad 12.

HÆc dicit Dóminus: In témpore plácito exaudívi te, & in die ſalútis auxiliátus ſum tuî: & ſervávi te, & dedi te in fœdus pópuli, ut ſuſcitares terram, & poſſidéres hæreditátes diſſipátas; ut díceres his qui vincti ſunt: Exíte; & his qui in ténebris: Revelámini. Super vias paſcéntur, & in ómnibus planis páſcua eórum. Non eſúrient, neque ſítient, & non percútiet eos æſtus & ſol: quia miſerátor eórum reget eos, & ad fontes aquárum potábit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, & ſémitæ meæ exaltabúntur.

℟. Quis poteſt ſimíliter ſic gloriári tibi? Qui * Scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini; conciliáre cor patris ad fílium, & reſtitúere tribus Jacob. ℣. Deus præordinávit te, ut vidéres Juſtum, & audíres vocem ex ore ejus; quia eris teſtis illíus. * Scriptus es. Gloria. * Scriptus es. *Eccli.* 48. 4. 10. *Act.* 22. 14. 15.

IN II. NOCTURNO.

Quàm læta & glorioſa Joannis Nativitas!

Ant. 1. 3. *E.* Elízabeth implétum eſt tempus pariéndi, & péperit fílium. *Luc.* 1. 57.

In Pſal. 20. Dómine, in virtúte tua lætabitur, *pag.* 5.

Ant. 1. 2. *d.* Audiérunt vicíni & cognáti ejus, quia magnificavit Dóminus miſericórdiam ſuam cum illa; & congratulabántur ei. *Luc.* 1. 58.

In Pſal. 32. Exultáte, juſti, in Dómino, *pag.* 29.

Ant. 1. 7. *a.* Venérunt cir-

cumcídere púerum: & mater ejus dixit: Vocábitur Joánnes. *Luc.* 1. 59. 60.

In Pſal. 84. Benedixíſti, Dómine, terram, *pag.* 78.

℣. De ventre matris meæ tu es protéctor meus: ℟. Tamquam prodígium factus ſum multis. *Pſal.* 70. 6. 7.

Sermo ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

Lectio iv. Serm. 292. de Nat. S. Joan. Bap. Cap. 1.

NAtivitátis Joánnis dies hodiérnus tráditur, hódie celebrátur. Hoc majórum traditióne ſuccepimus; hoc ad pósteros imitándâ devotióne tranſmíttimus. Quâ re pósitâ, occúrrit quæſtio non prætereúnda: Quare Natálem quo eſt ortus ex útero Joánnes pótiùs celebrémus, quàm cujúslibet Apóſtoli, vel Mártyris, vel Prophétæ, vel Patriárchæ? Si interrogémur, quid reſpondébimus? Quantum mihi vidétur, quantum meárum vírium mediocritáti occúrrit, hæc cauſa eſt: Diſcípuli Domini nati ſunt, & per ætátis accéſſum ad annos capacióres perducti, in diſcipulátum aſſúmpti ſunt; illorum póſtea fides Dómino adhæſit; ſed nullius illórum natívitas Domino militávit. Recordémur & Prophétas, recolámus Patriárchas: nati ſunt hómines; ætátis acceſſu repléti Spíritu ſancto, Chriſtum prophetavérunt: nati ſunt ut póſtea prophetárent. Joánnis autem ipſa Natívitas Dóminum Chriſtum prophetávit, quem concéptum ex útero ſalutávit.

℟. Propter Sion non tacébo, & propter Jeruſalem non quiéſcam, donec egrediátur ut ſplendor Juſtus ejus: vidébunt gentes Juſtum tuum: & * Vocábitur tibi nomen novum quod os Dómini nominábit. ℣. Innuébant patri ejus, quem vellet vocári eum: & póſtulans pugillárem ſcripſit, dicens: Joannes eſt nomen ejus; * Vocábitur. *Iſ.* 62. 1. 2. *Luc.* 1. 62. 63.

Lectio v. Cap. 2.

HIc Joánnes non invenítur inter diſcípulos Dómini; ſed invenítur pótiùs diſcípulos habuiſſe cum Dómino. Quid eſt hoc? Quis eſt iſte homo? Quis homo tantus? Tamen non ſequebátur inter diſcípulos Dóminum; & ſequebantur eum diſcípuli; abſit ut dicam contra Dominum; ſed tamen quaſi extra Dóminum. Diſcípulos habébat Chriſtus; diſcípulos habebat Joánnes. Docebat Chriſtus; docébat Joannes. Quid jam dicam? Baptizábat Joánnes; baptizábat Chriſtus. Plus hic de baptiſmo dico, à Joanne baptizátus eſt Chriſtus. Magna jam eminére cauſa cœpit, quà fúerat & Chriſtus a Patre mitténdus, & Joánnes à Patre præmitténdus. Prior miſſus eſt Joánnes;

ſed ſicut ab obſequéntibus anteceditur judex Poſterior homo creatus eſt Chriſtus; ſed Joánnem creavit Deus Chriſtus.

℟. Apertum eſt íllicò os Zacharíæ, & repletus eſt Spíritu ſancto; & prophetávit, dicens: Benedíctus Dóminus Deus Iſrael; quia * Viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ. ℣. Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, & veritátis ſuæ dómui Iſrael. * Viſitávit. *Luc.* 1. 64. 67. 68. *Pſ.* 97. 3.

Lectio vj.

ERat ígitur Joánnes homo perféctus quidem, & cujus tanta gratia commendáta eſt, ut ipſe de illo Dóminus díceret: In natis muliérum nemo exurréxit major Joánne Baptíſtâ. Iſte ergo tam magnus agnoſcit Dóminum in parvo magnum, agnóſcit homo eum qui vénerat homo Deus. Si enim in natis muliérum, hoc eſt, in homínibus, nemo exurréxit major Joánne Baptíſtâ; quiſquis Joánne plus eſt, non tantùm homo, ſed & Deus eſt. Débuit ergo tantus iſte & diſcípulos próprios habére, & cum diſcípulis ſuis magíſtrum ómnium Chriſtum cognóſcere. Quid enim eſt majus teſtimónium veritátis, quàm ſe humiliándo eum agnóſcere, cui æmulándo potúerat invidére? Putári Chriſtus pótuit, & nóluit. Dixérunt hómines, cùm fallerentur in eo: Num fortè hic eſt Chriſtus? reſpóndit ille quòd non erat, ut maneret quod erat. Inde quippe Adam lapſus pérdidit quod erat, quia quod non erat uſurpávit.

℟. Super ómnia montána Judææ divulgabántur ómnia verba hæc; & * Poſuérunt omnes qui audíerant in corde ſuo, dicéntes: Quis, putas, puer iſte erit? † Etenim manus Dómini erat cum illo. ℣. Miráti ſunt in illo multi, & honoravérunt Deum. * Poſuérunt. Gloria. † Etenim. *Luc.* 1. 65. 66. *Eccli.* 11. 13.

IN III. NOCTURNO.

Joannis in deſerto auſteritas; & inde ad Jordanis ripas prædicatio.

Ant. t. 6 *F.* Puer creſcébat, & confortabátur ſpíritu; & erat in deſértis uſque in diem oſtenſiónis ſuæ ad Iſrael. *Luc.* 1. 80.

In Pſ. 91. Bonum eſt confitéri Dómino, *pag.* 33.

Ant. t. 1. *irr.* Erat veſtítus pilis caméli, & zonâ pellíceâ circa lumbos ejus, & locúſtas & mel ſylvéſtre edébat. *Marc.* 1. 6.

In Pſ. 96. Dóminus regnávit, exúltet, *pag.* 33.

Ant. t. 5. *F.* Hic eſt qui dictus eſt per Iſaíam: Vox clamántis in deſérto: Paráte viam Dómini; rectas fácite ſémitas ejus. *Mat.* 3. 3.

In Pſ. 97. Cantáte Dómino..., quia, *pag.* 83.

circumcidere puerum: & mater ejus dixit: Vocabitur Joannes. *Luc.* 1. 59. 60.

In Pſal 84. Benedixiſti, Dómine, terram, *pag.* 78.

℣. De ventre matris meæ tu es protector meus: ℟. Tamquam prodígium factus ſum multis. *Pſal.* 70. 6. 7.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Lectio iv. Serm. 292. *de Nat. S. Joan. Bap. Cap.* 1.

NAtivitátis Joannis dies hodiérnus traditur, hodie celebratur. Hoc majórum traditióne ſuſcepimus; hoc ad póſteros imitandâ devotióne tranſmittimus. Quâ re póſitâ, occúrrit quæſtio non prætereúnda: Quare Natálem quo eſt ortus ex útero Joánnes pótius celebrémus, quam cujúslibet Apóſtoli, vel Martyris, vel Prophétæ, vel Patriárchæ? Si interrogémur, quid reſpondébimus? Quantum mihi vidétur, quantum meárum vírium mediocritáti occúrrit, hæc cauſa eſt: Diſcípuli Domini nati ſunt, & per ætátis acceſſum ad annos capacióres perducti, in diſcipulátum aſsúmpti ſunt; illorum poſtea fides Domino adhæſit; ſed nullius illórum nativitas Domino militávit. Recordémur & Prophetas, recolamus Patriárchas: nati ſunt homines; ætátis acceſſu repléti Spíritu ſancto, Chriſtum prophetavérunt: nati ſunt ut poſtea prophetarent. Joánnis autem ipſa Nativitas Dominum Chriſtum prophetavit, quem concéptum ex útero ſalutávit.

℟. Propter Sion non tacébo, & propter Jeruſalem non quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor Juſtus ejus: videbunt gentes Juſtum tuum: & * Vocabitur tibi nomen novum quod os Dómini nominabit. ℣. Innuébant patri ejus, quem vellet vocari eum: & poſtulans pugillárem ſcripſit, dicens: Joannes eſt nomen ejus, * Vocábitur. *Iſ.* 62. 1. 2. *Luc.* 1. 62. 63.

Lectio v. Cap. 2.

HIc Joánnes non invenítur inter diſcípulos Dómini; ſed invenitur pótius diſcípulos habuiſſe cum Dómino. Quid eſt hoc? Quis eſt iſte homo? Quis homo tantus? Tamen non ſequebátur inter diſcípulos Dóminum; & ſequebantur eum diſcipuli; abſit ut dicam contra Dominum; ſed tamen quaſi extra Dóminum. Diſcípulos habebat Chriſtus, diſcípulos habebat Joánnes. Docebat Chriſtus; docébat Joannes. Quid jam dicam? Baptizábat Joánnes; baptizábat Chriſtus. Plus hic de baptiſmo dico, à Joanne baptizátus eſt Chriſtus. Magna jam eminére cauſa cœpit, quà fúerat & Chriſtus à Patre mitténdus, & Joannes à Patre præmitténdus. Prior miſſus eſt Joánnes;

ſed ſicut ab obſequentibus antecedit judex Poſterior homo creatus eſt Chriſtus; ſed Joánnem creavit Deus Chriſtus.

℟. Apertum eſt íllicò os Zacharíæ, & repletus eſt Spíritu ſancto; & prophetavit, dicens: Benedíctus Dóminus Deus Iſrael; quia * Viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ. ℣. Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, & veritátis ſuæ domui Iſrael. * Viſitávit. *Luc.* 1. 64. 67. 68. *Pſ.* 97. 3.

Lectio vj.

ERat ígitur Joánnes homo perféctus quidem, & cujus tanta gratia commendáta eſt, ut ipſe de illo Dóminus díceret: In natis muliérum nemo exurréxit major Joánne Baptíſtâ. Iſte ergo tam magnus agnoſcit Dóminum in parvo magnum, agnóſcit homo eum qui vénerat homo Deus. Si enim in natis muliérum, hoc eſt, in homínibus, nemo exurréxit major Joánne Baptíſtâ; quiſquis Joánne plus eſt, non tantùm homo, ſed & Deus eſt. Débuit ergo tantus iſte & diſcípulos próprios habére, & cum diſcípulis ſuis magíſtrum ómnium Chriſtum cognóſcere. Quid enim eſt majus teſtimónium veritátis, quàm ſe humiliándo eum agnóſcere, cui æmulándo potúerat invidére? Putári Chriſtus pótuit, & nóluit. Dixérunt hómines, cum fallerentur in eo: Num fortè hic eſt Chriſtus? reſpóndit ille quòd non erat, ut manéret quod erat. Inde quippe Adam lapſus perdidit quod erat, quia quod non erat uſurpávit.

℟. Super ómnia montána Judææ divulgabántur ómnia verba hæc; & * Poſuérunt omnes qui audíerant in corde ſuo, dicentes: Quis, putas, puer iſte erit? † Etenim manus Dómini erat cum illo. ℣. Miráti ſunt in illo multi, & honoravérunt Deum. * Poſuérunt. Gloria. † Etenim. *Luc.* 1. 65. 66. *Eccli.* 11. 13.

IN III. NOCTURNO.

Joannis in deſerto auſteritas; & inde ad Jordanis ripas prædicatio.

Ant. t. 6 *F.* Puer creſcébat, & confortabátur ſpíritu; & erat in deſértis uſque in diem oſtenſiónis ſuæ ad Iſrael. *Luc.* 1. 80.

In Pſ. 91. Bonum eſt confitéri Dómino, *pag.* 33.

Ant. t. 1. *irr.* Erat veſtítus pilis caméli, & zonâ pellíceâ circa lumbos ejus, & locúſtas & mel ſylvéſtre edébat. *Marc.* 1. 6.

In Pſ. 96. Dóminus regnávit, exúltet, *pag.* 33.

Ant. t. 5. *F.* Hic eſt qui dictus eſt per Iſaíam: Vox clamántis in deſérto: Paráte viam Dómini; rectas fácite ſémitas ejus. *Mat.* 3. 3.

In Pſ. 97. Cantáte Dómino..., quia, *pag.* 83.

℣. Vox Dómini ſuper aquas : ℟. Vox Dómini concutiéntis deſértum. *Pſ.* 28. 3. 8.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lect o vij. Cap. 1 *v.* 57.

ELízabeth implétum eſt tempus pariéndi, & péperit fílium. Et audiérunt vicíni & cognáti ejus, quia magnificávit Dóminus miſericórdiam ſuam cum illa, & congratulabántur ei. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epiſcopi.

In Luc. Lib. 2. *num.* 30.

HAbet ſanctorum edítio lætítiam plurimórum, quia commúne eſt bonum; juſtítia enim commúnis eſt virtus. Et ídeò in ortu juſti, futúræ vitæ insígne præmíttitur, & grátia ſecutúræ virtutis exultatióne vicinórum præfiguránte ſigná tur. Pulchrè autem tempus, quo fuit in útero Prophéta, deſcríbitur, ne Maríæ præſéntia taceátur; ſed tempus ſilétur infantiæ, eò quòd præſéntiâ Dómini, matris in útero roborátur, qui infántiæ impediménta neſcívit. Et ídeò in Evangélio nihil ſuper eo légimus, niſi ortum ejus & oráculum, exultatiónem in útero, vocem in deſérto. Neque enim ullam infántiæ ſenſit ætátem, qui ſupra natúram, ſupra ætátem, in útero póſitus matris, à menſúra perfecta cœpit ætátis plenitúdinis Chriſti.

℟. Factum eſt verbum Dómini ſuper Joannem in deſérto, * Et venit in omnem regiónem Jordanis, prædicans baptíſmum pœniténtiæ in remiſſiónem peccatórum. ℣. Ipſe eſt diréctus divínitus in pœniténtiam gentis. * Et venit. *Luc.* 3. 2. 3. *Eccli.* 49. 3.

Lectio viij. n. 31. *&* 32.

MErè ſanctus Evangeliſta præmitténdum putávit, quòd plúrimi infántem patris nómine Zacharíam appellandum putárint; ut advértas matri non nomen alicújus diſplicuíſſe géneris, ſed id ei ſancto infúſum Spíritu, quod ab Angelo antè Zacharíæ fúerat prænuntiátum. Et quidem ille mutus intimáre vocábulum fílii nequívit uxóri; ſed per prophetíam Elízabeth dídicit quod non didícerat à maríto. Joannis eſt, inquit, nomen ejus. Hoc eſt, Non ei nos nomen impónimus, qui jam à Deo nomen accépit; habet vocábulum ſuum quod agnóvimus, non quod elégimus. Habent hoc mérita Sanctórum, ut à Deo nomen accípiant. Et benè ádditur: Quia nemo in cognatióne ejus vocabátur hoc nómine; ut intélligat nomen non géneris eſſe, ſed Vatis.

℟. Hic venit in teſtimónium, ut teſtimónium perhibéret de lúmine, ut om-

nes créderent per illum. * Non erat ille lux, ſed ut teſtimónium perhibéret de lúmine. ℣. Surréxit Prophéta quaſi ignis, & verbum ipsíus quaſi fácula ardébat. * Non erat. *Joan.* 1. 7. 8. *Eccl.* 48. 1.

Lectio ix.

SCripſit autem, Joánnes eſt nomen ejus. Et hic nomen non impónitur, ſed aſtrúitur; meritòque continuò reſolúta eſt lingua ejus; quia quam vínxerat incredúlitas, fides ſolvit. Credámus & nos ígitur, ut loquámur; ut lingua noſtra quæ incredulitátis vínculis eſt ligáta, rationis voce ſolvátur. Scribámus ſpíritu myſtéria, ſi vólumus loqui: ſcribámus Prænúntiū Chriſti, non in tábulis lapídeis, ſed in tábulis cordis carnálibus. Etenim qui Joánnem lóquitur, Chriſtum prophétat.

℟. Teſtimónium præbuit in conſpéctu Dómini, & Chriſti: & * Exaltávit vocem ſuam in prophetía delére impietátem gentis. ℣. Exíbat ad Joannem omnis Judæa; & dixit eis: Fácite fructum dignum pœniténtiæ. * Exaltávit. Glória. * Exaltávit. *Eccli.* 46. 22. 23. *Matth.* 3. 5. 7. 8.

Te Deum.

AD LAUDES.

Teſtimonium Joannis de Chriſto.

℣. *Sacerdot.* Dabit Deus voci ſuæ vocem virtútis: ℟. Date glóriam Deo; ſuper Iſrael magnificéntia ejus. *Pſ.* 67. 34. 35.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 1. 1. *D.* OMnia quæcúmque dixit Joánnes de Chriſto vera erant. *Joan.* 10. 42.

Ant. 1. 4. *E.* Ille erat lucérna ardens & lucens; & teſtimónium perhíbuit veritáti. *Joan.* 5. 35. 33

Ant. 1. 5. *F.* Confeſſus eſt: Non ſum ego Chriſtus: ego vox clamántis in desérto, dirígite viam Dómini. *Joan.* 1. 20. 23.

Ant. 1. 6. *F.* Prædicábat.

CANTICUM *Iſaiæ.* 40 3.

VOx clamántis in desérto: * Paráte viam Dñi; Rectas fácite in ſolitúdine * sémitas Dei noſtri.

Omnis vallis exaltábitur, * & omnis mons & collis humiliábitur;

Et erunt prava in dirécta, * & áſpera in vias planas;

Et revelábitur glória Dómini: * & vidébit omnis caro páriter quòd os Dómini locútum eſt.

Super montem excélſum aſcénde tu, * qui evangelízas Sion.

Exálta in fortitúdine vocẽ tuam, qui evangelízas Jerúſalem; * exálta, noli timére.

Dic civitátibus Juda: * Ecce Deus veſter:

Ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet; * & bráchium ejus dominábitur;

Ecce merces ejus cum eo: * & opus illíus coram illo.

Sicut paſtor gregem ſuum paſcet; * in bráchio ſuo congregábit agnos, & in ſinu ſuo levábit, fœtas ipſe portábit.

Glória Patri.

Ant. Prædicábat, dicens: Venit fórtior me poſt me: cujus non ſum dignus procúmbens sólvere corrígiam calceamentórum ejus. *Marc.* 1. 6. 7.

Ant. t. 2. d. Vidit Jeſum Joánnes, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. Hic eſt de quo dixi, Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt. *Joan.* 1. 29. 30.

Capitulum. Act. 13. 23. 24.

DEus ex sémine David ſecúndùm promiſſiónem edúxit Iſrael Salvatórem Jeſum, prædicánte Joánne ante fáciem advéntûs ejus baptíſmum pœniténtiæ omni pópulo Iſrael.

℣. Docébo iníquos vias tuas:

℟. Et ímpii ad te converténtur. *Pſ.* 50. 15.

Ad Benedict. Ant. t. 1. *D.* Tu puer Prophéta Altíſſimi vocáberis: præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus. *Luc.* 1. 76.

Oratio.

DEus, qui præséntem diem honorabilem nobis in beáti Joánnis Baptiſtæ Nativitáte fecíſti; da pópulis tuis ſpirituálium grátiam gaudiórum; & ómnium fidélium mentes dírige in viam ſalútis ætérnæ; Per, &c.

Ad Horas brev. Antiph. de Laudibus. Pſalmi & Hymni de Dominica.

AD PRIMAM.

CANON

Ex Concílio Florentíno.

Decret. Eug. pro Arm. Ann. 1459.

NE in celebritátibus diſpar ſit Chriſtianórum ritus, unde perturbándæ charitátis occaſio poſſit oriri, decérnimus.... juxta totíus orbis obſervántiam... feſtum Nativitátis beáti Joánnis Baptíſtæ vicéſimâ quartâ Júnii... ſolémniter celebrári.

AD TERTIAM.

Capitulum. Act. 19. 4.

JOánnes baptizávit baptíſmo pœniténtiæ pópulum, dicens: In eum qui ventúrus eſſet poſt ipſum, ut créderent, hoc eſt, in Jeſum.

℟. Qui miſit me, ille mihi dixit: * Super quem víderis Spíritum deſcendéntem, & manéntem ſuper eum, † Hic eſt qui baptízat in Spíritu ſancto. ℣. Dóminus formans me ex útero ſervum ſibi, ut redúcam Jacob ad eum, factus eſt fortitúdo mea, & dixit: * Super quem. Glória. † Hic eſt. *Joan.* 1. 33. *Iſ.* 49. 5. 6.

℣. Incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ ℟. Manifeſtáſti mihi. *Pſ.* 50. 8.

Per Octav. ℟. *br.* Parávi lucérnam Chriſto meo: *

Allelúia, allelúia. Parávi. ℣. Super ipſum efflorebit ſanctificátio mea * Allelúia. Gloria. Parávi. Pſ. 131. 17. 18.

℣. Prótegam eum, quóniã cognóvit nomen meum; ℟. Et oſténdam illi ſalutáre meum, allelúia. Pſ. 90. 14. 16.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. 13. 25.

CUm impléret Joánnes curſum ſuum, dicébat: Quem me arbitrámini eſſe? Non ſum ego: ſed ecce venit poſt me cujus non ſum dignus calceaménta pedum ſólvere.

℟. *br.* Dómine, non eſt exaltátum cor meum: * Allelúia, allelúia. Dómine. ℣. Neque eláti ſunt óculi mei. * Allelúia. Glória. Dómine. Pſ. 130. 1.

℣. O Dómine, quia ego ſervus tuus, ℟. Et filius ancillæ tuæ, allelúia. Pſ. 115. 16.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 46. 17. 18.

IN fide ſua probátus eſt Prophéta; & cógnitus eſt in verbis ſuis fidélis; quia vidit Deum lucis.

℟. *br.* Loquébar de teſtimóniis tuis: * Allelúia, allelúia. Loquébar. ℣. Et non confundébar. * Allelúia. Glória. Loquébar. Pſ. 118. 46.

℣. Deus, docuiſti me à juventúte mea: ℟. Et uſque nunc pronuntiábo mirabília tua, allelúia. Pſ. 70. 17.

AD II. VESPERAS.

Teſtimonium Chriſti de Joanne.

Pſalmi de Dominica, & loco ultimi dicitur, Laudáte Dóminum, omnes, *pag.* 91.

Ant. t. 2. d. COepit Jeſus dícere ad turbas de Joánne: Quid exiſtis in deſertum vidére? Prophétam? étiam dico vobis, & pluſquam Prophétam. *Matth.* 11. 7. 9.

Ant. t. 5. *F.* Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te. *Matth.* 11. 10.

Ant. t. 6. *F.* Amen dico vobis, non ſurréxit inter natos mulíerum major Joánne Baptiſta. *Matth.* 11. 11.

Ant. t. 8. *c.* Lex & Prophétæ uſque ad Joánnem; ex eo regnum Dei evangelizátur. *Luc.* 16. 16.

Ant. t. 3. *E.* Si vultis recípere; ipſe eſt Elías qui ventúrus eſt. *Matth.* 11. 14.

Capitulum. Bar. 5. 3. 4.

DEus oſténdet ſplendórem ſuum in te, omni qui ſub cœlo eſt; nominábitur enim tibi nomen tuum à Deo in ſempitérnum.

HYMNUS

Ex Paul. Diac.

O Nimis felix, meritíque celſi,
Néſciens labem nívei pu-

dóris,
Præpotens Martyr, eremíque cultor,
Máxime Vatum.
Serta ter denis álios corónant
Aucta creméntis, duplicáta quoſdam,
Trina centéno cumuláta fructu
Te ſacer ornant.
Nunc potens noſtri méritis opímis
Péctoris duros lápides repélle,
Aſperum planans iter, & reflexos
Dírige calles:
Ut pius mundi ſator & redémptor,
Méntibus noſtris ſine labe puris
Ritè dignétur véniens ſacrátos
Pónere greſſus.
Láudibus cives célebrant ſupérni
Te, Deus, ſimplex, paritérque Trine;
Súpplices & nos véniam precámur
Parce redémptis.
Amen.

℣. Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo: ℟. Glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum. *Pſ.* 20. 6.

Ad Magnif. *Ant. t.* I. *D.* Amícus ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gáudium meum implétum eſt. *Joan.* 3. 27. 29.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

DIEBUS
INTRA OCTAVAM
S. Joannis Baptiſtæ.

Quæ eſt ritûs Simplicis.

Fit Officium de quocumque Feſto Duplici vel Semiduplici, etiam translato; de Simplici fit Commemoratio tantùm. De Dominica occurrente fit Officium, incipiendo à Veſperis Sabbati.

Ad Officium Nocturnum. *Invitatorium ut in die: Pſalmi novem de Feria: Antiphonæ & ℟. ℟. ℟. ex uno Nocturno diei, ſecundùm Feriam occurr. duæ primæ Lectiones ex Script. occurr. ſecundâ & tertiâ in unam collectis: tertia Lectio Officii de Octava.*

Te Deum *dicitur.*

Ad Laudes, *Pſalmi de Feria ſub ſola prima Antiph. reliqua ut in die.*

Ad Horas br. *Antiphonæ de Laudibus, quartâ omiſſâ: Pſalmi & Hymni de Feria;*

Ad Veſperas, *Prima Antiph. de ſecundis Veſperis Feſti: Pſalmi de Feria, reliqua ut in die.*

DIE XXV.
DE OCTAVA
S. JOANNIS B.
Simplex.

Lectio iij.

De ſermóne ſancti Máximi Epíſcopi.

Homil. 3. in die Nativ. S. J. B.

ADvértite, dilectiſſimi, quantam Joanni Baptiſtæ reveréntiam, quantùm devotiónis debeámus impén-

dere, qui ut honorábilis ſit, à ſancto eſt Spíritu prophetátus, promíſſus ab Angelo, laudátus à Dómino, & perpétuâ ſanctæ mortis glóriâ conſecrátus. Decébat namque ut myſticam Nativitátem ejus mirábilis vita ſequerétur, & ſanctam perfectámque vitam mors Deo devóta conclúderet. Propter quod, fratres, rectiſſimè toto hódie orbe Chriſti Eccléſia primórdia Nativitátis ejus lætíſſimâ feſtivitáte concélebrat, qui ætérna mortálibus adéſſe gáudia, ſtupénti mundo teſtis fideliſſimus revelávit.

In Veſperis Comm. Ss. Joannis & Pauli, Martyrum.

Oratio. Quæſumus, *ut infrà.*

DIE XXVI.

DE OCTAVA S. J. B.

Lectio iij.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

In Nativ. S. J. B. n. 4. 5. & 9.

JOánnes erat verè ardens & veheménter accénſus, quem ſic præoccupávit flamma cœléſtis, ut jam Chriſti ſentíret advéntum, qui necdum ſentíre póterat vel ſeípſum. Ardens enim erat in ſemetípſo veheménti auſteritáte converſatiónis; erga Chriſtum íntimo quodam & pleno fervóre devotiónis; erga peccántes próximos conſtántiâ líberæ increpatiónis. Férveat étiam in nobis zelus iſte, chariſſimi; férveat amor juſtítiæ, ódium iniquitátis. Nemo, fratres, vítia palpet, peccáta diſſímulet nemo. Nemo dicat: Numquid cuſtos fratris mei ſum ego? Nemo, quod in ſe eſt, æquanímiter ferat, cùm víderit órdinem deperíre, mínui diſciplínam. Eſt enim conſentíre, ſilére, cùm argúere poſſis: & ſcimus quia símilis pœna faciéntes máneat & conſentiéntes.

Pro Comm. Ss. Joannis & Pauli, Martyrum.

Oratio.

QUæſumus, omnípotens Deus, ut nos gemináta lætítia hodiérnæ feſtivitátis excípiat, quæ de beatórum Joánnis & Pauli glorificatióne procédit, quos eádem fides & páſſio verè fecit eſſe germános; Per, &c.

DIE XXVII.

DE OCTAVA S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Lectio iij.

De Sermóne ſancti Fulgéntii Epíſcopi.

In Nativ. S. J. B. poſt medium.

ECce qualis, & quanti júdicis die hodiérno clariſſimus natus eſt præco, ante conſpéctum patri prænuntiátus, per quem fúerat matris in alvo feréndus. Quæ eſt iſta grátia ineffábilis? Quæ ſunt iſtæ incomprehensíbiles divítiæ largitátis? Clauſus ſecrétis genitálibus retinétur, & ibi Spíritûs ſancti múnere decorátur. Necdum vivéndi

principia inter hómines auſpicátur, & Prophéta Altíſſimi deſignátur ... Nam quia ventúrus erat puriſſimis viſcéribus concéptus ad redemptiónem mundi Salvátor; præcéſſit de ſtérili génitus, quo nullus major eſt in natis mulierum eléctus.

Veſperæ de ſequenti, Comm. Octavæ.

DIE XXVIII.

SANCTI IRENÆI, LUGDUNENSIS EPISCOPI & ſociorum ejus Martyrum.

Semiduplex.

De Communi plurium Martyrum.

Oratio.

DEus, qui in córdibus Martyrum tuorum Irenæi & ſociorum ejus flammas tantæ dilectiónis accendíſti, ut mundi nec blandítiis, nec terróribus vinceréntur; da nobis eúmdem tuæ charitátis affectum, quo te unum poſſidére cupientes; te unum amíttere metuéntes, ómnia mundi próſpera & advérſa æquáliter deſpiciámus; Per, &c.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ex Epíſtola ſancti Irenæi Epíſc. & Mártyris ad Florínum de Monárchia.

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. Lib. 5. Cap. 20.

Lectio iv.

FLoríne, vidi te, cùm adhuc puer eſſem in inferióre Aſia apud Polycárpum, ſplendidè agéntem in palátio & magnópere laborántem ut te illi approbáres. Etenim ea quæ tunc témporis geſta ſunt meliùs memóriâ téneo, quàm illa quæ nuper accidérunt: ádeò ut & locum ipſum poſſim dícere, in quo beatíſſimus Polycárpus ſedens diſſerébat; proceſſus quoque ejús & ingréſſus, vitæque totíus formam, & córporis ſpéciem; ſermónes dénique quos ad pópulum habébat; & familiárem conſuetúdinem quæ illi cum Joánne, ut narrábat, & cum réliquis qui Dóminum vidíſſent, intercéſſerat; & qualiter dicta illorum commemorábat; & quæcúmque de Dómino ab iíſdem audíerat. De miráculis quoque illíus ac de doctrína, prout ab iis qui Verbum vitæ ipſi conſpéxerant Polycárpus accéperat, eódem prorsùs modo referebat, in omnibus cum Scriptúris conséntiens. Hæc ego, divínâ mihi largiénte misericórdiâ, tunc ſtudióſius audiebam, non in charta, ſed in corde meo audita deſcríbens; eadémque per Dei grátiam aſsíduè répeto, ac revolvo.

Ex Libro ſancti Hierónymi Presbyteri de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Cap. 45.

Lectio v.

IRenæus Pothini Epíſcopi, qui Lugdunénſem in Gállia regébat Ecclésiam, Préſ-

-byter, à Martyribus ejúsdem loci ob quaſdam Eccléſiæ quæſtiónes Legátus Romam miſſus, honoríficas ſuper nómine ſuo ad Eleuthérum Epíſcopum perfert litteras. Póſtea jam Pothíno propè nonagenário ob Chriſtum Martyrio coronáto, in locum ejus ſubſtituitur . . . Scripſit quinque advérsùs Hæreſes libros; & contra gentes, volúmen breve; & de diſciplína, áliud; & ad Marciánum fratrem, de Apoſtólica prædicatione; & Librum variórum tractátuū; & ad Blaſtum, de ſchiſmate; & ad Florínum, de Monárchia, ſive quòd Deus non ſit cónditor malórum; & de octonário, egrégium Commentárium. Ferúntur ejus & áliæ ad Victórem Epíſcopum Románum de quæſtióne Paſchæ Epiſtolæ, in quibus cómmonet eum non fácilè debére unitátem collégii ſcíndere. Siquidem Victor multos Aſiæ & Oriéntis Epíſcopos, qui à décima quarta luna cum Judæis Paſcha celebrábant, damnándos credíderat. In qua ſenténtia ii qui diſcrepábant ab illis, Victori non dedérunt manus. Flóruit máximè ſub Cómmodo Príncipe, qui Marco Antoníno Vero in impérium ſuccéſſerat.

Ex Libro primo Hiſtoriárum ſancti Gregórii Turonénſis.

Cap. 27.

Lectio vj.

BEatíſſimus Irenæus, Pothíni ſucceſſor Martyris, admirabili virtute enítuit: qui in modici témporis ſpátio prædicatióne ſuâ máximè in íntegro civitátem réddidit Chriſtiánam. Sed veniénte perſecutióne, talia ibídem diábolus bella per tyránnum exércuit; & tanta ibi multitúdo Chriſtianórum ob confeſſiónem Domínici nóminis eſt juguláta, ut per platéas flúmina cúrrerent de ſánguine Chriſtiáno, quorum nec númerum, nec nómina collígere potúimus; Dóminus enim eos in libro vitæ ſcripſit. Beátum Irenæū divérſis cárnifex pœnis affécum Chriſto Dómino per Martyrium dedicavit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10. *v.* 28.

IN illo témpore: Dixit Jeſus discípulis ſuis: Nolíte timére eos qui occidunt corpus, ánimam autem non poſſunt occídere; ſed pótiùs timéte eum qui poteſt & ánimam & corpus pérdere in gehénnam. Et réliqua.

Homília ſancti Irenæi Epíſcopi & Mártyris.

Lib. 3. *adv. Hær. Cap.* 20.

SCiébat Dóminus eos qui perſecutiónem paſsúri erant; ſciébat & eos qui flagellári & occídi habérent propter eum. Erat ergo ſermo ejus adhortantis étiam

illos: Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non poſſunt occídere. Timéte autem magis eum qui habet poteſtátem & corpus & ánimam míttere in gehénnam, & ſerváre eas quæ eſſent ad eum confeſſiónes. Etenim ipſe confeſſúrum ſe promittébat coram Patre ſuo, eos qui confiteréntur nomen ſuum coram homínibus; negatúrum autem eos qui negárent eum, & confuſurum eos qui confunderéntur contra confeſſiónem ejus. Et cùm hæc ita ſe habeant, ad tantam temeritátem progréſſi ſunt quidam, ut étiam Mártyres ſpernant, & vitúperent eos qui propter Dómini confeſſiónem occidúntur, & ſuſtinent ómnia à Dómino prædícta, & ſecúndùm hoc conántur veſtígia ſequi paſſiónis Dómini, paſſíbiles Martyres facti, quod & concúpimus ipſis Martyribus. Cum enim inquirétur ſanguis eórum, & glóriam conſequéntur, tunc à Chriſto confundéntur omnes qui inhonoravérunt eórum Martyrium.

Lectio viij.

HOc autem idem & illis occúrrit qui dicunt eum putatívè paſſum. Si enim non verè paſſus eſt, nulla grátia ei, cùm nulla fúerit paſſio: & nos cùm incipiémus verè pati, ſedúcens videbitur, adhórtans nos vapuláre, & alteram præbére maxillam, ſi ipſe illud non prior in veritáte paſſus eſt. Et quemádmodum illos ſedúxit, ut viderétur eis ipſe quod non erat; & nos ſedúcit, adhórtans perférre ea quæ ipſe non pértulit. * Erimus autem & ſuper Magíſtrum, dum pátimur & ſuſtinémus quæ neque paſſus eſt, neque ſuſtínuit Magíſter. Sed quóniam ſolus verè Magíſter Dóminus noſter, & bonus, verè Fílius Dei, & verè pátiens fuit Verbum Dei Patris Fílius hóminis factus: luctátus eſt enim & vicit (erat enim homo pro páribus certans, & per obediéntiam, inobediéntiam persólvens) & ita alligávit fortem, & ſolvit infirmos, & ſalútem donávit pláſmati ſuo.... Igitur qui dicunt eum putatívè manifeſtátum, neque in carne natum, aut paſſum, adhuc ſub véteri ſunt damnatióne.

Si Feſtum hoc transf. ſecunda Lectio dividetur ad Aſteriſcum.

Lectio ix. de Vigilia Ss. Petri & Pauli.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

IN illo témpore; Venit Jeſus in partes Cæſaréæ Philíppi: & interrogábat diſcípulos ſuos, dicens: Quem dicunt hómines eſſe Fílium hóminis? Et réliqua. *Matt.* 16. 13.

Homília S. Bernárdi Abbátis.

In Vigilia Ss. Petri & Pauli. n. 3. & 4.

GAudium noſtrum in hac valle lacrymárum, la-

azymárum pane condíri debet. Si hæc in vigília cujúſque Sancti cogitáre debémus, quid faciémus in ſolemnitáte ſanctórum & ſummórum Apoſtolórum? Petrum & Paulum loquor. Sufficeret uníus feſtívitas ad infundéndam exultatiónem univérſæ terræ: ſed ambórum juncta eſt ad cúmulum gaudiórum; ut quomodò in vita ſua dilexérunt ſe, ita & in morte non ſint ſeparáti. Quid illis poténtius, dum fuérunt in terris? quorum álteri tradúntur claves cœlórum, álteri magiſtérium géntium... Et qui nobis reliquérunt majóra exémpla, quàm illi, qui in fame & ſiti, in frigóre & nuditáte, & in ómnibus illis quæ Paulus enúmerat, júgiter ſunt afflícti, & demum felíci martyrio regna cœléſtia conſcendérunt? Verè nobis rubor confuſiónis ſunt, quos vix audeámus reſpícere, ne dicam imitári. Orémus ergo eos, ut ipſi propítium nobis reddant amícum ſuum júdicem noſtrum, qui eſt Deus benedíctus in ſæcula.

Oratio.

DEus, qui nobis Apoſtolórum tuórum Petri & Pauli natalítia præíre concédis; tríbue nos, & eórum beneficiis præveníri, & oratiónibus adjuvári; Per.

Veſp. de ſeq. ſine C. præc. nec Oct.

D I E X X I X.

SS. PETRI ET PAULI, A P O S T O L O R U M.

Duplex 1. *Claſ. Solemne minus.*

AD I. VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 4. *E.* QUid ſunt duo olívæ iſtæ ad déxteram candelábri, & ad ſiníſtram ejus? *Zach.* 4. 11.

Ant. t. 8. *C.* Iſti ſunt duo filii ólei, qui aſsíſtunt Dominatóri univérſæ terræ. *Zach.* 4. 14.

Ant. t. 5. *a.* Hómines magni virtúte, imperántes pópulo ſanctíſſima verba. *Eccli.* 44. 3. 4.

Ant. t. 7. *a.* Invocábunt nomen meum ſuper fílios Iſrael, & ego benedícam eis. *Num.* 6. 27.

Ant. t. 6. *f.* Conſtítui eos príncipes, qui docérent vos síngula: audíte illos; quia Dei judícium eſt. *Deuter.* 1. 15. 16. 17.

Capitulum. Iſ. 61. 8. 9.

EGo Dóminus dabo opus eórum in veritáte, & fœdus perpétuum fériam eis: & ſcient in géntibus ſemen eórum, & germen eórum in médio populórum: omnes qui víderint eos, cognóſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedíxit Dóminus.

℟. Vivit Dóminus qui edúxit fílios Iſrael: * Ecce piſcatóres piſcabúntur eos: † Dómine, fortitúdo mea, & robur meum, & refúgium meum, ad te gentes vénient ab extrémis terræ; & ſcient quia nomen tibi Dóminus. ℣. Dixit eis Jeſus: Veníte poſt me, & fáciam vos fíeri piſ-

catóres hóminum. * Ecce. Glória. † Dómine. *Jerem.* 16. 15. 16. 17. 21. *Marc.* 1. 17.

HYMNUS.

AMbo divíni próceres Senátûs,
Príncipes cœli, ſócii labórum;
Quos amor junxit, ſimul ampla jungat
Pompa triúmphi.

Vos Dei juſſum vocat: ille, terras
Incolens, primas tibi, Petre, defert:
Eligit Paulum, ſúperas regréſſus
Victor ad arces.

Alter ætérni Patris erudítur
Voce delápsâ: ſuper aſtra raptus
Alter arcánæ ſacra veritátis
Flúmina potat.

Par fides, & par utriúſque votum,
Corda divíno penetránte verbo,
Sub jugo Chriſti nimis obſtinatas
Súbdere gentes.

Magna vos vidit, ſtupuítque Roma;
Roma tot diris habitáta monſtris;
Vidit excíſis pénitus ſepúlta
Númina fanis.

Totus in Roma ſuperátus orbis,
Par locus tantis utriúſque palmis;
Uſque cœléſtis pretióſa ſervat
Sémina verbi.

Laus Deo Patri, genitóque Verbo:
Laus tibi compar, utriúſque Flamen:
Noſque fac tantis dúcibus beátos
Tángere portus.
Amen.

℣. Súſcitans Dóminus à terra ínopem; ℟. Ut cólloçet eum cum princípibus. *Pſ.* 112. 7. 8.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Exultáte in Jerúſalem, omnes qui diligitis eam: cognoſcétur manus Dómini ſervis ejus: annuntiábunt glóriam meam géntibus; & addúcent omnes fratres veſtros donum Dómino ad montem ſanctum. *Iſ.* 66. 10. 14. 19. 20.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat Chriſtum, qui dedit Apóſtolos in ædificatiónem córporis ſui, * Veníte, adorémus. *Epheſ.* 4. 11. 12.

IN I. NOCTURNO.

Vocatur Petrus, & prompto animo ſequitur.

Ant. t. 1. *irr.* Vocábo ſervum meum; & poteſtátem dabo in manu ejus. *Iſ.* 22. 20. 21.

In Pſalm. 2. Quare fremuérunt gentes, *pag.* 3.

Ant. t. 2. *d.* Oculus Dei reſpéxit illum in bono, & eréxit eum ab humilitáte ipsíus, & exaltávit caput ejus. *Eccli.* 11. 13.

In Pſalm. 8. Dómine Dóminus noſter, *pag.* 28.

Ant. t. 8. *c.* Ipſum elégit

ab omni vivénte, in lege ſua lucem dare Iſrael. *Eccli.* 45. 20. 21.

In Pſal. 14. Dómine, quis habitábit, *pag.* 135.

℣. Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti: ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Pſ.* 64. 5.

De Iſaia Prophéta.

Lectio j. Cap. 61. *v.* 3. *ad* 7.

VOcabúntur in Sion fortes juſtitiæ, plantátio Dómini ad glorificándum. Et ædificábunt deſérta à ſæculo, & ruínas antíquas érigent, & inſtaurábunt civitátes deſértas, diſſipátas in generatiónem & generatiónem. Et ſtabunt aliéni, & paſcent pécora veſtra: & filii peregrinórum, agrícolæ, & vinitóres veſtri erunt. Vos autem Sacerdótes Dómini vocabímini: miniſtri Dei noſtri, dicétur vobis: Fortitúdinem géntium comedétis, & in glória eárum ſuperbiétis.

℟. Benedícant nómini glóriæ tuæ excelſo in omni laude: * Tu, Dómine, elegíſti eum, & inveníſti cor ejus fidele coram te. ℣. Dixit Jeſus Petro: Séquere me: * Tu, Dómine. 2. *Eſdræ* 9. 5. 7. 8. *Joan.* 21. 19.

Lectio ij. v. 8. *ad finem.*

EGo Dóminus díligens judícium, & ódio habens rapínam in holocáuſto: & dabo opus eórum in veritáte, & fœdus perpétuum fériam eis: & ſcient in géntibus ſemen eórum, & germen eorum in médio populórum: omnes qui víderint eos, cognóſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedíxit Dóminus. Gaudens gaudébo in Dómino, & exultábit ánima mea in Deo meo; quia índuit me veſtiméntis ſalútis; & induménto juſtitiæ circúmdedit me, quaſi ſponſum decorátum corónâ, & quaſi ſponſam ornátam monílibus ſuis. Sicut enim terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuum gérminat; ſic Dóminus Deus germinábit juſtítiam & laudem coram univérſis géntibus.

℟. Quam glóriam adéptus eſt! * Fuit magnus ſecúndùm nomen ſuum, máximus in ſalútem electórum Dei. ℣. Intúitus Petrum Jeſus, dixit: Tu es Simon fílius Jona: tu vocáberis Cephas, quod interpretátur Petrus. * Fuit magnus. *Eccli.* 46. 3. 1. 2. *Joan.* 1. 42.

Lectio iij. Cap. 66. *v.* 19. *ad* 23.

MIttam ex eis qui ſalváti fúerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendéntes ſagíttam; in Italiam & Græciam, ad ínſulas longè, ad eos qui non audiérunt de me, & non vidérunt glóriam meam: & annuntiábunt glóriam meam géntibus. Et addúcent omnes fratres veſtros de cunctis géntibus donum Dómino in equis, & in quadrígis, & in

lecticis, & in mulis, & in carrúcis, ad montem ſanctum meum in Jeruſalem, dicit Dóminus, quómodo ſi ínferant filii Iſraël munus in vaſe mundo in domum Dómini. Et aſſúmam ex eis in Sacerdotes & Levitas, dicit Dóminus. Quia ſicut cœli novi, & terra nova quæ ego facio ſtare coram me, dicit Dominus: ſic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum.

℟. Ponam in eis ſignum: & * Mittam ex eis qui ſalváti fúerint in Itáliam, ad ínſulas longe, ad eos qui non audiérunt de me: & † Addúcent omnes fratres veſtros de cunctis géntibus donum Dómino. ℣. Aſcéndens Jeſus in navim quæ erat Simónis, dixit ad eum: Duc in altum, & laxáte rétia veſtra in captúram. * Mittam. Glória. † Addúcent. *Iſ.* 66. 19. 20. *Luc.* 5. 3. 4.

IN II. NOCTURNO.

Summâ remuneratur poteſtate glorioſa Petri confeſſio.

Ant. t. 8. *c.* Vos teſtes mei, dicit Dóminus, & ſervus meus quem elégi. *Iſ.* 43. 10.

In Pſalm. 18. Cœli enárrant glóriam, *pag.* 28.

Ant. t. 5. *a.* Dóminus exaltávit in ætérnum cornu ejus: & dedit illi ſedem glóriæ in Iſrael. *Eccli.* 47. 13.

In Pſal. 20. Dómine, in virtúte tua, *pag.* 5.

Ant. t. 1. *d.* Dominus dixit ad te: Tu paſces pópulum meum Iſrael. 2. *Reg.* 5. 2.

In Pſal. 44. Eructávit cor meum, *pag.* 95.

℣. Conſtituit eum dóminum domûs ſuæ, ℟. Et príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ. *Pſ.* 104. 21.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv. in Feſto Apoſtolorum. n. 1.

Glorioſa nobis ſolémnitas illúxit, quam præclari Martyres, Mártyrum duces, Apoſtolórum príncipes morte clariſſimâ conſecrarunt. Iſti ſunt Petrus & Paulus, duo magna luminária, quos Deus in córpore Eccléſiæ ſuæ conſtítuit quaſi géminum lumen oculorum. Hi mihi traditi ſunt in magiſtros, & in mediatóres, quibus ſecúrè me commíttere poſſim; quia & notas mihi fecerunt vias vitæ, & mediántibus illis ad illum Mediatórem aſcéndere pótero, qui venit pacificare per ſánguinem ſuum, & quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt. Ille enim in utraque naturâ puriſſimus eſt, qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Quomodo ergo ad illũ accédere audebo, qui ſum ſupra modum peccans peccátor, qui peccavi ſupra númerum arenæ maris, cùm ille púrior, ego impúrior eſſe non poſſim? Proptérea dedit mihi Deus hómines iſtos, qui & hómines eſſent

&

& peccatóres, & máximi peccatóres; qui in ſeípſis, & de ſeípſis diſcerent quáliter áliis miſeréri debérent. Magnórum enim críminum rei, magnis crimínibus fácilè donábunt véniam: & in qua menſúra menſum eſt eis, remetiéntur nobis.

℟. Víſio quam locútus eſt vir cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum moránte, ait: * Quis aſcéndit in cœlum atque deſcéndit? Quod nomen eſt ejus, ſi noſti? ℣. Dicit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos quem me eſſe dícitis? Reſpóndens Petrus, dixit: Tu es Chriſtus Fílius Dei vivi. * Quis. *Prov.* 30. 1. 4. *Matth.* 16. 15. 16.

Lectio v. n. 1. & 2.

PEccávit peccátum grande Petrus Apóſtolus, & fortáſſis quo grandius nullum eſt; & tam velociſſimè quàm faciſſimè véniam conſecútus eſt; & ſic, ut nihil de ſingularitáte primátûs ſui amítteret. Sed & Paulus qui in ipſa víſcera naſcéntis Eccléſiæ tam ſinguláriter quàm incomparabiliter graſſátus eſt, per ipsíus Fílii Dei vocem ad fidem addúcitur; & pro tantis malis, tantis bonis replétus eſt, ut vas electiónis fíeret ad portándum nomen ejus coram géntibus, & régibus, & fíliis Iſrael: vas dignum & cœléſtibus ferculis replétum, de quo & ſanus eſcam, & infírmus accípiat medicínam. Tales decébat humáno géneri Paſtores & Doctores conſtitui, qui & dulces eſſent, & potentes, & nihilóminus ſapiéntes: dulces, ut me blandè misericorditérque ſuſcíperent; poténtes, ut fórtiter protegerent; ſapiéntes, ut ad vitam, & per viam dúcerent quæ ducit ad civitátem.

℟. Sit nomen Dómini benedíctum à ſæculo: * Ipſe revélat profúnda & abſcóndita: tibi, Deus, confíteor, teque laudo, quia ſapiéntiam dedíſti mihi. ℣. Dixit Jeſus Petro: Beátus es Simon Bar-Jona: quia caro & ſanguis non revelávit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. * Ipſe revelat. *Dan.* 2. 20. 22. 23. *Matt.* 16 17.

Lectio vj. n. 2. & 3.

QUid Petro dúlcius, qui tam dúlciter omnes ad ſe cónvocat peccatóres, ſicut & Actus Apoſtólici, & Epiſtolárum ejus séries atteſtátur? Quid illo poténtius, cui & terra obedívit cùm mórtuos réddidit, & mare ſub ejus pédibus calcábile ſe præbuit? Qui Simónem magum ſpíritu oris ſui in áëre áttigit, qui claves regni cœlórum tam ſinguláriter accépit, ut præcedat ſenténtia Petri ſenténtiam cœli? Quid autem illo ſapiéntius, cui non caro & ſanguis, ſed Pater, qui in cœlis eſt, ſapiéntiam illam quæ de cœlis eſt, multâ largitáte revelávit?

Libentiſſimè Paulum ſequor, qui præ nimia dulcédine luget eos qui peccavérunt, & non egérunt pœnitentiam; qui fórtior eſt omni principátu & poteſtáte; qui ſapiéntiam & medúllam ſacrorum ſénſuum non a primo vel ſecúndo, ſed à tértio cœlo largiter aſportávit. Hi ſunt Magíſtri noſtri, qui à Magíſtro ómnium vias vitæ pleniùs didicérunt, & docent nos uſque in hodiérnum diem.

℟. Erit quaſi pater habitántibus Jeruſalem: & dabo clavem domûs David ſuper húmerum ejus: * Apériet, & non erit qui claudat: claudet, & non erit qui apériat. ℣. Jeſus dixit Petro: Tibi dabo claves regni cœlórum: & quodcúmque ligáveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcúmque ſólveris ſuper terram, erit ſolútum & in cœlis. * Apériet. Glória. * Apériet. *Iſ.* 22. 21. 22. *Mat.* 16 17. 19.

IN III. NOCTURNO.

Ardens Petri in Chriſtum amor.

Ant. t. 1. *a.* Reſpóndit Jeſu Simon Petrus: Dómine, ad quem ibimus? Verba vitæ ætérnæ habes *Joan.* 6. 69.

In Pſal. 63. Exaudi, Deus, orationem meam, cùm déprecor, *pag.* 77.

Ant. t. 3. *a.* Dómine, tecum parátus ſum & in cárcerem & in mortem ire. *Luc.* 22. 33.

In Pſal. 74. Confitébimur tibi, Deus, *pag.* 31.

Ant. t. 7. *a.* In omni ópere dedit confeſſionem Excelſo & de omni corde ſuo diléxit Deum qui fecit illum. *Eccli.* 47. 9. 10.

In Pſal. 98. Dóminus regnavit, iraſcántur, *pag.* 81.

℣. Dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, ℟. Qui díligunt ſalutare tuum. *Pſ.* 69. 5.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 21. *v.* 15.

IN illo témpore: Dixit Simoni Petro Jeſus: Simon Joánnis, díligis me plus his? dicit ei. Etiam, Dómine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Tract. 123. *n.* 4.

CUm eſſes júnior, cingébas te, & ambulabas ubi volébas: cum autem ſenúeris, exténdes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, ſigníficans quâ morte clarificaturus eſſet Deum. Hunc invénit éxitum ille negator, & amátor; præſuméndo elátus, negando proſtrátus, flendo purgátus, confiténdo probátus, patiendo coronátus. Hunc invenit éxitum, ut pro ejus nómine perfectâ dilectióne moreretur, cum quo ſe moritúrum perversâ feſtinatióne promíſerat. Fáciat ejus reſurrectióne firmatus, quod immaturè pollicebátur infírmus. Hoc

enim oportébat, ut priùs Chriſtus pro Petri ſalúte, deínde Petrus pro Chriſti prædicatióne morerétur.

℟. Dicit Simóni Petro Jeſus: Simon Joánnis, amas me? Dómine, tu omnia noſti; tu ſcis quia amo te. Dixit ei: * Paſce oves meas. ℣. Tibi dixit Dóminus Deus tuus: Tu paſces pópulum meum Iſraël: tu eris princeps ſuper eum. * Paſce. *Joan.* 21. 17. 1. *Paral.* 11. 2.

Lectio viij. n. 5.

Dominus quod ſciébat intérrogat, nec ſemel, ſed iterum ac tértiò, utrum Petrus eum diligat; nec áliud tóties audit à Petro, quàm ſe diligi; nec áliud tóties commendat Petro, quàm ſuas oves paſci. Rédditur negatióni trinæ trina conféſſio, ne minùs amóri lingua ſérviat, quàm timori; & plus vocis elicuíſſe videátur mors ímminens, quàm vita præſens. Sit amoris officium, paſcere Domínicum gregem; ſi fuit timóris indícium negare paſtórem. Qui hoc ánimo paſcunt oves Chriſti, ut ſuas velint eſſe, non Chriſti, ſe convincúntur amáre; non Chriſtum; vel gloriándi, vel dominándi, vel acquiréndi cupiditáte, non obediéndi, & ſubveniéndi, & Deo placéndi charitáte.

℟. Simon, ego rogávi pro te, ut non defíciat fides tua: & tu * Aliquándo convérſus, confírma fratres tuos. ℣. Convértam te, & ante fáciem meam ſtabis: quaſi os meum eris; & dabo te pópulo in murum æreum fortem. * Aliquando. *Luc.* 22. 31. 32. *Jerem.* 15. 19. 20.

Lectio ix.

Quod vítium máximè cavéndum eſt eis qui paſcunt oves Chriſti, ne ſua quærant, non quæ Jeſu Chriſti, & in uſus cupiditátum ſuárum cónferant, pro quibus ſanguis fuſus eſt Chriſti. Cujus amor in eo qui paſcit oves ejus, in tam magnum debet ſpiritálem créſcere ardorem, ut vincat étiam mortis naturalem timórem, quo mori nolumus, & quando cum Chriſto vívere volumus. Nam & Apóſtolus Paulus dicit ſe habére concupiſcéntiã diſſólvi, & eſſe cum Chriſto; ingemíſcit tamen gravátus, & non vult expoliári, ſed ſuperveſtíri, ut abſorbeátur mortále à vita. Et huic Dñus dilectori ſuo: Cùm ſenúeris, inquit, exténdes manus tuas, & álius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc enim ei dixit, ſigníficans quâ morte clarificatúrus erat Deum. Exténdes, inquit, manus tuas, hoc eſt, crucifigéris. Ad hoc autem ut vénias, álius te cinget & ducet, non quò vis, ſed quò non vis. Prius dixit quod fieret, & deinde quómodo fieret.

℟. Dixit ad me Dóminus: Fili hóminis, * Ecce ata

ſunt ſuper te víncula, & ligábunt te in eis: & non egrediéris de medio eórum. ℣. Simon, exténdes manus tuas, & álius te cinget, & ducet quò tu non vis: hoc autem dixit Jeſus, ſigníficans quâ morte clarificatúrus eſſet Deum. * Ecce. Glória. * Ecce. *Ezech.* 3. 22. 25. *Joan.* 21. 18. 19.

Te Deum.

AD LAUDES.

Petri in prædicando zelus, in teſtificando conſtantia, in operando potentia.

℣. *Sacerd.* Notam fáciant fíliis hóminum poténtiã tuam, ℟. Et glóriam magnificéntiæ regni tui. *Pſ.* 144. 12.

Pſalmi de Dominica.

Ant. *t.* 1. *d.* ELégit Jeſus duódecim, quos & Apóſtolos nominávit: primus, Simon, qui dícitur Petrus. *Luc.* 6. 13. *Matth.* 10. 2.

Ant. t. 2. *d.* Replétus Spíritu ſancto Petrus, dixit: Príncipes pópuli, audíte: Quem vos crucifixíſtis, Deus ſuſcitávit à mórtuis. *Act.* 4. 8. 10.

Ant. t. 5. *a.* Aliis étiam verbis plúrimis Petrus teſtificátus eſt, & exhortabátur eos. *Act.* 2. 40.

Ant. t. 7. *a.* Vidéntes.

CANTICUM. *Iſ.* 52. *v.* 7. *ad* 11.

QUàm pulchri ſuper montes pedes annuntiántis & prædicántis pacem; * annuntiántis bonum; Prædicántis ſalutem, dicéntis Sion: * Regnábit Deus tuus!

Vox ſpeculatórum tuórum: * levavérunt vocem, ſimul laudábunt:

Quia óculo ad óculum vidébunt; * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte, & laudáte ſimul, desérta Jerúſalem; * quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum, redémit Jerúſalem.

Parávit Dóminus bráchium ſanctum ſuum * in óculis ómnium géntium:

Et vidébunt omnes fines terræ * Salutare Dei noſtri.

Glória.

Ant. Vidéntes Petri conſtántiam, admirabántur, & nihil póterant contradícere. *Act.* 4. 13. 14.

Ant. t. 6. *F.* Augebátur credéntium multitúdo: ita ut in platéas ejícerent infírmos, ut, veniénte Petro, ſaltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, & liberaréntur ab infirmitatibus ſuis. *Act.* 5. 14. 15.

Capitulum. 1. *Cor.* 1. 26 27.

VIdéte vocatiónem veſtram, fratres: quæ ſtulta ſunt mundi elégit Deus, ut confúndat ſapiéntes: & infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia.

℣. Nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus; ℟. Nimis confortátus eſt principátus eórum. *Pſ.* 138. 17.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *C.* Hi ſunt duæ olívæ, & duo can-

delábra, in conſpéctu Dómini terræ ſtantes. Hi habent poteſtátem claudéndi cœlum. *Apoc.* 11. 4. 6.

Oratio.

DEus, qui hodiérnam diem Apoſtolórum tuórum Petri & Pauli martyrio conſecráſti; da Eccléſiæ tuæ eórum in ómnibus ſequi præcéptum, per quos Religiónis ſumpſit exórdium; Per, &c.

Ad Horas br. Ant. de Laud. quartâ omiſſâ, Pſalmi & Hymni de Dominica.

AD TERTIAM.

Capitulum. Act. 9. 31. 32.

ECcléſia per totam Judæã, & Galilæam, & Samaríam ædificabátur ámbulans in timóre Dómini. Factum eſt autem ut Petrus dum pertransíret univérſos, deveníret ad Sanctos qui habitábant Lyddæ.

℟. Dixit Jeſus Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificábo Eccléſiam meam: * Et † Portæ ínferi non prævalébunt advérsùs eam. ℣. Urbs fortitúdinis noſtræ Sion, ſalvátor ponétur in ea murus & antemurale. * Et portæ. Glória. † Portæ. *Matth.* 16. 18. *Iſ.* 26. 1.

℣. Póſui adjutórium in poténte: ℟. Et exaltávi eléctum de plebe mea. *Pſ.* 88. 20.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. *Pet.* 3. 1. 2.

CHariſſimi, Veſtram éxcito in commonitióne ſincéram mentem: ut mémores ſitis eórum, quæ prædíxi, verborum à ſanctis Prophetis, & Apoſtolórum veſtrórum, præceptórum Dómini & Salvatóris.

℟. *br.* Annuntiavérunt ópera Dei: * Allelúia, allelúia. Annuntiavérunt. ℣. Et facta ejus intellexérunt. * Allelúia. Glória. Annuntiavérunt. *Pſ.* 63. 10.

℣. In omnem terram exívit ſonus eórum: ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum, allelúia. *Pſ.* 18. 5.

AD NONAM.

Capitulum. Hebr. 2. 3. 4.

CUm inítium accepíſſet enarrári (ſalus) per Dóminum, ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta eſt, conteſtánte Deo ſignis, & portẽtis, & váriis virtútibus.

℟. *br.* Póſuit in eis verba ſignórum ſuórum: * Allel. allel. Póſuit. ℣. Et prodigiórum in terra. * Allelúia, all. Glória. * Póſuit. *Pſ.* 104. 27.

℣. Conturbáti ſunt omnes qui videbant eos: ℟. Et tímuit omnis homo, allelúia. *Pſ.* 63. 9. 10.

AD II. VESPERAS.

Petri morituri monita quaſi ultima.

Pſalmi de Dominica, & loco ultimi dicitur:

Lauda, Jerúſalem, *pag.* 93.

Ant. 1. d. SCitis quóniam Deus in nobis elégit, per os meum audíre gentes verbum Evangélii, & crédere. *Act.* 15. 7.

ſunt ſuper te víncula, & li-gábunt te in eis: & non egre-diéris de medio eórum. ℣. Simon, exténdes manus tuas, & álius te cinget, & ducet quò tu non vis: hoc autem dixit Jeſus, ſigníficans quâ morte clarificatúrus eſſet Deum. * Ecce. Glória. * Ecce. *Ezech.* 3. 22. 25. *Joan.* 21. 18. 19.

Te Deum.

AD LAUDES.

Petri in prædicando zelus, in teſtificando conſtantia, in operando potentia.

℣. *Sacerd.* Notam fáciant fíliis hóminum poténtiã tuam, ℟. Et glóriam magnificéntiæ regni tui. *Pſ.* 144. 12.

Pſalmi de Dominica.

Ant. *t.* 1. *d.* Elégit Jeſus duódecim, quos & Apóſtolos nominávit: primus, Simon, qui dícitur Petrus. *Luc.* 6. 13. *Matth.* 10. 2.

Ant. t. 2. *d.* Replétus Spíritu ſancto Petrus, dixit: Príncipes pópuli, audíte: Quem vos crucifixíſtis, Deus ſuſcitávit à mórtuis. *Act.* 4. 8. 10.

Ant. t. 5. *a.* Aliis étiam verbis plúrimis Petrus teſtificátus eſt, & exhortabátur eos. *Act.* 2. 40.

Ant. t. 7. *a.* Vidéntes.

CANTICUM. *Iſ.* 52. *v.* 7. *ad* 11.

QUàm pulchrì ſuper montes pedes annuntiántis & prædicántis pacem; * annuntiántis bonum; Prædicántis ſalútem, dicéntis Sion: * Regnábit Deus tuus!

Vox ſpeculatórum tuórum: * levavérunt vocem, ſimul laudábunt:

Quia óculo ad óculum vidébunt; * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudete, & laudáte ſimul, desérta Jerúſalem; * quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum, redémit Jerúſalem.

Parávit Dóminus bráchium ſanctum ſuum * in óculis ómnium géntium:

Et vidébunt omnes fines terræ * Salutare Dei noſtri.

Glória.

Ant. Vidéntes Petri conſtántiam, admirabántur, & nihil póterant contradícere. *Act.* 4. 13. 14.

Ant. t. 6. *F.* Augebátur credéntium multitúdo: ita ut in platéas ejícerent infírmos, ut, veniénte Petro, ſaltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, & liberaréntur ab infirmitatibus ſuis. *Act.* 5. 14. 15.

Capitulum. 1. *Cor.* 1. 26 27.

VIdéte vocatiónem veſtram, fratres: quæ ſtulta ſunt mundi elégit Deus, ut confúndat ſapiéntes: & infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia.

℣. Nimis honoráti ſunt amíci tui, Deus; ℟. Nimis confortátus eſt principátus eórum. *Pſ.* 138. 17.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *C.* Hi ſunt duæ olívæ, & duo can-

delábra, in conſpéctu Dómini terræ ſtantes. Hi habent poteſtátem claudéndi cœlum. *Apoc.* 11. 4. 6.

Oratio.

DEus, qui hodiérnam diem Apoſtolórum tuórum Petri & Pauli martyrio conſecráſti; da Eccléſiæ tuæ eórum in ómnibus ſequi præcéptum, per quos Religiónis ſumpſit exórdium; Per, &c.

Ad Horas br. Ant. de Laud. quartâ omiſſâ, Pſalmi & Hymni de Dominica.

AD TERTIAM.

Capitulum. Act. 9. 31. 32.

ECcléſia per totam Judæã, & Galilæam, & Samaríam ædificabátur ámbulans in timóre Dómini. Factum eſt autem ut Petrus dum pertransíret univérſos, deveníret ad Sanctos qui habitábant Lyddæ.

℞. Dixit Jeſus Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificábo Eccléſiam meam: * Et † Portæ ínferi non prævalébunt advérsùs eam. ℣. Urbs fortitúdinis noſtræ Sion, ſalvátor ponétur in ea murus & antemurále. * Et portæ. Glória. † Portæ. *Matth.* 16. 18. *Iſ.* 26. 1.

℣. Póſui adjutórium in poténte: ℞. Et exaltávi eléctum de plebe mea. *Pſ.* 88. 20.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. *Pet.* 3. 1. 2.

CHariſſimi, Veſtram éxcito in commonitióne ſincéram mentem: ut mémores ſitis eórum, quæ prædíxi, verbórum à ſanctis Prophetis, & Apoſtolórum veſtrórum, præceptórum Dómini & Salvatóris.

℞. *br.* Annuntiavérunt ópera Dei: * Allelúia, allelúia. Annuntiavérunt. ℣. Et facta ejus intellexérunt. * Allelúia. Glória. Annuntiavérunt. *Pſ.* 63. 10.

℣. In omnem terram exívit ſonus eórum: ℞. Et in fines orbis terræ verba eórum, allelúia. *Pſ.* 18. 5.

AD NONAM.

Capitulum. Hebr. 2. 3. 4.

CUm inítium accepíſſet enarrári (ſalus) per Dóminum, ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta eſt, conteſtánte Deo ſignis, & portẽtis, & váriis virtútibus.

℞. *br.* Póſuit in eis verba ſignórum ſuórum: * Allel. allel. Póſuit. ℣. Et prodigiórum in terra. * Allelúia, all. Glória. * Póſuit. *Pſ.* 104. 27.

℣. Conturbáti ſunt omnes qui videbant eos: ℞. Et tímuit omnis homo, allelúia. *Pſ.* 63. 9. 10.

AD II. VESPERAS.

Petri morituri monita quaſi ultima.

Pſalmi de Dominica, & loco ultimi dicitur:

Lauda, Jerúſalem, *pag.* 93.

Ant. 1. *d.* SCitis quóniam Deus in nobis elégit, per os meum audíre gentes verbum Evangélii, & crédere. *Act.* 15. 7.

Ant. t. 5. F. Juſtum árbitror, quámdiu ſum in hoc tabernáculo, ſuſcitáre vos in commonitióne 2. *Pet.* 1. 13.

Ant. t. 6. F. Velox eſt depoſítio tabernáculi mei, ſecúndùm quod & Dóminus noſter Jeſus Chriſtus ſignificávit mihi. 2. *Pet* 1. 14.

Ant. t 7. a. Dabo óperam & frequénter habere vos poſt óbitum meum, ut horum memóriam faciátis. 2. *Pet.* 1. 15.

Ant. t. 8. c. Dómini noſtri longanimitátem, ſalútem arbitrémini; ſicut frater noſter Paulus ſecúndùm datam ſibi ſapiéntiam ſcripſit vobis. 2. *Pet.* 3. 15.

Capitulum. 2. *Petri.* 1. 16.

NOn doctas fábulas ſecúti, notam fécimus vobis Dómini noſtri Jeſu Chriſti virtútem & præſéntiam; ſed ſpeculatóres facti illíus magnitudinis.

HYMNUS.

QUos fides, virtus, pietáſque junxit,
Príncipes cœli géminos canámus:
Par decus vitæ, váriæ nec impar
Glória mortis.
Dum latet ſummi Déitas Magíſtri,
Véritas Petro ſine nube fulget:
Primus ætérno génitum fatétur
Númine Chriſtum.
Quà patet tellus, pópulos Tonánti,
Géntium Doctor, domat ore Paulus:
Hinc triumpháto ſibi nomen addit
Victor ab orbe.
Mille poſt gentes Dómino ſubáctas,
Hic cadit ferro; cruce pendet alter:
Spléndidam ſortes meruére fuſo
Sánguine laurum.
Roma, ditáris moriénte Petro;
Fis poteſtátis potióris hæres:
Majus & bello tibi Chriſtiána
Pax decus addit.
Stabit ætérnùm tua, Petre, ſedes:
Hanc ſuper petram ſtruit, hanc fidélis
Fundat immótam Deus, ac perénni
Fœdere firmat.
Laus Deo Patri, genitóque Verbo,
Laus tibi compar, utriúſque Flamen:
Noſque fac, tantis dúcibus, beátos
Tángere portus.
Amen.

℣. Príncipes populórum congregáti ſunt, ℟. Cum Deo Abraham. *Pſ.* 46. 10.

Ad Magn. *Ant. 6. F.* Inclyti Iſrael interfécti ſunt: cecidérunt fortes: amábiles, & decori in vita ſua, in morte quoque non ſunt diviſi. 2. *Reg.* 1. 19. 23.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.
Deinde fit Comm. Octavæ S. Joannis tantum.

Die xxx.

COMMEMORATIO SANCTI PAULI, APOSTOLI.

Duplex 3. Claſſ.

Si Feſtum hoc habeat primas Veſperas (ut in Eccleſiis ubi S. Paulus eſt Patronus) Antiphonæ, Capit. Hym. & ℣. ſumuntur ex Veſperis ut infrà: ſi transferatur Feſtum, prius in Veſperis pro ejus Commem. dicetur Antiph. ſequens. Ego ſum mínimus Apoſtolórum, qui non ſum dignus vocári Apóſtolus, quóniam perſecútus ſum Eccléſiam Dei. Grátiâ autem Dei ſum id quod ſum. 1. *Cor.* 15. 9. 10.

℣. Quis Deus magnus ſicut Deus noſter? ℟. Tu es Deus qui facis mirabília. *Pſ.* 76. 14. 15.

Oratio ut infrà.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Apóſtolum & Pontíficem confeſſiónis noſtræ Jeſum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 3. 1.

Pſalmi de Feria; & ſic in toto Officio.

IN I NOCTURNO.

Vocanti Deo promptè obſequitur Paulus.

Ant. t. 2. *D.* Ego ſum vir Judæus, natus in Tarſo Cilíciæ, ſecus pedes Gamáliel erudítus juxta veritatem patérnæ legis. *Act.* 22. 3.

Ant. t. 4. *E.* Grátia data eſt mihi, ut ſim miníſter Chriſti Jeſu in géntibus. *Roman.* 15. 15. 16.

Ant. t. 7. *a.* Quámdiu quidem ego ſum géntium Apoſtolus, miniſtérium meum honorificábo. *Rom.* 11. 13.

℣. Erípies me de contradictiónibus pópuli: ℟. Conſtítues me in caput géntium. *Pſ.* 17. 44.

Lectiones de Scriptura occur.

℟. 1 Cùm plácuit ei qui me ſegregávit ex útero matris meæ, & vocávit per grátiam ſuam, ut reveláret Fílium ſuum in me, ut evangelizárem illum in géntibus: * Contínuò non acquievi carni & ſanguini. ℣. Ecce ego, quia vocáſti me: lóquere, Dómine, quia audit ſervus tuus. * Contínuò. *Gal.* 1. 15. 16. 1. *Reg.* 3. 9. 10.

℟. 2 Evangélium, quod evangelizátum eſt à me, non eſt ſecundum hóminem: * Neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, ſed per revelatiónem Jeſu Chriſti. ℣. Dóminus dedit mihi linguam erudítam: érigit mihi aurem, ut áudiam quaſi magíſtrum. * Neque enim. *Gal.* 1. 11. 12. *Iſ.* 50. 4.

℟. 3. Créditum eſt mihi Evangélium præpútii, ſicut & Petro circumciſionis: * Qui enim operátus eſt Petro in Apoſtolátum circumciſiónis, operátus eſt & mihi inter gentes. ℣. Dixit Dóminus ad me: Ecce dedi verba

mea in ore tuo: ecce conſtítui te ſuper gentes. * Qui enim. Glória. * Qui. *Gal.* 2. 7. 8. *Jerem.* 1. 9. 10.

In II. Nocturno.

Pauli in prædicando labores invicti.

Ant. t. 7. a. Omnia fácio propter Evangélium: ut párticeps ejus efficiar. 1. *Cor.* 9. 23.

Ant. t. 8. c. Hábeo glóriam in Chriſto Jeſu ad Deum: ita ut ab Jeruſalem per circúitum uſque ad Illyricum repléverim Evangélium Chriſti. *Rom.* 15. 17. 19.

Ant. t. 1. a. Sic curro, non quaſi in incértum: ſed caſtígo corpus meum; & in ſervitútem rédigo: ne fortè cùm áliis prædicáverim, ipſe réprobus efficiar. 1. *Cor.* 9. 26. 27.

℣. Vide humilitátem meam, & labórem meum: ℟. Cuſtódi ánimam meam, & éruc me. *Pſ.* 24. 18. 20.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Adverſ. vitup. vitæ Monaſt. Lib. 1.

Lectio iv.

Cum beátus Paulus péllicem quam Nero deperíbat, fídei ſacraménta ſuſcípere induxíſſet, ſimul perſuáſerat impúrum illum congreſſum declináre. Ille corruptórem & impoſtórem Paulum vócitans, primùm quidem eum conjécit in víncula: cùm verò illi perſuadére non poſſet, ut puéllæ hæc mónita dare desíneret, necávit tandem. Quid ígitur ex hoc cóntigit vel detriménti ei qui mortem paſſus eſt, vel emoluménti ei qui íntulit? Imo, quid non emoluménti fuit tunc necáto Paulo? Quid non detriménti necánti Neróni?

℟. Póſitus ſum ego Prædicátor, & Apóſtolus, & Magíſter géntium. * Ob quam cauſam pátior, ſed non confúndor: ſcio enim cui crédidi. ℣. Ipſe Deus meus, & Salvátor meus: ſpes mea in Deo eſt. * Ob quam cauſam. 2. *Tim.* 1. 11. 12. *Pſ.* 61. 7. 8.

Lectio v.

In 2. Epiſt. ad Tim. Cap. 2. Homil. 4.

Paulus Cilix erat, péllium ſutor, inops, imperítus extérnæ ſapiéntiæ: homo ſæpè cum fame luctátus, & cui veſtítus neceſſárius ſæpè déerat. Neque hoc ſolùm; ſed in vínculis quoque cum latrónibus & homicídis, Nerone jubénte, cædebátur tamquam maléficus. Quis ígitur illúſtrior, quis glorióſior, qui caténam circumferébat, vinctúſque trahebátur ex cárcere, an qui ſuperabátur in púrpura? Qui contemnebátur ímperans, an qui juſſus nihil curábat jubén is impérium? qui, ſolus cùm eſſet, vicit, an qui innúmero vallátus exércitu

victus eſt? Cujus, inquam, ſortem quiſpiam cúpiat magis, Nerónis an Pauli? Illíus nempe neque ſepúlchrum cuíquam notum: at contrà, hic régibus ómnibus ſplendídior, regiâ in urbe in qua vicit, cónditus eſt: hic per ora ómnium ubíque celebrátur, coronatúſque prædicátur; ille contrà, maledíctis lacéſſitur innúmeris.

℟. In labóre fui & ærúmnâ, in vigíliis multis, in fame & ſiti, in frígore & nuditáte: * Præter illa quæ extrínſecùs ſunt, inſtántia mea quotidiána ſollicitúdo ómnium Eccleſiárum. ℣. Die noctúque æſtu urébar & gelu, fugiebátque ſomnus ab óculis meis. * Præter. 2. *Cor.* 11. 27. 28. *Gen.* 31. 40.

Lectio vj.

In Epiſt. ad Rom. Cap. 16.

Hom. 32.

Quis mihi dabit circumfúndi córpori Pauli, afflígi ſepúlchro, vidére púlverem córporis illíus, quæ adhuc in Chriſto déerant adimpléntis, ſtígmata illíus geſtántis, prædicatiónem Evangélii ubíque ſeminántis? Púlverem, inquam, oris illíus per quod magnália & ineffabília Chriſtus locútus eſt, & admiranda illa orácula orbi prótulit Spíritus ſanctus? Quid enim os illud ſanctum non effécit? Dæmones éxpulit; peccáta abſólvit; tyrannos compeſcuit; Philoſophorum linguas obſerávit; orbem Deo addúxit; bárbaros philoſophari perſuáſit; ómnia coaptávit quæ in terra, & quæ in cœlis, ad quem vóluit modum diſpoſuit. Non ſolùm autem oris, ſed & cordis illíus púlverem vidére vellem. Cor iſtud ádeò fuit lætum, ut in ſe ſuſcéperit & íntegras urbes, & pópulos, & gentes: cor cœlis ſublímius, orbe látius, rádiis ſoláribus ſplendídius, igne fervéntius, adamánte ſolídius... Quid opus eſt recenſére? Vellem vidére ſepúlchrum quo recóndita ſunt arma illa juſtítiæ, arma lucis, membra in quibus vivébat Chriſtus; quæ templum fuérunt Spíritûs ſancti. Hoc corpus Romam munit, & cum iſto corpus étiam Petri.

℟. Cùm liber eſſem, ómnium me ſervum feci, ut plures lucrifácerem: factus ſum Judæis tamquam Judæus: factus ſum infírmis infírmus: * Omnibus ómnia factus ſum, ut omnes fácerem ſalvos. ℣. Vidéte quóniam non ſoli mihi laborávi, ſed ómnibus exquiréntibus veritátem. * Omnibus. Glória. * Omnibus. 1. *Cor.* 9. 19. 20. 22. *Eccli*, 24. 47.

IN III. NOCTURNO.

Pauli paratus ad certamen animus.

Ant. 1. 3. *a.* Víncula & tribulatiónes me manent: ſed nihil eórum véreor, dúmmodo conſúmmem curſum meum. *Act.* 20. 23. 24.

Ant. t. 2 D. Ego non ſolùm alligári, ſed & mori parátus ſum propter nomen Dómini Jeſu. *Act* 21 13.

Ant. t. 4 E. Propter Chriſtum ómnia detriméntum feci; ad cognoſcéndum illum, & ſocietátem paſſiónum illíus; configurátus morti ejus. *Philip.* 3. 8. 10.

℣. Príncipes perſecúti ſunt me gratìs: ℟. Lætábor ego ſuper elóquia tua. *Pſal.* 118. 161. 162.

Léctio ſanctiEvangélii ſecúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10. *v.* 16.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis; Ecce ego mitto vos ſicut oves in médio lupórum. Eſtóte ergo prudéntes ſicut ſerpéntes, & ſimplices ſicut colúmbæ. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 33. *in Matth. aliàs* 34. *n.* 2.

VIdes auctoritátē? Vides poténtiam? Vides virtútem inexpugnábilem? Quod autem dicit, hujúſmodi eſt: Ne turbémini, inquit, quòd cùm vos inter lupos mittam, ut oves & ut colúmbas eſſe júbeam. Contrárium præſtáre póteram, voſque míttere nihil paſſúros mali, nec ut oves lupis ſubjícere, ſed leónibus formidabilióres réddere. Sed ita fieri par eſt: hoc & vos ſplendidióres éfficit, & poténtiam meam prædicat. Hoc & Paulo dicebat: Sufficit tibi grátia mea; nam virtus mea in infirmitáte perfícitur. Ego itaque ſic vos conſtítui. Cùm enim dicit: Ego mitto vos ſicut oves, hoc ſubíndicat. Ne ítaque ánimo deficiátis: novi enim, novi utique, vos ſic omnibus inexpugnábiles fore.

℟. In omni fidúciâ ſicut ſemper, & nunc magnificábitur Chriſtus in córpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem. * Mihi enim vívere Chriſtus eſt, & mori lucrum. ℣. Quid mihi eſt in cœlo? & à te quid vólui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum. * Mihi. *Philip.* 1. 20. 21. *Pſ.* 72. 25 26.

Lectio viij n. 3. & 4.

AD hæc verò non parvam áliam conſolatiónem ádjicit, dum ait: Cùm autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquamini Dabitur enim vobis in illa hora quid loquámini: non enim vos eſtis qui loquímini, ſed Spíritus Patris veſtri, qui lóquitur in vobis., Habébant enim (reges) in médio pófitos illos infimæ conditionis viros quos ligábant, verberábant, circumagébant; nec póterant eórum ora cláudere: ſed ſicut rádium ſolis vincíre nemo poteſt; ſic non póterant ipſórum linguam alligáre. Cujus rei cauſa erat, non illâ

quidem qui loquebántur, ſed Spíritûs virtus. Sic ígitur & Paulus vicit Agríppam, &, qui ſcélere vincébat hómines omnes, Nerónem. Dóminus enim mihi ádſtitit, inquit, & confortávit me, & eruit me de ore leónis.

℟. In Evangélio labóro uſque ad víncula, quaſi malè óperans: ſed * Verbum Dei non eſt alligátum. ℣. Loquébar de teſtimóniis tuis in conſpéctu regum; & non confundébar: & reſpondébo exprobrántibus mihi verbum.* Verbum Dei. 2. *Tim.* 2. 9. *Pſ.* 118. 46. 42.

Lectio ix. n. 5.

RES útique magna, virum circa ſtagna verſári ſolitum, circa pelles & telónii menſam, ſedéntibus tyránnis & ſátrapis, adſtántibus ſatellítibus, ſtrictis gládiis, aſſiſtentibúſque áliis, ſolum ingréſſum, ligátum, prono cápite, potuíſſe vel os aperíre... Etenim ut factióſi & novatóres ubíque accuſabántur. Attamen hanc illi ſuſpiciónem repulérunt; & contráriam ſibi conciliárunt, quaſi ſervatóres, curatóres ac benéfici apud omnes celebráti. Hæc autem ómnia ex ingénti patiéntia operabántur. Quamóbrem dicébat Paulus: Quotídie mórior, & uſque in finē in perículis perſeverávit. Quâ ígitur véniâ digni ſumus qui tot exémpla habéntes, étiam in pace molliter vívimus, ac deiícimur? Némine quippe bellánte occídimur; némine perſequénte diſſólvimur: in pace ſalúti advigiláre jubémur, & nequímus... Quæ ígitur nobis erit fidúcia? quæ vénia?

℟. Bonum certámen certávi, curſum conſummávi, fidem ſervávi. * In réliquo repóſita eſt mihi coróna juſtítiæ, quam reddet mihi Dóminus juſtus judex. ℣. Probávit me quaſi aurum quod per ignem tranſit: viam ejus cuſtodívi, & non declinávi ex ea.* In réliquo. Glória. * In réliquo. 2. *Tim.* 4. 7. 8. *Job.* 23. 10. 11.

Te Deum.

AD LAUDES.

Poſt prædicatum innumeris propè populis Evangelium, Paulus Romam vinctus ducitur.

℣. *Sacerd.* Narrábo nomen tuum frátribus meis; ℟. In médio Ecclésiæ laudábo te. *Pſ.* 21. 23.

Ant. t. 1. *d.* PAulus tráditus grátiæ Dei, perambulábat confírmans Ecclésias, præcípiens cuſtodíre præcépta Apoſtolórum. *Act.* 15. 40. 41.

Ant. t. 4. *E.* Virtútes non quáſlibet faciébat Deus per manum Pauli: ita ut étiam ſuper lánguidos deferréntur à córpore ejus ſudária; & recedébant ab eis languóres. *Act.* 19. 11. 12.

Ant. t. 5 *A.* Nocte aſſiſtens Paulo Dóminus, ait: Conſtans eſto: ſicut teſtificátus es

de me in Jeruſalem, ſic te opórtet & Romæ teſtificári. *Act.* 23. 11.

Ant. t. 7. D. Cùm veniſſémus Romam, Paulus convocávit primos Judæórum, & dicébat eis: Vinctus ab Jeroſólymis tráditus ſum in manus Romanórum; propter ſpem Iſrael caténâ hâc circúmdatus ſum. *Act.* 28. 16. 17. 20.

Ant. t. 6. f. Manſit Paulus biénnio in ſuo condúcto, prædicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Jeſu Chriſto, cum omni fidúcia. *Act.* 28. 30. 31.

Capitulum. Phil. 1. 12. 13.

SCire vos volo, fratres; quia quæ circa me ſunt, magis ad proféctum venérunt Evangélii: ita ut víncula mea maniféſta fierent in Chriſto in omni prætório, & in cæteris ómnibus.

℣. Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam: ℟. Quia, Deus, ſuſcéptor meus es. *Pſ.* 58. 10.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *F.* Si ímmolor ſupra ſacrifícium, & obſéquium fídei veſtræ, gáudeo, & congrátulor ómnibus vobis. *Phil.* 2. 17.

Oratio.

DEus, qui multitúdinem Géntium beáti Pauli Apóſtoli prædicatióne docuíſti: da, quæſumus, ut cujus natalítia cólimus, ejus apud te patrocínia ſentiámus; Per, &c.

Fit Commem. S. Petri per Antiph. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificábo Eccléſiam meam; & portæ ínferi non prævalébunt advérſùs eam. *Matth.* 16. 18.

℣. In petra exaltávit me Dóminus: ℟. Et nunc exaltávit caput meum. *Pſ.* 26. 6.

Oratio.

DEus, qui beáto Petro Apóſtolo tuo, collátis clávibus regni cœleſtis, ligándi atque ſolvéndi Pontifícium tradidíſti: concéde, ut interceſſiónis ejus auxílio, à peccatórum noſtrórum néxibus liberémur; Per, &c.

Deinde fit Commem. Octavæ S. Joannis Baptiſtæ per Antiph. ad Bened. ℣. *& Orat. ut in Laudibus Feſti.*

Ad Horas br. Antiph. de Laudibus, omiſſâ quartâ.

AD TERTIAM.

Capitulum. Rom. 15. 17. 18. 19.

HAbeo glóriam in Chriſto Jeſu ad Deum. Non enim áudeo áliquid loqui eórum, quæ per me non éfficit Chriſtus in obediéntiam géntium, verbo & factis; in virtúte ſignórum, & prodigiórum, in virtúte Spíritûs ſancti.

℟. Signa Apoſtolátûs mei facta ſunt ſuper vos, in omni patiéntia, * In ſignis, & prodígiis, & virtútibus. ℣. Veníte, audíte, omnes qui timétis Deum quanta fecit ánimæ meæ. * In ſignis.

Glória. * In ſignis. 2. *Cor.* 12. 12. *Pſ.* 65. 16.

℣. Tamquam prodígium factus ſum multis: ℟. Dómine, tu adjútor fortis. *Pſ.* 70. 7.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. *Tim* 4. 17.

Dominus mihi áſtitit, & confortávit me, ut per me prædicátio impleátur, & áudiant omnes Gentes: & liberátus ſum de ore leónis.

℟. *br.* Si conſíſtant advérſùm me caſtra, * Non timébit cor meum. Si conſíſtant. ℣. Si exúrgat advérſùm me prælium, in hoc ego ſperábo. * Non timébit. Glória. Si conſíſtant. *Pſ.* 26. 3. 4.

℣. Dóminus protéctor vitæ meæ; ℟. A quo trepidábo? *Pſ.* 26. 1.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 20. 18. 19. 20.

Vos ſcitis, à prima die quâ ingréſſus ſum, quáliter vobíſcum fúerim; ſérviens Dómino cum omni humilitáte & lácrymis: quómodo nihil ſubtráxerim utílium, quóminus annuntiárem vobis, & docérem vos públicè.

℟. *br.* Annuntiávi juſtítiam tuam * In Eccléſia magna. Annuntiávi. ℣. Veritatem tuam, & ſalutáre tuum dixi, * In Eccléſia. Glória. Annuntiávi. *Pſ.* 39. 10. 11.

℣. Poſuíſti ſuper me manum tuam: ℟. Mirábilis facta eſt ſciéntia tua ex me. *Pſ.* 138. 5. 6.

AD VESPERAS.

Pauli in Eccleſiam merita; ad Chriſtum deſideria.

Ant. t. 8. *c.* Nihil minùs fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli: taméṫſi nihil ſum. 2. *Cor.* 12. 11.

Ant. t. 6. *f.* Abundántiùs ómnibus laborávi: non ego, ſed grátia Dei mecum. 1. *Cor.* 15. 10.

Ant. t. 1. *a.* Vos teſtes eſtis, & Deus, quàm ſanctè, & juſtè & ſine queréla, vobis, qui credidíſtis fúimus. 1. *Theſ.* 2. 10.

Ant. t. 7. *a.* Ego jam delíbor, & tempus reſolutiónis meæ inſtat: ſalvum me fáciet Dóminus in regnum ſuum cœléſte. 2. *Tim.* 4. 6. 18.

Ant. t. 5. *a.* Vivo ego, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei. *Gal.* 2. 20.

Capitulum. 2. *Cor.* 1. 9.

Ipſi in nobiſmetípſis reſpónſum mortis habúimus, ut non ſimus fidéntes in nobis, ſed in Deo, qui ſúſcitat mórtuos.

HYMNUS.

Divínum mémori péctore Príncipem,
Paulum pro méritis tóllite láudibus:
Orbis concelebret jam dócilis Deo
Orbi præpóſitum ducem.
Quam lucem ſúperis fónti-

bus hauſerat,
Oblítus véterum, raptus in æthera,
Commiſſis pópulis, débitor ómnibus,
Pleno dívidit álveo.
Illi paupéries ſpléndida cópia;
Ingens mœror erat lætítiæ ſeges;
Carcer, naufrágium, crébraque vérbera
Altæ ſémina glóriæ.
Tandem Roma virum vidit, inánium
Cultrix Roma deûm: Cæſaris in domum
Infert ille fidem: ſæva nec álligant
Verbum víncula liberum.
Mundo conſpícuum ceu jubar émicat,
Spargens perpétuum quà gráditur diem,
Humánis óculis qui ſemel óccidit
Ætérno rútilat die.
Vivo nos génuit ſemine grátiæ;
Miris mille modis, mille perículis,
Tanti patris ámor non ſine ſánguine
Lucrátus ſóbolem Deo.
Laus ſit ſumma Patri, ſúmmaque Fílio:
Par ſit, ſancte, tibi laus quoque, Spíritus,
Da Paulum per iter, quod docet árduum,
Nobis quà liceat, ſequi.
Amen.

℣. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum; ℟. Quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei? *Pſ.* 41. 3.

Ad Magnif. *Ant.* 8. g. Vívere in carne, hic mihi fructus óperis eſt; diſſólvi & eſſe cum Chriſto, multò magis mélius. *Phil.* 1. 22. 23.

Oratio ut ſuprà.

Pro Commem. S. Petri Ant. Tibi dabo claves regni cœlórum; & quodcúmque ligáveris ſuper terram, erit ligátum & in cœlis: & quodcúmque ſólveris ſuper terram, erit ſolútum & in cœlis. *Matth.* 16. 19.

℣. Póſui adjutórium in potènte. ℟. Et exaltávi eléctum de plebe mea. *Pſ.* 88. 20.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

Fit Commem. S. Joannis Baptiſtæ per Antiph. ad Magnif. *ex* 1. *Veſperis Feſti.*

Poſtea Commem. de S. Theobaldo, ut in Communi unius Solitarii.

Oratio. Deus, qui nos ádmones, *pag.* xl.

FESTA JULII.

Die I.
OCTAVA NATIVITAT. S. JOANNIS BAPTISTÆ.
Semiduplex.

Si Octava inciderit in Dominica, Officium totum erit de Domin. & fiet Commem. Octavæ: omnia ut in Feſto præter ea quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lect. tres de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Petri Chryſologi.

Lectio iv. Serm. 88. de annunt. & concept. S. J. B.

JOannem genitoribus útique, & ipſi ob hoc Deus delegerat natúræ, ut eum daret univerſitáti, largirétur ſæculis, populis condonáret, & fieret ſacraménti filius inter ſacrária delatus; inter ſacramenta conceſſus; eſſet Antiſtes, de venerándo generátus Antíſtite; eſſet Angelus, ore Angeli ſancta delátus in víſcera; eſſet vox Chriſti, ad Chriſtum ſua reſervátus ad tempora; eſſet præco, júdicis præſentiam clamatúrus; eſſet pœniténtia, pópulos Chriſti vocatúrus ad veniam. Quàm ſacérdos ergo ille Zacharías, jam ſui neſcius, jam ſibi mortuus, extraneus conjugi, ſoboli jam negatus egérit omnibus, omnibus impetrárit, mox Angelo referénte diſcámus: Et multi, inquit, in Nativitáte ejus gaudébunt. Non eſt unigenitus, qui eſt cunctórum creátus ad gáudium. Erit enim magnus coram Dómino. Qui coram Deo magnus eſt, quantus ſit penès homines quis probabit?

Lectio v.

BEátus Joánnes, qui antè Dei Spíritu méruit intonáre, quàm hominis vagíret in fletu! beátus, qui antè divína poſſidére méruit, quàm ſortirétur humána! beátus qui antè méruit cœlum ſcire, quàm terram! beátus, qui ántequam vidéret præſentia, futúra méruit nuntiáre! beátus, qui antè Deum capere pótuit, quàm ſuo ipſe caperétur à córpore! beátus, & ſinguláriter eſt beátus, qui ántequam ſáperet quærere, méritum conquiſívit! beátus, qui non pervénit ad grátiam per labórem, ſed ad labóres ipſíus gratiæ dignatione deſcendit.

Lectio vj.

IPſe præcédet ante illum: ante quem? ante Chriſtum, qui eſt Deus noſter, Deus ómnium, Deus abſque quo álius non eſt. In ſpíritu & virtúte Elíæ: hîc ſpíritum dicit illum, quem per divínam grátiam méruit, non

quem carnis eſt conſecútus ad vitam : & virtútem dicit illam, quam de ſupérnis hábuit, non illam quam propter córporis adéptus eſt firmitátem. Joánnes ergo Eliæ venit in ſpíritu, & in ejus virtúte gráditur, qui totum victu, veſtítu, honóre, caſtitáte, abſtinéntiâ, & ómnibus Elíam virtútibus repræſéntat & Chriſtum.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. I. v. 57.

Elízabeth implétum eſt tempus pariéndi, & péperit fílium. Et audiérunt vicíni & cognáti ejus, quia magnificávit Dóminus miſericórdiam ſuam cum illa; & congratulabántur ei. Et réliqua.

Homíl. ſancti Máximi Epiſc.

Hom. I. in Nativ. S. J. B.

Hic eſt ergo Joánnes de quo prophetávit Iſaías, dicens : Vox clamántis in deſérto : Paráte viam Dómino, rectas fácite ſémitas Dei noſtri. Vox, inquit, clamántis. Quàm bene vox dícitur, qui veniéntem de cœléſtibus in carne hóminis Unigénitum Dei pleno lætus ore clamábat? Rectè vox dícitur, cujus intonánte præcónio, ſacraméntum redemptiónis humánæ ſurda dudum cœpit audíre mortálitas. Ut enim venerándus Baptíſta muto patri apéruit linguam, ita in aures hóminum ſalutáris grátiæ innovávit audítum... Verè dignus beátus Joánnes, cujus prophética eſſet Natívitas, qui & illis de paréntibus, quorum eſſet deſperáta poſtéritas, Dei múnere naſcerétur. Nam tantâ auctoritáte, tantóque docéndi póndere in vocem ſanctæ prædicatiónis erúpit, ut & inſtántem Dómini nuntiáret advéntum, & in ſémitas rectas malè vivéntium dirígeret pravitátem.

Lectio viij.

Quid eſt enim paráre viam Dómino, niſi adventánti de cœlo Júdici, purgáto à vítiis péctore, símplicis cordis habitáculum præparáre? Quid eſt, Rectas fácite ſémitas Dei, niſi ut tales áctuum tuórum tibi múnias vias, quas perambuláre propítius véniens ad te Dóminus delectétur. Ille viam Dómino ſuo parat, qui luxuriántis carnis réſpuens voluptátes, toto mentis ſuæ ſpíritu ſuſpénſus ad Deum, vigóre ſe caſtitátis accíngit. Optimam parat Dómino viam, qui cogitatiónes ſuas avarítiæ flúctibus æſtuántes, serénæ conſciéntiæ tranquillitáte compéſcit... Quicúmque verò voluptuóſis ſæculi hujus languet illécebris, cupiditátibus avarítiæ fervéntis insanit, in fratérna ódia ferális invídiæ facibus inardéſcit, atque ad contuméliam

contuméliam Dei omnipoténtis, per anfráctas dæmonum sémitas erráticus viátor incédit, ille non parat Dómino viam; ſed inimíco miſer ſuo exitiálem in ſemetípſum patéfacit ingréſſum... Propter quod reverténtes ad beatíſſimi præcépta Joánnis, parémus Dómino viam, rectas faciámus sémitas Dei noſtri, quátenus videns in nobis Dóminus itínera bonæ voluntátis, ovículas ſuas multis jam perículis feſſas benigníſſimus Paſtor inquírat.

Lectio ix. de S. Theobaldo, ex ejus vita apud Bollandiſt.

Theobáldus, Pruvíni, ex illuſtri Campániæ cómitum ſtirpe natus, adoléſcens relíctis paréntibus, ſpretíſque, quas præſens offerébat ſæculum, ópibus ampliſſimis, uno consílii ſui cónſcio, & cómite Gualtero, trans Rhenum ſeceſſit, vilióribus ibi ac ſervílibus opéribus, non minùs laborióſè quàm humíliter victum ſibi quotídie cómparans. Poſt exáctos in ſolitúdine annos áliquot, vulgátam virtútis ſuæ famam fúgiens, hinc ad loca ſancta peregrinári conſtítuit. Verùm cùm navem conſcenſúrus, Venétias veníſſet, audíto quòd in Paleſtína Chriſtiános inter & Sarracénos bella ardérent úndique; in Itáliæ erémo, prope Vicétiam cónſtitit, aſperum planè vitæ genus ampléctens. Nec ibi diu latére lícuit; ſparſo enim virtútum ſuárum rumóre próditus, à Vicétiæ Epiſcopo è látebris acceſsítus, ſacris Ordínibus initiátur. Novæ dignitati nova acceſſit grátia, majórque in dies vitæ ſánctitas; donec duríſſimis pœniténtiæ labóribus, & diutúrno gravíque morbo conſúmptus, poſt recéptum Domínici córporis Viáticum, ſpíritum Deo réddidit, anno milleſimo ſexageſimo ſexto: commendatâ priùs Petro Abbáti Vangadítiæ Ordinis Camaldulenſium, matre piíſſimâ, quæ & ipſa fílii exémplis permóta, páuperem caſam in eadem erémo conſtrúxerat.

Veſperæ de ſequenti.

Die II.

Festum Visitationis B. Mariæ Virginis.

Duplex 2. Claſs.

Ad I. Vesperas.

In Viſitationis ſuæ Feſto Maria ex ſponſæ laudibus celebratur.

Pſalmi de Feria in toto Officio.

Ant. t. 5. a. Quæ eſt iſta quæ aſcéndit per deſértum, ſicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ & thuris. *Cant. 3. 6.*

Ant. t. 4. F. Quàm pulchri ſunt greſſus tui, fília príncipis! *Cant. 7. 1.*

Ant. t. 7. a. Progréditur quaſi auróra conſúrgens, pulchra ut luna, elécta ut ſol. *Cant. 6. 9.*

Ant. t. 8. *c.* Sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, & fácies tua decóra. *Cant.* 2. 14.

Ant. t. 1. *d.* Arca fœderis Dómini véniat in médium noſtrî, ut ſalvet nos. 1. *Reg.* 4. 3.

Capitulum. Eccli. 4. 14. 15.

QUi tenúerint ſapiéntiam, vitam hæreditábunt: & quò introíbit, benedícet Deus.

℟. Vox dilécti mei: * Ecce venit ſaliens in móntibus, transíliens colles. ℣. Amícus ſponſi, qui audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. * Ecce. Glória. * Ecce. *Cant.* 2. 8. *Joan.* 3. 29.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

QUò ſanctus ardor te rapit,
O Virgo, flos ô vírginum?
Quò tendis, & cito gradu
Conſcéndis alta móntium?
Urget ſacer te Spíritus,
Toto repletam Númine:
Matris Dei jam dígnitas
Nil charitáti detrahit.
Tibi propínquam sánguine
Matrem puélla prævenis;
Concéſſa cui divínitus
Gratáris alvi múnera.
O quanta matrum gáudia!
Stupénte natúrâ gravem
Anum ſtupes, quæ Vírginem
Plenam Deo te prædicat.
Abſcónditum ſub íntimo,
Ceu nube, portabas ſinu
Solem, ſuo qui prótinus
Luſtrábit orbem lúmine.
Mundo Redémptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Véniat, Dómine, ſalutáre tuum: ℟. Secúndùm elóquium tuum. *Pſ.* 118. 41.

Ad Magnif. Ant. t. 1. *d.* Deſcendíſti, Dómine, & à fácie tua montes deſluxérunt: óculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparáſti expectántibus te. *Iſ.* 64. 3. 4.

Oratio ut infrà in Laudibus.

Fit tantùm Commem. Octavæ S. Joannis Baptiſtæ.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Concéptum in útero Maríæ Jeſum, * Veníte, adorémus. *Luc.* 1. 31.

IN I. NOCTURNO.

Quàm miranda virgo, quæ ad Spiritûs ſancti nutum, per montana ad Elizabeth proficiſcitur.

Ant. t. 1. *f.* En dilèctus meus lóquitur: Surge, própera, amíca mea. *Cant.* 2. 10.

Ant. t. 2. *d.* Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiántis bonum! *Iſ.* 52. 7.

Ant. t. 8. c. Viæ ſapiéntiæ viæ pulchræ, & omnes ſémitæ illius pacíficæ. *Prov.* 3. 17.

℣. Víſita nos, Dómine, in ſalutári tuo, ℟. Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum. *Pſ.* 105. 4. 5.

Lectiones de Scriptura occur.

℞. 1. Quàm magnificata ſunt ópera tua, Dómine! * Multiplicabúntur in ſenecta úberi; & bene patiéntes erunt, ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus noſter. ℣. Angelus dixit Maríæ: Ecce Elízabeth cognata tua concépit filium in ſenectúte ſua; & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocátur ſtérilis. * Multiplicabúntur. *Pſ.* 91. 6. 15. 16. *Luc.* 1. 35. 36.

℞. 2. Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * Prope timéntes eum ſalutáre ipsíus; ut inhábitet glória in terra noſtra. ℣. Exúrgens María ábiit in montána cum feſtinatióne, in civitátem Juda. * Prope. *Pſ.* 84. 9. 10. *Luc.* 1. 39.

℞. 3. Próſperum iter fáciet Deus ſalutáriū noſtrórum: * Vidérunt ingréſſus tuos, Deus, ingréſſus Dei mei, regis mei qui eſt in ſancto. ℣. Intrávit María in domum Zacharíæ, & ſalutávit Elizabeth. * Vidérunt. Glória. * Vidérunt. *Pſalm.* 67. 20. 25. *Luc.* 1. 40.

IN II. NOCTURNO.

Quanta bona exundant ex Viſitatione Deum habentis in utero.

Ant. t. 4. *E.* Ponam viſitatiónem tuam, pacem; & occupábit ſalus muros tuos. *Iſ.* 60. 17. 18.

Ant. t. 3. *a.* Ecce Deus Salvátor meus, & factus eſt mihi in ſalútem. *Iſ.* 12. 2.

Ant. t. 7. *D.* Venit mihi gáudium à Sancto ſuper miſericordia, quæ véniet ab ætérno ſalutari noſtro. *Bar.* 4. 22.

℣. Viſitáſti, Dómine, terram, & inebriáſti eam: ℞. Multiplicáſti locupletáre eam. *Pſ.* 64. 10.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lectio iv. Lib. 2. in Luc.

Neſcit tarda molímina Spiritûs ſancti grátia. In montána Virgo cum feſtinatióne, Virgo officii memor, injúriæ ímmemor, afféctu urgénte, non ſexu, relictâ perréxit domo. Diſcite, vírgines, non circuíre per alienas domos, non demorári in plateis, non áliquos in público miſcére ſermónes. María in domo ſera, feſtínat in público. Didiciſtis, vírgines, pudórem Maríæ, díſcite humilitátem. Venit propínqua ad próximam; júnior ad ſeniórem; nec ſolum venit, ſed étiam prior ſalutávit. Decet enim ut quantò cáſtior virgo, tantò humílior ſit. Sit magiſtra humilitátis, in qua eſt proféſſio caſtitátis.

℞. Ut notum fíeret nomen tuum, * Occurríſti, Dómine, lætánti & faciénti juſtítiam: in viis tuis recordabúntur tuî. ℣. Factum eſt, ut audívit ſalutatiónem Maríæ Elizabeth, exultávit infans in útero ejus. * Occurríſti. *Iſ.* 64. 2. 5. *Luc.* 1. 41.

Lectio v.

CONtuéndum eſt, quia ſupérior venit ad inferiórem, ut inférior adjuvétur; María ad Elízabeth, Chriſtus ad Joánnem: dénique étiam póſtea, ut ſanctificáret baptíſmum Joánnis, Dóminus venit ad baptíſmum. Citò quoque advéntus Maríæ, & præſéntiæ Domínicæ beneficia declarántur. Simul enim ut audívit ſalutatiónem Maríæ Elízabeth, exultávit infans in útero ejus:& repléta eſt Spíritu ſancto. Vide diſtinctiónem, ſingulorúmque verbórum proprietátes. Vocem prior Elízabeth audívit; ſed Joánnes prior grátiam ſenſit; illa natúræ ordine audívit; iſte exultávit ratióne myſtérii: illa Maríæ, iſte Dómini ſenſit advéntum: iſtæ grátiæ loquúntur, illi intùs operántur, pietatíſque myſtérium matérnis adoriúntur profectibus: dúplici miráculo prophétant matres ſpíritu parvulórum. Exultávit infans, repléta eſt mater: non priùs repléta eſt mater quàm filius; ſed cùm filius eſſet replétus Spíritu ſancto, replévit & matrem.

℟. In médiis ſémitis * Sapiéntia lóquitur, dicens: Mecum ſunt divítiæ & glória: ámbulo ut ditem diligéntes me: & theſáuros eórum répleam. ℣. Repléta eſt Spíritu ſancto Elízabeth. * Sapiéntia. *Prov.* 8. 2. 3. 18. 20. 21. *Luc.* 1. 41.

Lectio vj.

ET unde hoc mihi: hoc eſt, Quantum bonum mihi áccidit, ut mater Dómini mei véniat ad me? Mirácul͞u séntio, cognóſco myſtériū: mater Dómini Verbo fœta, Deo plena eſt. Manſit autem María cum illa tribus ménſibus, & revérſa eſt in domum ſuam. Bene indúcitur ſancta María & exhibuíſſe officium, & myſticum númerum cuſtodíſſe: non enim ſola familiaritátis eſt cauſa quod diu manſit, ſed étiam tanti Vatis proféctus. Nam ſi primo ingréſſu tantus procéſſus éxtitit, ut ad ſalutatiónem Maríæ exultáret infans in útero, repleréturSpíritu ſancto mater infántis; quantùm putámus uſu tanti temporis ſanctæ Maríæ addidíſſe præſéntiam? Ungebátur itaque, & quaſi bonus athléta exercebátur in útero matris Prophéta; amplíſſimo enim virtus ejus certámini parabátur.

℟. Inextinguíbile eſt lumen ſapiéntiæ: venérunt mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerábilis honéſtas per manus illíus: * Infinítus enim theſáurus eſt homínibus. ℣. Deus Iſrael viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ: & eréxit cornu ſalútis nobis. * Infinítus. Glória. * Infinítus. *Sap.* 7. 10.

II. 14. *Luc.* I. 68. 69.

IN III. NOCTURNO.

Quàm magnificus Deus in Mariam, & quàm gratus in Deum Mariæ animus.

Ant. *t.* 2. *D.* Vidérunt eam fíliæ, & beatíſſimam prædicavérunt; & laudavérunt eam. *Cant.* 6. 8.

Ant. *t.* 3. *a.* Complácuit Dómino in te: & gaudébit ſuper te Deus tuus. *Iſ.* 62. 4. 5.

Ant. *t.* 4. *E.* Nomen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum. *Judith.* 13. 25.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea: ℟. Aúdiant manſuéti, & læténtur. *Pſ.* 33. 3.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. I. 39.

EXúrgens María in diébus illis, ábiit in montána cum feſtinatióne, in civitátem Juda: & intrávit in domum Zacharíæ, & ſalutávit Elízabeth. Et réliqua.

Homília ſancti Bernárdi Abbátis. *de* 12. *prærog. B. M. V. n.* 11. 12.

SI Maríam dilígitis, ſi conténditis ei placére, æmulámini modéſtiam ejus: nihil enim tam idóneum hómini, nihil tam cóngruum Chriſtiáno... Audíerat, Quòd ex te naſcétur ſanctum, vocábitur Fílius Dei; & nihil áliud quàm ancíllam ejus ſe eſſe reſpóndit. Inde ventum eſt ad Elízabeth, & contínuò Vírginis glória ſinguláris eídem per Spíritum revelátur. Dénique & mirabátur perſónam veniéntis, dicens: Unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Commendábat & vocem ſalutántis, adjíciens: Ut facta eſt vox ſalutatiónis tuæ in áuribus meis, exultávit in gáudio infans in útero meo; & beatificábat fidem credéntis: Beáta, ínquiens, quæ credidíſti; quóniam perficiéntur in te, quæ dicta ſunt tibi à Dómino.

℟. Veníte, audíte, & * Narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. ℣. Fecit mihi magna qui potens eſt. * Narrábo. *Pſ.* 65. 16. *Luc.* I. 49.

Lectio viij.

MAgna quidem præcónia, ſed & devóta humílitas, nihil ſibi paſſa retinére, in eum magis univérſa refúdit, cujus in ſe benefícia laudabántur. Tu, inquit, magníficas matrem Dómini; ſed magníficat ánima mea Dóminum. In voce mea fílium pérhibes exultáſſe in gáudio; ſed exultávit ſpíritus meus in Deo ſalutári meo; & ipſe quoque tamquam amícus ſponſi gáudio gaudet ad vocem ſponſi. Beátam eſſe dicis, quæ credidíſſet; ſed credulitátis & beatitúdinis cauſa reſpéctus eſt ſupérnæ pietátis, ut ex hoc

magis beátam me dicent omnes generatiónes; quia ancíllam húmilem & exíguam reſpéxit Deus.

℟. Quis ſicut Dóminus Deus noſter, qui * In altis hábitat, & humília réſpicit in cœlo & in terra, ſúſcitans à terra ínopem? ℣. Reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ. * In altis. *Pſ.* 112. 5. 6. 7. *Luc.* 1. 48.

Lectio ix. n. 13.

VErúmtamen numquid putámus, fratres, Elízabeth ſanctam, in eo quod per Spíritum útique loquebátur, erraſſe? Abſit. Beata planè quam reſpéxit Deus, & beáta quæ crédidit: hic enim magnus divínæ reſpectiónis éxtitit fructus. Ineffábili síquidem artifício Spíritûs ſuperveniéntis, tantæ humilitáti tanta in ſecretário virgínei cordis magnanímitas accéſſit, ut hæ quoque nihilóminus fiant ſtellæ ex reſpéctu mútuo clarióres; quod vidélicet nec humílitas tanta mínuit magnanimitátem, nec magnanímitas tanta humilitátem... Agit hoc nimírum in córdibus electórum grátiæ prærogatíva divínæ, ut eos nec humílitas puſillánimes fáciat, nec magnanímitas arrogántes; magis autem cooperéntur ſibi, ut non ſolùm nulla ex magnanimitáte ſubíntret elátio; ſed hinc máximè provehátur humílitas.

℟. Laudáte Dóminum Deũ noſtrum, qui non deſéruit ſperántes in ſe: * Interfécit in manu mea hoſtem pópuli ſui. ℣. Beatam me dicent omnes generatiónes; quia fecit potentiam in bráchio ſuo. * Interfécit. Glória. * Interfécit. *Judith.* 13. 17. 18. *Luc.* 1. 48. 51.

Te Deum.

AD LAUDES.

In Mariæ laudes effuſio Elizabeth.

℣. *Sacerdot.* Benedixíſti, Dómine, terram tuam. ℟. Avertíſti captivitátem Jacob. *Pſ.* 84. 2.

Ant. t. 4. *E.* EXclamávit voce magnâ Elízabeth, & dixit: Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42.

Ant. t. 8. *c.* Unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? *Luc.* 1. 43.

Ant. t. 2. *d.* Ecce ut facta eſt vox ſalutatiónis tuæ in áuribus meis, exultávit in gaudio infans in útero meo. *Luc.* 1. 44.

Ant. t. 3. *A.* Beáta.

CANTICUM. *Judith.* 13. *v.* 13.

APeríte portas quia nobiſcum eſt Deus, * qui fecit virtútem in Iſrael.

Laudáte Dóminum Deum noſtrum, * qui non deſéruit ſperántes in ſe.

Et in me adimplévit miſericórdiam ſuam, * quam promíſit dómui Iſrael.

Et interfécit in manu mea, * hoſtem pópuli ſui.

Confitemini illi, omnes

quóniam bonus: * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus. Glória Patri.

Ant. Beáta quæ credidíſti; quóniam perficiéntur ea quæ dicta ſunt tibi à Dómino. *Luc.* 1. 45.

Ant. t. 6. *f.* Benedíctus Dóminus, qui miſit te hódie in occúrſum meum; & benedíctum elóquium tuum. 1. *Reg.* 25. 32.

Capitulum. Act. 2. 16. 18.

HOc eſt quod dictũ eſt per Prophétam Joel: Super ſervos meos, & ſuper ancíllas meas effúndam de Spíritu meo, & prophetábunt.

℣. Habitáre facit ſtérilem in domo, ℟. Matrem filiórum lætántem. *Pſ.* 112. 9.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, viſitávit nos óriens ex alto. *Luc.* 1. 78.

Oratio.

ADéſto Eccléſiæ tuæ, miſéricors Deus; & fílios adoptiónis júgiter in ejus ſinu puríſica, qui Maríæ clauſus útero, Joánnem in ſinu Elízabeth ſanctificáſti; Qui vivis, &c.

Fit Comm. Octavæ Ss. Apoſt. per Antiph. Hi ſunt duæ olívæ, &c. *cum* ℣. *& Orat. ut in Laudibus Feſti*, *pag.* 420.

Ad Horas br. Antiphonæ de Laudibus.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eccl. 48. 11.

BEáti ſunt qui te vidérunt, & in amicítia tua decoráti ſunt.

℟. Habitávit arca in domo Obédedom tribus ménſibus; * Et ✝ Benedíxit Dóminus omnem domum ejus propter arcam Dei. ℣. Manſit María cum Elízabeth quaſi ménſibus tribus. * Et benedíxit. Glória. ✝ Benedíxit. 2. *Reg.* 6. 11. 12. *Luc.* 1. 56.

℣. Exultábit cor meum in ſalutári tuo: ℟. Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi. *Pſ.* 12. 6.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 8. 16.

NOn habet amaritúdinem converſátio ſapiéntiæ, nec tædium convíctus illíus, ſed lætítiam & gáudiũ.

℟. *br.* Vox exultatiónis & ſalútis * In tabernáculis juſtórum. Vox. ℣. Déxtera Dómini fecit virtútem, * In tabernáculis juſtórum. Glória. Vox. *Pſ.* 117. 15. 16.

℣. Signátum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Dómine: ℟. Dedíſti lætítiam in corde meo. *Pſ.* 4. 7.

AD NONAM.

Capitulum. Tob. 12. 6.

BEnedícite Deum cœli, & coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobíſcum miſericórdiam ſuã.

℟. *br.* Lætábor, Dómine, * Et exultábo in te. Lætábor. ℣. Narrábo ómnia mirabília tua. * Et exultábo. Glória. Lætábor. *Pſ.* 9. 3. 2.

℣. Magnificáte Dóminum mecum: ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípſũ. *Pſ.* 33. 4.

AD II. VESPERAS.

Mariæ de conceſſis ſibi privilegiis gratulatio.

Ant. t. 5. a. BEnedícta es tu à Dómino Deo excélſo præ ómnibus mulíeribus ſuper terram. *Judith.* 13. 23.

Ant. t. 6. f. Multæ filiæ congregavérunt divítias: tu ſupergréſſa es univérſas. *Prov.* 31. 29.

Ant. t. 8. g. Benedíctus Dóminus, qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórũ noſtrórũ. *Judith.* 13. 24.

Ant. t. 1. d. In omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur ſuper te Deus Iſrael. *Judith.* 13. 31.

Ant. t. 7. D. Deus oſténdet ſplendórem ſuum in te, omni qui ſub cœlo eſt. *Bar.* 5. 3

Capitulum. Eccli. 24. 12.

CReátor ómnium, & qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

HYMNUS

Ex Sanct. Vict.

MOntes, ſupérbum vérticem,
Quà Virgo tranſit, ſúbdite,
Cui ſe libénter ſtérnerent
Vel ipſa cœli sídera.

Occúlta quæ latet domi
Audet forás ſe pródere:
Semper ſibi timens pudor
Se charitáte prótegit.

It illa; non nectit moras:
Fugit vidéri, nec minùs
Fugit vidére, ne ſuo
Quidquám pudóri détrahat.

Ad prima verba Vírginis,
Intùs movénte Spíritu,
In matris alvo cónditus
Infans Joánnes géſtiit.

Agnóvit infántem Deum:
Quem ſenſit, ardet pródere;
Vates & infans, quà poteſt,
Adeſſe Chriſtum núntiat.

Felix puer, felix parens,
Felix ſacérdos, & domus,
Quæ per paréntem Vírginem
Deo fruúntur hóſpite.

Mundo Redémptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Exultábunt lábia mea tibi, ℟. Et ánima mea quam redemíſti. *Pſ.* 70. 23.

Ad Magnif. *Ant. t.* 6. *f.* Ait María: Magníficat ánima mea Dóminum: & exultávit ſpíritus meus in Deo ſalutári meo. *Luc* 1. 46. 47.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

Fit Commem. Ss. Apoſtolorum per Antiph. Inclyti Iſrael. *℣. & Orat. ut in 2. Veſperis Feſti.*

DIEBUS INTRA OCT. SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Ad Officium Nocturnum, *Invitatorium ut in Communi Apoſtol. novem Pſalmi de Feria: tres Antiphonæ. ℣. & ℟. ℟. ℟. ex uno Nocturno de Communi Apoſt. ſecundùm Feriam: duæ primæ Lectiones ex Script. occurr,*

(*ex ſecunda & tertia fit una*:) *tertia Lectio de Octava.* Te Deum *dicitur.*

Ad Laudes, *Pſalmi de Feria ſub Antiphona prima de Communi; cætera ut in Com. præter Antiphonam ad* Benedictus. Hi ſunt duæ olívæ, *& orationem, quæ ſumuntur ex Laudibus Feſti.*

Ad horas br. *Antiphonæ de Laudibus ex Communi Apoſtolorum, quartâ omiſſâ; & reliqua ut in Comm.*

Ad Veſperas, *Pſalmi Feriales ſub Antiph.* 1. *de Comm. Apoſtol. in* 2. *Veſperis; Capitulum & reliqua ut in Comm. Hymnus*, Quos fides; *Ant. ad* Magnif. Inclyti Iſrael, *ut in* 2. *Veſperis Feſti.*

DIE III.

DE OCTAVA SS. APOSTOLORUM.

Simplex.

Lectio iij.

Ex Epíſtola ſancti Cleméntis Papæ & Mártyris ad Corínthios.

Cap. 5.

PEtrus non unum aut álterum, ſed multos ſuſtínuit labóres; atque ita Martyr efféctus, diſcéſſit ad débitum glóriæ locum Paulus patiéntiæ præmium obtinuit, cùm caténas ſépties portáſſet, vapuláſſet, lapidátus eſſet; præco factus in Oriénte ac Occidénte, exímium fídei ſuæ decus accépit; totum mundum docens juſtítiam; & ad Occidéntis términum véniens, & ſub Principibus martyrium paſſus, ita è mundo migravit, atque in locum ſanctum ábiit, patiéntiæ magnum exémplar factus.

Veſperæ de ſequenti, Comm. præced.

DIE IV.

ORDINATIO ET TRANSLATIO S. MARTINI Turonenſis Epiſcopi.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Pontificis præter ea quæ ſequuntur.

Oratio.

DEus, qui cónſpicis, quia ex nulla noſtra virtúte ſubsíſtimus: concéde propítius, ut interceſſióne beáti Martíni Pontíficis tui, contra ómnia advérſa muniámur; Per, &c.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Sulpit. Sev. Greg. Turon. Fortun. &c.

MArtínus ab Hilário Pictaviénſi Antíſtite ante ejúſdem exílium baptizátus, ipſi poſt réditum ab exílio árctiùs adhæſit; & collocáto prope óppidum Monaſtério, vicínis pópulis prædicáre exórſus eſt. Cùm verò duos mórtuos, inter cætera virtútum insígnia, ſuſcitáſſet, ad Turonénſem Epiſcopátum ex improvíſo petítus, ne effúgere poſſet Rurícii civis indúſtriâ

à Monaſtério ſuo avúlſus eſt, & diſpoſitis in itinere cívium turmis, ad eam urbem dedúctus. Illico congregátis cum clero ac plebe Præsulibus, unâ ómnium ſententiâ renuntiátum eſt Martino, néminem eſſe Epiſcopátu digniórem. Objecta tamen ei fuit à plebéiis paucis, inſtínctu Defensóris Epíſcopi, cum negléctu faciéi, ſqualor véſtium, & crínium defórmitas. Sed hæc à ſapiéntibus meritò irríſa: imo quaſi divíno judício reprobári viſa ſunt. Nam cum incœptis precum ſolémnibus, Lector a turba interclúſus ad horã non occúrreret; arrépto ab uno è circumſtantibus Pſaltério, hic primus ex octávo Pſalmo juxta antíquam verſiónem occúrrit Versículus: Ex ore infántium & lacténtium perfeciſti laudem propter inimícos tuos, ut déſtruas inimícum & defensórem. Quod ad percelléndas Defensóris partes, non ſine Dei nutu contigiſſe créditum eſt.

Lectio v.

HAnc Ordinatiónem anno Valéntis & Valentiniáni octávo, quarto nonas Július celebrátam, tanta intra Gállias benedíctio ſecúta eſt; ut non majóres fructus ipſa Apoſtolorũ prædicátio per várias orbis partes habúerit, nec, Sulpitio teſte, cedat Gállia Græciæ quæ Paulum ipſum audívit, poſt-quam illi datum eſt habére Martínum. Sedit Martínus in Epiſcopátu annos vigínti ſex, menſes quátuor, & dies vigínti ſeptem. Et conſummáto curſu in Condaténſi vico, Turónos eâ ipsâ nocte relátus, honoríſico túmulo ſepúltus eſt, quingéntis infra civitátem páſſibus.

Lectio vj.

BRíxius ejus in Epiſcopátu ſucceſſor, párvulam Eccléſiam ſuper illud ſepúlchrum extrúxit. Poſt annos verò ſexagínta quátuor, crebreſcéntibus ibi miráculis, Perpétuus quintus à Martíno Epíſcopus, majórem & admirábilis fábricæ Basílicam, prióre dirútâ, ædificávit; quam ut dedicáret, & corpus beáti Martíni è loco ubi fúerat ſepúltum tranſférret, convocávit ad diem primam Július vicínos Epíſcopos, & Abbátum & Clericórum non mínimam multitúdinem. Sed cùm eo die ſancti Pontíficis corpus nullâ vi movéri poſſet; admonénte quodam Clérico, natále Ordinatiónis ejus in diem quartam incídere, Tranſlatiónem ad hanc diem díſtulit Perpétuus. Poſt triduánas ergo preces & vigílias, prodiit médiâ in turbâ ſenex, qui Martínum à ſe vidéri affirmáret, parátum ad opem aſtántibus feréndam. Is primus féretro manum appóſuit, quod, réliquis adjuvántibus, nullo la-

bóre levátum eſt; & in nova Eccléſia collocátum; quo in loco ex illa die multæ virtútes factæ ſunt.

IN III. NOCTURNO

Lectio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 33.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Nemo lucérnam accéndit, & in abſcóndito ponit, neque ſub módio; ſed ſupra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et reliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſoſtomi.

Hom. 26. *in* 2. *ad Cor.*

SEpúlchra ſervórum Chriſti régiis aulis ſplendidióra ſunt; non ſolum magnitúdine & pulchritúdine ædificiórum (nam étiam in hoc ſúperant;) ſed quod multò majus eſt, accedéntium ſtúdio. Nam & is qui púrpurâ indútus eſt, ad illa ſepúlchra ſe confert, ut ea ampleƈtátur; abjectóque faſtu, ſupplex ſtans Sanctos deprecátur, ut ipſi apud Deum ſibi præſídio ſint; atque ut tentoriórum opíficem & piſcatorem, & quidem mórtuos, patrónos hábeat, obſecrat, qui diadémate cinctus eſt.

Lectio viij.

ERgone, dic quæſo, horum Dóminum mórtuum dícere audébis, cujus ſervi, étiam defúncti, Imperatórum orbis defenſóres ſunt? Atque id non ſolùm Romæ fieri quiſpiam víderit, ſed étiam Conſtantinópoli. Nam & hîc quoque Conſtantínum Magnum fílius ipsíus ingénti honóre ſe affectúrum exiſtimávit, ſi eum in piſcatóris veſtíbulo depóneret. Quodque ſunt Imperatóribus in palátiis janitores, id in túmulo piſcatóribus ſunt Imperatóres.

Lectio ix.

SAnctórum oſſa dæmones ſiſtunt, & excrúciant, acerbiſſimíſque vínculis eos qui aſtricti ſunt, ſolvunt. Quid hoc tribunáli terribílius? Cum nemo cernátur, nemo dæmonis láteri incúmbat, voces, & dilaceratiónes, vérbera, cruciatus, linguæ cónflagrántes audiúntur; dæmone admirabilem illam poténtiam non feréntе. Atque qui córpora geſtárunt, virtútes incorpóreas súperant; pulvis, & oſſa, & cinis invisíbiles illas natúras excarníficant. Ideóque nemo eſt qui peregrinatiónem umquam míre ſuſtíneat, ut imperiáles aulas vídeat: contrà multi plerúmque Imperatóres peregrè profecti ſunt, ut hoc ſpectáculo frueréntur. Sanctórum enim Mártyrum templa futúri judícii veſtígia & ſigna éxhibent, dum dæmones flagris cædúntur, hómines torquéntur, ac liberántur. Vides quæ ſit vis Sanctórum étiam defunctórum.

Comm. Ss. Apoſtol. in Laudibus & in Veſperis.

Die v.

DE OCTAVA SS. APOSTOLORUM.

Simplex.

Lectio iij.

Ex Euſeb. Hiſt. Eccleſ. Lib. 2. Cap. 25.

OMnium divíni Núminis hóſtium princeps & anteſignánus Nero, in ipſos etiam Apóſtolos ſævìit: ac Paulus quidem Romæ cápite truncátus; Petrus verò cruci ſuffíxus fuíſſe eódem regnánte tradúntur. Quam quidem narratiónem abúndè confírmant Petri Paulíque nómine inſignita monuménta quæ in urbis Romæ cæmetériis témpore Eusébii Pámphili videbántur, ipſo teſte. Sed & Cáius quidam vir Cathólicus, qui Zephyríni Románæ urbis Epíſcopi tempóribus flóruit, in eo libro quem ſcripſit advérsùs Próculum patrónum ſectæ Cataphrygárum, de loco in quo prædictórum Apoſtolórum ſacra córpora depóſita ſunt, ita lóquitur: Ego verò, inquit, Apoſtolórum trophæa poſſum oſténdere; nam ſive in Vaticánum, ſive ad Oſtiénſem viam pérgere libet, occúrrent tibi trophæa eórum, qui Eccléſiam illam fundavérunt. Porrò ambos uno eodémque témpore martyrium ſubiíſſe, Dionyſius Corinthiórum Epíſcopus ad Romános ſcribens teſtátur his verbis: Ita & vos, inquit, tantâ admonitióne veſtrâ, ſeméntem quæ Petri ac Pauli ſatióne ſuccréverat, Romános ſcilicet & Coríenthios, ſimul commiſcuíſtis. Ambo enim illi in urbem noſtram Coríenthum ingréſſi, ſparſo Evangélicæ doctrínæ ſémine, nos inſtituérunt; & in Itáliam ſimul profécti, cùm vos ſimíliter inſtituíſſent, eódem témpore martyrium pertulérunt.

Die vi.

OCTAVA SS. APOSTOLORUM.

Semiduplex.

Ad 1. *Veſperas Antiph. Capit.* ℣. *de Comm. Apoſtol. Hymnus*, Ambo, &c. *& ad* Magnif. *Ant.* Exultáte, *ut in* 1. *Veſperis Feſti*: *Oratio ut in Feſto.*

AD OFFICIUM NOCT.

Omnia ut in Comm. Apoſtol. præter ea quæ ſequuntur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex libro ſancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Eccleſiáſticis. *Cap.* 1.

SImon Petrus filius Joánnis províncíæ Galilææ, è vico Bethsáida, frater Andréæ Apóſtoli, & Princeps Apoſtolórum; poſt Epiſcopatum Antiochénſis Eccléſiæ, & prædicatiónem diſperſiónis eórum qui de circumciſióne credíderant, in Ponto, Galátia, Cappadócia, Aſia, & Bithynia, ſecúndo Clau-

dii Imperatóris anno, ad expugnándũ Simónem magum, Romám pergit; ibíque annis vigínti quinque Cáthedram Sacerdotálem ténuit, uſque ad últimum annum Nerónis, id eſt, décimum quartum. A quo & affíxus cruci, martyrio coronátus eſt, cápite ad terram verſo, & in ſublíme pédibus elevátis; ásserens ſe indígnum, qui ſic crucifigerétur, ut Dóminus ſuus... Sepúltus Romæ in Vaticáno, juxta viam triumphalem, totíus orbis veneratióne celebrátur.

Lectio v. Cap. 5.

PAulus Apóſtolus, qui antè Saulus, extra númerum duódecim Apoſtolórum, de tribu Bénjamin, & óppido Judææ Gíſcalis fuit... Et quia in Actibus Apoſtolórum pleníſſimè de ejus converſatióne ſcriptum eſt, hoc tantum dicam, quòd poſt paſſiónem Dómini vicéſimo quinto anno, id eſt, ſecúndo Nerónis, Romam vinctus míttitur; & biénnium in líbera manens cuſtódia, advérsùs Judæos de advéntu Chriſti quotídie diſputávit. Sciéndum autem in prima ſatisfactióne, necdum Nerónis império roboráto, nec in tanta erumpénte ſcélera, quanta de eo narrant hiſtóriæ, Paulum à Neróne dimíſſum, ut Evangélium Chriſti in Occidéntis quoque pártibus prædicarétur, ſicut ipſe ſcribit in ſecúnda Epíſtola ad Timótheum... Hic décimo quarto Nerónis anno, eódem die quo Petrus, Romæ pro Chriſto cápite truncátur; ſepultúsque eſt in via Oſtiénſi, anno poſt paſſiónem Dómini tricéſimo ſeptimo.

Lectio vj.

De Expoſitióne ſancti Joánnis Chryſóſtomi in Epíſtolam ad Romános.

In Cap. 16. Hom. 32.

EGo taméīſi Romam laudáre queam à magnificéntia, ab antiquitáte, à pulchritúdine, à multitúdine, à potentátu, à divítiis, & à rebus in bello fórtiter geſtis; his tamen omíſſis, ob id illam beátam prædico, quòd erga illos Paulus, dum víveret, ádeò fuit benévolus, ádeò illos amávit, & coràm diſséruit, & poſtrémò vitam apud eos finívit; cujus ſanctum corpus ipſi póſſident; & proptérea cívitas illa hinc facta eſt insígnis magis, quàm ab áliis rebus ómnibus: & tamquam corpus magnum ac válidum duos habet óculos fulgéntes, Sanctórum vidélicet horum córpora. Non ita cœlum ſplendéſcit, quando rádios ſol demíttit, quemádmodum Romanórum urbs duos iſtos fulgóres ubíque terrárum emíttens. Hinc rapiétur Paulus; hinc Petrus. Conſideráte & mirámini quale ſpectáculum visúra ſit Ro-

rum Regulárium Ordinem, cujus hábitum ſuſcépit, & vota ſolémnia édidit in Abbátia Calmoſiacénſi. Dóluit multùm collápſam in eo Ordine diſcíplinam; ſed ſuis in futúrum labóribus reſtituéndam. Nec dictu facile quantas à falſis frátribus perſecutiones æquo ſuſtinúerit ánimo; depravátis quippe homínibus probro erat Petri relígio. Quare ad Paróchiam regulárem de Mattincúria, non própriâ mente, ſed viri ſapiéntis consílio proféctus eſt Paſtor. Formidolóſa hábuit advérsus flagitioſos pópulos certámina; contuméliis ſæpè, quándoque fúſtibus & pugnis impetítus. At inter tot rerum aſperitátes non modò non elánguit; quin eò magis ſuis beneficus inimícis, largus in páuperes, oratióni & verbo Dei aſſíduus, óptimi paſtóris officia tantâ fide præſtitit, ut gregem ſuum Deo devotiſſimum, ſibíque ipſi devínctum mirabíliter effécerit.

Lectio v.

VOcátur ínterim expugnatúrus graſſántem in Comitátu Salménſi hæreſim: velox & animóſus accúrrit; & quamquam inérmis pugnáret pro Deo Sacerdótis conſtántia, pópulum erróribus Calvinianis irretítum Eccléſiæ grémio reſtítuit; Deíque cultum in eo templo reſtauravit, quod ántea hæréticis convéntibus fuerat pollútum. Nec minùs ſe geſſit fidéliter, cùm ab Epiſcopo Diœcéſim perluſtratúrus, & incúltis Voſagórum móntium pópulis præcomittitur. Ad ſuos reverſus, majóres ſumit ánimos: apud ſe enim réputans quantùm ad reformándos populórum mores próficeret óptima juventútis inſtitútio, quàmque ſit periculóſum utriúſque ſexûs púeros ad eáſdem ſcholas convenire; opus Eccléſiæ perútile futúrum exiſtimávit, ſi prudéntibus virgínibus junióres puéllas commíttéret edocéndas. Quaſdam igitur ad propóſitum vocávit & inſtítuit vírgines, caſtitáte ac pietáte præcípuas, quas deínde in Monialium Ordinem collégit, non ſine labóre. Mirum enim quantis obícibus fúerit ab ópere ſancto prohíbitus: ſed conſtántem ánimum non movérunt iterátæ Superiórum repúlſæ, non difficiles viárum áditus, non garriéntium hóminum ludíbria; donec exúrgeret ſub Epiſcopórum auctoritáte, religióſa Moniálium Congregátio, junióribus puéllis erudiéndis in perpétuum addícta, ſapientíſſimis, quas elaborávit, Conſtitutiónibus ordináta, à Románo Pontífice ſub título beatæ Maríæ Vírginis erécta, & e Lotharíngiâ, ubi primùm prodiit, in álias longè regiónes ſic diffúſa, ut Monaſtéria pluſquam octogínta obtíneat.

Lectio vj.

Lectio vj.

NEc exímiæ ejus charitáti ſatísfuit tanta rerum magnitúdo. Novis ardéſcens consíliis, aggréditur Canonicórum Regulárium reformatiónem; perárduum quidem opus, tóties dimíſſum quóties tentátum: quodque fruſtrà conáti fúerant viri génere nóbiles, insígnes dignitáte, id felíci ádeò perfécit éxitu, ut Ordini eò uſque ádmodum diſſolúto priſtinæ diſciplínæ reguláris norma redíerit. Inde ſurréxit nova, ſub nómine Salvatóris noſtri, Canonicórum Regulárium ſancti Auguſtíni Congregátio, quæ laudábili vitæ regímine, & zelo in procuránda animárum ſalúte aſſiduo, Eccléſiæ lumen, & pópulis exémplum eſſe conſpícitur. Hæc e cœlo dona obtínuit illa, quæ ad ómnia útilis eſt píetas; meruérunt illæ, quas dabat ex férvido charitátis ſenſu, lácrymæ; oratiónes illæ, in quibus pernóctans Deo adhærébat; súpplices illæ & quotidiánæ jejuniórum, cilícii, flagellórum exercitatiónes. Ita factus eſt iis qui in ſodalítio vivunt Legiſlátor, juventúti Pedagogus, paupéribus Pater, & omnibus in omni virtútum génere exémplar: & cùm tantus eſſet, Princípibus & Epíſcopis charus, creſcebat in dies cum méritis humílior ánimi ſenſus, & ad vilióra demíſſio. Tandem perluſtrátis ſummâ cum ſollicitúdine Monaſtériis Congregatiónis ſuæ, cujus generálem Præpoſitúram invítus ſuſcéperat, Gráïum ad bonum públicum ſecédere coáctus, ibi febre corrípitur. Mox próximam ſibi mortem præſentiens, devotíſſimè ſuſcéptis Eccléſiæ ſacraméntis, obdormívit in Dómino, méritis dives, clarus miráculis, anno Dómini millésimo ſexcentéſimo quadragéſimo; ætátis verò ſuæ ſeptuagéſimo ſexto. Corpus ejus Gráio Mattincúriam delátum, in Eccléſia Parochiáli ſepúltum eſt; unde in prima ipsíus Beatificatiónis feſtivitáte ſacra illíus oſſa ſolémniter levávit Scípio Hierónymus Tulléníis Epíſcopus, éaque venerati óni públicæ propóſuit anno milléſimo ſeptingentéſimo trigéſimo ſecúndo, die trigeſimâ Augúſti.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24. v. 45.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Quis, putas, eſt fidélis ſervus & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam, ut det illis cibum in témpore? Et réliqua.

Homília ſancti Fulgéntii Epíſcopi.

Serm. 2. de Confeſſ. & Diſpenſ. Dom.

DOmínicus ſermo, quem debémus omnes nos

ſolùm ſtudióſè, verùm étiam ſapiénter audíre, cui nos opórtet humíliter ac delectabíliter obedíre, moderatiónis ſuæ tenens ubíque temperiem, ut nec óvibus deſint pábula, nec Paſtóribus aliménta; quædam ſpeciáliter præcipit nobis. Nobis namque, (id eſt ſervis quos Pater ille famílias, rerum ómnium Dóminus, ad hoc in ſua magna domo conſtítuit, ut pópulo ejus verbum grátiæ miniſtrémus) ſpeciáliter injúngitur ſanctæ prædicatiónis officium, generáliter verò nobis & vobis ſalutáris indícitur obediéntia mandatórum.

Lectio viij. poſt pauca.

SErvórum ígitur quos pópulo ſuo præpóſuit, Dóminus ſpeciále volens offícium demonſtráre, ait, quod ex Evangélio modò audívimus: Quis, putas, eſt fidelis diſpensátor & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſupra famíliam ſuam, ut det illis in témpore trítici menſúram? Quis eſt iſte Dóminus, fratres? Chriſtus ſine dúbio, qui ſuis diſcípulis ait: Vos vocátis me, Magíſter & Dómine, & bene dícitis; ſum étenim. Quæ eſt étiam hujus Dómini família? nimírum illa eſt, quam ipſe Dóminus de manu inimíci redémit, & ſuo domínio mancipávit. Hæc autem família eſt cathólica Eccléſia, quæ per orbem terræ copióſâ fertilitáte diffúnditur, & redémptam ſe pretióſo ſui Dómini ſánguine gloriátur.

Lectio ix.

GRex ergo boni Paſtóris ipſa eſt família Redemptóris. Diſpensátor verò quis ſit, quem opórtet eſſe fidélem páriter & prudéntem, Paulus nobis oſténdit Apóſtolus, qui de ſe ſuíſque ſóciis loquens, ait: Sic nos exíſtimet homo ut miníſtros Chriſti, & diſpenſatóres myſteriórum Dei. Hîc jam quæritur inter diſpenſatóres, ut fidélis quis inveniátur... Servi Patrisfamílias ſumus; diſpenſatóres Dómini ſumus; mensúram trítici, quam vobis erogémus, accépimus. Quæ verò ſit iſta mensúra trítici, ſi quærámus, ipſam quoque vobis beátus Paulus Apóſtolus oſtendit, dicens: Unicuíque ſic Deus diviſit mensúram fidei... Et eámdem trítici mensúram per Domínicos diſpenſatóres accípitis, cùm quotídie per Dei fámulos verbum veritátis audítis.

In Veſperis à Capit. de ſequenti, Comm. præced.

Die viii.

S. AUSPICII, TULLENSIS EPISCOPI.

Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Pontif.

Oratio. Da Eccléſiæ, pag. xxiv.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ejus Epiſtol. ad Arbog. ex Sidon. Apoll. Epiſt. 7. & 17. & antiq. Epiſc. Tull. Act.

AUſpícius Tulléníis Epíſcopus, ſanctíſſimo Lupo Trecórum Antíſtiti coævus, étiam doctrínæ ac religiónis grátiâ ſuppar, flóruit ſanctitáte & eloquéntiâ conſpícuus quinto círciter mediánte ſæculo; tempóribus ſcílicet Sidónii Apollináris celebérrimi Avernórum Epíſcopi; qui Auſpícium tanti fecit, ut ſe ſollícitum ejus veneratórem proféſſus fúerit in ea, quam ad ipſum ſcripſit, Epíſtola. De illo íterum & de ſancto Lupo loquens idem Sidónius, vocat eos ínclytos Galliárum Patres ac Protomyſtas, ætáte grandævos, fide claros, ópere vulgátos, ore promptos, omni dénique meritórum ſublímium dote potióres; quorum ínſuper tanta ſit tamque abúndans doctrína, ut de quibuſcúmque ſacræ Scriptúræ quæſtiónibus, étiam difficíllimis, opportúnè interrogéntur.

Lectio v.

EXtat Auſpícii noſtri élegans Epíſtola métricis númeris ſcripta ad Arbogáſtem, non eum qui vixit ſub Theodóſio ſenióre, ſed álium ejúſdem nóminis & sánguinis, Treverórum cómitem, milítiæ Præfectum, fide & religióne clariórem. Hujus pietátem plúrimùm comméndat Auſpícius, eúmque ſédulò hortátur, ne cor purum inquinári ſinat radíce ómnium malórum cupiditáte, ſicque ab aliénis abſtíneat, ut ſua ſanctis tribúere juſſum memínerit: Nam parùm, inquit, nóveris eſſe; ſi quiſpiam nulla rápiat, & obduráto péctore ſua præclúdat míſeris: nec multùm ſibi cónſulit, qui ſic evítat rábiem cupiditátis, ut ſimul incúrrat avarítiæ: quippe quòd iſta duo crímina, velut cognáta génere, & gemináta ſpecie, nimis conjúncta permáneant.

Lectio vj.

OBiit Auſpícius annis & méritis plenus, in antíquis Tulléníium Epiſcopórum Actis & Tábulis laudátus vir bonitáte præclárus, circa ſuos ſollícitâ circumſpectióne, dum vixit, pérſpicax; qui pro mérita mercéde, consórtium ſupernórum cívium cum eléctis Paſtóribus eſt adéptus. Sepúltus eſt in ſuburbána ſancti Manſuéti Eccleſia. Succéſſu verò témporis ſacræ ipsíus relíquiæ cum éxúviis ſanctórum Alchæ, Celsíni, & Urſi Tulléníis Eccléſiæ Pontíficum in eâdem arcâ inclúſæ ſunt; unde eas ſub Pibóne Epíſcopo, ad inſtántiam Theómari Abbátis, extráxit Richárdus Albanénſium Epíſcopus, Sanctæ Sedis Apo-

ſtolicæ Legátus, anno millé-ſimo centéſimo séptimo, eáſque in decentióri lóculo magnâ celebritáte repóſuit. Iterum autem, anno ſcílicet milléſimo quadringentéſimo primo, recógnitæ ſunt, ac in novam arcam reverénter translátæ ab Henríco de Vallíſcolóre Epíſcopo Chriſtopolitáno, Ludovíci de Harecúria Tulléníis Epíſcopi in Pontificálibus Vicário; qui, Miſsâ ſolémniter decantátâ, aſtánte multâ cleri & pópuli frequéntiâ, de ſanctórum Pontíficum glória ſermónem hábuit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 19. v. 12.

IN illo témpore; Dixit Jeſus parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere ſibi regnum, & revérti. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 17. n. 16. & 17.

PEnsémus qui umquam per linguam noſtrã convérſi, qui de pervérſo ſuo ópere noſtrâ increpatióne corrépti, pœniténtiam egérunt? quis luxúriam ex noſtra eruditióne deſéruit, quis avarítiam, quis ſupérbiam declinávit? Pensémus quod lucrum Deo fécimus nos, qui accépto talénto, ab eo ad negotium miſſi ſumus. Iterum dicit: Negotiamini dum vénio. Ecce jam venit; ecce de noſtro negótio lucrũ requírit. Quale ei animárum lucrum de noſtra negotiatióne monſtrábimus? Quot ejus conſpéctui animarum manípulos de prædicatiónis noſtræ ſégete illatúri ſumus? Ponámus ante óculos noſtros illum tantæ diſtrictiónis diem, quo judex véniet, & ratiónem cum ſervis ſuis, quibus talénta crédidit, ponet... In illo tanto exámine unuſquíſque quid ſit operátus, oſtendétur.

Lectio viij. n. 17. & 18.

IBi omnes Domínici gregis aríetes cum animárum lucris apparébunt, qui ſanctis ſuis prædicatiónibus Deo poſt ſe ſúbditum gregem trahunt. Cùm igitur tot Paſtóres cum grégibus ſuis ante ætérni Paſtóris óculos venerint, nos míſeri quid dictúri ſumus, qui ad Dóminum noſtrum poſt negotium vácui redímus, qui Paſtórum nomen habúimus, & oves quas ex nutrimento noſtro debeámus oſténdere, non habémus? Hic Paſtores vocáti ſumus, & ibi gregem non dúcimus. Sed numquid ſi nos neglígimus, omnípotens Deus déſerit oves ſuas? Nullo modo. Nam ipſe eas, ſicut per Prophétam pollícitus eſt, per ſemetípſum paſcit: omneſque quos prædinavit ad vitam, flagellórum ſtímulis, compunctiónis ſpíritu erudit; atque

ipſi ad regnum cœlórum pertingunt; & ecce nos per negligéntiam noſtram deórſum tendimus.

Lectio ix.

Timeámus hæc, fratres: convéniat actióni noſtræ ipſum miniſtérium noſtrum. De peccatórum noſtrórum relaxatióne quotídie cogitémus, ne noſtra vita peccáto obligáta remáneat, per quam omnípotens Deus quotídie álios ſolvit. Conſiderémus ſine ceſſatióne quid ſumus: pensémus negótium noſtrum: pensémus pondus quod ſuſcépimus. Faciámus quotídie nobíſcum rationes, quas cum noſtro júdice habémus. Et ſic debémus ágere curam noſtrî, ut non negligámus curam próximi: ut quisquis ad nos júngitur, ex linguæ noſtræ ſale condiátur... Sed iſta quæ dícimus, méliùs apud eum orándo, quàm loquéndo, obtinébimus.

Die ix.

S. EPHRÆM EDESSENI, Diaconi et Monachi.

Simplex.

Omnia de Comm. unius Monachi.

Oratio. Deus, qui nos ádmones, *pag.* xl.

Lectio iij.

Ex Sozom. & Greg. Nyſſeno, Hieron. Pallad. Theodor.

Ephræm, Níſibi natus paréntibus génere quidem obſcúris, ſed glorióſâ Chriſti confeſſióne longè nobilióribus, à juveníli ætáte in monaſtica philoſóphia ſe exércuit, Apoſtólicæ paupertátis æmulus, vigíliis, jejúniis, & oratióni aſsíduus, nullâ umquam ſénſuum voluptáte delectátus, véteri ſic exútus hómine, ut, qui olim ſupra modum ex naturáli índole iracúndum ſe ſénſerat, à némine umquam, ex quo Mónachum índuit, viſus fúerit iráſci, invíctâ in omnes patiéntiâ, manſuetúdine & humilitáte exínde mirábilis, júgibus lácrymis & ſuſpíriis ex íntimo compunctiónis ſenſu proféctis non minùs quàm ſermónum veheméntiâ, quóslibet ad pœniténtiam movére éfficax. In Epíſcopum quondam eléctus, ne invítus aſſumerétur; mente ſe captum ſimulávit, & fúgiens támdiu delituit, donec ordinarétur álius. Quam ore & copióſo fructu prædicávit veritátem, ſcriptis multis aſséruit; & quod vix credíbile, nullo doctus magíſtro, ad eam pervénit eruditiónem, quam mirarétur Basílius magnus, quam exímiis láudibus commendáret Gregórius Nyſſénus, quam multi æmularéntur diſcípuli, quam dénique tanto antíquitas hábuit in prétio, ut in Ecclésiis quibúsdam poſt Scriptúras ſacras ſcripta ejus legi reſtétur Hierónymus. In Eccleſiáſtico Ordine, ad Diaconátum Edéſſæ dúmtaxat pro-

ſtólicæ Legátus, anno milléſimo centéſimo séptimo, eáſque in decentióri lóculo magnâ celebritáte repóſuit. Iterum autem, anno ſcílicet milléſimo quadringentéſimo primo, recógnitæ ſunt, ac in novam arcam reverénter translátæ ab Henríco de Vallíſcolóre Epíſcopo Chriſtopolitáno, Ludovíci de Harecúria Tulléṅſis Epíſcopi in Pontificálibus Vicário; qui, Miſsâ ſolémniter decantátâ, aſtánte multâ cleri & pópuli frequéntiâ, de ſanctórum Pontíficum glória ſermónem hábuit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 19. v. 12.

IN illo témpore; Dixit Jeſus parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere ſibi regnum, & revérti. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 17. n. 16. & 17.

PEnsémus qui umquam per linguam noſtrā convérſi, qui de pervérſo ſuo ópere noſtrâ increpatióne corrépti, pœnitentiam egérunt? quis luxúriam ex noſtra eruditióne deséruit, quis avarítiam, quis ſupérbiam declinávit? Pensémus quòd lucrum Deo fécimus nos, qui accépto talénto, ab eo ad negótium miſſi ſumus. Etenim dicit: Negotiámini dum vénio. Ecce jam venit; ecce de noſtro negótio lucrū requírit. Quale ei animárum lucrum de noſtra negotiatióne monſtrábimus? Quot ejus conſpéctui animárum manípulos de prædicatiónis noſtræ ségete illatúri ſumus? Ponámus ante óculos noſtros illum tantæ diſtrictiónis diem, quo judex véniet, & ratiónem cum ſervis ſuis, quibus talénta crédidit, ponet... In illo tanto exámine unuſquíſque quid ſit operátus, oſtendétur.

Lectio viij. n. 17. & 18.

IBi omnes Domínici gregis aríetes cum animárum lucris apparébunt, qui ſanctis ſuis prædicatiónibus Deo poſt ſe súbditum gregem trahunt. Cùm ígitur tot Paſtóres cum grégibus ſuis ante ætérni Paſtóris óculos vénerint, nos míſeri quid dictúri ſumus, qui ad Dóminum noſtrum poſt negótium vácui redímus, qui Paſtórum nomen habúimus, & oves quas ex nutriménto noſtro debeámus oſténdere, non habémus? Hîc Paſtores vocáti ſumus, & ibi gregem non dúcimus. Sed numquid ſi nos neglígimus, omnípotens Deus déſerit oves ſuas? Nullo modo. Nam ipſe eas, ſicut per Prophétam pollícitus eſt, per ſemetípſum paſcit: omnéſque quos prædinávit ad vitam, flagellórum ſtímulis, compunctiónis ſpíritu érudit; atque

ipſi ad regnum cœlórum pertingunt; & ecce nos per negligéntiam noſtram deórſum tendimus.

Lectio ix.

Timeámus hæc, fratres: convéniat actióni noſtræ ipſum miniſtérium noſtrum. De peccatórum noſtrórum relaxatióne quotídie cogitémus, ne noſtra vita peccáto obligáta remáneat, per quam omnípotens Deus quotídie álios ſolvit. Conſiderémus ſine ceſſatióne quid ſumus: pensémus negótium noſtrum: pensémus pondus quod ſuſcépimus. Faciámus quotídie nobíſcum ratiónes, quas cum noſtro júdice habémus. Et ſic debémus ágere curam noſtrî, ut non negligámus curam próximi: ut quisquis ad nos júngitur, ex linguæ noſtræ ſale condiátur... Sed iſta quæ dícimus, méliùs apud eum orándo, quàm loquéndo, obtinébimus.

D I E I X.

S. EPHRÆM EDESSENI, DIACONI ET MONACHI.

Simplex.

Omnia de Comm. unius Monachi.

Oratio. Deus, qui nos ádmones, *pag.* xl.

Lectio iij.

Ex Sozom. & Greg. Nyſſeno, Hieron. Pallad. Theodor.

Ephræm, Níſibi natus paréntibus génere quidem obſcúris, ſed glorióſi Chriſti confeſſióne longè nobilióribus, à juveníli ætáte in monáſtica philosóphia ſe exércuit, Apoſtólicæ paupertátis æmulus, vigíliis, jejúniis, & oratióni aſsíduus, nullâ umquam ſénſuum voluptáte delectátus, véteri ſic exútus hómine, ut, qui olim ſupra modum ex naturáli índole iracúndum ſe ſénſerat, à némine umquam, ex quo Mónachum índuit, viſus fúerit iráſci, invíctâ in omnes patiéntiâ, manſuetúdine & humilitáte exínde mirábilis, júgibus lácrymis & ſuſpíriis ex íntimo compunctiónis ſenſu proféctis non minùs quàm ſermónum vehementiâ, quóslibet ad pœniténtiam movére éfficax. In Epíſcopum quondam eléctus, ne invítus aſſumerétur; mente ſe captum ſimulávit, & fúgiens támdiu delituit, donec ordinarétur álius. Quam ore & copióſo fructu prædicávit veritátem, ſcriptis multis aſséruit; & quod vix credíbile, nullo doctus magíſtro, ad eam pervénit eruditiónem, quam mirarétur Basílius magnus, quam exímiis láudibus commendáret Gregórius Nyſſénus, quam multi æmularéntur diſcípuli, quam dénique tanto antíquitas hábuit in prétio, ut in Eccléſiis quibúsdam poſt Scriptúras ſacras ſcripta ejus legi teſtétur Hierónymus. In Eccleſiáſtico Ordine, ad Diaconátum Edéſſæ dúmtaxat pro-

gréſſus, poſtquam multos verbis erudívit, egénos charitáte fovit, hæréticos ſcriptis confutávit, dévios mónitis revocávit, arctam vitæ monáſticæ diſciplínam exémplis aſſéruit, in ſolitúdine defúnctus eſt, último pietátis quaſi Prophéticæ ópere teſtaménto relícto.

DIE X.

SEPTEM FRATRUM, ET S. FELICITATIS

Eorum matris, Mártyrum.

Simplex.

Omnia de Comm. plurium Martyrum.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui glorióſos Mártyres fortes in ſua confeſſióne cognóvimus, pios apud te in noſtra interceſſióne ſentiámus; Per, &c.

Lectio iij.

Ex Actis apud Ruinart, & Greg. Mag. Hom. 3.

SEptem fratres fílii ſanctæ Felicitátis, Romæ in perſecutióne Marci Antoníni à Públio Præfécto, primùm blandítiis, deínde terróribus tentáti ſunt, ut, ejurátâ Chriſti fide, idólis ſacra fácerent. Adhortánte matre, tantam hauſére conſtántiam, ut à religiónis ſanctæ propóſito, nec ſpe, nec metu deterréri potúerint. Itaque in fídei confeſſióne perſeverántes, vária tormentórum & mortis génera perpéſſi ſunt. Januárius plumbátis cæſus eſt, Felix & Philíppus fúſtibus contúſi: Silvánus ex altíſſimo loco præceps dejéctus: Alexándro, Vitáli, & Martiáli caput amputátum. Mater eórum quinto poſt menſe, abſcíſſo cápite, eámdem Martyrii palmam conſecúta eſt.

Veſperæ de ſequenti, Comm. S. Hyáulphi Abbatis.

Oratio. Omnípotens Deus, *pag.* xl.

DIE XI.

S. BENEDICTI, ABBATIS CASSINENSIS.

Duplex 4. Claſſ.

Omnia de Comm. unius Abbatis.

Oratio.

COncéde, quæſumus, omnípotens Deus, ut beáti Benedícti Abbátis ſolémnia recenséntes, méritis ipſíus protegámur & précibus; Per Dóminum.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Greg. mag. Lib. 2. Dialog. & aliis.

BEnedíctus Núrſiæ in Sabínis claro génere ortus, mox Romæ liberálibus litterárum ſtúdiis tráditus eſt. Verùm cùm in eis multos ire per abrúpta vitiórum cérneret, deſpéctis litterárum ſtúdiis, relíctâ domo rebúſque patris, ſoli Deo placére deſiderans, recéſſit, ſciénter néſcius, & ſapiénter indóctus; & in altíſſima ſpelúnca eo loco qui Subláꝫcus dícitur, totus Chriſto déditus per triénnium de-

ſtituit, uno ſuæ ſolitúdinis cónſcio Románo Mónacho. Sed jam ex illis látebris erumpénte ſanctitátis ejus famâ, quidam ad eum convenére Mónachi ab ipſo in monáſtica diſciplína inſtituéndi; qui póſtea reguláris vitæ impatiéntes, ínito consílio venénum ipſi in potu miſcére conſtítuunt. Ille póculum oblátum crucis ſigno confrégit, ac relícto Monaſtério, ad locum diléctæ ſolitúdinis rédiit.

Lectio v.

Cum ſanctus vir diu in eàdem ſolitúdine virtútibus ſignísque ſuccréſceret, multis ad eum quotídie confluéntibus diſcípulis, duódecim Monaſtéria ædificávit. Inde ad Caſsínum migrávit, anno quingentéſimo vigéſimo nono, ubi ſimuláchrum Apóllinis commínuit, & aram evértit: & extrúcto in eódem loco ſancti Joánnis Baptíſtæ & ſancti Martíni ſacéllo, íncolas Chriſtiánis præcéptis ímbuit, inter mirácula quibus in mundo cláruit, doctrínæ verbo non medlócriter effúlgens. Scripſit Monachórum Régulam, diſcretióne, inquit ſanctus Gregórius, præcípuam, ſermóne luculéntam: quæ Benedícti mores, non minùs quàm magiſtérii illíus actus éxprimit; cùm ſanctus vir non potúerit áliter docére, quàm vixerit.

Lectio vj.

Multa prophético ſpíritu ventúra prædíxit. Aliquot antè ménſibus quàm è vita migráret, quo die eſſet moritúrus diſcípulos præmónuit: ac ſepúlchrum in quo ſuum corpus condi vellet, ſex antè diébus quàm eò inferrétur, juſſit aperíri: ſextóque die deférri vóluit in Oratórium, ubi Domínici Corpóris & Sánguinis perceptióne munítus, ſublátis in cœlum mánibus orans, inter manus diſcipulórum ánimam efflávit, vigéſimo primo die Mártii, anno ſalútis quingentéſimo quadragéſimo tértio. Sancti viri oſſa unà cum relíquiis ſanctæ Scholáſticæ ſoróris ejus è Caſſinénſi Monaſtério à ſancto Aigúlfo Mártyre in Gállias advécta, atque in Cœnóbium Floriacénſe, nunc ſancti Benedícti ad Ligerim, circa annum ſexcentéſimum quinquagéſimum tértium transláta ſunt, undécimâ die Július.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19. v. 27.

In illo témpore; Dixit Petrus ad Jeſum: Ecce nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilia ſancti Paulíni Epíſcopi.

Epiſt. 24. ad Sulpit. Severum n. 5. & 6.

BOna quæ nobiſcum non intuleramus in hunc mundum, nec poterámus auférre, quaſi mutuáta reddídimus; nec ut cutem à carne diſtráximus, ſed ut veſtem à córpore deposúimus. Nunc opus eſt, ut quæ verè noſtra ſunt, dependámus Deo, hoc eſt, cor & ánimam, & córpora noſtra exhibéntes in hóſtiam vivam... Quæ nobis grátia, ſi in alièno tantùm fidéles fuérimus, niſi de próprio ſerviámus, id eſt, de líbero voluntátis arbítrio, ex toto corde noſtro diligéntes Deũ?

Lectio viij. n. 7. & 8.

QUamobrem temporálium bonórũ relíctio, ſive diſtráctio, non decúrſus ſtádii, ſed ingréſſus; nec ut meta, ſed jánua eſt. Non enim tum vincit, cùm exúitur athléta, qui ídeò nudátur, ut incípiat dimicáre, cùm legítimè certáverit, coronándus. Et natátor amnem interpóſitũ ſuperatúrus, exúitur; nec tamen tranſnatábit, niſi totíus córporis niſu, torréntis ímpetum ſcindat, & labórem natatiónis exhaúriat. * Vídeo & in Jacob hujus expeditiónis órdinem prolusíſſe; cùm illum lego, poſteáquam torrénte tranſmíſſo, præmíſſis curárum ſuárum onéribus, id eſt, facultátum corporálium & neceſſitúdinum impediméntis, ſolus in tabernáculo ſuo remánſerat, Deo colluctátum.

Lectio ix. de S. Hydulpho, Ex Moſmid. apud Sur. Chron. Senon. Mabill. ſæc. 3. Bned. L. 3.

HYdúlphus, Ratisbonénſi Eccléſiæ primùm mancipátus, ut árctiùs Deo ſe devovéret, pátriam déſerens, in erémi látebris, intra Trevirórum partes, aliquámdiu delítuit. Verùm ex ſparſo ſanctitátis ſuæ rumóre paulò poſt ágnitus & quæſítus ad Eccléſiæ Trevirénſis regímen aſsúmitur: quo in múnere dum totus ad injúnctum ſibi óptimi Paſtóris offícium diſtráhitur, íterum invaléſcit ſolitáriæ vitæ prióris deſidérium. Undè, poſt hábitum cum Epíſcopo Tullenſi de ſuo in ſolitúdinem ſecéſſu consílium, ad notum ſibi jam ántea & amícum Deódatum, multis diſcípulis intra Vóſagos montes célebrem, venit: ibíque, locum concedénte Jacóbo Tullénſi Epíſcopo, concurréntibus ad ſe permúltis de ſua ſalúte ſollícitis Monaſtérium conſtrúxit, Juncturarũ inter & Sénonum cœnóbia, dictũ inde Mediánum Monaſtériũ. Porrò Hydúlphi & Deódati unum erat cor, una mens: quibus ſíngulo quoque anno ſeſe inviſere ſólitum erat, ut ad perfectióris vi-

tæ zelum majóres certatim súmerent ánimos. Poſt Deódati mortem, commendátum ſibi ab amíco Junctu-rárum Monaſtérium regéndum aſsúmpſit; & ſic utríque Monaſtério diligéntem ſe præbuit per multos abhinc annos, ut regíminis labóre & diſcipulórum número, non minùs quàm vitæ ſanctitáte, clarus obíerit.

D i e xiv.

S. BONAVENTURÆ, Albanensis Episcopi & Eccleſiæ Doctoris.

Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Doctoris.

Oratio. Deus, qui pópulo, *pag.* xxix.

Comm. S. Henrici Imperatoris, ut in Comm. unius Laici juſti.

Oratio.

DEus, qui beátum Henrícum de terréno império ad regnum ætérnum tranſtuliſti: te súpplices exorámus, ut ſicut illum grátiæ tuæ ſuavitáte illécebras ſæculi ſuperáre fecíſti; ita nos fácias mundi blandiménta vitáre, & ad te puris méntibus perveníre; Per, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ejus vita apud Sur.

BOnaventúra, Balneorégii in Etrúria natus, cùm infans incidíſſet in vitæ perículum, vovit mater ipsíus, ſi inde evaſíſſet, eum ſe religióni beáti Francíſci dicatúram. Itaque anno ætátis vigéſimo ſecúndo, in Ordinem Fratrum Minórum aſcríbi vóluit; ubi Alexándro Alénſi Magiſtro uſus, tantos progréſſus fecit, ut séptimo poſt anno libros Sententiárum Paríſiis públicè interpretátus ſit, & Láuream doctorálem adéptus. Miníſter Generális séptimus poſt ſanctum Francíſcum eléctus, Ordinem in Províncias Cuſtodiáſque divíſit, & ſingulárem in ejus adminiſtratióne prudéntiam ac ſollicitúdinem adhíbuit.

Lectio v.

ARchiepiſcopátum Eboracénſem in Anglia, ſibi à Cleménte quarto oblátum recusávit. Cùm autem Gregórius décimus Cleméntis ſuccéſſor, Concílium generále Lugdúni indixíſſet; Bonaventúram ad ſe vocávit, ratus è bono Eccléſiæ fore, ſi Concílio non interéſſet modò, ſed étiam præéſſet: quem ídeò, honóres licèt fugiéntem, in Cardinálium collégium, & in Epiſcopórum órdinem coaptávit, novo cum, propter exímias virtútes, exémplo præfíciens Eccléſiæ Albanénſi, quæ nonníſi antiquióribus Cardinálibus commítti ántea ſolébat.

Lectio vj.

HAc ille ampliſſimâ dignitáte auctus, in propugnanda cathólica fide, & geréndis rebus difficilli-

ii ſius, egregiam in Concilio Lugdunenſi generali, quod ſecundum dicitur, præſtitit óperam. Pravas opiniónes acerrime confutavit; ejuſque prudentià, doctrinà, & orationibus, ſublato ſchiſmatis diſsidio, Michael Paleologus Græcórum Imperator, Orientaleſque natiónes ad Apoſtolicæ Sedis communiónem redierunt. Migrávit e vita in eodem Concilio, quinquaginta tres annos natus, anno Chriſti milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, decimà quartà Július; & poſt obitum cláruit miraculis. Multa ſcripſit, in quibus lectorem ſic docéndo áfficit, ut in íntimos ánimi receſſus penetrare videátur. Eum Sixtus quartus in Sanctórum númerum rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5. v. 13.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis : Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? Ad níhilum valet ultrà, niſi ut mittatur foràs, & conculcetur ab homínibus. Vos eſtis lux mundi. Et réliqua.

Homília ſancti Bonaventúræ Epiſcopi.

Diæt. Salut. Tit. 10. C. 6.

VOs eſtis ſal terræ : nam ſicut ſal eſt ſapor ómnium ſapidórum, ſic expoſitio cathólica Doctórum eſt quaſi condiméntum ſacrorum eloquiórum : & ſicut ómnia cibaria ſine ſale ſunt inſipida, ita verba ſacræ Scripturæ, máximè legalia Sacramenta, ſine catholica expoſitione Doctorum, videntur ſimplicibus non eſſe multum fructuoſa. Et ſicut ſal conſervat carnes à putrefactióne vermium, ſic doctrina & expoſitio Doctorum conſervat carnáles hómines à corruptióne peccatorum. Unde propter iſta dícitur: Sermo veſter ſit ſale cónditus. Vos eſtis lux mundi. Sol dicitur lux mundi ad litteram; & ſancti Confeſſóres dicúntur lux mundi per figúram; ſcilicet, inſtar ſolis mundum illuminántes ſplendóre honeſtátis; inſtar ſolis mundum inflammántes ardóre charitátis; inſtar ſolis mundum ſuperántes quantitáte virtútis.

Lectio viij. de ſex alis Seraph. Cap. 6.

BOni magíſtri bonos diſcípulos fácere conſuevérunt; ut frequéntiùs multi fierent melióres in Ecclésia, ſi melióris vitæ eis exémpla à ſuis doctóribus proponeréntur. Doctrina verbórũ ſine exemplis óperum, eſt ſicut cæmentum ſine calce áridum & inválidum. Ipſi liniebant parietem abſque temperamento ; dic eis, quòd caſurus ſit. De corréctis exemplaribus corrécta ſcribúntur volúmina, de

corrúptis corrúpta. * Tenácius inhæret doctrína óperum quàm verbórum: nam cujus vita deſpícitur, reſtat ut ejus prædicátio contemnátur. Rector enim præcípuè ad hoc ſtudére debet, ut ſibi commíſſos fáciat Chriſtifórmes, id eſt, formam vitæ ad doctrínam Chriſti eis ímprimat, ut non ſolùm mente eum atténdant, ſed & móribus imiténtur. Unde Apóſtolus dicit: Imitatóres mei eſtóte ſicut & ego Chriſti. Quaſi dicat: Si formam Chriſti ad imitándum deſiderátis agnóſcere, in meis hanc móribus conſideráte. *

Lectio ix. de S. Henrico.

Ex Anon. apud Canis. item Sigeb. Glab. & aliis rerum Germ. Scriptor.

HEnrícus è duce Bavariæ Romanórum Imperátor, cognoménto Pius, nihil ſine précibus àggredi ſólitus, raro exémplo virginitátem matrimónio junxit. Benedíctum octávum prófugum excépit, & ſuæ Sedi reſtítuit. Ad tuéndam Eccléſiam bellum advérsùs Græcos ſuſcépit. Bambergénſem Epiſcopátum hæreditáriis ópibus fundátum beáto Petro fecit vectigálem. Illúſtribus dénique in Gállia, Itália, & Germánia régiæ prorſus & religióſæ ſuæ munificéntiæ monuméntis paſſim relíctis, migrávit in cœlum, ſanctitáte & miráculis, quàm ſceptro & império clarior.

Veſperæ de ſequent. Comm. præcedentis. In Cathedrali nulla fit Commem.

DIE XV.

SANCTÆ APRONIÆ, VIRGINIS.

In Cathed. Dupl. 2. Claſ. & alibi Dupl. 4. Claſ.

Omnia de Communi. unius Virginis.

Oratio.

DEus caſtitátis amátor, auxiliáre nobis, quæſumus, per hujus ſanctæ Vírginis Aprόniæ mérita glorióſa; ut ejus précibus ab advérſis liberémur, & ad cœléſtia perducámur; Per Dóminum, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Vindr. in vita S. Gerardi, ex Cedul. Epiſ. Tullenſium.

APróniam, ſanctíſſimi Apri, qui Tullénſes inter Epíſcopos numerátur ſéptimus, dignam tanto viro ſorórem fuíſſe, & ab ipſo conſecrátam Deo Vírginem conſtans eſt Eccléſiæ noſtræ tradítio. Trecis obiíſſe créditur, multis dives méritis, quibus & glóriam in cœlo, & ſacros in terris honóres conſecúta eſt. Narrat in vita ſancti Gerárdi Vindrícus Abbas ſancti Apri, auctor ſancto Gerárdo propè coævus (cui étiam concórdant Epiſcopórum Tullénſium cédulæ) quòd, cum pius Antíſtes Sanctórum re-

liquias ſagáci indagáret ſollicitúdine, corpus beátæ Vírginis Aproniæ à Trecórum cívibus meruerit ſuſcipere; quod ad plebis tutámen infra urbis ſuæ mœnia collocávit. Porrò ſacræ relíquiæ ab his tempóribus in Eccléſia Cathedrali religióſè aſſervátæ, magno ibi cum honóre coluntur.

Lectio v.

Sermo ſancti Ambróſii Epiſcopi.

Lib. 1. de Virgin. Cap. 2. n. 5. & Cap 3. n. 11.

BEne procédit ut quóniam hódie natalis eſt Vírginis, de Virgínibus ſit loquendum. Quis autem humano virginitátem poſſit ingénio comprehéndere, quam nec natúra ſuis inclúſit légibus? Aut quis naturáli voce compléčti, quod ſupra uſum natúræ ſit? E cœlo accersívit quod imitarétur in terris. Nec immérito vivéndi ſibi uſum quæsívit è cœlo, quæ ſponſum ſibi invénit in cœlo. Hæc nubes, áëra, Angelos, ſidéraque transgrédiens, Verbum Dei in ipſo Patris ſinu invénit, & toto hauſit péctore. Nam, quis tantum, cùm invénerit, relínquat boni?

Lectio vj. n. 11. 12. & 13.

QUis ígitur neget hanc vitam fluxiſſe de cœlo, quam non fácilè invénimus in terris, niſi poſtquam Deus in hæc terréni córporis membra deſcéndit? Nam étiam templo Hieroſólymis fuiſſe légimus Vírgines deputátas: ſed quid Apóſtolus ait: Hæc autem in figúra contingébant illis, ut eſſent indícia futurórum: figúra enim in paucis eſt, vita in plúribus. At verò póſtea quàm Dóminus in corpus hoc véniens, contubérnium divinitátis & córporis ſine ullâ concrétæ confuſiónis labe ſociávit, tunc toto orbe diffúſus corpóribus humánis vitæ cœléſtis uſus inolévit. Hoc illud eſt quod miniſtrántes in terris Angeli declararunt futúrum genus, quod miniſtérium Dómino immaculáti córporis obséquiis exhibéret.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25. v. 1.

IN illo témpore; Dixit Jeſus discípulis ſuis parábolam hanc: Símile erit regnũ cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades ſuas, exiérunt óbviàm ſponſo & ſponſæ. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi Epiſcopi.

Homil. 78. in Matth. n. 1.

CUr ſub persóna Vírginum hanc profert parábolam, nec qualemcúmque persónam adhíbuit? Magna de virginitáte díxerat: alióquin verò ſciébat pleróſque magnam de illa opiniónem habére. Nam res eſt natúrâ ſuâ árdua, ut inde palàm eſt,

quòd in véteri lege ne ſancti quidem magníque viri illam exercúerint, & in nova, nullâ légis neceſſitáte jubeátur. Neque enim hoc præcépit; ſed audiéntium arbitrio illud relíquit. Ideò ait Paulus: De Virgínibus autem præcéptum Dómini non hábeo. Laudo quidem illud ſervántem; ſed noléntem non cogo, neque præcéptum id fácio.

Lectio viij.

QUia ígitur magna res eſt, & in magna apud multos erat exiſtimatióne; ne quis illam ſervans, quaſi ómnia ſerváſſet, circa cætera négligens eſſet, hanc ponit parábolam, quæ ſuadére poſſit virginitátem aliáque bona ómnia eleemoſynæ frúctibus vácua cum fornicatóribus éjici: & inhumánum immiſericordémque cum illis collocári; idque jure mérito: ille enim córporum, hi pecuniárum amóre victi ſunt. Non eſt autem córporum & pecuniárum par cupíditas; ſed ácrior multò ac violéntior corporum. Quantò autem imbecíllior eſt inimícus, tantò minus illæ quæ victæ ſunt, véniam meréntur: ideòque fatuas illas vocat, quia majori ſuperáto labóre, per minórem totum perdidérunt.

Lectio ix.

LAmpades autem hîc dicit ipſu virginitátis donum, ſanctitátis puritatem: óleum verò benignitátem, eleemóſynam, auxílium egénis præſtitum... Cùm ornáſſent ergo lámpades, fátuæ ſapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo veſtro. Rurſum illas fátuas vocat, oſténdens nihil ſtúltius eſſe iis qui hîc pecúnias cólligunt, & nudi illuc ábeunt, ubi nobis benignitáte magis opus eſt, multâque miſericórdiâ. Non ídeò tantùm ſtultæ, ſed quòd expectárint ſe illic óleum acceptúras eſſe, & quòd intempeſtívè quæſíerint... Sic étiam repúlſam tulérunt: ac neque humánitas eárum à quibus petébant, neque petitiónis facílitas, neque neceſſitas, quídpiam impetrárunt. Verùm quid inde díſcimus? Néminem illic nobis quos ópera prodidérunt, auxílio futúrum; non quòd nolint, ſed quòd non poſſint.

In Veſperis Comm. ſequentis.

DIE XVI.

DISPERSIO APOSTOLORUM.

Semiduplex.

Omnia de Communi Apoſtolorum.

Oratio.

LÆtétur Eccléſia tua, Deus, Apoſtolórum tuórum illumináta doctrínis: atque eórum inníxa ſuffrágiis, & devóta permáneat, & ſecúra conſiſtat; Per Dóminum, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 32. in Matth. n. 3. & 4.

DUódecim miſit Jeſus: quoſnam qualéſve? Piſcatóres, Publicános. Et quid illis ait... Eúntes prædicáte, quóniam appropinquávit regnum cœlórum. Vidéſne miniſtérii magnitúdinem? Vides Apoſtolórum dignitátem? Nihil ſenſíbile jubéntur dícere; nec ſicut Móyſes & Prophétæ prióres; ſed nova quædam & inexpectáta. Neque enim tália ipſi prædicábant, ſed terram & terréna bona: hi autem regnum cœlórum & quæ ibi ſunt ómnia. Neque inde ſolùm hi majóres ſunt, ſed étiam ex obediéntia. Neque enim recúſant, neque cunctántur, ſicut véteres illi; ſed etiamſi perícula, bella, & intolerabília mala áudiant, cum obſequéntiâ multâ imperáta ſuſcípiunt, útpote qui regni ſint præcónes.

Lectio v.

ET quid mirum, ínquies, ſi nihil durum & áſperum prædicatúri, súbitò paruérunt? Quid dicis? Nihil durum prædicáre juſſi ſunt? Non audis cárceres, abductiónes ad mortem, bella civília, universórum ódium? quæ ómnia ipſis paulò poſt eventúra eſſe dicébat. Illos namque mittit præcónes, ut áliis innúmera bona condúcent: illos verò intolerabília mala paſſúros eſſe dicit & prænúntiat. Deínde ut illos fide dignos reddat, ait: Infírmos curáte, lepróſos mundáte, dæmónia ejícite: gratìs accepíſtis, gratìs date. Vide quómodo morum curam hábeat, perínde atque ſignórum, oſténdens ſigna ſine móribus nihil eſſe: nam ne altum ſápiant, ipſos réprimit, dicens: Gratìs accepíſtis, gratìs date; & ut ab amóre pecúniæ abſtíneant prévidet.

Lectio vj. Hom. 33. n. 1. & 4.

NOn hîc finem dicéndi facit; ſed ſuam oſténdens ineffábilem poténtiam dicit: Sic abeúntes óvium manſuetúdinem exhibéte, etiámſi contra lupos itúri; nec modò contra lupos, ſed étiam in médio lupórum... Tu verò mihi consídera quinam ſint ii qui hæc dura laborióſaque præcépta áudiunt: formidolóſi hómines, idiótæ, illiterati & indócti, prorſus obſcúri, qui exterórum leges ignorábant, qui non in forum deſcénderant, piſcatóres, publicáni, in ómnibus imbecilles. Quòd ſi hæc vel magno prǽditos ingénio & ánimo viros turbáre poſſunt, quómodo non potuiſſent imperítos hómines, qui nihil generóſi umquam ánimo concéperant, dejícere atque percéllere? At non dejecére... ſed diá-

bolò cum toto orbe & turbà dæmonum innúmerâ contra duódecim illos irruénte, non brevi témpore, ſed per totum vitæ ſpátium, vicérunt illi & ſuperárunt: quodque mirum eſt, non cæſis hóſtibus, ſed mutátis & convérſis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 16. v. 15.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Eúntes in mundum univérſum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homília ſancti Hilárii Epíſcopi.

In Cap. 10. Matth. n. 4.

TOta in Apóſtolos poteſtas virtútis Domínicæ transfértur: & qui in Adam in imáginem & ſimilitúdinem Dei erant figuráti, nunc perféctam Chriſti imáginem & ſimilitúdinem ſortiúntur, nihil à Dómini ſui virtúte differéntes; & qui terréſtres ántea erant, cœléſtes modò fiunt. Prædicent regnum cœlórum modò propinquáre, imáginem ſcilicet & ſimilitúdinem Dei nunc in consórtium veritátis aſſúmi; ut ſancti omnes Dómino conrégnent. Infírmos curent, mórtuos ſúſcitent, lepróſos emúndent, dæmones ejíciant; quidquid malórum Adæ córpori ſátanæ inſtínctus intúlerat, hoc rurſum ipſi de communióne Domínicæ poteſtátis emúndent.

Lectio viij.

Lib. contra Auxent. n. 3.

MIſerári licet noſtræ ætátis labórem, & præséntium témporum ſtultas opiniónes congemíſcere, quibus patrocinári Deo humána credúntur, & ad tuéndam Chriſti Eccléſiam ambitióne ſæculári laborátur. Oro vos, qui hoc eſſe vos créditis, quibúſnam ſuffrágiis ad prædicándum Evangélium Apóſtoli uſi ſunt? quibus adjúti poteſtátibus Chriſtum prædicavérunt, gentéſque ferè omnes ex idólis ad Deum tranſtulérunt? Anne áliquam ſibi aſſumébant è palátio dignitátem, hymnum Deo in cárcere inter caténas & poſt flagélla cantántes? Edíctis régiis Paulus, cùm in theátro ſpectáculum ipſe eſſet, Chriſto Eccléſiam congregábat? Neróne ſe, credo, aut Veſpaſiáno, aut Décio patrocinántibus tuebátur? quorum in nos ódiis conféſſio divínæ prædicatiónis efflóruit.

Lectio ix. n. 3. & 4.

ILli manu atque ópere ſe aléntes, intra cœnácula ſecretaque coëúntes, vicos & caſtélla, gentéſque ferè omnes terrâ ac mari contra ſenatûs conſúlta & regum edícta peragrántes, claves, credo, regni cœlórum non habébant? Aut non maniféſta ſe tum Dei virtus contra é-

dia humana porréxit, cùm tanto magis Chriſtus prædicaretur, quantò magis prædicari inhiberetur? At nunc, proh dolor! divínam fidem per ſuffrágia terréna commendant, inópſque virtútis ſuæ Chriſtus, dum ambitio nómini ſuo conciliátur, argúitur.

In Veſperis Comm. de ſequenti.

DIE XVII.

S. ARNULPHI, EX EPISCOPO METENSI Monachi Tullenſis.

Simplex.

Omnia de Communi unius Pontificis.

Oratio. Exaudi, *pag.* xxiv.

Lectio iij.

Ex ejus vita apud Mabill. 2. ſæcul. Bened.

ARnúlphus, gente Francus, génere clariſſimus, ínclytâ nobilitáte non imparem uxórem duxit, Dodam nómine; ex qua duos ſuſcépit líberos; ſcilicet, ſanctum Clodúlphum qui à teneris annis Deo dicatus Metenſem Eccleſiam virtútibus ſuis illuſtravit; & Anchiſen, ſeu Anſegiſilum, ex quo ortus eſt Pippinus Cároli magni Francorum Regis & Imperatóris átavus. In exércitu Theodeberti ſecúndi Auſtráſiæ Regis virtúte bellicâ primùm cláruit Arnulphus; ſubínde in régii paláții præfectúra & ſex provinciárum adminiſtratióne non minus æquitate & peritiâ laudabilis; ſic tamen útrique múneri ſufficiens, ut non mínimam curárum partem rebus divínis impénderet, ſédulus in oratióne, in eleemóſynis largus, in jejúniis & vigíliis frequens, perpetuóque ſe crúcians cilício. Ad Meténſem Epiſcopátum ómnium votis raptus, invítus licèt & lácrymans, chriſtiánas virtútes óptimi Paſtóris virtútibus cumulávit, ſummâ præſértim charitáte ómnibus ómnia factus, nec ulli umquam póſterus offício, licèt ínterim, Clotário inſtánter rogánte, non potúerit, quin Dagobérti ejus fílii & regni Auſtráſiæ curam ſuſciperet. Verùm rerum humanárum pertæſus, ut totus ſoli Deo in ſolitúdine vacáret, Regi ægrè conſentiénti, & lugénti pópulo ſe ſúbtrahens, ad notum ſibi jam ántea, & conſilii ſui cónſcium Romarícum in Vóſago Mónachum venit: ibíque in parátam ſibi ab amíco non longè à Monte ſancto, céllulam ſecédens cum Mónachis áliquot pœniténtiæ ſuæ ſóciis, cœleſtem quidem, ſed áſperam prorſus vitam egit, ab oratione & rerum divinárum contemplatióne non deſinens, niſi ut ægris & lepróſis, quibus prope cellam ſuam xenodóchium conſtrúxerat, in diffícillimis quibuſcúmque & vilióribus obſequiis inſervíret; donec méritis plenus inter manus amici ſui Romaríci ánimam Deo reddidit.

DIE XVIII.

DIE XVIII.

S. THOMÆ AQUINATIS, ECCLESIÆ DOCTORIS.

Duplex 4. Claſ.

Omnia de Comm. unius Doctoris.

Oratio. Deus, qui pópulo tuo, *pag.* xxix.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Guill. de Tocco apud Bolland. & aliis.

THomas, Landúlpho cómite Aquináte, ac Theodórâ cómitis Theatíni filiâ natus, quintum annum agens, Caſſinátibus Mónachis pietáte & litteris imbuéndus tráditur. Inde Neápolim, ſtudiórum causâ, miſſus, anno ætátis décimo octávo, ſancti Domínici Ordinem ingréſſus eſt. Quod cùm parentes indígnè ferrent, Lutétiam Pariſiórum míttitur. Verùm in itínere juſſu fratrum per vim raptus, in caſtrum patérnæ ditiónis dedúctus eſt. Ibi cùm à frátribus tum à ſoróribus váriè exagitátus, quò ſanctum mutáret propóſitum, eárum álteri perſuáſit, ut contémptis ſæculi pompis, ſacris ſe Virgínibus adjúngeret. Mulíerem quoque impudícam, quæ ad labefactándam ejus caſtitátem introdúcta fúerat, titióne fugávit. E caſtro per feneſtram poſt biénnium ferè íntegrum emíſſus, Neápolim redúcitur: unde Romam, póſtea Paríſios à Joánne Teutónico, Ordinis Generáli, ductus, tum Colóniam Agrippínam miſſus eſt, ut Albérto Magno doctóre uterétur. Paríſios revocatus, poſt prælécṭas Petri Lombardi ſenténtias, gradum Magiſterii obtínuit.

Lectio v.

SUmmæ eruditióni acceſſit ſumma vitæ ſánctitas. Numquam ſe lectióni aut ſcriptióni dabat, niſi poſt oratiónem, cui in exponéndis difficíllimis Scriptúræ ſacræ locis, jejúnium adjungébat; dícere ſólitus, quidquid ſciret, non tam ſe ſtúdio aut labóre ſuo peperíſſe, quàm divinitùs tráditum accepíſſe. Nullum penè fuit ſcriptórum genus, in quo non eſſet diligentíſſimè verſátus; ac ne ex rerum ſubtiliórum inquiſitióne charitátis ardor tepéſceret, collatiónes Patrum aſſíduè pervolvébat; ſcripta ejus & multitúdine, & varietáte, ac in rebus étiam intricatíſſimis perſpicuitáte ádeò excéllunt, ut eam ob cauſam Doctóris Angélici nomen adéptus ſit. De ſacroſáncto potíſſimùm Euchariſtiæ ſacraménto multa piè non minùs quàm ſcitè conſcrípſit, ac præter cætera illud célebre Officium quod juſſu Urbáni quarti ordinávit.

Lectio vj.

DElátum ſibi à Clemén-te quarto Archiepiſco-pátum Neapolitánum conſ-tánter recuſávit. Miſſus à Gregório décimo ad Concí-lium Lugdunénſe, in itíne-re morbo corréptus, divér-tit in Monaſtérium Faſſano-vénſe Ordinis Ciſterciénſis in Diœcéſi Terracinénſi; & in ipſo ingréſſu mortem præ-ſéntiens, ait: Hæc réquies mea in ſæculum ſæculi; hic habitábo, quóniam elégi eam. Tum rogátus à frátri-bus, expóſuit Cantica Canti-córum. Deficiéntibus víri-bus, exhibéri ſibi pétiit Ec-cléſiæ Sacraménta. Priúſ-quam autem Viáticum ſuſcí-peret, profúſus in lácry-mas ad præſéntiam Domíni-ci córporis, & aſſuetâ amó-ris Dei dulcédine liquefác-tus, hæc verba protuliſſe refértur: Ego de ſanctiſſimo córpore Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & áliis Sacramentis multa dócui, multa ſcripſi in fide Jeſu Chriſti, & ſanctæ Románæ Eccleſiæ, cujus cor-rectióni cuncta ſubjício. Re-cépto deínde Viático, & áliis Eccléſiæ Sacraméntis, tértio die obdormívit in Dómino, anno ætátis quadrageſimo nono, Chriſti verò milléſi-mo ducentéſimo ſeptuagéſi-mo quarto. Clarus miracu-lis à Joanne vigéſimo ſecún-do Sanctis adſcríptus eſt, décimo quinto calendas Au-gúſti, anno milleſimo tre-centeſimo vigeſimo tértio.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſe-cúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5. v. 13.

IN illo tempore; Dixit Je-ſus diſcípulis ſuis: Vos eſ-tis ſal terræ. Quòd ſi ſal eva-núerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet ultrà, niſi ut mittátur forâs, & conculcé-tur ab homínibus. Vos eſtis lux mundi. Et réliqua.

Homilia ſancti Thomæ Aquinátis.

Opuſc. 65. de Offic. Sacerd.

CIrca inſtructiónem pó-puli duo ſunt neceſsária; ſcílicet, doctrína, & vita pu-ra, ut dóceat Sacérdos pó-pulum verbo & ópere, ædi-ficet exémplo. Debet enim frequénter expónere verba ſacræ Scriptúræ, id eſt, ſanc-tórum Patrum exémpla, pro-ut juxta congruitátem tem-poris & moris víderit expe-dire ad cognitiónem veritá-tis, & per exémpla ſuæ con-verſationis & vitæ ædificáre auditores, & approbáre quod dicit in cordibus auditorum ad amorem & affectiónem veritatis..... Quia contra ſe iram judicis cœleſtis érigit, niſi vita Sacerdótis ſimul cum linguæ ſonitu uniformi-ter clamitet; modúmque té-neat in prædicando, ut jux-ta capacitatem audiéntium prædicet utilia; non alta quæ non poſſunt intélligi, neque ſuperflua quæ faſti-dium génerant.

Lectio viij.

NOn ígitur ſúfficit vita bona ſine doctrína. Si enim Sacérdos ex ignorántia, vel negligéntia non prædicet pópulo ſuo veritátem, nec exponat eis viam ſalútis, reus erit apud Deum animárum illárum, quæ ſub ipſo periérunt ex deféctu doctrínæ. Si verò Sacérdos dóceat pópulum ſuum, & quantùm in ſe eſt annúntiet eis viam ſálútis: & illi non acquieſcéntes ei, péreant, Sacérdos ſine culpa erit in die judícii apud Deum, & illi ſoli remanſúri ſunt in pœnis. Aliter autem quantumcúmque Sacérdos ſit bonæ vitæ, non súfficit ei ad ſalútem: ex ſola enim negligéntia, quam habéret ad ſúbditos, damnarétur.

Lectio ix.

NEc íterum ſúfficit doctrína ſine vita: ſi enim Sacérdos malæ vitæ ſit, perdit fructum doctrínæ: quia cùm ipſe ſit criminóſus, non habet frontem corripiéndi criminóſum. Láïci enim de fácili corrumpúntur per exémpla malæ vitæ Sacerdótis, & hinc contémnunt verbum Dei & ſacrifícium; & ex pravis exémplis Sacerdótis pejóres fiunt: cujus enim vita deſpícitur, reſtat ut ejus prædicátio contemnátur. Tot enim Sacerdótes digni ſunt mórtibus, quot ad ſúbditos perditiónis exémpla tranſmíttunt. Sic ergo patet quòd Sacérdos débeat utrúmque habére, ſcílicet puritátem vitæ, & doctrínam. Ante ómnia Dóminus noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt fons bonórum ómnium, tales fáciat Sacerdótes noſtris tempóribus, quales deſcrípti ſunt.

In Veſperis Comm. de ſequent.

Die xix.

S. VINCENTII A PAULO, Presbyteri, et Congregatiónis Miſſ. Inſtit.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Presbyteri.

Oratio.

DEus, qui ad ſalútem páuperum, & Cleri diſciplínam, novam in Eccléſia tua per beátum Vincéntium famíliam congregáſti: da, quæſumus, ut eódem nos quoque Spíritu ferventes, & amémus quod amávit, & quod dócuit operémur; Per Dóminum... in unitáte ejúſdem Spíritûs, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ejus vita, & inſtrumentis ad Canoniz. productis.

VIncéntius à Paulo, natióne Gallus, Pódii non procul ab Aquis Tarbéllis in Aquitánia natus, jam tum à púero exímiam in páuperes charitátem præ ſe tulit. A cuſtódia patérni gregis ad lítteras evocátus, humánas Aquis; divínas, cum Tolóſæ, tùm Cæſaraugúſtæ

dídicit. Sacerdótio initiátus, ac Theológiæ láureâ inſignítus, cùm Maſſiliis Tolóſam itúrus navigáret, íncidit in Turcas, qui captívum in Africam abduxérunt: ſed in captivitáte póſitus, herum ipſum Chriſto rurſus lucriſécit. Cum eo ígitur ex bárbaris oris, opituIánte Deiparâ, ſeſe prorípiens, ad Apoſtólica límina iter inſtítuit; unde in Gálliam revérſus, Clippíaci primùm, deínde Caſtellionis Parœcias ſanctíſſimè rexit. Renuntiátus à Rege Primárius ſacrórum Miníſter in Gálliæ triréınibus, mirum quo zelo & ducum & rémigum ſalúti óperam poſúerit. Moniálibus Viſitatiónis à ſancto Franciſco Saléſio Præpóſitus, tantâ prudéntiâ per annos círciter quadraginta eam curam ſuſtínuit, ut máximè comprobáverit judícium ſanctíſſimi Præſulis, qui Sacerdótem Vincéntio digniórem nullum ſe noſſe fatebatur.

Lectio v.

Evangelizándis paupéribus, præſértim rurícolis, ad decrépitam uſque ætátem indeféſſus incubuit, eíque Apoſtólico óperi tum ſe, tum alúmnos Congregatiónis, quam ſub nomine Presbyterorum ſæculárium Miſſiónis inſtítuit, perpétuo voto à Sancta Sede confirmáto ſpeciátim obſtrínxit. Quantùm autem augéndæ Cleri diſciplínæ allaboráverit, teſtántur erécta Clericorum Seminária, collatiónum de divínis inter Sacerdótes frequéntia, & ſacræ ordinatióni præmitténda exercítia, ad quæ, ſicut ad pios Laïcórum ſeceſſus, inſtitúti ſui domicília libénter patére vóluit. Inſuper ad amplificándam fidem & pietátem, Evangélicos miſit operários, non ſolùm in Gálliæ províncias, ſed & in Itáliam, Polóniam, Scóciam, Hybérniam, atque ad Bárbaros & Indos. Ipſe verò, vitâ functo Ludovico décimo tértio, cui moriénti hortátor áſtitit, à Regina Anna Auſtríaca matre Ludovíci décimi quarti in ſánctius concílium accítus, ſtudioſíſſimè egit ut nonníſi digniόres Eccléſiis ac Monaſtériis præficeréntur; civíles diſcórdiæ, ſinguLária certámina, ſerpéntes erróres, quos ſimul ſenſit & exhórruit, amputaréntur; debitaque judíciis Apoſtólicis obediéntia præſtarétur ab ómnibus.

Lectio vj.

Nullum fuit calamitátis genus, cui patérnè non occúrrerit. Fidéles ſub Turcárum jugo geméntes, infántes expóſitos, júvenes dyſcolos, vírgines periclitántes, moniáles diſpérſas, mulíeres lapſas, ad triémes damnátos, peregrínos infírmos, artífices inválidos, ipſóſque mente captos, & innúmeros mendícos ſubſídiis

& hoſpitiis, etiámnum ſuperſtítibus, excépit, ac piè fovit. Lotharíngiam, Campániam, Picárdiam, aliáſque regiónes peſte, fame, bellóque vaſtátas prolíxè refécit. Plúrima ad perquiréndos & ſublevándos míſeros ſodalítia fundávit; int erquæ célebris Matronárum cœtus, & latè diffúſa ſub nómine Charitátis Puellárum Sociétas. Puéllas quoque tum de Cruce, tum de Providéntia ac ſanctæ Genovéfæ ad ſequioris ſexûs educatiónem erigéndas curávit. Hæc inter & ália graviſſima negótia, Deo júgiter inténtus, cunctis affabilis, ac ſibi ſemper conſtans, ſimplex, rectus, húmilis, ab honóribus, divítiis, ac delíciis ſemper abhórruit, audítus dícere; Rem nullam ſibi placére, prætérquam in Chriſto Jeſu, quem in ómnibus ſtudébat imitári. Córporis demum afflictatióne, labóribus, ſenióque attrítus, die vigéſimâ ſéptimâ Septémbris, anno ſalútis ſupra milléſimum ſexcentéſimo ſexagéſimo, ætátis ſuæ octogéſimo quinto, Paríſiis in domo ſancti Lázari, quæ caput eſt Congregatiónis Miſſiónis, placidè obdormívit: quem virtútibus, méritis, ac miráculis clarum, Clemens duodécimus inter Sanctos rétulit, ipsíus celebritáti die décimâ nonâ menſis Júlii quotánnis aſſignátâ.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 9. v. 35.

IN illo témpore; Circuíbat Jeſus omnes civitátes, & caſtélla, docens in ſynagógis eórum, & prædicans Evangélium regni. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 33. in Matth.

CIrcumíbat urbes & Judææ regiónem, docens in ſynagógis; ut nos diſcámus, non maledíctis maledícta, ſed beneficiis atque méritis eſſe referénda. Et certè qui non grátiâ hóminum, ſed propter Deum bene de consérvis ſuis meréri ſtudet, etſi malefícia pro beneficiis referántur, mínimè tamen sólitam benignitátem omíttit: non enim latet eum majórem ſibi propter hoc mercédem eſſe repóſitam. Qui verò maledíctis atque injúriis laceſsítus, benefaciéndi ſtúdium negléxerit; is non propter Deum, ſed ut ab homínibus laudétur, benéficus fuit in próximum. Quaprópter Chriſtus ut luce clárius viderémus ſolâ ipſum benignitáte atque miſericórdiâ illa ómnia feciſſe, non ſolùm non expectábat ægrótos afférri, ſed ipſe quoque ad laborántes ac ſuâ ope indigéntes ultrò proféctus eſt, duo eis máxima beneficia cónferens; pri-

mum, ætérni regni Evangélium: deinde, omnis morbi atque languóris repulsiónem. Nullam ergo civitátem præteríbat, nullum vicum negligébat, ſed ad ómnia loca libénter accedébat.

Lectio viij.

NEc id ſibi ſúfficit; nam cùm vidíſſet turbas miſértus eſt, quia erant vexáti & jacéntes ſicut oves non habéntes paſtórem. Tunc dicit diſcípulis ſuis: Meſſis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum meſſis ut mittat operários in meſſem ſuam. Vide rurſus quàm fúgiat inánem glóriam, quantùmque oſtentatiónem contémnat. Nam, ne omnes ad ipſum cónfluant, diſcípulos emíſit; nec iſtâ ſolùm de causâ id fecit; ſed étiam ut quaſi in quadam palæſtra in Judæa exercitáti, totíus orbis terrárum curam ſubíre poſſent. Idcírco ingéntes, ſi parvas eórum vires consíderas, labóris atque óperis cauſas propónit; & quaſi téneras è nido avículas prótrahit ad volándum, ut facíliùs póſtea majóra capeſſant certámina. Et in præſenti quidem córporum ſolúmmodo, póſtea verò animárum curatiónis, quæ prima eſt ac præcípua, poteſtátem illis elargítus eſt.

Lectio ix.

TU autem consídera quáliter & fácilem, & neceſsáriam ſimul rem oſténdat. Quid enim dicit? Meſſis quidem multa, operárii autem pauci. Non mitto, inquit, vos ad arándi ſeminandíque labórem, ſed ad ſégetis jam præparátam meſſem. Idipſum Joánnes quoque áliis verbis ſcripſit: Alii namque, inquit, laboravérunt, & vos in labórem eórum introíſtis. His dictis ſimul ipſos in modeſtia continébat, ne ſibi ipſis attribúerent, atque arrogárent quod faciébant: & cùm magnos labóres jam præceſſiſſe oſténderet, promptióres eos reddébat. Oráte autem, inquit, Dóminum meſſis. Hîc ſignánter magnitúdinem doni oſténdit, & occúltiùs ſe eſſe Dóminum meſſis patefécit. Nam cùm dixíſſet: Oráte Dóminum meſſis, atque illi neque oráverint, neque obſecráverint quémpiam: ipſe tamen contínuò eos ordinávit, atque conſecrávit, ut hinc ipſum eſſe Dóminum intelligerent.

Comm. de ſequenti.

DIE XX.

S. ARSENII,

SCETI SOLITARII.

Simplex.

Omnia de Communi unius Solitarii.

Oratio. Deus, qui nos, *pag.* xl.

Comm. S. Margaretæ Virg. & Martyris.

Oratio. Deus, qui inter, *pag.* lj.

Lectio iij.

Ex Rufino, Pelag. Diac. apud Roſ. & aliis.

ARsénius, Románæ Ecclésiæ Diáconus, à Dámaſo ad Theodóſium Magnum miſſus eſt, ut Arcádii ſtúdiis præficerétur. In Imperatóris palátio ad annum ætátis quadragéſimum magno in prétio fuit. Sed dum de ſalúte ánxius, viam quâ ſalvarétur ſibi péteret oſténdi, hæc audíre verba ſibi viſus eſt: Arséni, fuge hómines. Fugit ígitur in Scetim Ægypti ſolitúdinem; ibíque orans, íterum áudiit: Fuge, tace, quiéſce. Hæc illi deínceps fuit vivéndi rátio per annos quinquagínta quinque. Ab homínibus remótus, non ſecum, ſed cum Deo & cum Angelis verſabátur, & prióris vitæ delícias jejúniis contínuis, & júgibus expiábat lácrymis; hiſce verbis perpétuò ſe interpéllans: Arséni, ad quid veníſti? Locútum me fuíſſe, inquiébat, ſæpè pœnítuit, tacuíſſe numquam. Sceti à Mázicis vaſtatâ, primò Canópum, mox Thoben contra Memphim ſe recépit, ubi annum agens nonagéſimum quintum, lugéndi ſe ſimul ac vivéndi finem fecit. Cum enim eũ jam in extrémis flentem animadvertiſſent duo, quos habébat, diſcípuli; An tu, áiunt, Pater, mortem times? Et ille: Verè, inquit, & valdè formído, neque umquam, ex quo Mónachum índui, hic à me abſcéſſit timor.

Die xxi.

S. VICTORIS & Sociórum, Massiliensium Martyrum,

Simplex.

Omnia de Comm. plurium Martyrum.

Oratio. Mártyris tui, *pag.* xvij.

Lectio iij.

Ex actis apud Ruinart & Boſq.

INter ſanctórum Mártyrum gemmas Victor ſanctíſſimus glorióſiùs cláruit, vel quòd eſſet nobílior, vel quòd in religióne noſtra inſtrúctior & fervéntior. Deprehénſus in perſecutióne Diocletiáni & Maximiáni, Præfectórum tribunálibus præſentátur. Ille ſtatim ſe Chriſti mílitem proteſtátus, circumſtántiũ ómnium clamóribus & injúriis ad mortem pétitur. Sed quia vir clarus erat, judicátum à Præféctis eſt, ut ejus cauſa ad Cæſaris audiéntiam referrétur. Maximianus, fruſtrà tam bladítiis quàm terróribus adhibitis, ut eum ad ſacrifícia perurgéret, loris ligátum, retórtis bráchiis, & pedes fune conſtrictum, per médiam civitátem trahi præcípit. Tali ludíbrio cùm ſatis ſupérque vulgi óculos ſatiaſſet, ad tribunalia Præfectórum lacerátus, cruen-

túſque Victor redúcitur, & de negándo Chriſto & diis adorándis ácriùs perorátur. Verùm cùm in confeſſióne conſtans permanéret, fúſtibus crudeliſſimè cæſus, deínde ſuſpénſus, & táureis cruciátus, molæ dénique piſtrináriæ ſubjéctus, atque ita contrítus, martyrium conſummávit. Paſſi ſunt cum eo tres mílites, Alexánder, Feliciánus & Longínus. Hi dum eum noctu in cárcere cuſtodírent, insólito fulgóre percúlſi, quem illuc ventitántes Angeli emittébant, credidérunt in Chriſtum, & eâdem nocte in mari baptizáti ſunt; ſequénti verò die, ante conſummatiónem beáti Mártyris, gládio juguláti. Quorum córpora, unà cum beáti Victóris córpore, in mare demérſa, líttori rédditaſunt, & à Chriſtiánis ſepúlta.

Veſperæ de ſequenti.

DIE XXII.

S. MARIÆ MAGDALENES.

Duplex 2. Claſ.

AD I. VESPERAS.

Mariæ à ſeptem dæmoniis vexatæ gemens oratio, & felix liberatio.

Pſalmi de Feria, & ſic ad totum Officium.

Ant. t. 7. c. DOmine Deus noſter, poſſedérunt nos dómini abſque te: exaltétur manus tua, & confundántur. *Iſ.* 26. 13. 11.

Ant. t. 2. *d.* Circumdedérunt me úndique; & non erat qui adjuváret. *Eccli.* 51. 10.

Ant. t. 4. *a.* Vocem meam audíſti: ne avértas aurem tuam à ſingúltu meo, & clamóribus. *Thr.* 3. 56.

Ant. t. 1. *a.* Peto, Dómine, ut de vínculo impropérii hujus abſólvas me. *Tob.* 3. 15.

Ant. t. 8. *c.* Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, & in témpore ſuperbórum ſine adjutório. *Eccli.* 51. 14.

Capitulum. Iſ. 49. 24. 25.

NUmquid tollétur à forti præda? aut quod captum fúerit à robúſto, ſalvum eſſe póterit? quia hæc dicit Dóminus: Equidem & captívitas à forti tollétur.

℟. Collaudábo te Deum Salvatórem meum: * Confitébor nómini tuo: † Quóniam liberáſti me à rugiéntibus præparátis ad eſcam. ℣. In hoc appáruit Fílius Dei, ut diſsólvat ópera diáboli. * Confitébor. Glória. † Quóniam. *Eccli.* 51. 1. 2. 4. 1. *Joan.* 3. 8.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

PRocul maligni, cédite, ſpíritus,
Nunc imperánti cédite Númini;
Feſsámque dudùs Magdalénam
Párcite nunc agitáre pœnis.

Chriſti jubéntis Númine térriti,
Fugére ſeptem: mox ſibi réddita
Te, Chriſte, conſectátur unum,
Et mémori tibi mente ſervit.

Quin & cruéntâ de trabe péndulo
Chriſto litábat mille dolóribus:
Quàm vellet insóntis Magiſtri
Sola graves toleráre pœnas!

Miſcére fletus sánguinis æmulos
Non ceſſat, aſtans víctima víctimæ:
Chriſtus ſiléndo, nil repéndit:
Quàm méliùs probat hinc amántem!

Laus ſumma Patri, súmmaque Fílio:
Sit ſumma puro laus quoque Flámini,
Afflánte quo ſemper caléſcunt
Æthéreis pia corda flammis. Amen.

℣. Exaltétur Deus ſalútis meæ, ℟. Liberátor meus de inimícis meis iracúndis. *Pſ.* 17. 47. 48.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *g.* María, quæ vocátur Magdaléne, de qua ſeptem dæmónia exíerant, & áliæ multæ miniſtrábant Jeſu de facultátibus ſuis. *Luc.* 8. 2. 3.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Dóminum qui manifeſtat ſe diligéntibus eum, * Veníte, adorémus. *Joan.* 14. 21.

IN I. NOCTURNO.

María ex gratitudine & ſumma dilectione Dominum evangelizantem ſequitur.

Ant. t. 2. *d.* Mulíeres, inter quas erat María Magdaléne, cùm Jeſus eſſet in Galilæa, ſequebántur eum. *Marc.* 15. 40. 41.

Ant. t. 4. *a.* Pars mea, Dóminus, dixit ánima mea: proptérea expectábo eum. *Thr.* 3. 24.

Ant. t. 8. *c.* Bonus eſt Dóminus ánimæ quærénti illum. *Thr.* 3. 25.

℣. Quia fuiſti adjútor meus, ℟. Adhæſit ánima mea poſt te. *Pſ.* 62. 8. 9.

℟. 1. Surgam, & circuíbo civitátem: * Per vicos & platéas quæram quem díligit ánima mea. ℣. Cháritas enim Chriſti urget. * Per vicos. *Cant.* 3. 2. 2. *Cor.* 5. 14.

℟. 2. Tibi dixit cor meū: * Exquisívit te fácies mea: fáciem tuam, Dómine, requíram. ℣. Magíſter, ſequar te, quòcúmque íeris. * Exquisivit. *Pſ.* 26. 8. *Mat.* 8. 19.

℟. 3. Sub umbra illíus, quem deſideráveram, ſedi: & * Fructus ejus dulcis gútturi meo, ℣. Quóniam dulcis eſt Dóminus. * Fructus. Glória. * Fructus. *Cant.* 2. 3. 1. *Pet.* 2. 3.

firmiórem ſexum in eódem loco fórtior figébat afféctus; & óculi qui Dóminum quæſíerant, & non invénerant, lácrymis jam vacábant, ámplius dolentes quòd fúerat de monuménto ablátus, quàm quòd fúerat in ligno occíſus; quóniam magíſtri tanti, cujus eis vita ſubtrácta fúerat, nec memória remanébat. Tenébat ítaque ad monuméntum jam dolor ille mulíerem.

℟. Unâ Sábbati, María Magdaléne * Venit manè, cùm adhuc ténebræ eſſent, ad monuméntum; & vidit lápidem ſublátum à monuménto. ℣. Præ ſollicitúdine quiéſcere non pótuit. * Venit. *Joan.* 20. 1. *Jerem.* 49. 23.

Lectio viij. n. 3.

Dicit ei Jeſus: Noli me tángere. Aut ſic dictum eſt, Noli me tángere, nondum enim aſcéndi ad Patrem meum; ut in illa fœmina figurarétur Eccléſia de Géntibus, quæ in Chriſtum non crédidit, niſi cùm aſcendíſſet ad Patrem: aut ſic in ſe credi vóluit Jeſus, hoc eſt, ſic ſe ſpirituáliter tangi, quòd ipſe & Pater unum ſint. Ejus quippe íntimis ſenſibus quodámmodo aſcéndit ad Patrem, qui ſic in eo profécerit, ut Patri agnóſcat æquálem. Aliter non rectè tángitur; id eſt, aliter non rectè in eum créditur.

℟. Cucúrrit María Magdaléne, & venit ad Simónem Petrum, & ad álium diſcípulum quem amábat Jeſus; & dicit illis: * Tulérunt Dóminum, & neſcímus ubi poſuérunt eum. ℣. Idcírco ego plorans, & óculus meus dedúcens aquas. * Tulérunt. *Joan.* 20. 2. *Thr.* 1. 16.

Lectio ix.

Poterat autem ſic crédere María, ut eum putáret ímparem Patri: quod útique prohibétur, cùm ei dícitur, Noli me tángere; id eſt, Noli in me ſic crédere, quemádmodum adhuc ſapis. Quómodo enim non carnáliter adhuc in eum credébat, quem ſicut hóminem flebat? Nondum enim aſcéndi, inquit, ad Patrem meum. Ibi me tanges, quando me credíderis Patri non ímparem Deum.

℟. In ſimplicitáte cordis quærite Dóminum; * Quóniam invenítur ab his qui non tentant illum: † Appáret autem eis qui fidem habent in illum. ℣. Dum fleret María, inclinávit ſe, & proſpéxit in monuméntum, & vidit duos Angelos. Dicunt ei illi: Múlier, quid ploras? * Quóniam. Glória. † Appáret. *Sap.* 1. 1. 2. *Joan.* 20. 11. 12. 13.

Te Deum.

AD LAUDES.

Amori Mariæ ſe primùm videndi privilegium concedit Jeſus.

℣. *Sacerdot.* Sperent in te

℞. Quid mihi eſt in cœlo? & a te quid vólui ſuper terram? * Defécit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum ℣. Neque mors, neque vita póterit ſeparáre à charitáte Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu, * Defécit. *Pſ. 72. 25. 26. Rom. 8. 38. 39.*

Lectio vj. n. 2. & 3.

MEns namque hóminis, Conditóris ſui ſpéciem non quærentis, malè dura eſt; quia in ſemetipſa rémanet frígida. At ſi ardére ex deſidério cœperit ad ſequéndum eum quem díligit, liquefácta per ignem amóris currit. Fit deſiderio ánxia: viléſcunt in ſæculo cuncta quæ placébant: nihil eſt quod extra Conditórem líbeat; & quæ priùs delectábant ánimum, fiunt póſtmodum veheménter oneróſa. Nihil ejus mœſtítiam conſolátur, quoúſque adhuc qui deſiderátur, non aſpícitur. Mœret mens, lux ipſa faſtídio eſt. Iſta ítaque quæ ſic amat, ſe ad monuméntum, quod perſpéxerat, íterum inclínat.

℞. Fortis eſt ut mors diléctio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum: * Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam. ℣. Cháritas ómnia ſuffert, ómnia ſperat, ómnia ſúſtinet. * Aquæ. Glória. * Aquæ. *Cant. 8. 6, 7. 1. Cor. 13. 7.*

IN III. NOCTURNO.

In inquirendo Dominum poſt mortem, quàm anxius Mariæ ſanctus amor!

Ant. t. 7. c. Quæſívi quem díligit ánima mea, & non inveni: num quem díligit ánima mea vidíſtis? *Cant. 3. 1. 3.*

Ant. t. 1. a. Adjúro vos, fíliæ Jeruſalem, ſi invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei quia amóre lángueo. *Cant. 5. 8.*

Ant. t. 3. a. Quò declinávit diléctus tuus? & quærémus eum tecum. *Cant. 5. 17.*

℣. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte,

℞. Dum dícitur mihi quotídie: Ubi eſt Deus tuus? *Pſ. 41. 4.*

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 20. v. 11.

IN illo témpore; María ſtabat ad monuméntum foris, plorans. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. in Joan. 121. n. 1.

SUblátum eſſe Dóminum de monuménto, diſcípulis ejus nuntiáverat María Magdaléne: quò illi veniéntes, invenérunt ſola linteámina quibus corpus fúerat involútum. Abiérunt ergo ad ſemetípſos diſcípuli, id eſt, ubi habitábant, & unde ad monuméntum concúrrerant. María autem ſtabat ad monuméntum foris, plorans: viris enim recedéntibus, in-

firmiórem ſexum in eódem loco fórtior figébat affèctus; & óculi qui Dóminum quæſíerant, & non invénerant, lácrymis jam vacabant, ámpliùs doléntes quòd fúerat de monuménto ablátus, quàm quòd fúerat in ligno occíſus; quóniam magíſtri tanti, cujus eis vita ſubtrácta fúerat, nec memória remanébat. Tenébat ítaque ad monuméntum jam dolor ille mulíerem.

℟. Unâ Sábbati, María Magdaléne * Venit manè, cùm adhuc ténebræ éſſent, ad monuméntum; & vidit lápidem ſublátum à monuménto. ℣. Præ ſollicitúdine quiéſcere non pótuit. * Venit. *Joan.* 20. 1. *Jerem.* 49. 23.

Lectio viij. n. 3.

DIcit ei Jeſus: Noli me tángere. Aut ſic dictum eſt, Noli me tángere, nondum enim aſcéndi ad Patrem meum, ut in illa fœmina figurarétur Ecclésia de Géntibus, quæ in Chriſtum non crédidit, niſi cùm aſcendíſſet ad Patrem: aut ſic in ſe credi vóluit Jeſus, hoc eſt, ſic ſe ſpirituáliter tangi, quòd ipſe & Pater unum ſunt. Ejus quippe íntimis ſenſibus quodámmodo aſcéndit ad Patrem, qui ſic in eo profécerit, ut Patri agnóſcat æquálem. Aliter non rectè tángitur; id eſt, aliter non rectè in eum créditur.

℟. Cucúrrit María Magdaléne, & venit ad Simónem Petrum, & ad álium diſcípulum quem amábat Jeſus; & dicit illis: * Tulérunt Dóminum, & neſcímus ubi poſuérunt eum. ℣. Idcírco ego plorans, & óculus meus dedúcens aquas. * Tulérunt. *Joan.* 20. 2. *Thr.* 1. 16.

Lectio ix.

POterat autem ſic crédere María, ut eum putáret ímparem Patri: quod útique prohibétur, cùm ei dícitur, Noli me tángere; id eſt, Noli in me ſic crédere, quemádmodum adhuc ſapis. Quómodo enim non carnáliter adhuc in eum credébat, quem ſicut hóminem flebat? Nondum enim aſcéndi, inquit, ad Patrem meum. Ibi me tanges, quando me credíderis Patri non ímparem Deum.

℟. In ſimplicitáte cordis quærite Dóminum; * Quóniam invenítur ab his qui non tentant illum: † Appáret autem eis qui fidem habent in illum. ℣. Dum fleret María, inclinávit ſe, & proſpéxit in monuméntum, & vidit duos Angelos. Dicunt ei illi: Múlier, quid ploras? * Quóniam. Glória. † Appáret. *Sap.* 1. 1. 2. *Joan.* 20. 11. 12. 13.

Te Deum.

AD LAUDES.

Amori Mariæ ſe primùm videndi privilegium concedit Jeſus.

℣. *Sacerdos.* Sperent in te

qui novérunt nomen tuum; ℟. Quoniam non dereliquiſti quæréntes te, Dómine. *Pſ.* 9. 11.

Ant. t. 5. *a.* Converſa retrórſum María vidit Jeſum ſtantem; & non ſciébat quia Jeſus eſt. Dicit ei Jeſus: Múlier, quid ploras? quem quæris? *Joan.* 20. 14. 15.

Ant. t. 6. *f.* María exiſtimans quia hortulánus eſſet, dicit ei: Dómine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dícito mihi ubi poſuiſti eum; & ego eum tollam. *Joan.* 20. 15.

Ant. t. 3. *a.* Dicit ei Jeſus: María. Convérſa illa, dicit ei: Rabbóni, quod dícitur, Magiſter. *Joan.* 20. 16.

Ant. t. 7. *c.* Dicit Maríæ Jeſus: Noli me tángere; nondum enim aſcéndi ad Patrem meum. *Joan.* 20. 17.

Ant. t. 8. *c.* Vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcéndo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deum meum, & Deum veſtrum. *Joan.* 20. 17.

Capitulum. Prov. 8. 17.

Ego diligéntes me diligo; & qui manè vígilant ad me, invénient me.

℣. Anima mea exultábit in Dómino, ℟. Et delectábitur ſuper ſalutári ſuo. *Pſ.* 34. 9.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *a.* Invéni quem diligit ánima mea: ego dilécto meo, & ad me convérſio ejus. *Cant.* 3. 4. & 7. 10.

Oratio.

Deus, cujus Unigénitus poſt reſurrectiónem ſuam primò Maríæ Magdalénæ appáruit: præſta, quæſumus, ut ejus interceſſióne, eúmdem in déxtera tua ſedéntem vidére mereámur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, Qui tecum, &c.

Ad Horas br. Antiphonæ de Laudibus.

AD TERTIAM.

Capitulum. Sap. 6. 17.

Sapiéntia dignos ſeípſâ circuit quærens, & in viis oſténdit ſe hiláriter & in omni providéntia occúrrit illis.

℟. Exquisívi Dóminum, * Exaudívit me; & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me. ℣. Deus totíus conſolatiónis, qui conſolátur nos in omni tribulatióne noſtra, * Exaudívit. Glória. * Exaudívit. *Pſ.* 33. 5. 2. *Cor.* 1. 3. 4.

℣. Benedíctus Deus, qui non amóvit oratiónem meam, ℟. Et miſericórdiam ſuam à me. *Pſ.* 65. 20.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 6. 13. 14.

Sapiéntia fácilè vidétur ab his qui díligunt eam, & invenítur ab his qui quærunt illam. Præóccupat qui ſe concupíſcunt, ut illis ſe prior oſténdat.

℟. *br.* Convertíſti planctum meum * In gáudium mihi. Convertíſti. ℣. Et circumdedíſti me lætítiâ * In gáudium.

Glória. Convertíſti. *Pſ.* 29. 12.

℣. Secúndùm multitúdinem dolórum meórum, ℟. Conſolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam. *Pſ.* 93. 19.

AD NONAM.

Capitulum. Tob. 12. 7.

Sacraméntum regis abſcóndere bonum eſt: ópera autem Dei reveláre & confitéri honoríficum eſt.

℟. *br.* Confitébor tibi, Dómine, * In toto corde meo. Confitébor. ℣. Narrábo ómnia mirabília tua. * In toto. Glória. Confitébor. *Pſ.* 9. 2.

℣. Narrábo nomen tuum frátribus meis: ℟. In médio Eccléſiæ laudábo te. *Pſ.* 21. 23.

AD II. VESPERAS.

Mariæ tenentis pedes Jeſu quàm felix amor!

Ant. t. 1. *a.* Surgens Jeſus, appáruit primò Maríæ Magdalénæ, de qua ejécerat ſeptem dæmónia. *Marc.* 16. 9.

Ant. t. 2. *D.* María Magdaléne & altera María exiérunt cum gáudio magno, curréntes nuntiáre diſcípulis. *Matth.* 28. 1. 8.

Ant. t. 8. *c.* Jeſus occúrrit illis, dicens: Avéte. Illæ autem acceſſérunt, & tenuérunt pedes ejus, & adoravérunt eum. *Matth.* 28. 9.

Ant. t. 5. *a.* Audiérunt Apóſtoli, quia víveret Dominus, & viſus eſſet à María. *Marc.* 16. 11.

Ant. t. 6. *f.* Venit María Magdaléne, annúntians diſcípulis; Quia vidi Dóminum. *Joan.* 20. 18.

Capitulum. Eccli. 1. 14. 15.

Diléctio Dei honorábilis ſapiéntia: quibus autem apparúerit in viſu, díligunt eam in viſióne, & in agnitióne magnálium ſuórum.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

María ſacro ſáucia vúlnere,
Non jam doléndum quid Dóminum doles?
Semper renáſcens hic amóris
Unde tibi violéntus ardor?
Quem quæris ipſo fúneris in ſinu,
Victo triúmphat fúnere clárior.
Vivit: retécto jam ſepúlchro
Ecce jacent revolúta ſaxa.
Myrrham quid affers, vanaque bálſama?
Hæc luce functis débita múnera:
Mox ille donándos olympo
Non eget his redivívus artus.
Ingens amántem te dolor índicat;
Amans vicíſſim ſe Deus óbtulit:
Agnóſce vocem tu Magíſtri
Nómine te próprio vocántis.
Tu prima teſtis, prímaque núntia,

Velox in urbem prótinus ádvola,
Chriſtique nutántes miniſtros
Plena Deo propióre firma.
Laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio:
Sit ſumma puro laus quoque Flámini,
Afflánte quo ſemper caléſcunt
Æthéreis pia corda flammis. Amen.

℣. Signátum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Dómine, ℟. Dediſti lætítiam in corde meo. *Pſ. 4. 7.*

Ad Magnif. Ant. t. 1. a. Oculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis aſcéndit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum. *1. Cor. 2. 9.*

Commem. de ſequenti.

DIE XXIII.

S. APOLLINARIS, RAVENNENSIS EPISCOPI & Mártyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris.

Oratio. Fac nos, Dñe, *pag.* xj.

Lectio iij.

Sermo ſancti Petri Chryſólogi.

In S. Apollin. Serm. 128.

BEatus Apollináris primo ſacerdótio ſolus hanc Eccléſiam Ravennátem vernáculo atque inclyto Martyrii honóre decorávit. Nec eum quiſquam Confeſſóris vocabulo, minórem credat eſſe quàm Mártyrem, quem Dei nutu quotidiánum & multíplicem revérſum cónſpicit ad agónem. Audi Paulum dicéntem, Quotídie mórior. Semel mori parum eſt eum qui poteſt regi ſuo glorióſam ſæpè de hóſtibus reférre victóriam. Injécit tela quæ pótuit, & ómnia armórum ſuórum génera cállidus exégit inimícus; nec tamen fortiſſimi ductóris movére mentem pótuit, aut temeráre conſtántiam.. Feſtinábat Chriſtus ad Mártyrem; Martyr ſuum feſtinábat ad Regem... Fundébat ſæpè Conféſſor ſánguinem ſuum; ſuíſque vulnéribus fidè mentis ſuæ teſtabátur auctórem. Cœlum ſuſpíciens, carnem deſpiciébat & terram. Vicit tamen, ténuit, & à ſuo deſidério retardári Mártyrem ténera adhuc Eccléſiæ impetrávit infántia .. Ecce vicit, ecce ut bonus paſtor ſuo médius aſsíſtit in grege; nec umquã ſeparátur ſpíritu, qui córpore præcéſſit ad tempus... Perſecútor occúbuit. Ecce regnat & vivit, qui pro Rege ſuo deſiderávit occídi.

DIE XXIV.

VIGILIA S. JACOBI, APOSTOLI.

Officium de Feria: duæ primæ Lectiones ex Script. occurr. fit una ex ſecunda & tertia.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio iij. Cap. 1. v. 14.

IN illo témpore; Venit Jeſus in Galilæam, præ-

dicans Evangélium regni Dei, & dicens: Quóniam implétum eſt tempus, & appropinquávit regnum Dei: pœnitémini, & crédite Evangélio. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 5. in Evang. n. 2.

NEmo, cùm quoſdam cónſpicit multa reliquiſſe, apud ſemetípſum dicat: Imitári mundi hujus contemptóres volo, ſed quod relínquam, non hábeo. Multa, fratres, relinquitis, ſi deſidériis terrénis renuntiátis. Exterióra étenim noſtra Dómino quàmlibet parva ſufficiunt. Cor namque, & non ſubſtántiam penſat: nec perpéndit quantum in ejus ſacrificio, ſed ex quanto proferátur. Nam ſi exteriórem ſubſtántiã perpendámus, ecce ſancti negotiatóres noſtri perpétuam Angelórũ vitam, datis rétibus & navi, mercáti ſunt. Æſtimatiónem quippe prétii non habet, ſed tamen regnum Dei tantùm valet quantùm habes.

Oratio.

TUére nos, miſéricors Deus; & beáti Jacóbi Apóſtoli tui, cujus natalítia prævenímus, ſemper gubérna ſubsídiis; Per, &c.

DIE XXV

S. JACOBI (*Zebed.*) APOSTOLI.

Duplex 3. Claſſis.

Omnia de Comm. Apoſtolor. exceptis quæ ſequuntur.

Ad Magnificat, in 1. Veſperis Ant. t. 1. d. Vidit Jeſus Jacóbum & Joánnem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eórum, reficiéntes rétia ſua; & vocávit eos. Illi autem relíctis rétibus & patre, ſecúti ſunt eum, *Matth. 4. 21. 22.*

Oratio ut infrà.

Fit Commem. S. Chriſtophori Martyris.

Oratio. Præſta, quæſumus, *pag. xj.*

Deinde S. Gledeſindis Virginis.

Oratio. Deus, qui habitáculum, *pag. lj.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Evang. Actis Apoſt. & Script. Eccleſiaſt.

JAcóbus Zebedæi fílius, Joánnis Apóſtoli frater, natióne Galilæus, vocátus à Chriſto cum fratre, relícto patre cum mercenáriis, & rétibus, ſecútus eſt Dóminum; qui impóſuit utríque nomen, Boanérges, quod eſt, filii tonítrui. Is unus fuit ex tribus Apóſtolis quos Salvátor máximè diléxit; voluítque intereſſe miráculo, cùm Jairi Archiſinagógi fíliam à mórtuis excitávit. Eum étiam cum Petro & Joánne aſſúmpſit Chriſtus teſtem ſuæ Transfiguratiónis. Ambitioſæ illíus petitiónis occaſióne, quâ fratres ambo Dóminum rogábant, ut alter ad dexteram ejus, alter ad ſiniſtram in gloria ſedé-

rent,

ret, ſuam Chriſtus, eorumque paſſiónem prædixit his verbis: Cálicem quem ego bibo, bibétis, & baptíſmo quo ego baptízor, baptizabímini. *Lectio v.*

JAcóbum quoque cum Petro & Joánne aſſúmpſit Chriſtus, cùm éxiit in montem Olivéti, Patrem rogatúrus ántequam à Judæis apprehenderétur; & poſt reſurrectiónē appáruit eidem cum Petro, & áliquot áliis piſcántibus ad mare Tiberíadis. Poſt aſcenſiónem Dómini, ante diſperſiónem Apoſtolórum per univérſum orbem, Cláudio imperánte, Heródes ad regnum ſublátus, ut Judæis ſe gratum exhibéret, Jacóbum in civitáte Evangélium Chriſti prædicántem, in ipſo Azymórum die, cápitis damnávit. Hunc in virginitáte uſque ad mortem permanſiſſe refert Epiphánius. Corpus ejus Compoſtéllam translátum fuiſſe tradunt Ado, & Uſuardus. Cæterum memória ipsíus Natalis hodiérno die, qui translatiónis dies eſt, ab Eccléſia celebrátur; cùm ipſe circa Feſtum Paſchæ, primus Apoſtolórum Hieroſólymis profúſo ſanguine teſtimóniū Jéſu Chriſti déderit. *Lectio vj.*

Ex Libro séptimo Hypotypóſeon ſancti Clementis Presbyteri Alexandríni.

IS qui Jacóbum judício obtúlerat, cùm illum vidiſſet Chriſti fidem líberè confiténtem, commótus viri conſtántiâ, ſe quoque Chriſtiánum eſſe affirmávit. Ambo ígitur ſimul ad ſupplíciū ducti ſunt. Cumque inter eúndum rogáſſet Jacóbum comes, ut ſibi véniam daret, paulíſper moratus Jacóbus: Pax tibi, inquit; ſtatímque illum oſculátus eſt. Ita ſimul ambo cápite truncáti, interiére.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20. v. 20.

IN illo témpore; Accéſſit ad Jeſum mater filiórum Zebedæi cum fíliis ſuis, adórans & petens áliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut ſédeant hi duo fílii mei, unus ad déxteram tuam, & unus ad ſiniſtram, in regno tuo. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 66. in Cap. 20. Matth.

URgébant fílii Zebedæi, dicéntes: Dic ut unus à dextris tuis, alter à ſiniſtris ſédeat. Quid ígitur Chriſtus, ut ſignificáret nihil eos pétere ſpirituále, ſed nec ſcire quidem quid póſtulent? Non enim rem tantam pétere audérent, ſi ſcirent. Neſcítis, ait, quid petátis. Neſcítis quàm magnum, quàm mirábile ac ipſas ſuperióres excédens virtútes; & adjécit: Poteſtis bíbere

calicem quem ego bibitúrus ſum, & baptíſmo quo ego baptízor, baptizári? Perpéndis quómodo ſtatim ab hac cupiditáte ipſos remóvit, contrária eis diſſerens. Nam vos, inquit, de honóribus & corónis cogitátis; ego verò de luctámine atque ſudóre díſſero. Non præmiórum hoc tempus eſt, nec illa glória mea modò apparébit, ſed bella, perícula & necem præſens cóntinet vita.

Lectio viij.

PErſpice autem quáliter Chriſtus ipſo interrogatiónis modo iſtos Apóſtolos & hortátur & állicit. Non enim dixit: Poteſtíſne veſtrum effúndere ſánguinem? Sed, Potéſtis bíbere cálicem: deínde adjíciens dicit; Quem ego bibitúrus ſum; ut communicatióne labórum cum ipſo promptióres redderéntur. Baptíſmum deínde idípſum appellávit, ut magnam orbi futúram expiatiónem hinc ſignificáret. Illi autem deſidério quodam ánimi confeſtim promíttunt, dicéntes: Póſſumus. Nec idípſum intelligéntes quod ſe poſſe affirmábant, ſed ſperántes ſe habitúros poſtuláta. Ad quæ Chriſtus: Cálicem, inquit, meum bibétis, & baptíſmo quo ego baptízor, baptizabímini. Magna vobis certè bona prædico: Martyrii enim coronâ potiémini, & violéntâ morte, ſicut & ego, à vita diſcedétis, & in his mihi communicábitis.

Lectio ix.

TUnc indignáti ſunt decem de duóbus frátribus... Pérſpicis quómodo imperfectióres adhuc erant, & duo advérsùs decem primum erípere conſeſſum nitebántur, & decem duóbus invidéntes indignabántur. Verùm poſt advéntum Spíritûs ſancti eos consídera, & vidébis ómnibus his paſſiónibus ſuperióres. Audies ígitur quómodo ipſe ille Joánnes, qui modò hæc à Chriſto petebat, primis honóribus Petro cedat, tum concionánti, tum mirabília facíenti.... Jacóbus verò non lôngo témpore póſtea vixit. Nam ſtatim ab inítio rerum tanto ardóre concáluit, ut humánis omníno rebus negléctis, ad tantam ſublimitátem aſcénderet, ut à perſecutóribus conféſtim occíſus ſit.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *c.* Cálicem quem ego bibo, bibétis; & baptíſmo quo ego baptízor, baptizabímini. *Marc.* 10. 39.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui Apoſtolórum tuórum primítias beáti Jacóbi ſanguine conſecráſti: da Eccleſiæ tuæ, quæſumus, & amáre quod crédidit, & prædicáre quod dócuit; Per, &c.

Commem. S. Chriſtophori, & S. Glodeſindis in Laudib. Veſperæ de ſequenti.

DIE XXVI.

SS. JOACHIM ET ANNÆ, PARENTUM B. M. V.

Duplex 2. Claſ.

AD I. VESPERAS.

Abrahæ & Davidi factæ promiſſiones in Joachim & Anna mox implendæ.

Pſalmi de Feria; & ſic in toto Officio.

Ant. t. 8. c. NOtum fáciet Dóminus qui ad ſe pertíneant, & Sanctos applicábit ſibi; & quos elégerit, appropinquábunt ei. *Num.* 16. 5.

Ant. t. 3. *a.* Qui timétis Dóminum, crédite illi; & non evacuábitur merces veſtra. *Eccli.* 2. 8.

Ant. t. 4. *e.* Atténdite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram quæ péperit vos: quia unum vocávi eum, & benedíxi ei, & multiplicávi eum. *Iſ.* 51. 2.

Ant. t. 5. *a.* Fériam vobíſcum pactum ſempitérnum, miſericórdias David fidéles. *Iſ.* 55. 3.

Ant. t. 7. *a.* Germen eórum in médio populórum; quia iſti ſunt ſemen, cui benedíxit Dóminus. *Is.* 61. 9.

Capitulum. Iſ. 11. 1. 2.

EGredietur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcéndet: & requiéſcet ſuper eum Spíritus Dómini.

℟. Tu Dominátor virtútis, * Dómine, † Bonæ ſpei fecíſti filios tuos, quorum paréntibus juraménta & conventiónes dedíſti bonárum promiſſionum. ℣. Scriptum eſt; Quia dabo vobis ſancta David fidélia. * Dómine. Glória. † Bonæ. *Sap.* 12. 18. 19. 21. *Act.* 13. 33. 34.

HYMNUS.

REgále Davídis genus,
Et cónjugum par nóbile,
Mundo datúri Vírginem,
Matrem futúram Núminis.

Qui ſacra nectit víncula
Vos jungit ínnocens amor;
Pióſque ſenſus ápprobans
Divínus aſpírat favor.

Virtúte ſolâ dívites,
Non vos opum fallax decus,
Sed corde fervens cháritas,
Et caſta comméndat fides.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Jurávi in ſancto meo, ſi David méntiar:
℟. Semen ejus in ætérnum manébit. *Pſ.* 88. 36. 37.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *a.* Beátos vos dicent omnes gentes; éritis enim vos terra deſiderábilis. *Malach.* 3. 12.

Oratio ut infrà in Laudibus.

Pro Comm. S. Jacobi. Miſit Heródes rex manus, ut affĺigeret quoſdam de Eccléſia: occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. *Act.* 12. 1. 2.

℣. Qui séminant in lácrymis, ℟. In exultatióne metent. *Pſ.* 125. 5.

Oratio ut ſuprà in Laudib. Feſti.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Chriſtum factum ex sémine David ſecúndùm carnem, * Veníte, adorémus. *Rom.* 1. 3.

IN I. NOCTURNO.

Joachim & Annæ grandatio, quòd ad promiſſiones ſuas implendas ipſos elegerit Dominus.

Ant. t. 8. *c.* Dóminus teſtificátus eſt inter te & uxórem: & hæc párticeps tua, & uxor fœderis tui. *Malach.* 2. 14.

Ant. t. 2. *d.* Fáciat Dóminus hanc mulíerem ſicut Rachel, & Liam, quæ ædificavérunt domum Iſraël. *Ruth.* 4. 11.

Ant. t. 3. *a.* Fiat domus tua, ſicut domus Phares, de sémine quod déderit tibi Dóminus ex hac puélla. *Ruth.* 4. 12.

℣. Benedícti vos à Dómino, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Pſ.* 113. 15.

Lectiones de Scriptura occurr.

℟. 1. Quærite Dóminum, & confirmámini: quærite fáciem ejus ſemper, * Mementóte mirabílium ejus; ſemen Abraham, ſervi ejus. ℣. Fílii Dei eſtis per fidem, ſecúndùm promiſſiónem hærédes. * Mementóte. *Pſ.* 104. 4. 5. 6. *Gal.* 3. 26. 29.

℟. 2. Deus meminerit teſtaménti ſui, quod locútus eſt ad Abraham, & Iſaac, & Jacob ſervórum ſuórum fidélium, * Et exáudiat oratiónes veſtras. ℣. Vos Dóminus multíplicet, & abundáre fáciat charitátem veſtram in ínvicem. * Et exáudiat. 2. *Machab.* 1. 2. 5. 1. *Theſ.* 3. 12.

℟. 3. Státuit Dóminus teſtaméntum David regi filio Jeſſæ de tribu Juda: hæréditas ipſi & sémini ejus: * Ne aboleréntur bona ipsórum, glóriam ipsórum in gentem eórum ætérnam fecit. ℣. Fílii ſunt promiſſiónis, æſtimántur in sémine. * Ne. Gloria. * Ne. *Eccli.* 45. 30. 31. *Rom.* 9. 8.

IN II. NOCTURNO.

Joachim & Annæ ſancta vitæ converſatio.

Ant. t. 4. *a.* Grátia Dei, & miſericórdia eſt in ſanctos ejus, & reſpéctus in eléctos illíus. *Sap.* 4. 15.

Ant. t. 7. *A.* Exaudítæ ſunt preces ambórum in conſpéctu glóriæ ſummi Dei. *Tob.* 3. 24.

Ant. t. 5. *a.* Dóminus amávit eos; elegítque ſemen eórum poſt eos. *Deuter.* 10. 15.

℣. Oculi Dómini ſuper

Juſtos; ℟. Et aures ejus in preces eórum. *Pſ.* 33. 16.

Sermo ſancti Joánnis Damaſcéni.

Lectio iv. Orat. 1. de Nat. Virg. Mariæ.

QUóniam futúrum erat ut Dei génitrix Virgo ex Anna naſcerétur, natúra grátiæ germen antevértere non auſa eſt; ſed manſit fructûs expers, donec grátia fructum éderet. Naſci síquidem primogénitam oportébat, ex qua naſcitúrus eſſet omnis creatúræ Primogénitus, in quo ómnia conſtant. O par beátum Jóachim & Anna! vobis omnis creatúra obſtrícta eſt. Per vos enim donum ómnium donórum præſtantíſſimũ Creatóri óbtulit, nempe caſtam matrem, quæ ſola Creatóre digna erat.

℟. Deprecántes Dóminum, permanébant in conſpéctu Dómini; * Et ex toto corde ſuo orábant Deum, ut viſitáret pópulum ſuum Iſrael. ℣. Expectábant redemptiónem Iſrael. * Et ex toto corde. *Judith.* 4. 15. 17. *Luc.* 2. 38.

Lectio v. poſt pauca.

EXúlta, Jóachim, quóniam ex fília tua puer natus eſt nobis, & Fílius datus eſt nobis, & vocábitur nomen ejus magni consílii, hoc eſt, ſalútis univérſi mundi, Angelus, Deus, Fortis. Neſtórius erubéſcat, & ori manum impónat. Puer iſte Deus eſt: qui ergo puérperam Dei genitrícem negas? Si quis ſanctam Vírginem Dei genitrícem non confitétur, aliénus eſt à Deitáte. Non meum hoc dictum eſt, etſi meus eſt ſermo: hanc enim diviníſſimam hæreditátem à Theólogo Patre Gregório accépi. O beátum par Jóachim & Anna, immaculatíſſimum prorſus! Ex fructu ventris veſtri cognoſcímini, velut alicúbi Dóminus ait: Ex frúctibus eórum cognoſcétis eos. Uti Deo gratum erat, atque eâ dignum quæ ex vobis orta eſt, vitæ veſtræ ratiónes inſtituíſtis. Caſtâ enim & ſanctâ converſatióne veſtrâ virginitátis moníle protulíſtis.

℟. Tulit uxórem; & dedit illi Dóminus ut concíperet, & páreret; dixerúntque mulíeres: Benedíctus Dóminus, qui * Non eſt paſſus ut defíceret famíliæ tuæ nomen in Iſrael. ℣. Deus Iſrael ad faciéndam miſericórdiam cum pátribus noſtris, & memorári teſtaménti ſui ſancti, * Non eſt. *Ruth.* 4. 13. 14. *Luc.* 1. 72.

Lectio vj. poſt pauca.

O Caſtíſſimum rationálium túrturum par, Jóachim & Anna! Vos caſtitátem, quam natúræ lex præſcríbit conſervántes, ea quæ natúram súperant, divínitùs eſtis conſecúti: mundo quippe Dei matrem viri néſciam peperíſtis. Vos piè & ſanctè

in humana natúra vitam agentes, filiam Angelis ſuperiórem, nuncque Angelórum Dóminam edidíſtis. O ſpecióſa dulciſſimaque puélla! O lilium inter ſpinas, ex generoſíſſimâ & máximè nobilíſſimâ, ac máximè régiâ radíce Davídicâ progénitum! O roſa quæ ex ſpinis, Judæis ſcílicet, orta es, divinóque odóre cuncta perfudíſti! O fília Adámi & Dei mater! Beátæ ulnæ, quæ te geſtavérunt: lábia item, quibus caſtis óſculis tuis frui concéſſum eſt!

℟. Cùm eſſent juſti, * Erudiérunt fíliam ſuam ſecúndùm legem Móyſi. ℣. Coæquálem nobíſcum ſortíri fidem, in juſtítia Dei noſtri, * Erudiérunt. Glória. * Erudiérunt. *Dan.* 13. 3. 2. *Pet.* 1. 1.

IN III. NOCTURNO.

Ad illorum juſtitiam & orationem reſpicit Deus, ſuas adimpleas promiſſiones.

Ant. t. 3. *a.* In sémita judiciórum tuórum, Dómine, ſuſtinuimus te: nomen tuũ, & memoriále tuum in deſidério ánimæ. *Iſ.* 26. 8.

Ant. t. 4. *e.* Nunc, Dómine Deus Iſrael, firméntur verba tua, quæ locútus es ſervo tuo David. 3. *Reg.* 8. 26.

Ant. t. 6. *f.* Dabis veritátem Jacob, miſericórdiam Abraham, quæ juráſti pátribus noſtris à diébus antíquis. *Mich.* 7. 20.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos; ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 3. *v.* 23.

IN illo témpore, Jeſus erat incípiens quaſi annórum trigínta, ut putabátur, fílius Joſeph, qui fuit Heli. Et réliqua.

Homília ſancti Irenæi Epíſcopi & Mártyris.

Lib. 3. *adverſ. hær. Cap.* 22. *n.* 3.

LUcas genealógiam, quæ eſt à generatióne Dómini noſtri uſque ad Adam, ſeptuagínta duas generatiónes habére oſténdit: finem conjúngens inítio, & ſigníficans, quóniam ipſe eſt qui omnes gentes exínde ab Adam diſpérſas, & univérſas linguas, & generatiónes hóminum cum ipſo Adam in ſemetípſo recapitulátus eſt. Unde & à Paulo typus futúri dictus eſt ipſe Adam.

℟. Laudémus paréntes noſtros in generatióne ſua, hómines dívites in virtúte: * Semen eórum & glória eórum non derelinquétur. ℣. Ex eis eſt Chriſtus ſecúndùm carnem. * Semen. *Eccli.* 44. 1. 6. 13. *Rom.* 9. 5.

Lectio viij. n. 4.

PRophéta dicit: Pro pátribus nati ſunt tibi fílii. Primogénitus enim mortuórum natus Dóminus, & in ſinum ſuum recípiens príſ-

tinos patres, regenerávit eos in vitam Dei, ipſe inítium vivéntium factus; quóniam Adam inítium moriéntium factus eſt. Propter hoc & Lucas inítium generatiónis à Dómino inchoans, in Adam rétulit, ſignificans, quóniam, non illi hunc, ſed hic illos in Evangélium vitæ regenerávit. Sic autem & Evæ inobediéntiæ nodus ſolutiónem accépit per obediéntiam Maríæ. Quod enim alligávit virgo Eva per incredulitátem, hoc virgo María ſolvit per fidem.

℟. Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum: * Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, & veritátis ſuæ dómui Iſrael. ℣. Eréxit cornu ſalútis nobis in domo David púeri ſui, ſicut locútus eſt per os Sanctórum. * Recordátus. *Pſ.* 97. 2. 3. *Luc.* 1. 69. 70.

Lectio ix. Cap. 23. *n.* 1.

NEcéſſe ergo fuit, Dóminum ad pérditam ovem veniéntem, & tantæ diſpoſitiónis recapitulatiónem faciéntem, & ſuum plaſma requiréntem, illum ipſum hóminem ſalváre, qui factus fúerat ſecúndùm imáginem & ſimilitúdinem ejus, id eſt, Adam adimpléntem témpora ejus condemnatiónis, quæ facta fúerat propter inobediéntiam (quæ Pater póſuit in ſua poteſtáte:) quóniam & omnis diſpoſítio ſalútis quæ circa hóminem fuit, ſecúndùm plácitum fiébat Patris; uti non vincerétur Deus, neque infirmarétur ars ejus. Si enim qui factus fúerat à Deo homo, ut víveret, hic amíttens vitam, læſus à ſerpénte qui depraváverat eum, jam non reverterétur ad vitam, ſed in totum projéctus eſſet morti; victus eſſet Deus, & ſuperáſſet ſerpéntis nequítia voluntátem Dei.

℟. Filii Sanctórum ſumus, * Et † Vitam illam expectámus quam Deus datúrus eſt his, qui fidem ſuam numquam mutant ab eo. ℣. Confídimus quia bonam conſciéntiam habémus in ómnibus bene voléntes converſári. * Et vitam illam. Glória. †. Vitam. *Tob.* 2. 18. *Hebr.* 13. 18.

Te Deum.

AD LAUDES.

Benedicti à Domino Joachim & Anna, benedicuntur ab Eccleſia.

℣. *Sacerdot.* Beneplácitum eſt Dómino ſuper timéntes eum, ℟. Et in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus. *Pſ.* 146. 11.

Ant. 1. *d.* BEnedíctus vir qui confídit in Dómino: erit fólium ejus viride, nec aliquándo déſinet fácere fructum. *Jerem.* 17. 7. 8.

Ant. 2. *d.* Benedícta inter mulíeres uxor ejus, & benedicátur in tabernáculo ſuo. *Judic.* 5. 24.

Ant. t. 3. *A.* Illi in generatiónibus gentis ſuæ glóriam adépti ſunt, & habéntur in láudibus. *Eccli.* 44. 7.

Ant. t. 4. *E.* Hæréditas ſancta nepótes eórum, & in teſtaméntis ſtetit ſemen eórum. *Eccl.* 44. 12.

Ant. t. 8. *g.* Cum sémine eórum pérmanent bona; & nomen eórum vivit in generationem & generatiónem. *Eccli.* 44. 11. 14.

Capitulum. Act. 3. 25.

Vos eſtis filii Prophetárum, & teſtaménti quod diſpóſuit Deus ad patres noſtros, dicens ad Abraham: Et in sémine tuo benedicéntur omnes famíliæ terræ.

℣. Memor fuit verbi ſancti ſui, ℟. Quod hábuit ad Abraham púerum ſuum. *Pſ.* 104. 42.

Ad Bened. *Ant. t.* 6. *f.* Juſjurandum jurávit Deus ad Abraham patrem noſtrum, datúrum ſe nobis, ut ſerviámus illi in ſanctitáte & juſtítia ómnibus diébus noſtris. *Luc.* 1. 73. 74. 75.

Oratio.

Deus, qui præ ómnibus Sanctis tuis beátos Joáchim & Annam ſanctiſſimæ Genitrícis Filii tui Paréntes eſſe voluíſti: concéde, ut quorum ſolémnia cum gáudio celebrámus, eórum apud te ſuffrágiis adjuvémur; Per, &c.

Ad Horas br. Antiphonæ de Laudibus.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eccli. 26. 16. 17.

Grátia mulíeris sédulæ delectábit virum ſuum, & oſſa illíus impinguábit. Diſciplína illíus, datum Dei eſt.

℟. Mulíeris bonæ beátus vir: * Sicut ſol óriens mundo in altíſſimis Dei, ſic mulíeris bonæ ſpécies in ornaméntum domûs ejus. ℣. Múlier glória viri eſt. * Sicut ſol. Glória. * Sicut. *Eccli.* 26. 1. 21. 1. *Cor.* 11. 7.

℣. Ecce ſic benedicétur homo, ℟. Qui timet Dóminum. *Pſ.* 127. 4.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 10. 23.

Semen hóminum honorábitur hoc, quod timet Deum: ſemen autem hoc exhonorábitur, quod prætérit mandáta Dómini.

℟. *br.* Beáta gens * Cujus eſt Dóminus, Deus ejus. Beáta. ℣. Pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi. * Cujus. Glória. Beáta. *Pſ.* 32. 12.

℣. Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum; ℟. Et teſtaméntum ipsíus ut manifeſtetur illis. *Pſ.* 24. 14.

AD NONAM.

Capitulum. Galat. 3. 8.

Próvidens Scriptúra, quia ex fide juſtíficat gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ, Quia benedicéntur in te omnes Gentes.

℟. br. Hæc eſt generátio * Quæréntium Dóminum. Hæc eſt. ℣. Quæréntium fáciem Dei Jacob. * Quæréntium. Glória. Hæc eſt. *Pſ.* 23. 6.

℣. In nómine tuo exultábunt totâ die; ℟. Quóniam glória virtútis eórum tu es. *Pſ.* 88. 17. 18.

AD II. VESPERAS.

Ii ſunt ex fide veri filii Abrahæ, Quorum eſt adoptio, &c.

Ant. t. HI cuſtodiérunt *ſ. a.* elóquium tuum, & pactum tuum ſervavérunt, judícia tua, ô Jacob, & legem tuam, ô Iſrael. *Deuter.* 33. 9. 10.

Ant. t. 3. *A.* Sunt Iſraelítæ quorum adóptio eſt filiórum, & glória, & teſtaméntum, & promiſſa. *Rom.* 9 4.

Ant. t. 1. *irr.* Ex fide ſunt filii Abrahæ; benedicéntur cum fidéli Abraham. *Galat.* 3. 7. 9.

Ant. t. 7 *a.* Erant juſti ambo ante Deum, incedéntes in ómnibus mandátis & juſtificatiónibus Dómini ſine queréla. *Luc.* 1. 6.

Ant. t. 8. *c.* Qui de illis nati ſunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum. *Eccli.* 44. 8.

Capitulum. Rom. 9. 6. 7. 8.

NOn omnes qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelítæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii... id eſt, non qui filii carnis, hi filii Dei.

HYMNUS.

PRomíſſa mundo gáudia
Jam ſperat humánum genus;
Adſunt beáti Cónjuges;
Orbíque Chriſtum præparant.

Hunc Anna votis ádvocans,
Summi paréntem Núminis
Thori fidélis præmium,
Favénte cœlo cóncipit.

Fœcúnda radix púllulans
Florem tenéllum próferet,
Qui lætus optáto dabit
Fructum ſalútis gérmine.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Memor fuit in ſæculum teſtaménti ſui; ℟. Verbi quod mandávit in mille generatiónes. *Pſ.* 104. 8.

Ad Magnif. Ant. t. 1. *D.* Suſcépit Dóminus Iſraël púerum ſuum, recordátus miſericórdiæ ſuæ, ſicut locútus eſt ad Abraham, & sémini ejus in ſæcula. *Luc.* 1. 54. 55.

Fit Commemoratio de ſequenti.

Oratio. Præſta, quæſumus, *pag.* xj. *deinde Commem. S. Pantaleonis, Martyris. Oratio.* Deus, qui, *pag.* xj.

DIE XXVII.

S. MARINI, MILITIS CÆSAREÆ IN PALESTINA Martyris.

Simplex.

Lectio iij. Ex Euſeb. Hiſt. Eccl. edit. Valeſ. Lib. 7.

Cap. 15. ex Joan. Dam. Orat. 3. de imaginibus.

Marínus militári dignitáte decorátus, nec minus ſplendore géneris & ópibus clarus, cum ad vacántem Centuriónis honórem órdine gradûs ſui vocarétur, à quodam ad tribúnal delátus eſt Chriſtianus, cui per leges Romanam dignitátem conferre non licéret. Eà re commotus Judex, Achæus nomine, Marino conſtantíſſime Chriſtianum ſe profiténti trium horarum ſpátium ad deliberandum conceſſit: quem ex Prætorio egréſſum, ad Eccléſiam perducit Theotécnus civitatis Epíſcopus, & coram altári ex una parte gládium illi, quo præcínctus erat, oſtendens, ex altera Evangeliórum códicem, jubet ut ex duobus quem mallet, éligat. Cùm autem Marínus nihil cunctátus, proténsâ manu códicem apprehendíſſet; his eum verbis Theotécnus compellávit: Adhære ígitur, adhære Deo, ejuſque virtúte roborátus, conséquere quod elegíſti. Poſt hæc egrediéntem illum ab Eccléſia præco ad tribúnal évocat; qui admótus tribúnali, majórem adhuc quàm ántea fídei alacritátem profeſſus, capite truncátur. Reliquiárum ipsíus partem, ſimul & ſancti Pantaleónis Mártyris, cujus hódie recólitur memória, Conſtantinópoli ſuo témpore aſſervátam fuíſſe ſcribit ſanctus Joánnes Damaſcénus.

Veſperæ de ſequenti.

Die xxviii.

SS. LAZARI, MARTHÆ, et Mariæ, Christi Hoſpitum.

Semiduplex.

AD I. VESPERAS.

Quàm pretioſa & deſiderabilis ſapientiæ æternæ amicitia.

Pſalmi de Feria; & ſic in toto Officio.

Ant. t. 1. a. In amicítia ſapiéntiæ delectátio bona, & præcláritas in communicatióne ſermónum ipsíus. *Sap.* 8. 18.

Ant. t. 2. D. Non habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convíctus illíus. *Sap.* 8. 16.

Ant. t. 3. a. Cùm per natiónes in ánimas ſanctas ſe tranſfert, amícos Dei conſtítuit. *Sap.* 7. 27.

Ant. t. 7. a. Generoſitátem illíus gloríficat, contubérnium habens Dei. *Sap.* 8. 3.

Ant t. 8. c. Per ſapiéntiam ſanáti ſunt quicúmque placuérunt tibi, Dómine, à princípio. *Sap.* 9. 19.

Capitulum. Eccli. 4. 14. 15.

Qui tenúerint ſapiéntiam, vitam hæreditábunt: & quò introíbit, benedícet Deus. Qui sérviunt ei, obſequéntes erunt Sancto: & eos, qui díligunt illam, díligit Deus.

HYMNUS.

FLagrans amóre pérditos
Dum nos Redémptor quæreret,
Deféſſus ad Martham Deus
Seſe recépit hóſpitam.

Beáta quæ tantum ſuis
Amíca tectis Hóſpitem
Fovére gaudet, ac Deo
Inférre convívæ dapes!

Dum Martha paſcit, páſcitur
María Chriſto; dum ſedens,
Magnóque tuta Júdice
Partem potítur óptimam.

Felix domus; quæ pérfrui
Tanto merétur Hóſpite!
Felix abúndè, cui ſua
Repéndit Hoſpes múnera!

O ſinguláris grátia!
Quarto ſepultus jam die,
Sorória, ad vitam, prece
Frater redire juſſus eſt.

Da, Chriſte, Sanctórum quies,
Sic nos ad unum téndere
Per multa, poſthac óptimâ
Ut parte poſſimus frui.
Amen.

℣. Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum; ℟. Ambulans in viâ immaculatâ mihi miniſtrábat. *Pſ.* 100. 6.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *g.* Hic eſt Deus noſter; in terris viſus eſt, & cum homínibus converſátus eſt. *Bar.* 3. 36. 38.

Oratio ut infrà in Laudibus.

Fit Commem. Ss. Nazarii & Celſi, Martyrum.

Oratio. Exaudi, *pag.* xvij.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Deum in terris converſátum, * Venite, adorémus. *Bar.* 3. 38.

IN I. NOCTURNO.

Felices illi ad quos hoſpes Chriſtus venit.

Ant. t. 1. *a.* Intrávit Jeſus in quoddam caſtellum, & múlier quædam, Martha nómine, excepit illum in domum ſuam. *Luc.* 10. 38.

Ant. t. 2. *D.* Diligébat Jeſus Martham, & ſorórem ejus Maríam, & Lázarum. *Joan.* 11. 5.

Ant. t. 3. *a.* Beáti ſunt qui te vidérunt, & in amicitiâ tuâ decoráti ſunt. *Eccli.* 48. 11.

℣. Juſti epuléntur, & exúltent ℟. In conſpéctu Dei. *Pſ.* 67. 4.

Lectiones ex Script. occurr.

℟. 1. Marthæ erat ſoror, nómine María, quæ * Sedens ſecus pedes Dómini, audiébat verbum illíus. ℣. Videns ſapiéntiam, non habébat ultra ſpíritum: dixítque: Beáti qui ſtant coram te ſemper, & áudiunt ſapiéntiã tuam. * Sedens. *Luc.* 10. 39. 3. *Reg.* 10. 4. 5. 6. 8.

℟. 2. Martha ſatagébat circa frequens miniſtérium, * Quæ ſtetit, & ait: Dómine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea relíquit me ſolam miniſtráre? Dic ergo illi, ut me adjuvet. ℣. Erat ibi múlier magna quæ ténuit eum, ut comédere panem: cùmque

frequénter inde transíret, divertébat ad eam: * Quæ ſtetit. *Luc.* 10. 40. 4. *Reg.* 4. 8.

℟. 3. Dixit illi Dóminus: Martha, Martha, ſollícita es, & turbáris erga plúrima. Porrò * Unum eſt neceſſárium: † María óptimam partem elégit quæ non auferétur ab ea. ℣. Qui audit me, invéniet vitam, & háuriet ſalútem à Dómino. * Unum eſt. Glória. † María. *Luc.* 10. 41. 42. *Prov.* 8. 34. 35.

IN II. NOCTURNO.

Venienti Chriſto ad Lazarum amicum, quàm promptè accurrit Martha, quàm fidenter loquitur!

Ant. t. 8. *c.* Erat languens Lázarus à Bethánia, de caſtéllo Maríæ, & Marthæ ſorôris ejus. *Joan.* 11. 1.

Ant. t. 2. *d.* Misérunt ſorores eus ad Jeſum, dicéntes: Dómine, ecce quem amas infirmátur. *Joan.* 11. 3.

Ant. t. 3. *a.* Venit Jeſus, & invénit Lázarum quátuor dies jam in monuménto habéntem. *Joan.* 11. 17.

℣. Numquid mórtuis fácies mirabília? ℟. Numquid narrábit áliquis in ſepúlchro miſericórdiam tuam? *Pſ.* 87. 11. 12.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv. in Aſſumpt. 2. *n.* 6. & 7.

NOn ſola inveniátur in nobis exercitátio corporális, ad módicum valens: ſed inveniátur útilis ad ómnia píetas, & exercítium ſpirituále. Múlier, Martha nómine, excépit Jeſum in domum ſuam; & huic erat ſoror, nómine María. Sorores ſunt, & debent eſſe contubernáles. Occupátur hæc circa frequens miniſtérium; illa Domínicis eſt inténta ſermónibus. Ad Martham ſpectat ornátus, ſed implétio ad Maríam. Vacat enim Dómino, ut non ſit domus vacans. Sed mundatiónem cui póſſumus attribúere? Erit enim, ſi & hoc invenérimus, domus in qua Salvátor ſuſcípitur, & munda, & ornáta, & non vacans. Demus eam Lázaro, ſi & vobis ita vidétur. Et ei síquidem fraternitátis jure cum ſoróribus eſt domus iſta commúnis. Dico autem Lázarum, quem quatriduánum, jamjamque fœténtem à mórtuis éxcitat vox virtútis; ut videátur ſatis cóngruè formam gérere pœniténtis. Intret ergo domum Salvátor, & frequénter víſitet eam, quam pœnitens Lázarus mundat, ornat Martha, & María replet intérnæ dédita contemplatióni.

℟. Martha ut audívit quia Jeſus venit, occúrrit illi, & dixit ergo ad Jeſum: Dómine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mórtuus: ſed & nunc * Scio, quia quæcúmque popóſceris à Deo, dabit tibi Deus. ℣. Exáudi oratió-

nem meam, Dómine; áuribus pércipe lácrymas meas.* Scio. *Joan.* 11. 20. 21. 22. *Pſ.* 38. 13.

Lectio v. in Aſſumpt. 3. n. 1. 2. & 4.

MArtha in domum ſuam éxcipit Salvatórem in terris: María pótiùs cógitat quemádmodum ſuſcipiátur ab eo in domo non manufáctâ, ætérnâ in cœlis. María tacet, & pro ea lóquitur Chriſtus. Optimam, inquit, partem elégit ſibi María, quæ non auferétur ab ea in ætérnum. Hoc Unum illud, quod neceſsárium eſt; hæc Una, quam Prophéta tam sédulò requirébat: Unam, inquit, pétii à Dómino, hanc requíram... Sed conſiderémus, fratres, quemádmodum tria hæc diſtribúerit ordinátio charitátis, Marthæ adminiſtratiónem, Maríæ contemplatiónem, Lázari pœniténtiam. Habet hæc ſimul quæcúmque perfécta eſt ánima: magis tamen vidéntur ad ſíngulos ſíngula pertinére; ut álii vacent ſanctæ contemplatióni, álii déditi ſint fratérnæ adminiſtratióni, álii in amaritúdine ánimæ ſuæ recógitent annos ſuos, tamquam vulneráti dormiéntes in ſepúlchris. Sic planè, ſic opus eſt, ut María piè & ſublímiter séntiat de Deo ſuo, Martha benígnè & miſericórditer de próximo, Lázarus míſerè & humíliter de ſeípſo.

℟. Dicit Marthæ Jeſus: Reſúrget frater tuus: dicis ei Martha: * Scio quia reſúrget in reſurrectióne in noviſſimo die. ℣. In manu Dómini ánima omnis viventis, & ſpíritus univérſæ carnis. * Scio. *Joan.* 11. 23. 24. *Job.* 12. 10.

Lectio vj. n. 4. 5. & 7.

QUibus nulla crédita eſt diſpensátio, adminiſtratio nulla commíſſa, his omníno ſedéndum erit, aut ſecus pedes Jeſu cum María, aut certè cum Lázaro intra ſepta ſepúlchri. Quidni erga multa turbétur Martha, quæ ſollícita eſt pro multis? Tibi verò, cui neceſſitas hæc non incúmbit, è duóbus unum eſt neceſsárium; aut non turbári pénitus, ſed delectári magis in Dómino; aut ſi id necdum potes, turbári non erga plúrima, ſed (ut de ſe Prophéta lóquitur) ad teípſum... Sed & ipſam quoque Martham admónitam eſſe neceſſe eſt, id máximè quæri inter diſpenſatóres, ut fidélis quis inveniátur. Erit autem fidélis, ſi neque quæ ſua ſunt quærat, ſed quæ Jeſu Chriſti, ut ſit inténtio pura; nec ſuam fáciat, ſed Dómini voluntátem, ut ſit áctio ordinata... Vídeat María quemádmodum vacet, vídeat quóniam ſuávis eſt Dóminus; próvidens eum ſem-

per in conſpéctu ſuo, & verba ex ore ejus excípiens. Gaude, & grátias age, María, quæ partem óptimam elegíſti. Beáti enim óculi qui vident quæ tu vides, & aures quæ merentur audíre quod audis.

℟. Dixit Jeſus Marthæ: Ego ſum reſurréctio & vita. Credis hoc? Ait illi: Utique, Dómine, ego crédidi, * Quia † Tu es Chriſtus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum veníſti. ℣. Tu es, Dómine, qui vitæ & mortis habes poteſtátem, & dedúcis ad portas mortis, & redúcis. * Quia. Glória. † Tu es. *Joan.* 11. 25. 26. 27. *Sap.* 16. 13.

IN III. NOCTURNO.

Mariæ multùm diligentis, & Chriſti multùm miſerantis lacrymæ.

Ant. t. 2. *D.* Abiit Martha, & vocávit Maríam ſorórem ſuam ſiléntio, dicens: Magíſter adeſt, & vocat te. *Joan.* 11. 28.

Ant. t. 4. *a.* María ut audívit, ſurgit citò, & venit ad Jeſum. *Joan.* 11. 29.

Ant. t. 7. *a.* Judæi, qui erant cum ea in domo, & conſolabántur eam, cùm vidíſſent Maríam, quia citò ſurréxit, ſecúti ſunt eam. *Joan.* 11. 31.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dómini, ℟. Quæ póſuit prodígia ſuper terram. *Pſ.* 45. 9.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 1.

IN illo témpore; Erat quidam languens Lázarus à Bethánia, de caſtéllo Maríæ, & Marthæ ſorórum ejus. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 62. *in Joan. n.* 1.

MUlti cùm áliquos vident hómines Deo accéptos, in ærúmnam quámpiam, ut morbum, paupertátem, aut quid símile incidíſſe, perturbántur, néſcii Deo amícis id máximè competére. Nam Lázarus ex Chriſti amícis erat, & infirmabátur: id quod dicébant ii qui misérunt: Ecce quem amas infirmátur... Narrat autem Evangeliſta ſorores quoque ipſum amavíſſe; & tamen Lázarum mori permíſit... Amábat autem Jeſus Martham, & ſorórem ejus, & Lázarum; ne umquam indignémur, vel ægrè ferámus, ſi viri virtúte prædíti & Dei amíci in morbum incidant... Neque dixerunt, Ecce Lázarus infirmátur; ſed, Ecce quem amas infirmátur. Quid ergo Chriſtus? Hæc infírmitas non eſt ad mortem, ſed pro glória Dei... Quâ in re mirándum eſt, quòd ſorores, cùm audíſſent non eſſe ad mortem, & poſtea mori vidíſſent, offénſæ non fúerint, rem contrà ceſsíſſe cernéntes: verùm

acceſserunt, nec putárunt mentitum illum eſſe.

℟. María, cùm veníſſet ubi erat Jeſus, videns eum, cécidit ad pedes ejus: Jeſus ergo, * Ut vidit eam plorántem, turbávit ſeipſum. ℣. Quàm bonus Iſrael Deus, his qui recto ſunt corde! * Ut vidit eam. *Joan.* 11. 32. 33. *Pſ.* 72. 1.

Lectio viij. n. 2. & 3.

MUlti ex Judæis adfuérunt, qui conſolaréntur Maríam & Martham. Hæc dicit Evangeliſta, Lázari mortem confírmans. Cur porrò Martha Chriſto óbviàm venit ſine ſoróre cómite? Vult ſeórſim illum adíre & rem nuntiáre. Poſtquàm autem Chriſtus ſpem bonam indíderat, tunc abit, & Maríam vocat; & hæc occúrrit illi, luctu adhuc vigénte. Vidéſne amóris magnitúdinem? Hæc eſt de qua dicébat: María verò óptimam partem elégit. * Vidéte quanta ſit mulíerum philosóphia, etiámſi imbecílli mente eſſent. Viſo namque Chriſto, non ſtatim in luctum, in planctum, in gémitum erúmpunt, ut nos ſolémus, quando notos quoſpiam ad luctum venientes conſpícimus. Sed ſtatim illæ Magíſtrum mirántur. Credebant útique ambæ in Chriſtum; ſed non ut par erat. Nondum enim perfectè ſciébant, nec Deum eſſe, neque ſuâ poteſtáte & auctoritáte hæc fácere: quod utrúmque ipſas edócuit.

℟. Ut vidit Jeſus Judæos qui vénerant cum María, dixit: Ubi poſuíſtis eum? Dicunt ei: * Dómine, veni, & vide. ℣. Homo cùm mórtuus fúerit, & nudátus, atque consúmptus, ubi quæſo eſt? * Dómine. *Joan.* 11. 33. 34. *Job.* 14. 10.

Lectio ix. de Ss. Naz. & Cels.

Ex Libro Paulíni Diáconi de vita ſancti Ambróſii.

num. 32. & 33.

SAncti Nazárii Mártyris corpus, quod erat in horto póſitum extra civitátem Mediolanénſem, levatum ad Baſílicam Apoſtolórũ tránſtulit Ambroſius. Vídimus autem in ſepúlchro quo jacébat corpus Mártyris, ſánguinem Mártyris ita recéntem, quaſi eódem die fuíſſet effúſus. Caput étiam ipſíus quod ab ímpiis fúerat abſcíſſum, ita íntegrum atque incorrúptum cum capíllis cápitis atque barba, ut nobis viderétur eódem témpore, quo levabátur, lotum atque compóſitum in ſepúlchro. Quo leváto córpore Mártyris, & in léctica compoſito, ſtatim ad ſanctum Celſum Mártyrem, qui in eódem horto poſitus erat, cum ſancto Sacerdóte ad oratiónem perreximus. Numquam illum antea oráſſe in eodem loco compertum habémus; ſed hoc erat

ſignum reveláti córporis Mártyris. Transláto córpore, quidam de pópulo replétus ſpíritu immúndo, clamáre cœpit ſe torqueri ab Ambróſio. At ille convérſus ad eum, dixit: Obmutéſce, diábole, non te torquet Ambróſius, ſed fides Sanctórum, & invídia tua: nam Ambróſius neſcit infláti.

℟. Lacrymátus eſt Jeſus: dixérunt ergo Judæi: * Ecce quómodo amábat eum. ℣. Omni témpore díligit qui amícus eſt: & frater in angúſtiis comprobátur.* Ecce. Glória. * Ecce. *Joan.* 11. 35. 36. *Prov.* 17. 17.

Te Deum.

AD LAUDES.

Sepulchro Lazarum evocat, & ſuſcitat Chriſtus.

℣. *Sacerdos.* Numquid confitébitur tibi pulvis? ℟. Aut annuntiábit veritátem tuam? *Pſ.* 29. 10.

Ant. 1. 8. *c.* VEnit Jeſus ad monuméntum: erat autem ſpelúnca, & lapis ſuperpóſitus ei. Ait Jeſus: Tóllite lápidem. *Joan.* 11. 38. 39.

Ant. 1. 2. *d.* Dicit Martha, ſoror ejus qui mórtuus fúerat: Dómine, jam fœtet; quatriduánus eſt enim. *Joan.* 11. 39.

Ant. 1. 3. *a.* Dicit Marthæ Jeſus: Nonne dixi tibi, quóniam ſi credíderis, vidébis glóriam Dei? *Joan.* 11. 40.

Ant. 1. 4. *a.* Voce magnâ clamávit Jeſus: Lázare, veni foràs: & ſtatim pródiit qui fúerat mórtuus. *Joan.* 11. 43. 44.

Ant. 1. 5. *a.* Pródiit Lázarus, ligátus pedes & manus inſtitis, & fácies illíus ſudário erat ligáta. Dixit eis Jeſus: Sólvite eum, & ſínite abíre. *Joan.* 11. 44.

Capitulum. Ezech. 37. 12. 13.

HÆc dicit Dóminus: Ecce ego apériam túmulos veſtros, & edúcam vos de ſepúlchris veſtris: & ſciétis quia ego Dóminus, cùm aperúero ſepúlchra veſtra.

℣. Eripuíſti ánimam meam de morte; ℟. Ut pláceam coram Deo in lúmine viventium. *Pſ.* 55. 13.

Ad Benedict. Ant. 1. 7. *d.* Multi ex Judæis, qui vénerant ad Maríam & Martham, & víderant quæ fecit Jeſus, credidérunt in eum. *Joan.* 11. 45.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, Dómine, ut cum Lázaro in novitáte vitæ ambulántes, te in tuis cum Martha páſcere, & à te cum María verbi tui meditatióne paſci mereamur; Qui vivis, &c.

In Laudib. Comm. Ss. Naz. & Celſi.

Ad Horas br. Antiphonæ de Laudib.

AD TERTIAM.

Capitulum. Jonæ. 2. 7.

AD extréma móntium deſcéndi: terræ vectes concluſérunt me in ætérnũ: & ſublevábis de corruptióne

vitam

vitam meam, Dómine Deus meus.

℟. br. Poſuérunt me * In lacu inferióri. Poſuérunt. ℣. In tenebróſis, & in umbra mortis. * In lacu. Glória. Poſuérunt me. Pſ. 87. 7.

℣. Æſtimátus ſum cum deſcendéntibus in lacum : ℟. Factus ſum ſicut homo ſine adjutório. Pſ. 87. 5.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 2. 4. 5. 6.

In dolóre ſúſtine, & in humilitáte tua patiéntiam habe; quóniam in igne probátur aurum & argéntum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, & recuperábit te.

℟. br. Spera in Dómino : * Et ipſe fáciet. Spera. ℣. Dabit tibi petitiones cordis tui. * Et ipſe. Glória. Spera. Pſ. 36. 5. 4.

℣. Dóminus amat judícium : ℟. Et non derelínquet Sanctos ſuos. Pſ. 36. 28.

AD NONAM.

Capitulum. Oſee. 13. 14.

De manu mortis liberábo eos, de morte rédimam eos : ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero, inférne.

℟. br. Humiliátus ſum, * Et liberávit me. Humiliátus ſum. ℣. Eripuit ánimam meam de morte. * Et liberávit. Glória. Humiliátus. Pſ. 114. 6. 8.

℣. Conſcidíſti ſaccū meum; ℟. Ut cantet tibi glória mea. Pſ. 29. 12. 13.

AD VESPERAS.

Ant. 1. a. Venit Jeſus Bethániam, ubi Lázarus fúerat mórtuus, quem ſuſcitávit. *Joan. 12. 1.*

Ant. 2. D. Fecérunt Jeſu cœnam ibi : & Martha miniſtrábat ; Lázarus verò unus erat ex diſcumbéntibus cum eo. *Joan. 12. 2.*

Ant. 3. a. María accépit libram unguénti nardi píſtici pretióſi, & unxit pedes Jeſu, & extérſit capíllis ſuis : & domus impléta eſt ex odóre unguénti. *Joan. 12. 3.*

Ant. 4. a. Quidam indígnè feréntes, fremébant in eam : Jeſus autem dixit : Sínite eam ; bonum opus operáta eſt in me. *Marc. 14. 4. 5. 6.*

Ant. 5. a. Ubicúmque prædicátum fúerit hoc Evangélium, dicétur & quòd hæc fecit in memóriam ejus. *Matth. 26. 13.*

A Capitulo de ſequenti.

Si Feſtum hoc transferatur, & habeat 2. Veſperas, ſumuntur Capitul. & Hymnus ex 1. Veſperis.

Pro Commem. Ss. Lazari, Marthæ & Mariæ ad Veſp.

Ant. 3. a. Veníte, benedícti Patris mei : poſſidéte parátum vobis regnum : eſurívi enim, & dedíſtis mihi manducáre : hoſpes eram, & collegíſtis me. *Matth. 25. 34. 35.*

℣. Oculi mei ad fidéles terræ, ℟. Ut sédeant mecum, Pſ. 100. 6.

Oratio ut ſuprà.

Die xxix.

S. Lupi,

Trecenſis Epiſcopi.

Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Pontificis.

Oratio. Omnipotens Deus, *pag.* xxiv.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex vita S. Lupi apud Sur. Sidon. Apoll. Eucher. Lugd. &c.

Lupus (cui natále ſolum noſtra Tulléníis cívitas, paréntes nobilitáte conſpícui) uxórem duxit Pœmeniólam, ſancti Hilárii Arelaténſis ſorórem; qui cùm, ſeptimo conjúgii anno, réliquum vitæ in continéntia dégere decrevíſſent, toti Deo vacatúri pii cónjuges; Lupus cunctis ſolútus mundánæ cupiditátis néxibus, Evangélicæ perfectiónis æmulátus exémpla, ad beátum Honorátum Monaſtérii Lyrinénſis Abbátem ſe cóntulit: cujus magiſtério cervíce súbditâ, ad Domínicæ ſervitútis jugum aſsíduis vigíliis, oratiónibus, & jejúniis inſtitútus eſt. Inde cùm Matiſcónem veníſſet, ut quod ſibi de facultátibus ſupérerat, paupéribus erogáret, improvísò ad Trecénſem Epiſcopátum raptus eſt: in quo ita ſe geſſit, ut méritò Gallicanórum Præſulum fácilè Princeps ab ómnibus haberétur, ingénio pollens, clarus elóquio, ſanctitáte præcípuus.

Lectio v.

Ex illa autem ſummâ, quam apud omnes obtinúerat, doctrínæ & ſanctitátis opinióne, biénnio poſt à Synodo Gallicánâ eléctus eſt, qui cum Germáno Autiſſiodorénſi ad expugnándam in Británnia majóri graſsántem Pelágii hæreſim proficiſcerétur. Quo in negótio, uno ſpíritu juncti Præſules ambo, pari voluntáte concórdes, verbis poténtes & opéribus, cunctis admiratióni fuére. Hinc redux cum triúmpho Lupus, ab Hunnis in Gállias effúſis, flammâque ac ferro cuncta vaſtántibus, Trecórum urbem ſuis précibus ſervávit incólumem: ipsúmque Attilam eórum ducem in ſui veneratiónem ſic flexit, ut inter Hunnos mílites illud adágium inoléret, Attilam à duabus feris, Lupo & Leóne, victum fuíſſe.

Lectio vj.

Annis círciter vigínti tábulâ pro lecto uſus eſt, ac cilício pro interióre túnicâ, in oratióne altérnis nóctibus pérvigil, in jejúniis aſsíduus, in aléndis paupéribus & rediméndis captivis ómnia ſua impéndere ſolitus. Diſcípulos habuit ſanctos Epiſcopos, Polychrónium Virdunénſem, Sevérum Treviénſem, Alpinum Cathalaunénſem, & Came-

liánum Trecénſem. Cùm autem annis quinquagínta duóbus ſacerdótio digníſſimè functus fuiſſet, plùribus éditis in vita miráculis, ábiit in cœlum, ſignis étiam poſt mortem glorióſus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. v. 33.

IN illo témpore; Loquens Jeſus turbis cœpit dícere: Nemo lucérnam accéndit, & in abſcóndito ponit, neque ſub modio; ſed ſupra candelábrum; ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homília ſancti Bernárdi Abbátis.

De Offic. Epiſcop. Cap. 3. n. 10.

PUritas cordis in duóbus conſíſtit; in quæréndo glória Dei, & utilitáte próximi; ut in ómnibus, vidélicet, actis vel dictis ſuis nihil ſuum quærat Epíſcopus, ſed tantùm aut Dei honórem, aut ſalútem proximórum, aut utrúmque. Hoc enim agens implebit non ſolum Pontíficis offícium, ſed & etymológiam, pontem útique ſeípſum fáciens inter Deum & próximum. Pertíngit pons iſte uſque ad Deum eâ fidúciâ, quâ non ſuam, ſed illíus glóriam quærit. Pertíngit uſque ad próximum illâ pietate, quâ & ipſi, non ſibi prodéſſe desíderat. Offert Deo bonus mediátor preces & vota populórum; repórtans illis benedictiónem & grátiam. Súpplicat majeſtáti pro excéſſibus delinquéntium; víndicat in peccántes injúriam Dei. Ingrátis imprópetat benefícia pietátis, contemnéntibus poténtiæ ſeveritátem insínuat, utríſque tamen nihilóminus placáre ſtudet indignántis furórem; nunc quidem hóminum obténdens infirmitátem, nunc divínæ magnitúdinem pietátis.

Lectio viij. n. 10. & 11.

DEnique ſive excédat Deo, ſive sóbrius ſit nobis, aut Deo ſemper, quantùm in ſeípſo eſt, præſtáre geſtit, aut nobis; non quod ſibi omníno útile eſt quærens, ſed quod multis. Fidélis Póntifex, qui bona quælibet per manus ſuas tranſeúntia, ſive divína benefícia ad hómines, ſive hóminum vota ad Deum, columbíno íntuens óculo, nihil ſibi reténtat ex ómnibus. Nec pópuli requírit datum, ſed lucrum, nec Dei glóriam uſúrpat ſibi. Accéptum taléntum non ligat in ſudário, ſed partítur nummuláriis, à quibus & uſúras récipit, non ſibi, ſed Dómino.

Lectio ix.

NOn habet fóveam, ut vulpes, non tamquam vólucres nidum, non lóculos, quómodo Judas; non dénique, ſicut nec María, locum in diverſório. Imitá-

tur profectò illum qui non habebat ubi reclináret caput; factus in præſentiárum tamquam vas perditum: quándoque procul dúbio futúrum vas in honórem, & non in contuméliam. Dénique perdit ánimam ſuam in hoc mundo, ut in vitam ætérnam cuſtódiat eam. Hoc tanto puritátis íntimæ bono gloriári non poteſt veráciter, niſi qui extrinſecas gloríolas perfectè reſpúerit. Nec enim purè valet Dei vel próximi quærere lucra, qui própria non contémpſerit.

In Veſperis à Capitulo de ſeq. Comm. præced. & Ss. Martyrum Abdon & Sennen.

Oratio. Exáudi, Dómine, pag. xvij.

Die xxx.

S. GERMANI, Autissiodorensis Episcopi.

Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Pontif.

Oratio. Da Eccléſiæ, pag. xxiv.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex S. Germani vita, auctore Conſtant. Presbyt. ex Venſp. Greg. Turon. & aliis.

GErmánus nóbili génere Autiſſiodóri natus, poſt auditória Gallicána, Romæ juris perítiam adéptus, cauſas egit; ibique uxórem duxit. Provínciæ ſuæ Viſitátor conſtitútus, in Gálliam rédiit; ubi venatióni nímium déditus, ab Amatóre Autiſſiodorénſi Epíſcopo reprehénſus eſt, quòd ferárum, quas venándo céperat, trunca cápita ex ritu Gentílium, de árbore quæ in médio civitátis erat, non ſine fidélium offenſióne ſuſpénderet. Sed ubi Germánum ſibi ſucceſſórem futúrum divínitùs cómperit Amátor, Auguſtodúnum ſe cóntulit, ut Germáni in Clerum aſciſcéndi poteſtátem à Júlio Præfécto impetráret. Quod ut obtínuit, Germánum inopinántem, reſciſſo capillítio, Cléricáli veſte índuit, Presbyterum órdinat, & ſibi deſígnat ſucceſſórem. Creátus Epíſcopus, súbitò virum mutatur in álterum. Exínde namque cœpit ſæculi pompam aſpernári, uxórem habére pro ſoróre, vitam dúcere aſpérrimam, cilício carnem domáre, vilem indúere hábitum, ſua paupéribus erogáre, ómnibus ſine perſonárum acceptióne hoſpítium præbére, oratiónem vix umquam intermíttere.

Lectio v.

ILlum Hilárius Arelaténſis affectu ut patrem cóluit, reveréntià ut Apóſtolum: & certè ea illíus extitit vita, ut ſi caruíſſet miráculis, incredíbilis viderétur; tanta fuérunt miràcula, ut niſi ea piæ converſatiónis mérita præceſſiſſent, phantáſtica putaréntur. Cum tali Pontífice & magiſtro in Eccléſia Autiſſiodorénſi fides accénſa fervéret, étiam in óppidi

conſpéctu Monaſtérium collocávit, quod nunc eſt ſancti Mariáni: erátque ei familiáre altérnis vícibus nunc Eccléſiam viſitáre, nunc Monaſtérium; ut certántibus ſtúdiis æmulántes ad perfectiónis glóriam provocáret. Sic quod eſt difficíllimum, inter frequéntias populórum ſolitúdinis vitam & erémum in ſæculi converſatióne ſervábat. Sed illud longè illúſtrius, quod in Británnia majóre perégit. Cùm enim in his pártibus graſſarétur Pelagiána hæreſis, ad eam extirpándam, ab Epíſcopis Gálliæ, rogántibus Británnis, miſſus eſt Germánus cum Lupo Trecénſi; qui ínſulam ab erróre purgáret. Cláruit ibi Germánus miráculis; & Británnis, quos Saxónum Pictonúmque juncti premébant exércitus, præ cæteris inſígnem procurávit victóriam, non armórum vi, ſed Clericórum & mílitum précibus, & clamóre quo divínitùs extérriti, in fugam acti ſunt.

Lectio vj.

IN Gálliam redux, cùm accepíſſet civitátem ſuam tribútis aliíſque calamitátibus ádmodum premi, Arelátem ſe cóntulit ad Auxiliárem Gálliæ Præféctum, qui Germáni précibus pro plebe vexátâ ultrò ánnuit. In Británniam íterum ut opus quod cœperat, abſólveret, adjúncto ſibi cómite Sevéro Trevirénſi, remeávit. Tum per Aremóricos revérſus, Alanórum exércitum ad puniéndos rebélles ab Aétio Præfécto miſſum avocávit. Dénique Ravénnam profécrus ut a Valentiniáno Imperatóre véniam iis impetráret, ab ipſo ejúſque matre Placídiâ, ſimul & à Petro Chryſólogo honoríficè excéptus, ibi paucis poſt diébus ex hac vita decéſſit, anno quadringentéſimo quadragéſimo octávo. Ejus vitam, jubénte ſancto Patiénte Lugdunénſi Epíſcopo, & Cenſúrio Autiſſiodorénſi, ſcripſit Conſtántius Présbyter, génere, eloquéntiâ, prudéntiâ, religióne à Sidónio mirè commendátus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12. v. 42.

IN illo témpore; Dixit Dóminus Petro; Quis, putas, eſt fidélis diſpenſator, & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſupra famíliam ſuam; ut det illis in témpore trítici menſúram? Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

In Epiſt. 2. ad Corinth. Hom. 15. n. 4.

GEnus impérii eſt civíli quidem império multo ſublímius. Quodnam ígitur?

Scilicet illud quod in Eccléſia viget, cujus étiam ipsíus mentiónem Paulus facit, cum ait: Obedíte Præpóſitis veſtris, & ſubjacéte eis: ipſi enim pervígilant quaſi ratiónem pro animábus veſtris reddituri. Hoc enim impérium tantò civíli excelléntius eſt, quantò cœlum terrâ: imò étiam multò præſtántius. Primùm namque non hoc præcípuè curat, ut perpetráta ſcélera víndicet; ſed ut ne omníno quidem perpetréntur. Deínde ſi perpetráta ſint, non ut ægrotántem de médio tollat; ſed ut ipſa deleántur. Ad hæc, rerum quidem hujus vitæ parvam omníno ratiónem habet: verùm pro cœléſtibus ómnia agit. Noſtra quippe conversátio in cœlis eſt; noſtra quoque vita illìc. Quin étiam prœmia illìc ſunt; ac pro corónis illìc recónditis hìc cúrritur. Quocircà non modò majórem, quàm Provinciárum Præfécti, ſed étiã illi ipſi qui diadémate cincti ſunt, honórem accepérunt, qui hoc impérium gerunt: ut qui in majóribus rebus, & ob majóra commoda hómines forment.

Lectio viij. n. 5.

Quòd ſi placet, utriúſque étiam príncipis inſtitutiónem conſiderémus: hìc quippe haud parvum diſcrímen perſpícies. Non enim numerátâ pecuniâ hoc impérium accípere licet; ſed édito probatiſſimæ vitæ documénto. Nec verò ad hoc impérium ita provéhitur qui ordinátus eſt, quaſi ad humánam glóriam, & privátam réquiem; ſed velut ad labóres, & ſudóres, ac públicam utilitátem. Unde étiam haud parvum à Spíritu ſancto auxílium conſéquitur. Atque illìc quidem non ultrà progréditur is qui ímperat, quàm ut faciénda édicat: hìc verò precum étiam & grátiæ ſubsídium adjúngit. * Quin pótiùs illìc ne verbum quidem ullum de philosóphia habétur, nec ſedet quíſpiam qui dóceat, quid ſit ánima, quid mundus, quid ipſi poſtea futúri, ad quæ hinc migratúri ſimus, quâque ratióne virtútem adipíſci queámus. De pactis quidem ac pecúniis multa verba fundúntur: harum autem rerum nulla prorſus cura eſt. At in Eccléſia ſermónes omnes hiſce de rebus inſtítui vídeas. Ob eámque cauſam méritò nuncupáris Eccléſiam, tribúnal, philosóphiæ ſcholam, ſedem erudiéndis ánimis inſtitútam, gymnáſium cúrſuum in cœlum feréntium.

Lectio ix. de Ss. Abd. & Sen.
Ex Flor. Uſuard. Adon. Bed. Bucher. &c.

Abdon & Sennen, Perſæ, ſub Décio Imperatóre, váriis pro Chriſti fide probáti torméntis, Romæ tandem martyrium gladio conſummárunt. Horum Marty-

rum nómina in ómnibus Occidentális Ecclésiæ Martyrológiis & Sacramentáriis legúntur. Addit Adónis Martyrológium, ipsórum córpora à Quiríno Subdiácono in ſuis ædibus clam ſepúlta, inde tempóribus Conſtantíni magni transláta fuiſſe, & repóſita in cæmetérioPontiáni, quod illórum nómine dehinc vocátum eſt. Nec dúbium quin per antíqua fúerit illórum Mártyrum venerátio, quippe quòd jam à ſæculo quarto, témpore Libérii Papæ, célebrem fuiſſe Romæ illórum feſtivitátem teſtátur vetus illíus ævi Calendárium. Extat Romæ ſub ipsórum nómine antiquíſſima Basílica, quàm vetuſtáte fatiſcéntem renovávit octávo ſæculo ſummus Póntifex Adriánus primus.

Veſperæ de ſequenti. Commem. præced.

Die xxxi.

S. IGNATII, PRESBYTERI, et Societatis Jesu Inſtitutoris.

Duplex. 4. Claſ.

Oratio de Comm. unius Presbyt.

Oratio.

Deus, qui ad majórem tui nóminis glóriam propagándam, novo per beátum Ignátium ſubsídio militántem Eccléſiam roboráſti: concéde, ut ejus auxílio & imitatióne certántes in terris, coronári cum ipſo mereámur in cœlis; Qui vivis, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Petro Ribad. Maff. & aliis.

Ignátius, natióne Hiſpánus, génere nóbilis, Loyolæ in Cantábria natus, adoléſcens cathólici Regis aulam, ac deínde milítiam ſecútus eſt. In propugnatióne Pampelonénſi accépto vúlnere gráviter decúmbens, ex fortúita piórum librórum lectióne ad Chriſti Sanctorúmque ſectánda veſtígia mirabíliter exárſit. Hinc ad Montem Serrátum proféctus, factâ ibi ómnium delictórum exomologéſi, ante aram beátæ Vírginis ſuſpénſis armis noctem éxcubans, ſacræ milítiæ tyrocínium póſuit. Inde, ut erat indútus ſacco, tráditis ántea mendíco pretióſis véſtibus, Manréſam ſecéſſit, ubi emendicáto pane & aquâ víctitans, exceptíſque diébus Domínicis jejúnans, áſperâ caténâ cilicióque carnem átterens, humi cubans, & férreis ſe cruéntans flagéllis, inter egénos, quibus viliſſima étiam obséquia exhibébat, per annum commorátus eſt; vitæ quidem acerbitáte non mediócriter debilitátus; ſed claris ſic illuſtratiónibus à Deo recreátus, ut póſtea dícere ſólitus ſit: Si ſacrárum Litterárum monuméntis conſignáta fídei myſtéria non eſſent, pro illis tamen ſe mo-

ri parítum, ex iis ſolùm quæ ſibi Manreſæ pateféceral Dóminus. Quo témpore, homo litterárum planè rudis, admirábilem illum compóſuit exercitiórum librum, Sedis Apoſtólicæ judício & ómnium utilitáte comprobátum. *Lectio v.*

UT verò ſe ad animárum lucra idóneum ritè formáret, ſubsídium litterárum, à Grammáticis inter púeros Barcínone exórſus, grandis licèt natu, adhibére ſtátuit. Cùmque nihil ínterim de invícto alienæ ſalútis ſtúdio remítteret, mirum eſt, quas ubíque locórum ærúmnas ac ludíbria ſuperáverit; aſpérrima quæque, & víncula, & vérbera pœnè ad mortem uſque perpéſſus; tantâ quidem ánimi conſtantiâ, imò & alacritáte, ut iis gravióra longe & multò plura, pro deſideráta ſemper Dómini ſui glória ardéntiùs expéteret. Dum autem Paríſiis Grammáticæ, Philoſóphiæ, & Theológiæ ſtudia répetit, non intermíſſis charitátis & pœniténtiæ opéribus, ibi ſócios ſibi adjúngit novem, Pariſiénſis Académiæ grádibus insígnes, qui in inferióri Eccléſia Montis Mártyrum, ſeſe omnes in próximi auxílium dévóvent: & hæc fuére Societátis Jeſu incunábula; quam póſtea Romæ inſtítuens Ignatius, áddito ad tria religiónis vota de Miſſiónibus quarto, Sedi Apoſtólicæ árctiùs adſtrínxit; quamque à Paulo tértio & áliis Pontifícibus jam confirmátam, ipſa Synodus Tridentína probavit. Ipſe verò, miſſo ad prædicándum Indis ſancto Franciſco Xavério, aliíſque in álias mundi plagas ad fidem propagándam diſſeminátis, éthnicæ ſuperſtitióni hæreſíque bellum indíxit, eo ſucceſſu, ut méritò is conſtans invalúerit ſenſus, Deum ſicut álios áliis tempóribus ſanctos viros, ita Luthéro, ejuſdémque témporis hæréticis, Ignátium, & inſtitútam ab eo Societátem objeciſſe.

Lectio vj.

PRæcípua illi cura fuit, ut rudes & púeri doctrínam chriſtiánam perdíſcerent, carcéribus inclúſi levaréntur, & inter cathólicos reſtitueréntur píetas & débita ſacris reveréntia. Unde templórum nitor, catechíſmi tradítio, conciónum ac Sacramentórum frequéntia, multum ab ipſo increméntum accepére; dum ipſe apértis ubíque locórum ad juventútem erudiéndam in lítteris ac pietáte gymnáſiis; eréctis Romæ Germanórum Collégio, malè nuptárum & periclitántium puellárum Cœnobiis, utriúſque ſexûs tam orphanórum quàm catechumenórum domibus, aliíſque piis paſſim opéribus, indeféſſus lucrándis Deo animábus inſtáret; audítus aliquándo dícere, ſi óptio darétur, mallo

ſe beatitúdinis incértum vívere, & ínterim Deo inſervíre & próximo, quàm certum ætérnæ felicitátis ſtatim mori, non ampliùs Deo & próximo labóres ſuos impenſúrum. Non umquam ab opéribus charitátis difficultátes, non contuméliæ, non irriſiónes, non duræ acceptiónes, non vérbera deterruérunt. Dénique ætátis anno ſexagéſimo quinto, ad Dómini ſui ampléxum, cujus majórem glóriam in ore ſemper habúerat, ſemper in ómnibus quæſíerat, emigrávit: quem Gregórius décimus quintus, magnis in Eccléſiam méritis & miráculis illúſtrem Sanctórum faſtis adſcrípſit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 10. v. 1.

IN illo témpore; Deſignávit Dóminus & álios ſeptuagínta duos; & miſit illos binos ante fáciem ſuam, in omnem civitátem & locum, quò erat ipſe ventúrus. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 17. in Evang. n. 3.

MIſſis prædicatóribus quid Dóminus dicat, audiámus. Meſſis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum meſſis, ut mittat operários in meſſem ſuam. Ad meſſem multam operárii pauci ſunt; quod ſine gravi mœróre loqui non póſſumus: quia etſi ſunt qui bona áudiant, deſunt tamen qui dicant. Ecce mundus Sacerdótibus plenus eſt; ſed tamen in meſſe Dei rarus valdè invenítur operátor; quia Officium quidem ſacerdotále ſuſcípimus, ſed opus Officii non implémus. Sed pensáte, fratres chariſſimi, pensáte quod dícitur: Rogáte Dóminum meſſis, ut mittat operários in meſſem ſuam. Vos pro nobis pétite, ut digna in vobis operári valeámus; ne ab exhortatióne lingua tórpeat; ne poſtquam prædicatiónis locum ſuſcépimus, apud juſtum júdicem noſtra nos tacitúrnitas addícat.

Lectio viij.

SÆpè enim pro ſua nequítiâ, prædicántium lingua reſtríngitur: ſæpè verò ex ſubjectórum culpa ágitur, ut eis qui præſunt prædicatiónis ſermo ſubtrahátur. Ex ſua quippe nequítia prædicántium lingua reſtríngitur, ſicut Pſalmíſta ait: Peccatóri autem dixit Deus: Quare tu enárras juſtítias meas? Et rurſum ex vítio ſubjectórum vox prædicántium ſubtráhitur, ſicut ad Ezechiélem Dóminus dicit: Linguam tuam adhæréſcere fáciam paláto tuo, & eris mutus, nec quaſi vir objúrgans; quia domus exáſperans eſt. Ac ſi apértè dicat: Idcírco tibi prædicatiónis ſermo tóllitur,

quia dum me in ſuis áctibus plebs exáſperat, non eſt digna cui exhortátio veritátis fiat. Ex cujus ergo vítio prædicatóri ſermo ſubtrahátur, non fácilè cognóſcitur; quia verò Paſtóris tacitúrnitas, aliquándo ſibi, ſemper autem ſubjéctis, nóceat, certiſſimè ſcitur.

Lectio ix. n. 8.

SEd quid nos (quod tamen ſine dolóre dícere non poſſum) quid nos, ô Paſtóres, ágimus, qui & mercédem conſéquimur, & tamen operárii nequáquam ſumus? Fructus quippe ſanctæ Eccléſiæ in ſtipéndio quotidiáno percípimus; ſed tamen pro ætérna Eccléſia minimè in prædicatióne laborámus. Penſémus cujus damnatiónis ſit, ſine labóre hîc percípere mercédem labóris. Ecce in oblatióne fidélium vívimus, ſed quid pro animábus fidélium laborámus? Illa in ſtipéndium noſtrum súmimus, quæ pro rediméndis peccátis ſuis fidéles obtulerunt; nec tamen contra peccáta éadem, vel oratiónis ſtúdio, vel prædicatiónis, ut dignum eſt, inſudámus. Vix pro culpa ſua quémpiam apértâ voce reprehéndimus. Et adhuc (quod eſt grávius) aliquando ſi persóna in hoc mundo potens ſit, ejus fórſitan erráta laudámus, ne ſi advertétur, per iracúndiam munus súbtrahat, quod impendébat.

Veſperæ de ſequenti.

FESTA AUGUSTI.

Die I.
S. PETRI APOSTOLI AD VINCULA.

Duplex 4. Claſ.

AD I. VESPERAS.

Petrus catenis vinciendus eſt, poſtea liberandus.

Pſalmi de Feria; & ſic in toto Officio.

Ant. t. 1. d. FIlii hóminis, ecce data ſunt ſuper te víncula, & ligábunt te in eis. *Ezech.* 3. 25.

Ant. t. 2. D. Ne tímeas à fácie eórum, quia tecum ego ſum; ut éruam te, dicit Dóminus. *Jerem.* 1. 8.

Ant. t. 3. A. In die illa cónteram jugum de collo tuo & víncula dirúmpam. *Jerem.* 30. 8.

Ant. t. 4. e. Eruens liberábo te, & gládio non cades; ſed erit ánima tua in ſalútem. *Jerem.* 39. 18.

Ant. t. 5. a. Ego ante te ibo: portas æreas conteram, & vectes férreos confríngam. *Iſ.* 45. 2.

Capitulum. Jerem. 37. 14. 15.

PRíncipes cæſum eum miſérunt in cárcerem: ítaque ingréſſus eſt in domum laci, & in ergáſtulum; & ſedit ibi diébus multis.

℟. Serve Dei vivéntis, * Deus tuus, cui tu ſervis ſemper, putáſne, váluit te liberáre? ℣. Cùm eſſes júnior, cingébas te, & ambulabas ubi volébas: cùm autem ſenúeris, exténdes manus tuas, & álius te cinget. * Deus tuus. Glória. * Deus tuus. *Dan. 6. 20. Joan. 21. 18.*

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

PEtrum, Tyránne, quid caténis óbruis?
Jubéſque condi cárceris nigro ſpecu?
Quid trux ſatélles ante limen éxcubat?
Carcer, ſatélles, vincla non Petrum tenent.
Fulgens ab alto venit Ales æthere;
Recédit horror, & fugat noctem dies;
Jubénte Chriſto, rupta vincla cóncidunt;
Pandúntur ultrò clauſa ferro límina.
Cœleſtis ille ductor oſténdit viam:
It Petrus, atque sómniū quod ſit, putat:
Verùm, recéptâ mente, victrícem Dei,
Suæ ſalútis certus, agnóſcit manum.
Lux noſtra, Chriſte, noſtra libértas, vides
Quibus caténis vínciant nos crímina,
Et quanta noſtris íncubet nox méntibus:
Cæcis diem fer, rumpe vinctis víncula.
Patri ſuprémo ſit ſupréma glória;
Tibique laudes totus orbis cóncinat,
Ætérne Fili, ſplendor ætérni Patris:
Compar & almo laus, decúſque Flámini.
Amen.

℣. Deus meus, in te ſperávi: ℟. Salvum me fac ex ómnibus perſequéntibus me *Pſ. 7. 2.*

Ad Magnif. Ant. t. 7. a. Dóminus Deus auxiliátor meus, & ſcio quóniam non confúndar. *Iſ. 50. 7.*

Oratio ut infrà.

Fit Comm. S. Ignatii per Antiph. de 2. Veſp. unius Presbyteri, Oratio ut ſuprà.

Deinde pro Comm. Ss. Fratrum Machabæorum. Ant. Paráti ſumus mori magis, quàm pátrias Dei leges prævaricári. 2. *Machab. 7. 2.*

℣. Iníquè non égimus in teſtaménto tuo: ℟. Et non recéſſit retrò cor noſtrum. *Pſ. 43. 18. 19.*

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFIC. NOC.

Invitat. Dóminum qui edúcit de concluſióne vinctum, & de domo cárceris. *

Veníte, adorémus. *Iſ.* 42. 7.

IN I. NOCTURNO.

Filiis Iſrael, filiis duræ cervicis prædicaturus Petrus mittitur.

Ant. t. 2 *D.* Spíritus locútus eſt mihi: Mitto ego te ad fílios Iſrael: filii durâ fácie & indomabili corde ſunt. *Ezech.* 2. 2. 3 4.

Ant. t. 4. *a.* Ecce dedi faciem tuam valentiórem faciebus eórum: ne timeas eos. *Ezech.* 3. 8. 9.

Ant. t. 7. *c.* Aſſúmpſit me Spíritus, & ábii: manus enim Dómini erat mecum, confortans me. *Ezech.* 3. 14.

℣. Annuntiábo veritátem tuam in ore meo: ℟. Quóniam dixiſti. *Pſ.* 88. 2. 3.

Lectiones de Scriptura occur.

℟. 1. Dóminus juſtus * In médio civitátis judícium ſuū dabit in lucem, & non abſcondétur. ℣. Stans Petrus levávit vocem ſuam: Viri Judæi, & qui habitátis Jerúſalem univérſi, hoc vobis notum ſit: Jeſum reſuſcitávit Deus, cujus nos teſtes ſumus. * In médio. *Sophon.* 3. 5. *Act.* 2. 14. 32.

℟. 2. Ecce lábia mea non prohibébo: ſalutáre tuum dixi: *Dómine, non abſcóndi veritátem tuam à concílio multo. ℣. Petrus reſpóndit ad pópulum: Vos Sanctum & Juſtum negáſtis: auctórem verò vitæ interfecíſtis. * Dómine. *Pſ.* 39. 10. 11. *Act.* 3. 12. 14. 15.

℟. 3. Inimíci mei conſílium fecérunt in unum, dicéntes: Perſequímini, & comprehéndite eum. * Ego autem ſemper ſperábo, & adjíciam, † Donec annúntiem bráchium tuum generatióni quæ ventúra eſt. ℣. Injecérunt manus in Apóſtolos; & ſtatuéntes eos in médio, interrogábant. Tunc replétus Spíritu ſancto Petrus, dixit: Príncipes pópuli, audíte: ſi nos hódie dijudicámur; * Ego autem. Glória. † Donec. *Pſ.* 70. 10. 11. 14. 18. *Act.* 4. 3. 7. 8. 9.

IN II. NOCTURNO.

Petrus catenis vinctus: & pro vincto totius Eccleſiæ anxietas.

Ant. t. 8. *C.* Rex trádidit eum in cárcerem, ubi vincti regis cuſtodiebántur, & erat ibi clauſus. *Gen.* 39. 20.

Ant. t. 2. *D.* Suſpexit ad cœlum: erat enim cor ejus fidúciam habens in Dómino. *Dan.* 13. 35.

Ant. t. 3. *a.* Dómine, recordáre meî, & víſita me: ſcito quóniam ſuſtínui propter te oppróbrium. *Jerem.* 15. 15.

℣. Oculi Dómini ſuper juſtos; ℟. Et aures ejus in preces eórum. *Pſ.* 33. 16.

Lectio iv.

Ex Actibus Apoſtolorum.

PEtrum Apóſtolum pro Chriſti nómine víncula & cárceres, non unâ vice, nec uno in loco expértum eſſe ex Actibus Apoſtólorum

comprobátum eſt. Nam primò quidem ſtatim à Pentecóſte, claudo ad portam templi ſanáto, dum pópulum cum Joánne alloquitur, invídiâ Sacerdótum in cuſtódiam detrúſus eſt; unde prodúctus in cráſtinum, tantam oſténdit conſtántiam, ut ipſi príncipes ſatis mirari non poſſent hóminis illitteráti libertátem, & númerus credéntium, auctâ ex ipſis Apóſtoli vínculis fidúciâ, ad quinque míllia accréſceret. Non ita multò poſt, cùm ſolâ Petri prætereúntis umbrâ omnis cujúſque morbi ſpécies ſanarétur, rurſus per Pontíficem & Sadducæos, ipſe cum cæteris Apóſtolis in cárcerem públicum addúctus eſt, & póſtea flagéllis cæſus, quòd ob hóminum interdícta, juſſa Dei à ſe contémni non poſſe reſpondiſſet. Tértiâ vice, occíſo Jacóbo, cùm Heródes hanc necem Judæis non ingrátam eſſe perſpiceret, Petrum ítidem in cárcerem trudi, & caténis duábus vinctum, per quátuor mílitum quaterniónes aſſervári præcépit, poſt Páſchatis dies pópulo producéndum; unde nihilóminus per Angelum mirabíliter edúctus eſt.

℟. Miſit Heródes rex manus, ut affligeret quoſdam de Ecclésia: videns autem quia placéret Judæis, * Appóſuit ut apprehénderet & Petrum. ℣. Peccátor ſedet in inſídiis ut interfíciat innocéntem: inſidiátur in abſcóndito, ut rápiat páuperem. * Appóſuit. *Act.* 12. 1. 3. *Pſ.* 9. 8. 9.

Lectio v.

Ex Arator. in Carmin. Front. Cal. p. 113. *Florent. ad d.* 1. *Aug.*

Ultimò dénique Petrus, Romæ cùm martyrium pértulit, in cuſtódia Mamertíni aſſervátus, & Nerónis juſſu caténis conſtríctus fuiſſe tráditur; quæ in Románâ Ecclésia ſpeciáli honóre à primis ſæculis hábitæ ſunt. Scribit autem Arator, ejúſdem Ecclésiæ ſexto ſæculo Subdiáconus, étiam ex Jeroſólymis Petri caténas, aut certè unam ex eis quibus illic vinctus fúerat, jam Romæ ſuâ ætáte ſervátas fuiſſe: unde non medíocriter aucta eſt illárum venerátio; ſtructâ, præſértim, ut ex váriis Ecclésiæ Románæ monuméntis perſpícitur, per junióren Eudóxiam Valentiniáni tértii uxórem, in monte Eſquilíno, Baſílicâ, nómine ſancti Petri ad víncula. Quæ cùm Caléndis Auguſti dedicáta eſſet, ejus memóriæ dies feſtus inſtitútus eſt.

℟. Cùm apprehendiſſet Petrum Heródes, * Miſit in cárcerem, tradens quátuor quaterniónibus mílitum cuſtodiéndum, volens poſt Paſcha prodúcere eum pópulo. ℣. Immítis ánimus illíus non parcet de malítia, & de

vínculis. * Miſit. *Act.* 12. 4. *Eccli.* 13. 15.

Lectio vj.

Ex S. Greg. Regiſt. Lib. 11. *Cap.* 44. *& L.* 5. *Epiſt.* 6. *& L.* 3. *Ep.* 30.

QUàm religióſa fúerit erga ſacras illas Caténas Chriſtianórum venerátio, ex eo liquet, quòd ſummi Pontífices minútas eárum partículas limâ detráctas, áureis inclúſas crúcibus aut clávibus ad reges principésque de Eccléſia bene méritos mítterent, quas ipſi collo appénſas geſtábant; ut Apóſtoli præſídio ab omni perículo tuti eſſent. Crucem párvulam, in qua de Caténis ſancti Petri inſérta erat benedíctio, mittens ſanctus Gregórius Magnus Eulógio Alexandríno Patriárchæ, multa áſſerit per iſtam benedictiónem ſolére fíeri mirácula. Idem ad Childebértum Francórum Regem ſcribens, ait: Claves ſancti Petri, in quibus de vínculis Catenárum ejus inclúſum eſt, excelléntiæ veſtræ diréximus: quæ collo veſtro ſuſpénſæ, à malis vos ómnibus tueántur.

℟. Petrus quidem ſervabátur in cárcere: * Orátio autem fiébat ſine intermiſſióne ab Eccléſia ad Deum pro eo. ℣. Unánimes orántes, ut Deus Iſrael miſericórdiam ſuam oſtenderet. * Orátio. Glória. * Orátio. *Act.* 12. 5. *Judith.* 7. 4.

IN III. NOCTURNO.

Suos in tribulatione non deſerit Deus.

Ant. t. 3. *a.* Recordátus es mei, Deus, & non dereliquíſti diligéntes te. *Dan.* 14. 37.

Ant. t. 4. *a.* Liberáſti me ſecúndùm multitúdinem miſericórdiæ nóminis tui à rege iníquo, & à lingua injúſta. *Eccli.* 51. 4. 7.

Ant. t. 8. *g.* Deus meus miſit Angelum ſuum; quia coram eo juſtítia invénta eſt in me. *Dan.* 6. 22.

℣. Dómine, quis símilis tibi? ℟. Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus. *Pſ.* 34. 10.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 21. *v.* 15.

IN illo témpore; Dixit Simóni Petro Jeſus: Simon Joánnis, díligis me plus his: Dicit ei: Etiam, Dómine, tu ſcis quia amo te. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

In Joan. Hom. 88. *aliàs* 87. *n.* 1.

CUm eſſes júnior, cingébas te, & ambulábas ubi volébas: cùm autem ſenúeris, álii te cingent, & ducent quò tu non vis. Hæc porrò dixit Jeſus, non ut Petrum terrefáceret, ſed ut excitáret. Nóverat enim ejus amórem, illúmque ad hæc promptè ferri: ſimúlque futúræ mortis modum ſignifi-

cat: quia enim Petrus ſemper pro Chriſto perícula ſubíre cupiébat; Confide, inquit, ita deſidérium implébo tuum, ut ea quæ júvenis non perpéſſus es, ſenex patiáris. Deinde auditórem érigens Evangeliſta, íntulit: Hæc autem dicébat ſigníficans quâ morte clarificatúrus eſſet Deum. Non dixit, Moritúrus eſſet, ſed, Clarificatúrus eſſet Deum: ut diſcas pati pro Chriſto glóriam eſſe & honórem. Et cùm hæc dixíſſet, ait: Séquere me. His oſtendit curam & affectum magnum erga ipſum. Quòd ſi quis díxerit; Cur ergo Jacóbus Jeroſolymórum thronum accépit? Reſpondébo, Petrum non throni hujus, ſed totíus orbis Doctórem à Chriſto ſtatútum fuiſſe.

℟. Erat Petrus dórmiens inter duos mílites, vinctus caténis duábus: & cuſtódes ante óſtium cuſtodiébant cárcerem; & ecce Angelus áſtitit, percuſsóque látere Petri, excitávit eum, dicens: * Surge velóciter. ℣. Ecce ſolvi te hódie de caténis quæ ſunt in mánibus tuis. * Surge. *Act.* 12. 6. 7. *Jerem.* 40. 4.

Lectio viij. in Epiſt. ad Epheſ. Hom. 8. *n.* 1. 2. *&* 3.

NIhil eſt æquè præclárum atque víncula propter Chriſtum. Vinctũ eſſe propter Chriſtũ, fortaſſe eſt præclárius quàm ſedére à dextris ejus: hoc eſt magnificéntius, quàm ſedére ſuper duódecim ſedes. Atque áliis quidem vidétur ridículum; ſi probrũ & contumélia dignitátis & lætítiæ loco habeántur: iis autem qui ſciunt Chriſti deſidérium, quid beátius, quàm contuméliis áffici? Vellem ego quidem nunc eſſe iis in locis in quibus dicúntur manére illa víncula: vellem vidére caténas, quas pertiméſcunt quidem & horrent dæmones, reveréntur autem Angeli. Nihil eſt enim mélius, quàm mala pati propter Chriſtum. * O beáta víncula! ô beátas manus quas ornávit illa caténa! Ego ſi fuiſſem illis tempóribus, tunc máximè eas eſſem ampléxus: certáſſem illas deoſculári manus quæ dignæ ſunt hábitæ pro Dómino meo vincíri. Erat, inquit Lucas, Petrus vinctus, & tráditus milítibus, & dormiébat. Non dormiſſet, ſi in magna fuiſſet ſollicitúdine... Quanta eſt gloriátio ſcire quòd propter Chriſtum ſit vinctus? Quanta volúptas! quantus honor! quantus ſplendor? Vellem hæc perpétuò effári.

℟. Sapiéntia juſtum non derelíquit, ſed à peccatóribus liberávit eum: deſcendítque cum illo in fóveam, * Et in vínculis non derelíquit illum. ℣. Cecidérunt caténæ de mánibus Petri. * Et in vínculis. *Sap.* 10. 13. 14. *Act.* 12. 7.

Lectio ix. de Ss. Mach.

Sermo ſancti Gregórii Nazianzeni.

Orat. 22.

MAchabæórum nómine dies feſtus præſénti frequentiâ celebrátur. Qui, etſi apud multos non ſunt in honóre, quòd illud certámen poſt Chriſtum non ſuſceperunt; tamen digni ſunt qui ab ómnibus honoréntur, quia pro pátriis légibus & inſtitútis fortes conſtantéſque ſe præbuérunt. Nam qui martyrium ſubiérunt ante Chriſti paſſiónem, quid factúri erant, ſi poſt Chriſtū perſecutiónem paſſi fuiſſent, ejúſque mortem noſtræ ſalútis causâ ſuſcéptam, ad imitándum propóſitam habuíſſent? Quorum enim nullo propóſito exémplo talis tántaque virtus fuit, annon ii exémplum illud intuéntes, fórtius in certámen deſcendíſſent? Quin étiam myſtica quædam & occúlta rátio mihi quidem atque ómnibus Dei amatóribus valdè probábilis eſt, néminem eórum qui ante Chriſti advéntum martyrio conſummáti ſunt, id ſine fide in Chriſtum conſequi potuíſſe.

℟. Diſſolúta ſunt víncula brachiórum & mánuum illíus per manus poténtis Jacob: * Inde paſtor egréſſus eſt lapis Iſrael. ℣. Dixit Angelus ad Petrum: Præcíngere, & cálcea te cáligas tuas. Et fecit ſic. * Inde. Glória. * Inde. *Gen.* 49. 24. *Act.* 12. 8.

Te Deum.

AD LAUDES.

Mira liberationis Petri hiſtoria.

℣. *Sacerd.* Exaudívit páuperes Dóminus: ℟. Et vinctos ſuos non deſpéxit. *Pſal.* 68. 34.

Ant. ANgelus dixit Petro: Circúmda tibi veſtiméntum tuum, & ſéquere me. *Act.* 12. 8. *t.* 1. *f.*

Ant. t. 2. *D.* Exiens Petrus ſequebatur eum, & neſciébat, quia verum eſt quod fiébat per Angelum: exiſtimábat autem ſe viſum vidére. *Act.* 12. 9.

Ant. t. 3. *A.* Transeúntes primam & ſecúndam cuſtódiam, venérunt ad portam férream, quæ ducit ad civitátem; quæ ultrò apérta eſt eis. *Act.* 12. 10.

Ant. t. 4. *E.* Exeúntes proceſſérunt vicum unum; & contínuò diſcéſſit Angelus ab eo. *Act.* 12. 10.

Ant. t. 5. *A.* Petrus ad ſe revérſus, dixit: Nunc ſcio verè, quia miſit Dóminus Angelum ſuum, & erípuit me de manu Heródis & de omni expectatióne plebis Judæórum. *Act.* 12. 11.

Capitulum. 2. *Petr.* 2. 9.

NOvit Dóminus pios de tentatióne erípere: iniquos verò in diem judícii reſerváre cruciándos.

℣. Miſit Dóminus de ſummo, & accépit me: ℟. Et erípuit me de inimícis meis

fortíſſimis. Pſ. 17. 17. 18.

Ad Bened. Ant. 1. 8. c. Cantáte Dómino, laudáte Dóminum: quia liberávit ánimam páuperis de manu malórum. Jerem. 20. 13.

Oratio.

DEus, qui beátum Petrum Apóſtolum à vínculis abſolútum, illæſum abíre fecíſti; noſtrórum, quæſumus, absólve víncula peccatórum; ut ab ómnibus impediméntis expedíti, viam mandatórum tuórum dilatáto corde, currámus; Per Dóminum, &c.

Pro Comm. Ss. Machabæorum. Rex mundi defúnctos nos pro ſuis légibus in ætérnæ vitæ reſurrectióne ſuſcitábit. 2. Mach. 7. 9.

℣. Judicábit Dóminus pópulum ſuum; ℟. Et in ſervis ſuis deprecábitur. Pſ. 134. 14.

Oratio.

FRatérna nos, Dómine, Mártyrum coróna lætíficet, quæ & fídei noſtræ præbeat increménta virtútum, & multíplici nos ſuffrágio conſolétur; Per, &c.

Ad Horas br. Antiphonæ de Laudibus.

AD TERTIAM.

Capitulum. Iſ. 29. 13. 14.

DIxit Dóminus: Ecce ego addam, ut admiratiónem fáciam pópulo huic miráculo grandi & ſtupéndo.

℟. Venit Petrus ad domum, ubi erant multi congregáti, & orántes: pulſánte autem eo óſtium jánuæ, * Cùm aperuíſſent, † Vidérunt eum, & obſtupuérunt. ℣. Aperíte portas, quóniam nobíſcum eſt Deus, qui fecit virtútem in Iſrael. * Cùm aperuíſſent. Glória. † Vidérunt. Act. 12. 12. 13. 16. Judith. 13. 13.

℣. Exultáte in conſpéctu ejus, ℟. Qui edúcit vinctos in fortitúdine. Pſ. 67. 5. 7.

AD SEXTAM.

Capitulum. Dan. 3. 99. 100.

SIgna & mirabília fecit apud me Deus excélſus: ſigna ejus, magna ſunt, & mirabília ejus, fórtia.

℟. br. Edúxit (Dóminus) * Et víncula diſrúpit. Edúxit. ℣. Contrívit portas æreas. * Et víncula. Glória. Edúxit. Pſ. 106. 14. 16.

℣. Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus: ℟. Et mirabília ejus fíliis hóminum. Pſ. 106. 15.

AD NONAM.

Capitulum. Dan. 3. 95.

BEnedíctus Deus qui miſit Angelum ſuum, & éruit ſervos ſuos, qui credidérunt in eum.

℟. br. Miſit de cœlo (Dóminus,) * Et liberávit me. Miſit. ℣. Dedit in oppróbrium conculcántes me. * Et liberávit. Glória. Miſit. Pſ. 56. 4.

℣. Dirupíſti, Dómine, víncula mea: ℟. Tibi ſacri-

Lectio iij.

Ex S. Cypriano, Uſuard. & Adon.

STéphanus poſt Lúcium ſucceſſórem Cornélii, Románam rexit Eccléſiam. Graſſabátur ejus tempóribus Novatianórum hæreſis, quæ pœniténtibus lenitátis patérnæ ſolátia claudébat ſine ſpe pacis, & communicatiónis. His cùm ſe Marciánus Areláténſis adjunxíſſet, Stéphanus eâ de re primùm à Fauſtíno Lugdunénſi, ſubíndè à ſancto Cypriáno mónitus eſt in hunc modum: Dirigántur in Províanciam, & ad plebem Areláte conſiſténtem à te litteræ, quibus abſténto Marciáno, álius in locum ejus ſubſtituátur; & grex Chriſti, qui in hodiérnum ab illo diſſipátus & vulnerátus contémnitur, colligátur. Eccléſiæ tamen diſcíſſæ ad unitátem revérſæ ſunt, & rédditam inſperátò pacem Dionyſius Alexandrínus ipſi Stéphano per lítteras gratulátus eſt. Alia quoque gravis exórta eſt controvérſia, Utrùm baptizáti ab hæréticis ad Eccléſiam redeúntes, dénuò eſſent baptizándi. De qua quid ſentíret Stéphanus ad Cypriánum ſcripſit his verbis: Nihil innovétur, niſi quod tráditum eſt. Demùm poſt adminiſtrátam per áliquot annos Eccléſiam, in perſecutióne Valeriáni Martyr occubuit, anno Chriſti ducenteſimo quinquagéſimo séptimo.

DIE III.

REVELATIO *SEU* INVENTIO CORPORIS S. STEPHANI, PROTOMARTYRIS.

Solemne-majus.

AD I. VESPERAS.

Abſconſum erit viri Dei ſepulchrum, ſicque dum Deus ſuis temporibus mirabiliter revelaverit.

Pſalmi de Feria.

Ant. 1. *D.* SPíritus Dei induit (eum) & ſtetit in conſpéctu pópuli, & dixit eis: Quare dereliquíſtis Dóminum? Qui congregáti advérſus eum, miſerunt lápides. 2. *Paral.* 24. 20 21

Ant. 2. *d.* Ille glorioſíſſimam mortem compléctens, voluntárię præibat ad ſupplícium, patiénter ſúſtinens. 2. *Mach.* 6. 19. 20.

Ant. 4. *E.* Mórtuus eſt ſervus Dómini: & non cognóvit homo ſepúlchrum ejus. *Deuter.* 34. 5. 6.

Ant. 5. *F.* Ignótus erit locus, donec cóngreget Deus congregatiónem pópuli, & propítius fiat. 2. *Mach.* 2. 7.

Ant. 6. *F.* Tunc Dóminus oſténdet hæc, & apparebit majéſtas Dómini. 2. *Mach.* 2 8.

Capitulum. Ezech. 37. 12. 13.

HÆc dicit Dóminus Deus: Ecce ego apériam túmulos veſtros: & ſciétis quia ego Dóminus, cùm aperúero ſepúlchra veſtra.

℟. Vivent mortui, interfécti reſúrgent: expergiſcímini & laudáte, qui habitátis in púlvere: * Terra non

operiet ultra interfectos ſuos. ℣. Quod áliis generatiónibus non eſt ágnitum, nunc revelátum eſt Sanctis.* Terra. Glória. * Terra. *Iſ.* 26. 19. 21. *Epheſ.* 3. 5.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

OBſcúres ténebris, Chriſte, vetas premi,
Clarâ qui púgiles te nece prædicant.
Quæ ſub nocte jacent, tempóribus ſuis
Hæc pleno rétegis die.
Quæ celáta diu pulvéreo ſitu,
Monſtras oſſa tui ſplendida Mártyris;
Ad cujus cíneres cúrritur, & ſuus
Siccis eſt honor óſſibus.
Flores è túmulo vim médicam trahunt,
Et cæco ſúbitum reſtítuunt diem;
Qui dux ipſe ſui, jam répetit domum,
Cœli múnere lætior.
Ultor nempe Deus non méritæ necis,
Sacris opprobrium penſat honóribus:
Claros prodígiis, ac venerábiles
Ipſos vel túmulos facit.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
Cujus præſídio prælia ſúſtinent
Fuſo ſánguine Mártyres.
Amen.

℣. Cuſtódit Dóminus ómnia oſſa juſtórum: ℟. Unum ex his non conterétur. *Pſ.* 33. 21.

Ad Magnif. Ant. t. 7. *a.* Oriétur in ténebris lux tua: oſſa tua liberábit Dóminus, & eris quaſi hortus irríguus. *Iſ.* 58. 10. 11.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Mirábilem Deum in Sanctis ſuis, * Veníte, adorémus. *Pſ.* 67. 36.

IN I. NOCTURNO.

Quanta prædicantis conſtantia; quanta morientis charitas.

Ant. t. 1. *irr.* Ego replétus ſum fortitúdine Spíritûs Dómini, judício, & virtúte, ut annúntiem Jacob ſcelus ſuum, & Iſrael peccátum ſuum. *Mich.* 3. 8.

In Pſalm. 3. Dómine, quid multiplicáti ſunt, *pag.* 4.

Ant. t. 2. *d.* Zelo zelátus ſum pro Dómino Deo exercítuum, & quærunt ánimam meam, ut áuferant eam. 3. *Reg.* 19. 10.

In Pſal. 12. Uſquequò, Dómine, oblivíſceris, *pag.* 56.

Ant. t. 3. *E.* Dicunt: Lapidétur; & aſpíciat óculus noſter: ipſi autem non cognovérunt cogitatiónes Dómini. *Mich.* 4. 11. 12.

In Pſal. 16. Exáudi, Dómine, juſtítiam meam, *pag.* 136.

℣. Propter te ſuſtínui oppróbrium; ℟. Quóniam ſo-

lus domûs tuæ comédit me. *Pſ.* 68. 8. 10.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 6. v. 8. ad finem.

STéphanus plenus grátiâ & fortitúdine, faciébat prodígia & ſigna magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de ſynagóga, quæ appellátur Libertinórum, & Cyrenénſium, & Alexandrinórum, & eórum qui erant à Cilícia, & Aſia, diſputántes cum Stéphano: & non póterant reſiſtere ſapiéntiæ & Spirítui qui loquebátur. Tunc ſummiſérunt viros, qui dícerent ſe audiviſſe eum dicéntē verba blaſphémiæ in Móyſen, & in Deum. Commovérunt ítaque plebem, & ſenióres, & ſcribas: & concurréntes rapuérunt eum, & adduxérunt in concílium, & ſtatuérunt falſos teſtes, qui dícerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba advérsùs locum ſanctum, & legem: Audívimus enim eum dicéntem: Quóniam Jeſus Nazarénus hic, déſtruet locum iſtum, & mutábit traditiónes quas trádidit nobis Móyſes. Et intuéntes eum omnes qui ſedébant in concílio, vidérunt fáciem ejus tamquam fáciem Angeli.

℟. Sermónibus ódii circumdedérunt me: * Poſuérunt advérsùm me mala pro bonis; & ódium pro dilectióne mea. ℣. Statuérunt falſos teſtes qui dícerent: Homo iſte non ceſſat loqui advérsùs locum ſanctum, & legem. * Poſuérunt. *Pſ.* 108. 3. 5. *Act.* 6. 13.

Lectio ij. Cap. 7. v. 1. & 2. & 51. ad 56.

DIxit autem Princeps Sacerdótum: Si hæc ita ſe habent? Qui ait... Durâ cervíce, & incircumcíſis córdibus & áuribus, vos ſemper Spirítui ſancto resíſtitis, ſicut patres veſtri, ita & vos. Quem Prophetárum non ſunt perſecúti patres veſtri? Et occidérunt eos qui prænuntiábant de advéntu Juſti, cujus vos nunc proditóres & homicídæ fuíſtis? qui accepíſtis legem in diſpoſitióne Angelórum, & non cuſtodíſtis. Audiéntes autem hæc diſſecabántur córdibus ſuis, & ſtridébant déntibus in eum. Cùm autem eſſet plenus Spíritu ſancto, inténdens in cœlum, vidit glóriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei. Et ait: Ecce vídeo cœlos apértos, & Fílium hóminis ſtantem à dextris Dei.

℟. Ecce incircumcíſæ aures eórum, & audíre non poſſunt: * Idcírcò furóre Dómini plenus ſum, laborávi ſúſtinens. ℣. Durâ cervíce, & incircumcíſis córdibus & áuribus, vos ſemper Spirítui ſancto resíſtitis. * Idcírco. *Jerem.* 6. 10. 11. *Act.* 7. 51.

Lectio iij. Cap. 7. v. 56. ad fin. & Cap. 8. v. 1. ad 3.

EXclamántes autem voce magnâ continuérunt aures ſuas, & impetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejiciéntes eam extra civitátem, lapidábant: & teſtes depoſuérunt veſtiménta ſua ſecus pedes adoleſcéntis, qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocántem, & dicentem: Dómine Jeſu, ſúſcipe ſpíritum meum. Pósitis autem génibus, clamávit voce magnâ, dicens: Dómine, ne ſtátuas illis hoc peccátum. Et cùm hoc dixíſſet, obdormívit in Dómino. Saulus autem erat conséntiens neci ejus. Facta eſt autem in illa die perſecútio magna in Eccléſia, quæ erat Jeroſólymis, & omnes diſpérſi ſunt per regiónes Judææ, & Samaríæ, præter Apóſtolos. Curavérunt autem Stéphanum viri timoráti, & fecérunt planctum magnum ſuper eum.

℞. Atténde, Dómine, * Recordáre quòd ſtéterim in conſpectu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, & avérterem indignatiónem tuam ab eis. ℣. Pósitis génibus clamávit voce magnâ Stéphanus: Dómine, ne ſtátuas illis hoc peccátum. * Recordáre. Glória. * Recordáre. *Jerem.* 18. 19. 20. *Act.* 7. 59.

IN II. NOCTURNO.

Poſt mortem & victoriam, in Reliquiarum ſuarum Inventione quantùm glorificatus Stephanus.

Ant. t. 4. E. Malè tractavérunt illum qui conſecrátus eſt evértere & erúere, qui vidit conſpéctum glóriæ quam oſténdit illi Dóminus. *Eccli.* 49. 9. 10.

In Pſalm. 33. Benedícam Dóminum in omni, *pag.* 80.

Ant. t. 2. d. In fraude circùmveniéntium illum áffuit illi Dóminus, & certámen forte dedit illi, ut vínceret. *Sap.* 10. 11. 12.

In Pſal. 56. Miſerére mei, Deus, quóniam, *pag.* 58.

Ant. t. 3 E. Vitâ decéſſit, univérſæ genti memóriam mortis ſuæ ad exémplum virtútis & fortitúdinis derelínquens. 2. *Mach.* 6. 31.

In Pſalm. 61. Nonne Deo ſubjécta, *pag.* 59.

℣. Numquid mórtuis, Dómine, fácies mirabília?

℞. Et confitebúntur tibi? *Pſ.* 87. 11.

Lectio iv.

Apud Aug. Lib 7. in App. Edit. Ben.

SAncti Protomártyris Stéphani corpus, ſanctorúmque Gamaliélis, Nicodémi, & Abibæ córpora, quæ diu latúerant, Theodóſio junióre & Honório imperántibus, Luciáno Presbytero divínitùs admónito, invénta ſunt prope Jeroſólymam.

Huic cùm in ſomnis apparuiſſet Gamáliel, gravi quâdam & præclarâ ſenis ſpecie, locum jacéntium córporum commonſtrávit; imperans ut Joánnem Jeroſolymitánū Antíſtitem adíret, agerétque cum eo, ut honéſtius córpora illa ſepeliréntur. Verùm véritus ne à cœlo non eſſet ea víſio, nec ei vellet acquiéſcere, quin éadem íterum & tértiò audiviſſet, edóctus à Paulo sátanā tranſfiguráre ſe in Angelum lucis, appáruit ei pro votis idem venerábilis ſenex, ipſum & de nímia cautione grávius objúrgans, & aſpérius monens cœlum non priùs datúrum aquam (tunc enim erat síccitas máxima, & tribulátio in toto mundo) quin Stéphano & sóciis facta fuiſſet oratiónis domus; ut eorum interceſſióne miſererétur Dóminus pópulo ſuo.

℟. Verbo Dómini contínuit cœlum, * Et ſic amplificátus eſt in mirabílibus ſuis: & quis poteſt ſimíliter ſic gloriári? ℣. Oratióne orávit ut non plúeret ſuper terram, & non pluit: & rurſum orávit, & cœlum dedit plúviam. * Et ſic amplificátus. *Eccli.* 48. 3. 4. *Jacob.* 5. 17. 18.

Lectio v.

His audítis, Jeroſolymórum Antíſtes, finitimárum úrbium Epíſcopis, Preſbyteríſque convocátis, fodi jubet in quodam acérvo, in quo nihil repértum eſt. Sed præfátus Gamáliel appárens cuidam Mónacho, nómine Migétio, pretióſa illa córpora in loco qui dicebátur, Bonorum virórum poſséſſio, commónuit eſſe perquirénda. Quæ cùm reſciiſſet Antíſtes, ad locum pergit, & deſóſſos quátuor lóculos invenit; unde ſuavíſſimus odor efflabátur. Cujus rei famâ magna hóminum multitúdo commóta eò convénit; pluréſque váriis morbis affecti, ſani & íntegri rediérunt. Sacræ Relíquiæ ſummâ celebritáte in ſanctam Eccléſiam Sion illátæ ſunt: ex quibus váriæ partículæ in Africam, Gálliam, aliáſque orbis partes delátæ, multis claruérunt miráculis.

℟. Non pertímuit príncipem, & poténtiâ nemo vicit illum. * In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabília operátus eſt. ℣. Stéphanus plenus grátiâ & fortitúdine, faciébat prodígia & ſigna magna in pópulo. * In vita ſua. *Eccli.* 48. 13. 15. *Act.* 6. 8.

Lectio vj.

Ex Eccleſ. Cathed. monumentis.

Ex váriis Reliquiárum ſancti Stéphani partículis, quæ ab ómnibus cupítæ, quibuſdam conceſſæ ſunt, unam obtinuíſſe ſibi gratulátur noſtra Cathedrális Eccléſia. Cùm enim anno milléſimo quingentéſimo qua-

dragéſimo, Aprílis vigéſimâ octavâ die, ad ſancti Manſuéti ſubúrbium veníſſet religióſus ádmodum Princeps Antonius Lotharíngiæ Dux, ſummo cum apparátu ex coſtis ſancti Stéphani partículam ásferens quâ Ecclésiam Cathedrálem ditáret; huic grato & hilari ánimo, affluénte multo Cleri, Magiſtrátuum & cívium concúrſu, occúrrit Pelegrínus Tulléníis Epíſcopus, qui accéptas è Principis mánibus Relíquias, débitâ cum veneratióne, inter gratiárum Hymnos & Cántica, ad Ecclésiam Cathedrálem détulit, illáſque argénteæ ſancti Stéphani ſtátuæ adjúnxit in thécula, cui in rei memóriam, hæc inſcrípta legúntur. Antónii Calábriæ, Lotharíngiæ, Barri, Gueldriæ Ducis, Príncipis pientíſſimi, quod perſonáliter óbtulit, ex coſtis divi Stéphani munus.

℟. Vidébitis, & gaudébit cor veſtrum: * Oſſa veſtra quaſi herba germinábunt, & † Cognoſcétur manus Dómini ſervis ejus. ℣. Tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Absórpta eſt mors in victória: Ubi eſt, mors, victória tua? Ubi eſt, mors, ſtímulus tuus? * Oſſa. Glória. † Cognoſcétur. *Iſ.* 66. 14. 1. *Cor.* 15. 54. 55.

IN III. NOCTURNO.

Stephani mirabilia toto orbe diffuſa, ut ſit omnibus in exemplum & auxilium.

Ant. 4. *F.* Spíritus omnipoténtis Dei magnam fecit ſuæ oſtenſiónis evidéntiam. 2. *Mach.* 3. 24.

In Pſal. 63. Exaudi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor, *pag.* 77.

Ant. 5. *F.* Gentes ad te current propter Dñum Deũ tuum, & Sanctũ Iſrael, quia glorificávit te. *Iſ.* 55. 5.

In Pſal. 65. Jubiláte Deo, omnis terra, *pag.* 60.

Ant. 6. *F.* Hódie nomen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum. *Judith.* 13. 25.

In Pſal. 85. Inclína, Dómine, aurem, *pag.* 78.

℣. Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo: ℟. Glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum. *Pſ.* 20. 6.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 23. *v.* 29.

IN illo témpore; Dicebat Jeſus: Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypócritæ, qui ædificatis ſepúlchra prophetárum, & ornátis monuménta juſtórum. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtini Epíſcopi. *Serm.* 318.

EXpéctat Sánctitas veſtra ſcire quid hódie in iſto loco póſitum ſit. Relíquiæ ſunt primi & beatíſſimi Mártyris Stéphani. Audíſtis quemádmodum lapidátus ſit à Judæis, quemádmodum Dómino commendáverit ſpíritum ſuum, quemádmodum

étiam in extrémo, génibus fixis, oráverit pro lapidatóribus ſuis. Hujus corpus ex illo uſque ad iſta témpora látuit; nuper autem appáruit, ſicut ſolent apparére ſanctórum Mártyrum córpora, revelatione Dei, quando plácuit Creatóri... Præcedéntibus enim ſignis locus demonſtrátus eſt; & quómodo fúerat revelátum, ſic & invéntum eſt. Multi inde Relíquias accepérunt, quia Deus vóluit, & huc venérunt. Commendátur ergo charitáti veſtræ & locus & dies: utrúmque celebrándum in honórem Dei, quem conféſſus eſt Stéphanus. Nos enim in iſto loco non aram fécimus Stéphano, ſed de Relíquiis Stéphani arā Deo.

℟. Magnus ſecúndùm nomen ſuum, máximus in ſalútem electórum Dei, expugnáre inſurgentes hoſtes: * Quam glóriam adéptus eſt! Quis ante illum ſic réſtitit? ℣. Exémplum accípite labóris, & patiéntiæ. * Quam glóriam. *Eccli.* 46. 1. 2. 3. 4. *Jacob.* 5. 10.

Lectio viij. Serm. 317.

MArtyr Stéphanus ab Apóſtolis Diaconus ordinátus, ante Apóſtolos coronátus; illas terras paſſus illuſtrávit, iſtas mórtuus viſitávit. Sed mórtuus non viſitáret, niſi & mórtuus víveret. Exíguus pulvis tantum pópulum congregávit! cinis latet, benefícia patent. Cogitáte, chariſſimi, quæ nobis Deus ſervat in regióne vivórum, qui tanta præſtat de púlvere mortuorum. Caro ſancti Stéphani per loca ſancta diffamátur: ſed fidei ejus méritum commendátur. Sic expectémus cónſequi temporália benefícia, ut eum imitándo accípere mereámur ætérna. Quod nobis beátus Martyr imitándum in ſua paſſióne propóſuit, hoc atténdere, hoc crédere, hoc implére, verè eſt ſolémnia Mártyris celebráre.

℟. Numquid narrábit áliquis in ſepúlchro miſericordiam tuam, Dómine? * Numquid cognoſcéntur in ténebris mirabília tua, & juſtítia tua in terra obliviónis? ℣. Nunc, Dómine, réſpice, in eo quòd manum tuam exténdas ad ſanitátes, & ſigna & prodígia fieri. * Numquid. *Pſ.* 87. 12. 13. *Act.* 4. 29. 30.

Lectio ix. Serm. 316.

QUi noſtis amáre Stéphanum, in Chriſto amáte. Hoc enim vult, hoc illi gratum eſt: inde gaudet, hoc accéptum habet. Non enim nomen ſuum vóluit jactáre apud lapidatóres ſuos. Atténdite quem confitebátur, quando lapidabátur; quem confitebátur in terra, quem vidébat in cælo; pro quo tradébat carnem ſuam, cui commendábat ánimam ſuam. Numquid enim légimus, aut in doctrína

ſana alicúbi légere póſsumus, quia faciebat aut facit ſigna Jeſus per nomen Stéphani? Fecit Stéphanus, ſed per nomen Chriſti. Hoc facit & modò: quidquid vidétis quia fit per memóriam Stéphani, in nómine Chriſti fit; ut Chriſtus commendétur, Chriſtus adorétur.

℟. Córpora Sanctórum in pace ſepúlta ſunt, & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem: * Sit memória illórum in benedictióne, & oſſa eórum púllulent de loco ſuo. ℣ Ludíbria & vérbera expérti, lapidáti ſunt, tentáti ſunt; quibus dignus non erat mundus. * Sit memória. Glória. * Sit. *Eccli.* 44. 14. *&* 46. 14. *Hebr.* 11. 36. 37. 38.

Te Deum.

AD LAUDES.

In opéribus & mirabílibus ſuis laudatur Stephanus.

℣. *Sacerdos.* In memória ætérna erit juſtus: ℟. Ab auditióne mala non timébit. *Pſ.* 111. 7.

Pſalmi de Dominica.

Ant. t. 1. *d.* GLorificáte nomen Dei Iſrael. A fínibus terræ laudes audívimus, glóriam juſti. *Iſ.* 24. 15. 16.

Ant. t. 3. *F.* Conſíderans advéntum multitúdinis, exténdens manus ſuas in cœlum, prodígia faciéntem Dóminum invocávit, qui dat dignis victóriam. 2. *Mach.* 15. 21.

Ant t. 5. *f.* Móritur felix: medúllis oſſa illius irrigántur; & in congérie mortuórum vigilábit. *Job.* 21. 23. 24. 32.

Ant. t. 6. *F.* Oſſa ipſíus viſitáta ſunt, & poſt mortem prophetavérunt. *Eccli.* 49. 18.

Ant. t. 2. *d.* In ſæculum memória ejus in benedictióne: & nominátus eſt uſque ad noviſſimum terræ. 1. *Mach.* 3. 7. 9.

Capitulum. Jerem. 17. 7. 8.

BEnedíctus vir qui confídit in Dómino, & erit Dóminus fidúcia ejus: erit quaſi lignum quod transplantátur ſuper aquas ... & erit fólium ejus víride in témpore ſiccitátis; nec aliquándo déſinet fácere fructum.

℣. Numquid, Dómine, confitébitur tibi pulvis?

℟. Aut annuntiabit veritátem tuam? *Pſ.* 29. 10.

Ad Bened. *Ant. t.* 6. *F.* Poſt mortē non erit tale nomen. Poténtiâ nemo vicit illum: nec ſuperávit illum verbum aliquod: & mórtuum prophetávit corpus ejus. *Eccli.* 48. 12. 13. 14.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut ſicut in Revelatióne córporis beáti Protomártyris Stéphani divína laudámus magnália; ſic indulgéntiam tuam ejus précibus aſſequamur, & ad vitam proficiámus ætérnam. Per, &c.

Ad Horas br. Hymni & Pſalmi de Dominica, Antiph. de Laudibus.

AD PRIMAM.

CANON

Ex Concílio Moguntíno.

An. 1549. *Cap.* 43.

RElíquias Sanctórum velut divinæ grátiæ olim receptácula, & veríſſima Chriſti membra, & pura Spíritûs ſancti domicília, monémus in Eccleſiis noſtris... ob id proponéndas. ut per eas fidéles commóniti diſcant virtútem & fidem Sanctórum imitári.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eccli. 51. 14. 15.

INvocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis, & in témpore ſuperbórum ſine adjutório... Et exaudíta eſt orátio mea.

℞. Cógnitus eſt in verbis ſuis fidélis, quia * Vidit Deum lucis; & invocávit Dóminum omnipoténtem in oppugnándo hoſtes circumſtántes úndique. ℣. Inténdens in cœlum Stéphanus vidit Jeſum ſtantem à dextris Dei: & lapidábant invocántem, & dicéntem: Dómine Jeſu, súſcipe ſpíritũ meum. * Vidit. Glória. * Vidit. *Eccli.* 46. 18. 19. *Act.* 7. 55. 58.

℣. In tribulatióne invocávi Dóminum: ℞. Et exaudívit vocem meam, allelúia. *Pſ.* 17. 7.

Per Octavam ℞. *br.* Dómine, non confúndar: * Allelúia, allelúia. Dómine. ℣. Quoniam invocávi te. * Allelúia. Glória. Dómine. *Pſ.* 30. 18.

℣. Propè eſt Dóminus invocántibus eum, ℞. Invocántibus eum in veritáte, allelúia. *Pſ.* 144 18.

AD SEXTAM.

Capitulum. Philip. 1. 20.

SEcúndùm expectatiónem & ſpem meam, quia in nullo confúndar; magnificábitur Chriſtus in córpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem.

℞. *br.* Oſſa mea dicent, * Allelúia, allelúia. Oſſa. ℣. Dómine, quis ſímilis tibi? * Allelúia. Glória. Oſſa. *Pſ.* 34. 10.

℣. Audítui meo dabis gáudium & lætítiam: ℞. Et exultábunt oſſa humiliáta, allelúia. *Pſ.* 50. 10.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 24. 1 3.

IN Deo honorábitur, & in médio pópuli ſui exaltábitur, & in plenitúdine ſancta admirábitur.

℞. *br.* Juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi, * Allelúia, allelúia. Juſtítia. ℣. Cornu ejus exaltábitur in glória. * Allelúia. Glória. Juſtítia. *Pſ.* 111. 9.

℣. Glóriâ & honóre coronáſti eum, Dómine: ℞. Et conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum, allelúia. *Pſ.* 8. 6. 7.

AD II. VESPERAS.

Ad S. Stephani Reliquias quot ſigna, quot prodigia!

Pſalmi de Dominica, & loco ultimi dicitur Pſ. 115. Credidi, *pag.* 91.

Ant. t. 1. *D.* QUi credit in me, opera quæ ego fácio, & ipſe fáciet, & majóra horum fáciet. *Joan.* 14. 12.

Ant. t. 5. *f.* Cæci vident, claudi ámbulant, ſurdi áudiunt, mórtui resúrgunt. *Matth.* 11. 5.

Ant. t. 6. *F.* Concurrébat multitúdo civitátum afferéntes ægros, & vexátos à ſpirítibus immúndis; qui curabántur omnes. *Act.* 5. 16.

Ant. t. 3. *F.* Virtútes non quáslibet faciébat Deus: ita ut ſuper lánguidos deferréntur à córpore ejus ſudária, & recedébant ab eis languóres. *Act.* 19. 11. 12.

Ant. t. 2. *d.* Dómine, propter fámulum tuum fecíſti omnem magnificéntiã hanc, & nota eſſe voluíſti univérſa magnália. 1. *Par.* 17. 19.

Capitulum. Joel. 2. 25. 26.

FOrtitúdo mea magna, quam miſi in vos. Laudabitis nomen Dómini Dei veſtri, qui fecit mirabília vobíſcum.

HYMNUS.

O Mártyrum dux, plúrimo
Dum thure, ſanctis dum tua
Colúntur oſſa rítibus,
Votis favéto ſupplicum.
Non illa, quamquam tríſtibus
Imum redácta in púlverem
Dudum ſepúlchris ſquálleant
Divína virtus déſerit.
Sed ſancta præsénti fovet,
Implétque templa Númine;
Sed & futúræ ſpíritus
Poſt ſæcla ſervat glóriæ.
Hinc ille qui ſacris latet,
Cinis ſub aris cónditus,
Ægris medétur éfficax
Torquet, fugátque dæmones.
Laus ſit tibi, qui Mártyris,
Jeſu, revélas glóriam;
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Mirábilis Deus in Sanctis ſuis: ℟. Ipſe dabit virtútem. *Pſ.* 67. 36.

Ad Magnif. *Antiph. t.* 6. *F.* (Sanctorum) oſſa púllulent de loco ſuo: nam corroboravérunt Jacob, & redemérunt ſe in fide virtútis. *Eccli.* 49. 12.

Oratio ut ſuprà.

Fit Commem. S. Dominici, Presbyteri.

DIEBUS INTRA OCTAVAM S. STEPHANI.

Ad Officium Noct. *Invitat. ut in die: Pſalmi novem de Feria, tres Antiph.* ℣. *&* ℟. ℟. ℟. *ex uno N. St. Feſti juxta Rubricam, prima & ſecunda Lectio de Script.*

occurr. (ſec. & tert. in unam junctis) tertia Lectio de Octava, ut aſſignatur in qualibet die.

Ad Laudes. *Prima Antiph. de Laudibus Feſti, Pſalmi de Feria, & ſic in toto Officio:*

Ad Hor. br. *Antiph. de Laudib. quartâ omiſſâ; reliquæ ut in die.*

Ad Veſperas. *Antiph. prima de 2. Veſp. cætera ut in die præter Pſalmos.*

Die 5 v.

S. DOMINICI, Presbyteri, Ordinis Prædicat. Inſtitutoris.

Duplex 4. Claſſ.

Omnia de Communi unius Presbyteri.

Oratio.

Deus, qui Eccléſiam tuam beáti Domínici illumináre dignátus es méritis & doctrínis: concéde, ut ejus interceſſióne, temporálibus non deſtituátur auxíliis, & ſpirituálibus ſemper profíciat increméntis; Per, &c.

Fit Comm. Octavæ S. Stephani in utriſque Veſperis & Laudibus.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ipſius vita à Theodorico Appold. ſcripta & aliis.

Domínicus, Calarógæ in Hiſpánia ex nóbili Guſmannórum família natus eſt. Hunc mater dum útero geſtáret, quædam vidíſſe per quiétem tráditur, ex quibus conjícere pronum eſſet, eum quem paritúra erat, ſplendóre ſanctitátis & doctrínæ multos ad Chriſtiánam pietátem inflammatúrum. Paléntiæ liberálibus diſciplínis, ac Theológiæ óperam dedit. Quo in ſtúdio cùm plúrimùm profeciſſet, annos natus vigínti novem inter Canónicos reguláres Uxaménſis Eccleſiæ cooptátus eſt. Hujus ingénium & virtus máximè enítuit, tum in expugnánda Mahumetanórum impietáte, tum præcípuè in everténdis Albigénſibus hæréticis qui Toloſátes pervértere conabántur. Cui ſancto óperi, primùm auctóre Didáco Epíſcopo ſuo, póſtea cum Legátis Apoſtólicis, non ſine crebro vitæ diſcrímine per annos novem, verbo, précibus & miraculis incúbuit. Mirum porrò quantos hic labor fructus protúlerit, convérſis, infiníto propè número, tam viris quàm muliéribus; inter quas cùm plures ad ſanctimoniálem vitam aſpiráre cérneret, iis excipiéndis Monaſtérium in loco tunc Pruliáno dicto, Fulcóne Toloſáno Epíſcopo conſentiénte, conſtítuit; quod Simon, Comes de Monteſórti, multis donatiónibus auxit.

Lectio v.

Poſtea ſócios étiam ſibi adſciſcere cœpit, quibúſcum vitæ commúnis ratiónem inſtitúeret; qui cùm ſe hæréticis ad fidem revocándis, & pravis hóminum mó-

ribus corrigéndis totos devovérent, illos in Diœcéſi ſua retinére conſtítuit Fulco Toloſánus Epíſcopus; Domínicum verò ad Synodum quam in Baſilica Lateranénſi quartam Innocéntius Papa tértius indíxerat, ſecum Romam addúxit, ut de propóſito inſtitúto cum Pontífice ágeret, ejúſque confirmatiónem obtinéret. Sed hæc Innocéntio, propter decrétum quod de vetándis novis Ordínibus enixè à Pátribus in Synodo petebátur, differénda viſa eſt, & Domínicus interim dimíſſus, ut cum ſociis unam ex approbatis ántea régulis elígeret. Quo facto, Romam rédiens, ab Honório tértio qui próximus Innocéntio ſuccéſſerat, approbationem Ordinis ſub Auguſtíni régula, & Prædicatórum título, impetrávit, & primam domum Toloſæ ad Eccléſiam ſancti Romani conſtítuit.

Lectio vj.

Illinc anno nondum eláp-ſo, ſeptem ex illo ſodalítio Paríſios miſſi, quibus à Joánne Decáno ſancti Quintíni conditore, & académiâ Pariſiénſi ad domum & Eccléſiam ſancti Jacobi locus concéſſus eſt. Hos Domínicus anno Ordinis tértio Paríſios véniens, ad trigínta illìc excrevíſſe réperit; unde horum aliquot in várias regni urbes ad propagándum Ordinem, dum ipſe Romam revertitur, diréxit. Deníque duóbus Romæ Monaſtériis conſtitútis, anno Chriſti ducenteſimo vigéſimo primo ſupra milléſimum, Bonóniæ poſt celebráta Ordinis Comítia, febre corréptus, charitátem, humilitátem, paupertátem frátribus teſtaménto relínquens, obdormívit in Domino, ſextâ die Augúſti: quem miráculis clarum póſtea Gregórius nonus in Sanctórum númerum rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 10. 1.

In illo témpore; Deſignávit Dóminus & álios ſeptuagínta duos: & miſit illos binos ante fáciem ſuam, in omnem civitátem & locum quò erat ipſe ventúrus. Et dicébat illis: Meſſis quidem multa, operárii autem pauci. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Comment. in Matth. L. 1. Cap. 10.

Meſſis multa populórum ſignificat multitúdinem: operárii verò pauci, penúriam Magiſtrórum. Et ímperat ut rogent Dóminum meſſis, ut mittat operários in meſſem ſuam. Iſti ſunt operárii de quibus lóquitur Pſalmiſta, dicens: Qui ſéminant in lacrymis, in gáudio metent: eúntes ibant, & flebant, portántes ſémina ſua; veniéntes autem vénient

cum

eum exultatióne, portántes manípulos ſuos. Et ut apértiùs loquar, meſſis multa, omnis turba credéntium eſt: operárii àutem pauci, & Apóſtoli, & imitatóres eórum qui mittúntur ad meſſem. Et dedit illis poteſtátem ſpirítuum immundórum, ut ejícerent eos. Multa diſtántia eſt, inter habére, & tribúere. Iſte quodcúmque agit, poteſtáte Dómini agit. Illi ſi quid fáciunt, imbecillitátem ſuam, & virtútem Dómini confiténtur, dicéntes: In nómine Jeſu, ſurge, & ámbula.

Lectio viij.

EUntes autem prædicáte, dicéntes; Quia appropinquávit regnum cœlórum: infírmos curáte, mórtuos ſuſcitáte, lepróſos mundáte, dæmones ejícite. Ne hominibus ruſticánis, & abſque elóquii venuſtáte, indóctis & illitterátis, nemo créderet pollicéntibus regna cœlorum, dat poteſtátem infírmos curáre, lepróſos mundáre, dæmones ejícere; ut magnitúdinem promiſſórum probet magnitúdo ſignórum. Et quia ſemper dona ſpirituália (ſi merces média ſit) vilióra fiunt, adjícitur avarítiæ condemnátio: Gratìs accepíſtis, gratis date. Ego Magíſter & Dóminus abſque pretio vobis tríbui; & vos ſine prétio date, ne Evangelii grátia corrumpátur.

Lectio ix.

NOlite poſſidére aurum, neque argéntum, neque pecúniam in zonis veſtris: non peram in via, neque duas túnicas, neque calceaménta, neque virgam; dignus eſt enim operárius cibo ſuo. Quia ſic quodámmodo nudos & expeditos ad prædicandum Apóſtolos mittébat, & dura videbátur condítio magiſtrórum, ſeveritátem præcépti ſequénti ſenténtiâ temperávit, dicens: Dignus eſt operárius cibo ſuo. Tantum, inquit, accípite quantum in victu & veſtitu vobis neceſſárium eſt. Unde & Apóſtolus réplicat: Habéntes victum & veſtítum, his conténti ſimus. Et in álio loco: Commúnicet autem is qui catechizátur, ei qui ſe catechizat in omni bono; ut quorum diſcípuli metunt ſpirituália, consórtes eos fáciant carnálium ſuórum, non in avarítia, ſed in neceſſitáte.

DIE V.

DE OCTAVA S. STEPHANI.

Semiduplex.

Lectio iij.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 322. ex Libello qui à Paulo datus eſt Auguſt. Epiſcopo.

LIbéllum promíſimus charitáti veſtræ, ubi de illo ſtatim audíre poſſitis. Si ergo placet, ambo fratres

ſtent in conſpectu veſtro. Cum adhuc in patria noſtra Cæſaræa Cappadociæ moraremur, frater noſter natu major, grávibus atque intolerándis communem matrem affécit injuriis, in tantum ut ei étiam manus non dubitaret inférre. Quod nos omnes filii páriter congregáti patiénter túlimus, ut ne verbum quidem fratri noſtro pro matre noſtra, cur hoc fáceret dixérimus. Illa autem fœmínei dolóris ſtímulis incitáta, filium maledicéndo puníre conſtituit. Cumque ad ſacri baptiſmatis fontem memoráto filio ſuo iram Dei imprecatúra properáret; tunc ei néſcio quis in pátrui noſtri ſimilitúdine, ut intellígitur, dæmon occúrrit, & ut ómnibus fíliis ſuis maledíceret perſuáſit. Ad ſacrum fontem provolúta corrípuit, & ſparſis crínibus hoc à Deo potiſſimùm poſtulávit, ut circumeúntes aliénas terras, omne hóminum genus noſtro terrerémus exémplo. Mox matérnas preces éfficax vindícta proſéquitur. Eumdem continuò fratrem noſtrum, ætáte culpâque majórem tremor membrórum tantus inváſit, quantùm in me uſque ante hoc tríduum veſtra Sánctitas vidit. Serváto autem órdine quo nati erámus, intra unum annum eâdem nos pœnâ corrípuit... Ex nobis decem frátribus.. ℟. ego qui naſcendi órdine ſum ſextus, ubicúmque géntium, ubicúmque terrárum loca eſſe ſacra in quibus operarétur Deus miràcula comperiſſem, magno deſiderátæ ſanitátis amóre carpébam iter. Etiam ad Ancónam, ubi per glorioſíſſimum Mártyrem Stéphanum, multa miràcula Dóminus operátur, pervéni. Sed ídeò álibi curári non pótui, quia huic loco divínâ prædeſtinatióne ſervábar.

Veſperæ de ſequenti.

Die VI.

IN FESTO TRANSFIGURATIONIS DOMINI.

Duplex 2. Claſ.

AD I. VESPERAS.

Prænuntiatur futura Chriſti in ſua Transfiguratione gloria.

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 7. a. Magnália ſapiéntiæ ſuæ decorávit Dóminus: & quis ſatiábitur videns glóriam ejus? *Eccli.* 42. 21. 26.

Ant. t. 8. c. Opéruit cœlos glória ejus: laudis ejus plena eſt terra: ſplendor ejus ut lux erit. *Habacuc.* 3. 3. 4.

Ant. t. 1. d. Confundétur ſol, cùm regnaverit Dóminus in monte, & in conſpéctu ſenum ſuorum fuerit glorificátus. *Iſ.* 24. 23.

Ant. t. 2. d. Ipſi vidébunt glóriam Dómini, & decórem Dei noſtri. *Iſ.* 35. 2.

Ant. t. 5. a. Cánticum erit & lætítia cordis, & audítam

ſaciet Dóminus glóriam vocis ſuæ. *Iſ.* 30. 29. 30.

Capitulum. Baruch. 5. 1. 3.

EXue te, Jeruſalem, ſtolâ luctûs : Deus enim oſténdet ſplendórem ſuum in te.

℟. Véniant confínes Sion :* Vidébunt & in celeritáte ſalútem à Deo quæ ſupervéniet cum honóre magno, & ſplendóre ætérno. ℣. Si miniſtrátio mortis fuit in glória ; ita ut non poſſent intendere filii Iſrael in fáciem Móyſi, quómodo non magis miniſtrátio Spíritûs erit in glória? Vidébunt. Glória.* Vidébunt. *Bar.* 4. 14. 24. 2. *Cor.* 3. 7. 8.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

HOc, juſſa quondam rúmpimus,
Feſto die, ſiléntia:
Celáta dudum jam decet
Vulgare nos myſtéria.

Montis ſub alto vértice,
Tribus vocátis téſtibus,
O Chriſte, viſus hácte-nus
Terris homo, pates Deus.

Tuæ latens lucis jubar
Sacros in artus éffluit :
Veſtis tuo te Númine,
Tibíque totus rédderis.

Cœlo tonánte, prótinus
Audita ſummi vox Patris;
Te, nube ruptâ, Filium,
Quo gloriátur, áſſerit.

Hic eſt Magiſter ómnium,
Quem pronus orbis áudiat :
Siléte, mortáles ; Deus,
Qui nos docet, fatur Deus.

Qui, nube ruptâ, te palàm
Natum vocávit, laus Patri;
Tibíque Nato; nec minor
Laus, utriúſque Flámini.
Amen.

℣. Apud te eſt fons vitæ :
℟. Et in lúmine tuo vidébimus lumen. *Pſ.* 35. 10.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *d.* Quis vidébit eum, & enarrábit? quis magnificábit eum ſicut eſt ab inítio. *Eccli.* 43. 35.

Oratio ut infrà.

Fit tantùm Commem. Octavæ S. Stephani.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Splendórem glóriæ Dei Chriſtum Jeſum,* Veníte, adorémus. *Hebr.* 1. 3.

Pſalmi de Feria ; & ſic in toto Officio.

IN I. NOCTURNO.

Aſcendit Jeſus in montem, coram diſcipulis Transfigurandus.

Ant. t. 1. *a.* Aſſúmpſit Jeſus Petrum & Jacóbum, & Joánnem, & aſcéndit in montem ut oráret. *Luc.* 9. 28.

Ant. t. 2. *D.* Ducit illos in montem excélſum ſeórſum, & transfigurátus eſt coram ipſis. *Marc.* 9. 1.

Ant. t. 3. *a.* Facta eſt, dum oráret, ſpécies vultûs ejus áltera. *Luc.* 9. 29.

℣. Specióſus formâ præ

filiis hóminum; ℟. Diffuſa eſt grátia in lábiis tuis. *Pſ.* 44. 3.

Lectiones de Script. occurr.

℟. 1. Date Dómino glóriam, nómini ejus: * Veníte in conſpéctu ejus: & adoráte Dóminum in decóre ſancto. ℣. Vóluit Deus notas fácere divítias glóriæ ſacraménti hujus, quod eſt Chriſtus Jeſus, in vobis ſpes glóriæ. * Veníte. 1. *Paral.* 16. 29. *Col.* 1. 27.

℟. 2. Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter: Confeſſiónem & decórē induíſti, amíctus lúmine ſicut veſtiménto. ℣. Reſplénduit fácies ejus ſicut ſol: veſtiménta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix. * Confeſſiónem. *Pſ.* 103. 1. 2. *Matth.* 17. 2.

℟. 3. Deus qui glorificátur in consilio ſanctórum: magnus & terribilis ſuper omnes qui in circúitu ejus ſunt: * Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? ℣. Vídimus glóriā ejus, glóriā quaſi Unigéniti à Patre.* Dómine. Gloria. Dómine. *Pſ.* 88. 8. 9. *Joan.* 1. 14.

IN II. NOCTURNO.

Præ Magiſtri gloria à ſenſibus rapitur diſcipulus.

Ant. t. 8. *C.* Petrus, & qui cum Jeſu erant, gravati erant ſomno; & evigilántes vidérunt majeſtátem ejus. *Luc.* 9. 32.

Ant. t. 4. *E.* Ecce apparuérunt illis Móyſes & Elías cum eo loquéntes. *Matt.* 17. 3.

Ant. t. 7. *C.* Dicébant excéſſum ejus, quem completúrus erat in Jeruſalem. *Luc.* 9. 31.

℣. In concílio juſtórum & congregatióne, ℟. Magna ópera Dómini. *Pſ.* 110. 1. 2.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Lectio iv. Serm. 94. *de Transfiguratione Domini. Cap.* 3.

APerit Dóminus coram eléctis téſtibus glóriam ſuam, & commúnem illam cum cæteris córporis formam tanto ſplendóre claríficat; ut & fácies ejus ſolis fulgóri símilis, & veſtítus candóri nívium eſſet æquális. In qua transfiguratióne illud quidem principáliter agebátur; ut de córdibus diſcipulórum crucis ſcándalum tollerétur; nec conturbáret eórum fidem voluntáriæ humílitas paſſiónis, quibus reveláta eſſet abſcónditæ excelléntia dignitátis. Sed non minóre providéntiā ſpes Ecclésiæ ſanctæ fundabátur, ut totum corpus Chriſti agnóſceret, quali eſſet commutatióne donándum: ut ejus ſibi honóris consórtiū membra promítterent qui in cápite præfulsíſſet.

℟. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimábitur álius advérsùs eum: * In terris viſus eſt, & cum homínibus conversátus eſt. ℣. Ecce duo viri loquebántur cum illo: erant

autem Móyſes & Elías, viſi in majeſtáte. * In terris. *Bar.* 3. 36. 38. *Luc.* 9. 30. 31.

Lectio v. Cap. 4.

CONfirmándis verò Apóſtolis, & ad omnem ſciéntiam provehéndis, ália quoque in hoc miráculo accéſſit inſtrúctio. Móyſes enim & Elías, lex ſcílicet & Prophétæ, apparuérunt cum Dómino loquéntes: ut veríſſimè in illa quinque virórum præséntiâ complerétur quod dictum eſt; In duóbus vel tribus téſtibus ſtat omne verbum. Quid hoc ſtabílius, quid firmius verbo, in cujus prædicatione veteris & novi Teſtaménti cóncinit tuba, & cum Evangélica doctrína, antiquárum proteſtatiónum inſtruménta concúrrunt? Aſtipulántur enim ſibi ínvicem utriúſque fœderis páginæ; & quem ſub velámine myſteriórum præcedéntia ſigna promíſerant, manifeſtum atque perſpícuum præséntis glóriæ ſplendor oſtendit.

℟. Illuſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum: * Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abſcondíſti timéntibus te! ℣. Factum eſt cum diſcéderent, Móyſes & Elías, ait Petrus ad Jeſum: Præcéptor, bonum eſt nos hìc eſſe. * Quàm magna. *Pſ.* 30. 17. 20. *Luc.* 9. 33.

Lectio vj. Cap. 5.

HIs ergo ſacramentórum revelatiónibus Petrus Apóſtolus incitátus, mundána ſpernens, & terréna faſtídiens, in ætérnorum deſidérium quodam mentis rapiebátur excéſſu; & gáudio totíus viſiónis implétus, ibi cum Jeſu optábat habitáre, ubi manifeſtatâ ejus glóriâ lætabátur. Unde & ait: Dómine, bonum eſt nos hìc eſſe; ſi vis, faciámus hìc tria tabernácula; tibi unum, Móyſi unum, & Elíæ unum. Sed huic ſuggeſtióni Dóminus non reſpóndit; ſignificans, non quidem ímprobum, ſed inordinátum eſſe quod cúperet; cùm ſalvári mundus niſi Chriſti morte non poſſet: & exémplo Dómini in hoc vocarétur credéntium fides; ut licèt non oportéret de beatitúdinis promiſſiónibus dubitári, intelligerémus tamen inter tentatiónes hujus vitæ prius nobis tolerántiam poſtulándam eſſe, quàm glóriam; quia témpora patiéndi non poteſt felícitas præveníre regnandi.

℟. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine; * Mélior eſt dies una in átriis tuis ſuper míllia. ℣. Si vis, faciámus hìc tria tabernácula; tibi unum, Móyſi unum, & Elíæ unum. * Mélior eſt. Glória. * Mélior. *Pſ.* 83. 5. 11. *Matth.* 17. 4.

IN III. NOCTURNO.

Glorioſum Patris de Filio teſtimonium.

Ant. 1. 2. d. Adhuc Petro

loquénte, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. *Matth.* 17. 5.

Ant. t. 3. *a.* Opéruit nubes montem, & habitávit glória Dómini, tegens illum nube. *Exod.* 24. 15. 16.

Ant. t. 4. *E.* Petrus & qui cum illo erant, timuérunt, intrántibus illis in nubem; & vox facta eſt de nube. *Luc.* 9. 32. 34. 35.

℣. Intonuit de cœlo Dóminus, ℟. Et Altíſſimus dedit vocem ſuam. *Pſ.* 17. 14.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lect.o vij. Cap. 17. 1.

IN illo témpore; Aſsúmit Jeſus Petrum, & Jacóbum, & Joánnem fratrem ejus; & ducit illos in montem excélſum ſeórſum: & transfigurátus eſt ante eos. Et réliqua.

Homilia ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

Serm. 78. *n.* 1. *&* 2.

INſpiciénda nobis & tractánda eſt, chariſſimi, víſio iſta quam Dóminus demonſtrávit in monte. Ipſa eſt enim de qua díxerat: Amen, dico vobis, quia ſunt hic quidam de circumſtántibus, qui non guſtábunt mortem, donec vídeant Filium hóminis in regno ſuo. Poſt dies ſex aſsúmpſit tres diſcípulos, Petrum, Joánnem & Jacóbum, & aſcéndit in montem. Ipſi tres erant quidam de quibus díxerat: Sunt hic qui non guſtábunt mortem, donec vídeant Filium hóminis in regno ſuo. Regnum ſuum dicit quod multis locis appéllat regnum cœlórum. Regnum autem cœlórum eſt regnum Sanctórum... Hoc ut oſtenderétur, vidéte quod factum eſt. Dóminus ipſe Jeſus reſplénduit ſicut ſol; veſtiménta ejus facta ſunt cándida ſicut nix; & loquebántur cũ eo Móyſes & Elías. Ipſe Jeſus quidem, ipſe ſplénduit ſicut ſol, ſe lumen eſſe ſigníficans, quod illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. Quod eſt iſte ſol óculis carnis, hoc ille óculis cordis; & quod iſte cárnibus, hoc ille córdibus.

℟. Ecce ſervus meus, ſuſcípiam eum: * Eléctus meus, complácuit ſibi in illo ánima mea: judícium géntibus próferet. ℣. Ecce vox de nube, dicens: Hic eſt Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui; ipſum audíte. * Eléctus. *Iſ.* 42. 1. *Matth.* 17. 5.

Lectio viij. n. 4. 5. *&* 6.

NUbe obumbránte omnes, sónuit & vox de nube, dicens: Hic eſt Fílius meus diléctus. Ibi erat Móyſes, ibi Elías. Non eſt dictum: Hi ſunt fílii mei dilécti. Aliud eſt enim únicus, áliud adoptáti. Ille commendabátur, unde lex & Prophetæ gloriabántur... Hoc audíto, illi cecidérunt in terram. Jam demonſtrátur nobis in Eccléſia regnum Dei.

Hìc Dominus, hìc lex & Prophétæ: ſed Dóminus tāquam Dóminus: lex in Móyſe: prophetía in Elía: ſed ipſi tamquam ſervi, tamquā miníſtri. Ipſi tamquam vaſa, ipſe tamquam fons. Móyſes & Prophétæ dicébant & ſcribébant: ſed de illo implebántur quando fundébant. Dóminus autem porréxit manum, & excitávit jacéntes. Deínde néminem vidérunt niſi ſolum Jeſum. Quando eos Dóminus eréxit, reſurrectiónem ſignificávit. Poſt reſurrectiónem ut quid tibi lex? ut quid tibi prophetía? ídeò non appáret Elías; non appáret Móyſes. Rémanet tibi ut ſit Deus ómnia in ómnibus... Deſcénde, Petre: requieſcere cupiebas in monte, deſcénde laboráre: habe charitátem: prædica veritátem; tunc pervénies ad æternitátem, ubi invénies ſecuritátem.

℞. Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: quóniam * Quis in núbibus æquábitur Dómino, símilis erit Deo in fíliis Dei? ℣. Cui enim dixit aliquándo: Fílius meus es tu. * Quis in núbibus. *Pſ.* 88. 6. 7. *Hebr.* 1. 5.

Lectio ix. de S. Xyſto.
Ex Euſeb. Prudent. Cypriano, Ambroſio, &c.

Xyſtus ſecúndus Stéphano ſuccéſſit in Sede Romána. Ad eum Dionyſius Alexandrínus ſcripſit Epíſtolam de baptiſmate: qui étiam eum commonefécit de exórta apud Ptolemáïdem Pentapóleos urbem Sabellianórum hæreſi. Sed & in ália Epíſtola ſenténtiam ejus expétiit de ímpio quodam hæreticórum baptíſmo, quem ſe dudum ſuſcepiſſe quidam fidélis aſſerébat. Cùm autem acrióri advérsùs Chriſtiános perſecutióne decrétâ, Valeriánus, inter ália, reſcrípto ad Senátum dato, edixiſſet ut Epíſcopi, Presbyteri & Diácones incontinénti animadverteréntur; Xyſtus ſextâ die Augúſti in cæmetério animadvérſus eſt. Quem cùm ſanctus Lauréntius ad martyrium duci cérneret, in has voces flens erúpit: Quò progréderis ſine fílio, Pater? Quò, Sacérdos ſancte, ſine Miníſtro próperas? Cui Xyſtus: Non te déſero, fili; majóra te manent certámina: poſt tríduum me ſequéris. Glorióſam Xyſti mortem ſanctus Cypriánus Epíſcopis Africæ per Succéſſum illorū collégam ſignificári vóluit; quò ſuos quiſque corroboráret, ut gauderent magis quàm timérent in hac confeſſióne, in qua ſcirent Chriſti mílites non périmi, ſed coronári.

℞. Ecce oſténdit nobis Dóminus Deus noſter majeſtátem & magnitúdinem ſuā: * Vocem ejus audívimus de médio ignis. ℣. Deus patrum noſtrórum glorificávit Fílium

ſuum Jeſum. * Vocem ejus. Gloria. * Vocem. *Deut.* 5. 24. *Act.* 3. 13.

Te Deum.

AD LAUDES.

A Patre nobis hodie datur Doctor; hinc audiendus.

℣. *Sacerdot.* Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt: ℟. Et in nómine tuo exultábunt totâ die. *Pſ.* 88. 16. 17.

Ant. t. 1. *d.* FIlii Sion, exultáte, & lætámini in Dómino Deo veſtro; quia dedit vobis Doctórem juſtítiæ. *Joel.* 2. 23.

Ant. t. 2. *d.* Notam fécimus vobis Dómini noſtri Jeſu Chriſti virtútem; ſpeculatóres facti illíus magnitúdinis. 2. *Pet.* 1. 16.

Ant. t 3. *a.* Accípiens à Deo Patre honórem & glóriam, voce delápsâ ad eum hujuſcémodi à magnífica glória: Hic eſt Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui, ipſum audíte. 2. *Pet.* 1. 17.

Ant. t. 5. *a.* Hanc vocem nos audívimus de cœlo allátam, cùm eſsémus cum ipſo in monte ſancto. 2. *Pet.* 1. 18.

Ant. t. 6. *f.* Omnis ánima quæ non audíerit Prophétam illum, exterminábitur de plebe. *Act.* 3. 23.

Capitulum. Hebr. 12. 25.

VIdéte ne recusétis loquéntem: ſi enim illi non effugérunt, recusántes eum qui ſuper terram loquebátur: multò magis nos, qui de cœlis loquéntem nobis avértimus.

℣. Si vocem ejus audiéritis, ℟. Nolíte obduráre corda veſtra. *Pſ.* 94. 8.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *a.* Convértere, Jacob; & ambula per viam ad ſplendórem ejus contra lumen ejus. *Bar.* 4. 2.

Oratio.

DEus, qui fídei ſacraménta in Unigéniti tui glorióſa Transfiguratióne patrum teſtimónio roboráſti; & adoptiónem filiórum perféctam, voce delápsâ in nube lúcidâ mirabíliter præſignáſti: concéde propítius, ut ipsíus Regis glóriæ nos cohærédes effícias, & ejúsdem glóriæ tríbuas eſſe consórtes; Per eúmdem, &c.

Fit Comm. Octavæ S. Stephani: deinde S. Xyſti Martyris. Oratio. Fac nos, Dómine, *pag.* xj.

Ad Primam in ℟. *br.* ℣. Qui clarificátus es à Patre, *Joan.* 12. 28.

AD TERTIAM.

Capitulum. Coloſ. 1. 26. 27.

MYſtérium quod abſcónditum fuit à ſæculis, & generatiónibus, nunc manifeſtátum eſt Sanctis Dei, quibus vóluit notas fácere divítias glóriæ ſacraménti hujus, quod eſt Chriſtus, in vobis ſpes glóriæ.

℟. Deus qui dixit de ténebris lucem ſplendéſcere; * Ipſe illúxit in córdibus noſ-

tris, ad illuminatiónem ſcientiæ claritátis Dei in fácie Chriſti Jeſu. ℣. Exórtum eſt in ténebris lumen rectis, miséricors, & miſerátor, & juſtus. * Ipſe. Glória. * Ipſe. 2. *Cor.* 4. 6. *Pſ.* 111. 4.

℣. Accédite ad eum, & illuminámini; ℟. Et fácies veſtræ non confundéntur. *Pſ.* 33. 6.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. 7. 37.

MOyſes dixit fíliis Iſrael: Prophétam ſuſcitábit vobis Deus de frátribus veſtris tamquam me; ipſum audiétis.

℟. *br.* Conſtitútus ſum à Dómino, * Super Sion montem ſanctum ejus. Conſtitútus. ℣. Prædicans præcéptum ejus. * Super. Glória. Conſtitútus. *Pſ.* 2. 6.

℣. Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu: ℟. Dabo tibi poſſeſſiónem tuam términos terræ. *Pſ.* 2. 7. 8.

AD NONAM.

Capitulum. Heb. 2. 2. 3.

SI qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricátio, & inobediéntia accépit juſtam mercédis retributiōnē; quómodo nos effugiémus, ſi tantam neglexérimus ſalútem?

℟. *br.* Aúdiam quid loquátur in me * Dóminus Deus. Aúdiam. ℣. Quóniam loquétur pacem in plebem ſuam. * Dóminus. Glória. Aúdiam. *Pſ.* 84. 9.

℣. Notas mihi feciſti vias vitæ: ℟. Adimplébis me lætitiâ cum vultu tuo, Dómine. *Pſ.* 15. 11.

AD II. VESPERAS.

In Chriſti Transfiguratione, futuræ noſtræ gloriæ exemplar & pignus.

Ant. t. 8. *c.* VOcavit nos Deus ſecúndùm grátiā, quæ manifeſtáta eſt per illuminatiónem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. 2. *Timoth.* 1. 9. 10.

Ant. t. 3. *A.* Fílii Dei ſumus: ſcimus quóniam cum apparúerit, símiles ei érimus. 1. *Joan.* 3. 2.

Ant. t. 4. *E.* Vidémus nunc per ſpéculum in ænígmate; tunc autem fácie ad fáciem. 1. *Cor.* 13. 12.

Ant. t. 5. *a.* Revelátâ fácie glóriam Dómini ſpeculántes, in eámdem imáginem transformámur. 2. *Cor.* 3. 18.

Ant. t. 6. *f.* Dóminus noſter Jeſus Chriſtus reformábit corpus humilitátis noſtræ, configurátum córpori claritátis ſuæ. *Philip.* 3. 20. 21.

Capitulum. 1. *Pet.* 4. 13.

COmmunicántes Chriſti paſſiónibus gaudéte, ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exultántes.

HYMNUS

Ex Sanct. Vict.

QUàm nos poténter állicis!
Te, Chriſte, quando détegis,
Te quando celas, próvidum

Nobis peræque conſulis.
Hìc nos adóptat filios
Qui te vocávit Filium:
Sponſor futúræ glóriæ
Dat certa nobis pígnora.
E nube quid, Pater, probas?
De monte quid, Fili doces?
Umbris procul cedéntibus,
Reſtábat una véritas.
Ut juſſa Patris ímpleas,
Mactanda mundo víctima,
Formam resúmens príſtinam,
Mortalitati rédderis.
Fac, Chriſte, qui nobis lates,
Obſcúra dum regit fides,
Fracto ſolútos córpore
Nos te vidére, te frui.
Qui nube ruptâ, te palàm
Natum vocávit, laus Patri;
Tibíque Nato; nec minor
Laus, utriúsque Flámini. Amen.

℣. Satiábor, Dómine, ℟. Cùm apparúerit glória tua. *Pſ.* 16. 15.

Ad Magnif. *Ant. t.* 6. *f.* Non ſunt condígnæ paſſiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. *Rom.* 8. 18.

Oratio ut ſuprà.

Commem. Octavæ S. Stephani.

DIE VII.

DE OCTAVA S. STEPHANI.

Semiduplex.

Lectio iij.

De Sermóne ſancti Auguſtini Epíſcopi.

Serm. 324. *aliàs* 33. *de diverſ.*

Coeperam loqui charitáti veſtræ, quare mihi videntur iſti fratres divínâ áuctoritáte ad hanc civitátem eſſe directi, ut hìc in eis diu optata & expectáta sánitas impleretur. Et hoc volens dícere, priùs commendáre cœperam loca ſancta, in quibus non ſunt ſanáti, & ad nos inde directi.. Cœperam de Uzáli civitáte dícere, quæ eſt in Africa... Cùm autem ópera divína per ſanctum Martyrē commemoráre bréviter vellem, omíſſis cæteris, unum inſtitúeram dícere... Múlier quædam amíſit in grémio ægrotántem filium catechúmenum infantē lacténtem. Quæ cùm vidíſſet amíſſum & irreparabíliter pérditum; cœpit eum magis flere fidéliter, quàm maternè. Non enim fílii ſui deſiderábat vitam, niſi in futúro ſæculo, & hanc ſibi ablátam plangébat. Impléta affectu fidúciæ tulit illum mórtuum, & cucúrrit ad memóriam beáti Mártyris Stéphani, & cœpit ab illo exígere fílium, & dícere: Sancte Martyr, vides nullum mihi remansíſſe ſolátium. Non enim poſſum dícere fílium

præceſsiſſe, quem noſti periiſſe. Tu vides quare plangam. Redde fílium meum, ut hábeam eum ante conſpéctum Coronatóris tui. Hæc & tália cùm precarétur, lácrymis quodámmodo non peténtibus, ſed exigéntibus, revíxit fílius ejus. Continuò tulit illum ad Presbyteros, baptizátus eſt, ſanctificátus eſt, unctus eſt, impóſita eſt ei manus, complétis ómnibus ſacraméntis, aſsúmptus eſt.

Die viii.
DE OCTAVA S. STEPHANI.
Semiduplex.

Lectio iij.

Ex libro ſancti Auguſtíni Epíſcopi de Civitáte Dei.

Lib. 22. Cap. 8. n. 10. 11. & 12.

AD aquas Tibilitánas, Epíſcopo afferénte Præjécto Relíquias Mártyris glorioſíſſimi Stéphani, ibi cæca múlier, ut ad Epíſcopum portántem ducerétur, orávit: flores, quos ferébat, dedit; recépit, óculis admóvit, prótinus vidit. Stupéntibus qui áderant, præíbat exúltans, viam carpens, & viæ ducem ultériùs non requírens. Memoráti memóriam Mártyris, quæ póſita eſt in caſtéllo Siniténſi, quod Hypponénſi colóniæ vicínũ eſt, cjúsdem loci Lucíllus Epíſcopus, pópulo præcedénte atque ſequénte, portábat. Fiſtula, cujus moleſtiâ jámdiu laboráverat, & familiaríſſimi ſui medici, qui eam ſecáret, opperiebátur manus, illíus piæ ſárcinæ vectatióne, repéntè ſanáta eſt. Euchárius eſt Presbyter ex Hiſpánia: Calámæ hábitat, véteri morbo calculi laborábat; per memóriam ſuprà dicti Mártyris, quam Poſsídius illò advéxit Epíſcopus, ſalvus factus eſt. Idem ipſe póſtea morbo álio prævaleſcénte, mórtuus ſic jacébat, ut ei jam póllices ligaréntur: opitulatióne memoráti Mártyris, cùm de memória ejus reportáta fuiſſet, & ſupra jacéntis corpus miſſa ipsíus Presbyteri túnica, ſuſcitátus eſt.

In Veſperis fit Comm. S. Romani, Romæ Martyris.

Oratio. Præſta, quæſumus, *pag.* xj.

Die ix.
DE OCTAVA S. STEPHANI.
Semiduplex.

Prima Lectio de Script. occurr. ex tribus fit una.

Lectio ij.

Ex libro ſancti Auguſtíni Epíſcopi de Civitáte Dei.

Lib. 22. Cap. 8. n. 16. 17. & 18.

SAnctimoniális quædam in vicína poſſeſſióne cùm ægritúdine laboráret, ac deſperarétur, ad ſancti Stéphani memóriam túnica ejus alláta eſt: quæ ántequam revocarétur, illa defúncta eſt. Hâc tamen túnicâ operué-

runt cadáver ejus paréntes, & recépto ſpíritu ſalva facta eſt. Baſſus quidam Syrus ad memóriam ejúsdem Mártyris orábat pro ægrotánte & periclitánte fíliâ, eòque ſecum veſtem ejus attulerat: cùm ecce púeri de domo cucurrérunt, qui ei mórtuam nuntiárent. Sed cùm, oránte illo, ab amícis ejus exciperéntur, prohibuérunt eos illi dícere, ne per públicum plángeret. Qui cùm domum rediiſſet jam ſuórum ejulátibus perſonantem, & veſtem fíliæ quam ferébat ſuper eam projeciſſet, réddita eſt vitæ. Rurſus ibídem apud nos Irenæi cujúsdam fílius ægritúdine extínctus eſt. Cùmque corpus jacéret exánime, atque à lugéntibus exéquiæ pararéntur, amicórum ejus quidam inter aliórum conſolántium verba ſuggéſſit, ut ejúsdem Mártyris óleo corpus perungerétur. Factum eſt, & revíxit.

Lectio iij. de Vigilia S. Laurentii.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Cap. 14. v. 27.

IN illo témpore; Dixit Jeſus turbis: Qui non bájulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcípulus. Et réliqua.

Homília ſancti Bernárdi Abbátis.

In Vigil. S. Andr. n. 2. & 4.

QUid eſt quòd jejúniis ſolémnia prævenímus, niſi quòd per multas tribulatiónes opórtet nos introíre in regnū Dei? Indígnus quippe ſolémni lætítiâ eſt, qui ſtatútam Vigíliæ abſtinéntiam non obſérvat. Planè, inquam, ſi rénuis afflígere ánimam tuam in Vigília, indígnus jure cenſéris réquie & exultatióne feſtivâ. Eſt autem univérſum præséntis pœniténtiæ tempus, Vigília quædam ſolemnitátis magnæ, & ætérni ſabbatíſmi quem præſtolámur. Nec cauſáberis Vigíliam longiórem, ſi ætérnitátem feſtivitátis atténdas. Vobis hoc & de vobis dico, fratres mei, qui non ſurdâ aure audíſtis illam Evangélicam tubam: Qui non bajulat crucem ſuam, & séquitur me, non poteſt meus eſſe diſcípulus.

In Laudibus fit Comm. Vigiliæ per Antiph. ad Bened. *de Feria.*

Oratio.

ADéſto, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris; & interceſſióne beáti Lauréntii, cujus prævenímus feſtivitátem, perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde; Per, &c.

Deinde Comm. S. Romani Martyris.

Veſperæ de ſequenti.

Die x.

S. LAURENTII, Diaconi et Martyris.

Duplex 2. Claſſis.

Omnia de Comm. unius Martyris, exceptis iis quæ ſequuntur.

IN I. VESPERIS.

Poſt Capitul. ℟. Beátus qui intélligit ſuper egénum & páuperem. * In die mala liberábit eum Dóminus. † Dóminus opem ferat illi ſuper lectum dolóris ejus. ℣. Qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus & metet. * In die. Glória. † Dóminus. *Pſ.* 40. 2. 4. 2. *Cor.* 9. 6.

Poſt Hymn. ℣. Diſpérſit, dedit paupéribus: ℟. Juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi. *Pſ.* 111. 9.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *d.* Ignem ardéntem extínguit aqua, & eleemóſyna reſíſtit peccátis; & Deus proſpéctor eſt ejus qui reddit grátiam, & in témpore casûs ſui invéniet firmaméntum. *Eccli.* 3. 33. 34.

Oratio ut infrà.

Fit Comm. Octavæ S. Stephani per Antiph. ad Magnif. *ex* 1. *Veſp.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex libro primo Officiórum ſancti Ambróſii Epiſcopi.

Cap. 41. *n.* 214. 215. *&* 216.

NOn prætereámus ſanctum Lauréntium, qui cùm vidéret Xyſtum Epiſcopum ſuum ad martyrium duci, flére cœpit, non paſſiónem illíus, ſed ſuam remanſiónem. Itaque his verbis appelláre cœpit: Quò prógréderis ſine fílio, Pater? Quò, Sacérdos ſancte, ſine Diácono próperas? Numquam ſacrifícium ſine miníſtro offérre conſuéveras. Quid ergo in me diſplícuit, Pater? numquid degénerem probáſti? Experíre utrùm idóneum miníſtrum elégeris, cui commiſíſti Domínici ſánguinis diſpenſatiónem: cui conſummandórum consórtium ſacramentórum, huic consórtium tui ſánguinis negas? Vide ne periclitétur judícium tuum, dum fortitúdo laudátur. Abjéctio diſcípuli detriméntum eſt magíſtri. Quid? Quòd illúſtres & præſtántes viri diſcipulórum certamínibus magis quàm ſuis vincunt?.. Et tu, Pater, oſténde in fílio virtútem tuam; offer quem erudíſti, ut ſecúrus judícii tui, comitátu nóbili pervénias ad corónam. Tunc Xyſtus: Non ego te, fili, relínquo ac déſero; ſed majóra tibi debéntur certámina. Nos quaſi ſenes levióris pugnæ curſum recípimus: te quaſi júvenem manet glorióſior de Tyránno triúmphus. Mox vénies, fleré desíſte, poſt tríduum me ſequéris. Non erat tuum ſub magíſtro víncere, quaſi adjutórem quæreres... Quid præséntiam meam requíris? Infirmi diſcípuli magiſtrum præcédant: fortes ſequántur, ut vincant ſine magíſtro, qui jam non índigent magiſtério. Talis erat conténtio, digna ſanè de qua certárent Sacérdos & Miníſter, quis prior paterétur pro Chriſti

nomine... Ipſe poſt triduum cùm, illúſo Tyránno, impóſitus ſuper craticulam exurerétur: Aſſum eſt, inquit, verſa, & mandúca. Ita ánimi virtúte vincébat ignis natúram.

Lectio v.

Sermo Sancti Leónis Papæ.

Serm. 83. *in Feſtivit. S. Laurent. Cap.* 2.

CUm furor gentílium Poteſtátum in electíſſima quæque Chriſti membra ſæviret, ac præcípuè eos, qui Ordinis erant Sacerdotális, impeteret; in Levítam Lauréntium, qui non ſolùm in miniſtério ſacramentórum, ſed étiam diſpenſatióne Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ præeminebat, ímpius perſecútor efferbuit, dúplicem ſibi prædam de unius viri comprehenſióne promíttens; quē ſi feciſſet ſacræ pecuniæ traditórem, fáceret etiam veræ religiónis exórtem. Armátur itaque geminâ face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimícus; avarítiâ, ut rapiat aurum; impietáte, ut auferat Chriſtum. Poſtulat ſibi ab immaculáto ſacrarii Præſule opes Eccleſiaſticas, quibus avidíſſimus inhiabat, inferri. Cui Levita caſtíſſimus ubi eas repoſitas haberet, oſtendens, numeroſíſſimos ſanctorū páuperum obtulit greges, in quorum victu atque veſtitu inamiſsíbiles condíderat facultátes; quæ tantò intégrius erant ſalvæ, quantò ſánctiùs probabántur expenſæ.

Lectio vj. Cap. 3. & 4.

FRemit ítaque prædo fruſtrátus; & in ódium religiónis quæ talem divitiárum uſum inſtituíſſet, ardéſcens, direptiónem theſáuri potióris aggréditur, apud quem nullam denarióum ſubſtántiam reperíſſet: ut illud depoſitum quo ſacrátiùs erat dives, auferret. Renuntiáre Chriſto Lauréntium jubet, & ſolidiſſimam illam Levítici ánimi fortitúdinem diris parat urgére ſuppliciis: quorum ubi prima nihil óbtinent, vehementióra ſuccedunt. Laceros artus, & multa vérberum ſectióne conſciſſos, ſubjécto præcipit igne torreri: ut per cratem ferream, quæ jam de fervóre contínuo vim in ſe haberet urendi, conversórū alternâ mutatióne membrórum fieret cruciátus vehementior & pœna prodúctior. Nihil obtines, nihil proficis, ſæva crudélitas. Subtrahitur inventis tuis materia mortalis, & Lauréntio in cœlos abeúnte, tu déficis. Flammis tuis ſuperári charitatis Chriſti flamma non potuit; & ſégnior fuit ignis, qui foris uſſit, quam qui intus accendit. Sæviſti, perſecútor, in Mártyrem; ſæviſti, & auxiſti palmam, dum ággeras pœnam.. Gau-

deamus igitur, dilectiſſimi, & de feliciſſimo inclyti viri ſine gloriémur in Domino, qui eſt mirábilis in Sanctis ſuis, in quibus nobis & præſidium conſtítuit & exémplum: atque ita per univérſum mundum clarificávit glóriam ſuam, ut à ſolis ortu uſque ad occáſum, Leviticórum lúminum coruſcánte ſplendóre, quàm clarificáta eſt Jeroſólyma Stéphano, tam illúſtris fieret Roma Lauréntio.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 12. v. 24.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Amen, amen dico vobis, Niſi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit; ipſum ſolum manet; ſi autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 305. in Solemnit. S. Laurent. aliàs 26. n. 1. & 2.

AGnóſcit fides veſtra granum quod in terram cécidit, & mórtuum multiplicátum eſt. Agnóſcit, inquam, hoc granum fides veſtra, quia ipſum hábitat in mente veſtra. Hoc enim quod de ſeipſo díxerit Chriſtus, nullus ámbigit Chriſtiánus. Sed planè illo mortuo grano & multiplicáto, multa grana ſunt ſparſa in terram; ex quibus eſt & beátus Lauréntius, cujus ſeminatiónem hodie celebrámus. De illis autem granis ſparſis toto orbe terrárum quanta pulluláverit ſeges, vidémus, gaudémus, ſumus: ſi tamen & nos per illíus grátiam ad hórreum pertinémus... Audíte me, grana ſancta, quæ hic eſſe non dubito; imò audíte primum granum per me: Qui amat in hoc ſæculo ánimam ſuam, perdet eam. Granum lóquitur, granum quod in terram cécidit, & mortificátum eſt ut multiplicarétur. Quod admónuit, ipſe fecit: inſtrúxit præcépto, præcéſſit exemplo.

Lectio viij.

Serm. 303. in Natal. S. Laurent. n. 1. & 2.

CUm perſecútio Romæ, ſicut in cæteris locis veheménter ardéret, & tamquam ab Archidiácono poſtuláta eſſent res Eccléſiæ, Lauréntius implévit vehícula paupéribus, & revérſus cum eis, reſpóndit: Hæ ſunt divítiæ Eccléſiæ. Illúſus perſecútor flammas popóſcit; ſed non erat ille frígidus, ut flammas timéret: ardébat pœnæ furóre, ſed plus ánima charitate. Quid plúribus? Cratícula admóta eſt, & toſtus eſt. Et cùm ex uno latere arſíſſet, dícitur tantâ tranquillitáte illa torménta toleráſſe, ut implerétur in eo quod in Evangélio audívimus: In patiéntia veſtra

poſſidébitis ánimas veſtras. Dénique flammâ ultus, ſed patiéntiâ tranquillus; Jam, inquit, coctum eſt; quod súpereſt, versáte me, & manducáte. Tale duxit martyrium: iſte eſt de quo dixit Chriſtus: Qui perdíderit ánimam ſuam propter me; ſalvábit eam. Sequámur ejus veſtígia: non ſolùm martyribus præmia promittúntur cœléſtia; ſed étiam íntegrâ fide & perféctâ charitáte Chriſtum ſequéntibus.

Lectio ix.

Serm. 304. in Solemnit. S. Laurent. n. 4.

QUando beátus Lauréntius appóſitos extrínſecùs ignes non timéret, niſi intùs flammâ charitátis ardéret? Ideò, fratres mei, glorióſus Martyr atróces incendiórũ flammas non pertimeſcébat in córpore; quia ardentíſſimo cœléſtium gaudiórum deſidério flagrábat in mente. In comparatióne fervóris quo pectus ejus ardébat, extérior perſecutórum flamma frigébat. Quando enim ferret tantórum acúleos dolórum, niſi ætérnórum dilígeret gáudia præmiórum? Poſtremò quando contémneret iſtam vitam, niſi amándo meliórem vitam? Et quis nocére vobis poteſt, ait Apóſtolus Petrus, ſi boni amatóres fuéritis. Fáciat in te licèt perſecútor malum: tu ne defícias amándo bonum... Quid enim beáto Lauréntio illa, quæ à perſecutóribus illáta ſunt, torménta nocuérunt? Niſi quòd eum clariórem ipſis ſupplíciis reddidérunt, & hunc nobis feſtiviſſimum diẽ de pretióſa ejus morte fecérunt.

AD LAUDES.

Poſt Capitul. ℣. Probáſti cor meum, igne me examináſti; ℟. Et non eſt invénta in me iníquitas. *Pſ.* 16. 3.

Ad Benedic. *Ant. t. 7. a.* Cutis mea denigráta eſt ſuper me, & oſſa mea aruérunt præ cáumate. *Job.* 30. 30.

Oratio.

DA nobis, quæſumus, omnípotens Deus, vitiórum noſtrórum flammas extínguere, qui beáto Lauréntio tribuíſti tormentórũ ſuórum incéndia ſuperáre; Per Dóminum.

Comm. Octavæ S. Stephani.

AD VESPERAS.

Poſt Hymnum ℣. Tranſívimus per ignem: ℟. Et eduxíſti nos in refrigérium. *Pſ.* 65. 12.

Ad Magnif. *Ant. t. 8. C.* Confitébor tibi, quóniam liberaſti me ſecúndùm multitúdinem miſericórdiæ nóminis tui à preſſúra flammæ, quæ circúmdedit me. *Eccli.* 51. 1. 2. 4. 6.

Comm. Octavæ S. Stephani.

Die xii.

DIE XII.

SANCTÆ CLARÆ VIRGINIS.

Simplex.

Oratio. Omnipotens, *pag.* lj.

Lectio iij.

Ex ejus vita Alexand. 4. Papæ juſſu ſcripta, apud Sur.

CLara nóbili génere Aſsíſii in Umbria nata, facultátibus in páuperes erogátis, ſæculo renuntiávit, & permóta præſértim ſancti Franciſci adhortatiónibus, arctíſſimam vitæ ratiónem ampléxa eſt. Plures ejúſdem inſtitúti ſócias, & præ cæteris Hortulánam matrem & ſoróres ſibi adjúnxit. Paupertátis ádeò amans fuit, ut ne Monaſtérium poſſeſſiónes habéret, ipſi étiam Gregório nono ſufficiéntes rédditus aſſignáre voléntí reſtíterit. Saracénis, juſſu Frederíci Imperatóris, Aſsíſium obſidéntibus, & Cœnóbium cui illa præerat jamjam invaſúris, infírma ad portam duci vóluit atque hóſtibus óbjici, ſimul & præférri cápſulam argénteam, in qua ſanctíſſima Euchariſtia ſervabátur. Cùmque coram Chriſto proſtráta oráret, ut ſorores tutarétur, Saracéni divínitùs térriti, per ipſos quos conſcénderant muros, fugérunt præcípites. Tandem cùm annis fere quadraginta duóbus Monaſterium rexíſſet, jejúniis, oratiónibus, vigíliis & durióribus quibuſcumque exercítiis debilitáta, ac penè confécta, longióris ínſuper infirmitátis dolóribus invíctè probáta, óbiit in Dómino, miráculis non minùs quàm ſanctitáte clara. Eam Alexánder quartus inter ſanctas Vírgines rétulit.

DIE XIII.

SANCTI HYPPOLITI, MARTYRIS.

Simplex.

Oratio. Deus, qui, *pag.* xj.

Comm. S. Radegundis, Reginæ Viduæ.

Oratio.

TUórum corda fidélium, Deus miſerátor illúſtra; & beátæ Radegúndis Regínæ précibus, méritis & exémplis, fac nos terréna deſpícere, & amáre cœléſtia; Per Dóminum.

Lectio j. de Script. occur. ex tribus fit una.

Lectio ij.

Ex Prudentio in carm. hymn. xj. Buch. &c.

INter Mártyres Romæ célebres, à Prudéntio in Hymnis cánitur Hyppólitus Présbyter. Is quondam Novatiáni ſchíſmate implícitus, cùm ob Chriſtiánam profeſſiónem ad Júdicis tribúnal raperétur, interrogátus à plebe quid de Novatiáno ſentiéndum eſſet, reſpóndit: Fúgite execránda Novátí ſchíſmata; cathólicis vos réddite pópulis; una fides vígeat quam Paulus rétinet & Petri Cáthedra: ſic unitá-

ti cathólicæ rédditus, coram Júdice apud Oſtia Tiberína ſíſtitur; ibíque váriis fruſtrà probátus torméntis, tandem ut Chriſtianórum caput, duóbus equis indómitis fune annéctitur: qui ſúbito incitáti clamóre, per ſylvas, ſaxa & ſepes támdiu Mártyrem rápiunt, donec membris ómnibus diſrúptis, & hùc illùcque ſparſis, ánimam Deo rédderet. Cùm equis alligarétur, última hæc vox ejus audíta eſt: Hi rápiunt artus, tu, Chriſte, ánimam rape. Lácera membra à Chriſtiánis piè colléćta, Romam advéćta ſunt, & extra muros in cryptà cóndita, ubi in extrúćta ſubinde Basílica, magno pópuli concúrſu frequentabántur. Adiit & ipſe Prudéntius, qui Martyrium Hyppóliti in templi paríete vivâ arte depíćtum, elegánter ſuis vérſibus expreſſit, múltaque ſe huic Mártyri debére, teſtátus eſt pius Poéta.

Lectio iij. de S. Radegunde.
Ex Fortunat. Pictav. Gregor. Turon. &c.

Radegúndis, fília Bertárii Toringórum Príncipis, Clotárii primi ex captíva conjux, beneficéntiam in páuperes, vigílias, ſtatas & crebras oratiónes, cilícii uſum, vini abſtinéntiam, jejúnia, ſummam dénique vitæ aſperitátem cum régia dignitáte, mirábili non minùs quàm raro exémplo conjunxit. Occíſo fratre juſſu Clotárii, ipſo permittente, ab aula diſcédens, ſanćtum Medárdum ádiit: cùmque monáſticam veſtem induiſſet, in Diáconam ab eo benedícta eſt. Pictávos profécta, ibi ex munificéntia regis, Monaſtérium Vírginum ſub régula ſanćti Cæsárii Arelaténſis cóndidit: impetravítque póſtea à Concílio Turonénſi ſecúndo Congregatiónis ſuæ tutélam & confirmatiónem. Cœnóbio ſorórem Agnétem Abbatíſſam præfécit, quam conſecrávit ſanćtus Germánus Pariſiénſis. Eâ autem pietáte Euchariſtiæ ſacrifícium proſequebátur Radegúndis, ut in illíus uſum panes própriis mánibus conficeret, quas divérſis ſuppeditábat Eccléſiis. Poſt multa exímiæ ſanćtitátis ópera, ábiit ad Dóminum, anno quingentéſimo oćtogéſimo ſéptimo. Ejus corpus terræ mandávit ſanćtus Gregórius Turonénſis Epíſcopus, occupáto in Diœceſi obeúnda Merovéo Pićtaviénſi; cui tamen reſervátum eſt, ut revérſus Miſſam celebráret, tumulóque opérculum impóneret.

Die xiv.

VIGILIA ASSUMPTION. B. Mariæ Virginis.

Omnia ut in Pſalterio, exceptis quæ ſequuntur.

Lectio 1. & 2. de Scriptura occurr. ſecundâ & tertiâ in unam junctis.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 11. v. 27.

In illo témpore; Loquénte Jeſu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 10. in Joan. n. 2. & 3.

Chriſtus juxta Evangélium habet matrem, habet fratres, habet & diſcípulos: inde fratres, unde matrem. Unde ergo fratres? Cognáti Maríæ, fratres Dómini, de quólibet gradu cognáti... Sed Chriſti diſcípuli magis erant fratres; quia & illi cognáti fratres non eſſent, ſi diſcípuli non eſſent, & ſine causâ fratres, ſi Magíſtrum non agnóſcerent fratrem. Nam exténdens manum in diſcípulos ſuos, dixit: Hi ſunt fratres mei: &; Quicúmque fécerit voluntátem Patris mei, ille mihi mater, & frater, & ſoror eſt. Ergo & María, quia fecit voluntátem Patris. Hoc in ea magnificávit Dóminus, quia fecit voluntátem Patris, non quia caro genuit carnem. Inténdat cháritas veſtra. Proptéreà cùm Dóminus in turba admirábilis viderétur, fáciens ſigna & prodígia, & oſténdens quid latéret in carne, admirátæ quædam ánimæ dixérunt: Felix venter qui te portávit! & ille: Imò felíces qui áudiunt verbum Dei, & cuſtódiunt. Hoc eſt dícere; Et mater mea, quam appellátis felícem, inde felix quia verbum Dei cuſtódit; non quia in illa Verbum caro factum eſt... Hómines non gáudeant prole temporáli: exúltent, ſi ſpíritu jungúntur Deo.

Oratio.

Deus, qui virginálem úterum beátæ Maríæ in quo requiéſceres, elígere dignátus es: da nobis Aſſumptiónis ejus ſolémnia præveniéntibus, dignum in córdibus noſtris habitáculum tuæ præparáre majeſtáti; Qui vivis, & regnas, &c.

In Commemorationibus Ferialibus omittitur Commem. de Beata.


Papillon
inv. et
Sculp.

DIE XV.

FESTUM ASSUMPTIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex j. Claſſis.

SOLEMNE-MAJUS

AD I. VESPERAS.

Ardens, ad Chriſtum in cœlis regnantem, Mariæ deſiderium.

PSALMI DE FERIA.

Ant. t. 2. d. ADjúro vos, filiæ Jerúſalem, ut nuntiétis diléсto meo, quia amóre lángueo. *Cant.* 5. 8.

Ant. t. 3. *E.* Quis mihi tríbuat, ut invéniam illum, & véniam uſque ad ſólium ejus? *Job.* 23. 3.

Ant. t. 5. *F.* Attenuáti ſunt óculi mei, ſuſpiciéntes in excélſum, Dómine. *Iſ.* 38. 14.

Ant. t. 6. *F.* Nomen tuum, & memoriále tuum in deſidério ánimæ: ánima mea deſiderávit te. *Iſ.* 26. 8. 9.

Ant. t. 8. C. Cunctis diébus expécto donec véniat immutátio mea: vocábis me; óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. *Job.* 14. 14, 15.

Capitulum. *Cant.* 8. 6.

POne me ut ſignáculum ſuper cor tuum, ut ſignáculum ſuper bráchium tuum: quia fortis eſt ut mors diléctio.

℞. Stítivit in te ánima mea

Deus meus; quàm multipliciter tibi caro mea. In terra desérta, & ínvia, & inaquóſa; ſic in ſancto appárui tibi, ut viderem glóriam tuam: * Quóniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas. ℣. Mihi mori lucrum, deſidérium habens diſſólvi, & eſſe cum Chriſto. * Quóniam. Glória. * Quóniam. *Pſ.* 62. 2. 3. 4. *Philip.* 1. 21. 23.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

QUæ cœlo nova nunc ádditur hoſpes!
Seſe tota poli Régia pandit:
Ruptis Virgo parens líbera vinclis,
Charo ſe próperat réddere Nato.
Quantùm delítuit páupere tecto,
Tantùm ſpléndida nunc fulget in aſtris:
Se veláre quibus mater amábat,
Denſas Natus amat rúmpere nubes.
Olim quæ fúerat juncta maríto,
Et de connúbio crédita mater,
Totum jam cólitur nota per orbem
Cum matris títulis íntegra Virgo.
Ancillæ tribuit quæ ſibi nomen,
Cœléſti dóminans regnat in aula:
Quæ tot paſſa neces Prolis amóre,
Jam ſecúra; ſuâ Prole triúmphat.
Noſtras, tu nova lux, díſcute noctes:
Tu Regína, graves ſolve caténas:
Cæcos, Stella maris, dírige curſus;
Da, quo tu fruéris, cérnere Natum.
Divínæ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória, Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcúnda, tibi glória, Flamen. Amen.

℣. Quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ? ℟. Et volábo, & requiéſcam. *Pſ.* 54. 7.

Ad Magnif. *Ant.* 1. 7. a. Totus deſiderábilis eſt dilectus meus: & ipſe eſt amícus meus, fíliæ Jeruſalem. *Cant.* 5. 16.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD COMPLETORIUM.

Hymnus ut in parvo Officio B. M. Virg.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 1. 5. f. Complácuit Dómino in te, allelúia: & gaudébit ſuper te Deus tuus, allelúia. *Iſ.* 62. 4. 5.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Regem regum à cujus dextris áſtitit Regína in veſtítu deauráto, * Veníte, adorémus. *Pſ.* 44. 10.

Pſalmi ut in parvo Officio B. M. V.

IN I. NOCTURNO.

Deſideriis Mariæ invocatus ſponſus, tandem loquitur, & ipſam ad coronas vocat.

Ant. t. 1. *d.* En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea: jam hyems tránſiit, imber abiit, & recéſſit; ſurge, & veni. *Cant.* 2. 10. 11. 13.

Ant. t. 2. *d.* Circúmdabit te Deus diploïde juſtítiæ, & impónet mitram cápiti honóris ætérni. *Bar.* 5. 2.

Ant. t. 3. *F.* Anima mea liquefácta eſt, ut locútus eſt diléctus meus. *Cant.* 5. 6.

℣. Audi, fília, & vide, inclína aurem tuam: ℟. Et concupíſcet Rex decórem tuum. *Pſ.* 44. 11. 12.

De libro Cántici Canticórum.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 8.

EGo flos campi, & Lílium convállium. Sicut Lílium inter ſpinas, ſic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna ſylvárum, ſic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem deſideráveram, ſedi: & fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me charitátem. Fúlcite me flóribus, ſtipáte me malis: quia amóre lángueo. Læva ejus ſub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúſalem, per cápreas cervóſque campórum, ne ſuſcitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúſque ipſa velit.

℟. Fúlcite me flóribus, ſtipáte me malis: quia amóre lángueo: * Vox dilécti mei: ecce iſte venit. ℣. Tempus reſolutiónis meæ inſtat; curſum conſummávi: repóſita eſt mihi coróna juſtítiæ.* Vox dilécti. *Cant.* 2. 5. 8. 2. *Tim.* 4. 6 7. 8.

Lectio ij. v. 8. *ad* 9. *& v.* 10. *ad* 15.

VOx dilécti mei, ecce iſte venit sáliens in móntibus, transíliens colles. ... En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formóſa mea, & veni. Jam enim hyems tránſiit, imber ábiit & recéſſit. Flores apparuérunt in terra noſtra: tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta eſt in terra noſtra: ficus prótulit groſſos ſuos: víneæ floréntes dedérunt odórem ſuum. Surge, amíca mea, ſpecióſa mea, & veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, oſténde mihi fáciem tuã, ſonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, & fácies tua decóra.

℟. Tota pulchra es, amíca mea, & mácula non eſt in te: veni de Líbano, ſponſa mea, veni de Líbano, * Veni: coronáberis. ℣. Scient quia ego diléxi te, quóniam ſervaſti verbum patiéntiæ meæ. * Veni. *Cant.* 4. 7. 8. *Apoc.* 3. 9. 10.

Lectio iij. Cap. 3. v. 6. & Cap. 4. v. 7. ad 9. & v. 11. ad 14.

QUæ eſt iſta quæ aſcéndit per deſértum ſicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ, & thuris, & univérſi púlveris pigmentárii?.. Tota pulchra es, amíca mea, & mácula non eſt in te. Veni de Líbano, ſponſa mea, veni de Líbano, veni: coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir & Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum.. Favus diſtíllans lábia tua, ſponſa, mel & lac ſub lingua tua: & odor veſtimentórum tuórum ſicut odor thuris. Hortus conclúſus, ſoror mea ſponſa, hortus conclúſus, fons ſignátus. Emiſſiónes tuæ paradíſus malórum punicórum cum pomórum frúctibus.

℟. Antcíbit fáciem tuam juſtítia tua, & glória Dómini cólliget te; & * Implébit ſplendóribus ánimam tuam. ℣. Sic abundánter miniſtrábitur introïtus in ætérnum regnum Dómini noſtri. * Implébit. Glória. * Implébit. *Iſ.* 58. 8. 11. 2. *Pet.* 1. 11.

IN II. NOCTURNO.

Quæ gloria aſcendentis ad cælos Mariæ!

Ant. t. 4. *F.* Quæ eſt iſta quæ progréditur quaſi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut ſol? *Cant.* 6. 9.

Ant. t. 5. *F.* Effúlſit quaſi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, & quaſi flos roſárum in diébus vernis. *Eccli.* 50. 7. 8.

Ant. t. 6. *F.* Vidérunt eam fíliæ Sion, & beatíſſimam prædicavérunt; & laudavérunt eam. *Cant.* 6. 8.

℣. Dómine, in voluntáte tua, ℟. Præſtitíſti decóri meo virtútem. *Pſ.* 29. 8.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv. Serm. 1. *in Aſſumpt. B. M. V. n.* 1. & 3.

VIrgo hódie glorióſa cælos aſcéndens, ſupernórum gáudia cívium copióſis ſine dúbio cumulávit augméntis... Nobis verò, chariſſimi, quæ in ejus Aſſumptióne ſolemnitátis occáſio, quæ cauſa lætítiæ, quæ matéria gaudiórum? Ut ſíleam benefícia quæ pro illíus glorificatióne conſéquimur, ſi eam dilígimus, gaudébimus útique, quia vadit ad Fílium. Planè, inquam, congratulábimur ei, niſi fortè (quod abſit) inventríci grátiæ omnímodis inveniámur ingráti. Quem enim in caſtéllum hujus mundi intrántem priùs ipſa ſuſcéperat, ab eo ſuſcípitur hódie ſanctam ingrédiens civitátem. Sed cum quanto, putas, honóre? cum quanta, putas, exultatióne? cum quanta glória? Nec in terris locus dígnior útero virginális templo, in quo Fílium Dei María ſuſcépit; nec in cælis regáli ſólio, in

quo Maríam hódie Maríæ Fílius ſublimávit. Felix nimírum útraque ſuſcéptio, ineffábilis útraque, quia útraque inexcogitábilis eſt.

℟. Quæ eſt iſta quæ * Aſcéndit de deſérto, delíciis áffluens, innixa ſuper diléctum ſuum? ℣. María de qua natus eſt Jeſus, qui vocátur Chriſtus, * Aſcéndit. *Cant.* 8. 5. *Matth.* 1. 16.

Lectio v. n. 3. & 4.

Quis enim, etiámſi linguis hóminum Angelorúmque loquátur, explicáre queat, quemádmodum ſuperveniénte Spíritu, obumbránte virtúte Altíſſimi, caro factum ſit Verbum Dei per quod facta ſunt ómnia; & Dóminus majeſtátis, quem non capit univérſitas creatúræ, intra virgínea ſeſe cláuſerit víſcera factus homo? Sed & illud quis vel cogitáre ſufficiat, quàm glorióſa hódie mundi Regína procéſſerit, & quanto devotiónis afféctu tota in ejus occúrſum cœleſtium legiónum prodíerit multitúdo: quibus ad thronum glóriæ cánticis ſit dedúcta; quàm plácido vultu, quàm ſeréná fácie, quàm lætis ampléxibus ſuſcépta à Fílio, & ſuper omnem exaltáta creatúram, cum eo honóre, quo tanta mater digna fuit, cum ea glória, quæ tantum décuit Fílium?

℟. Congregávit Rex cunctos príncipes, ut adducerent arcam fœderis Dómini: & * Intulérunt eam in Sancta ſanctórum ſubter alas Chérubim. ℣. Apértum eſt templum Dei in cœlo; & viſa eſt arca teſtaménti ejus in templo ejus. * Intulérunt. 2. *Paral.* 5. 2. 5. 7. *Apoc.* 11. 19.

Lectio vj.

Felícia prorſus óſcula lábiis impréſſa lacténtis, cui virgíneo mater applaudébat in grémio. Verùm numquid non felicióra cenſébimus quæ ab ore ſedéntis in déxtera Patris, hódie in beáta ſalutatióne ſuſcépit, cùm aſcénderet ad thronum glóriæ, epithalámium canens, & dicens: Oſculétur me óſculo oris ſui? Chriſti generatiónem, & Maríæ Aſſumptiónem quis enarrábit? Quantùm enim grátiæ in terris adépta eſt præ cæteris, tantùm & in cœlis óbtinet glóriæ ſinguláris. Quòd ſi óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis aſcéndit, quæ præparávit Deus diligéntibus ſe: quod præparávit gignénti ſe, & (quod ómnibus eſt certum) diligénti præ ómnibus, quis loquátur? Felix planè María, & multiplíciter felix, ſive cùm éxcipit Salvatórem, ſive cùm à Salvatóre ſuſcípitur. Utrobíque miránda dígnitas Vírginis matris; utrobíque amplecténda dignátio majeſtátis.

℟. Tenuíſti manum déxteram meam, Dómine, * In voluntáte tua deduxíſti me, & † Cum glória ſuſcepíſti me. ℣. Vidi, & ecce óſtium apértum in cœlo; & vox, quam audívi, dicens: Aſcende huc. * In voluntáte. Glória. † Cum glória. *Pſ.* 72. 24. *Apoc.* 4. 1. 2.

IN III. NOCTURNO.

Quæ Mariæ poteſtas, cùm coronatur!

Ant. t. 7. *a.* Regína ingréſſa Jeruſalem multo cum comitátu & divítiis, venit ad regem. 3. *Reg.* 10. 2.

Ant. t. 8. *c.* Circúmdata eſt glóriâ ſuâ, cùm régio fulgéret hábitu. *Eſth.* 15. 4. 5.

Ant. t. 5. *F.* Exultábit lætabúnda, & laudans: glória Líbani data eſt ei; decor Carméli & Saron. *Iſ.* 35. 2.

℣. Poſuíſti, Dómine, in cápite ejus corónam, ℟. De lápide pretióſo. *Pſ.* 20. 4.

Léctio ſancti Evangelii ſecúndùm Lucam.

Lectio vj. Cap. 1. *v.* 46.

IN illo témpore; Ait María: Magníficat ánima mea Dóminum: & exultávit ſpíritus meus in Deo ſalutári meo. Et réliqua.

Homília ſancti Fulbérti Carnuténſis Epiſcopi.

In Feſto Aſſumpt. B. M. V. in Append. S. Aug. 208.

ADeſt nobis, dilectíſſimi fratres, dies valdè venerábilis, dies ómnium Sanctórum ſolemnitátes præcéllens. Adeſt, inquam, dies ínclyta, dies præclára, dies in qua è mundo migráſſe créditur Virgo María: & ídeò ſummâ cum exultatióne laudes íntonet univérſa terra tantæ Vírginis, illuſtráta excéſſu; quia indígnum valdè eſt, ut illíus recordatiónis ſolémnitas ſit apud nos ſine maximo honóre, per quam meruímus auctórem vitæ ſuſcípere: ſatíſque præpóſterum judicándum eſt, ut cùm ſanctórum celebrémus victórias Mártyrum, illíus ſolemnitátem illis non præferámus, quæ huic mundo édidit Príncipem Mártyrum. In hac síquidem die competénter ſponſo illi cœléſti proclámat Virgo María: Tenuíſti manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxíſti me, & cum glória aſſumpsíſti me. Hódie, inquam, & ipſa à ſponſo Fílio & Dómino cóngruè audívit: Jam hyems tránſiit, imber abiit & recéſſit; ſurge, próxima mea, ſponſa mea, colúmba mea, & veni.

℟. Surréxit Rex in occúrſum matris; & ſedit ſuper thronum ſuum: * Poſitúſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad déxteram ejus. ℣. Péperit Fílium qui rectúrus erat omnes gentes, & raptus eſt Fílius ejus ad thronum Dei. * Poſitúſque. 3. *Reg.* 2. 19. *Apoc.* 12. 5.

Lectio viij. poſt pauca.

HÆc múlier beatíſſima, Spíritu ſancto repléta,

plenitúdine divinitátis afflá-ta, hoc Dómino decantavit cánticum laudis: Magníficat ánima mea Dóminum; & exultávit ſpíritus meus in Deo ſalutari meo. Primo ígitur in loco quæréndum eſt, quid ſit magnificare Dóminum: neque enim magnus fit à creatúra Creátor. Sed ſciéndum nobis eſt, duóbus modis dici magnificáre, id eſt, aut magnum fácere, aut magnum adoráre, magnúmque admirári. Magnificátur enim Deus à nobis, cùm magnificári dignátur à nobis. Sed numquid ſic in nobis, ſicut in María unde carnem aſſúmpſit pro nobis? Ave, inquit ad eam Angelus, grátiâ plena, Dóminus tecum, benedícta tu inter mulíeres. Spiritus ſanctus ſupervéniet in te, & virtus Altíſſimi obumbrábit tibi. Quæcúmque tamen, ánima ſancta, verbum concípere potes credéndo, pare prædicándo, magnífica amándo. Unde & David Prophéta dicit: Magnificáte Dóminum mecum, & exaltémus nomen ejus in ínvicem... Sic namque optándum eſt, ut in síngulis noſtra ánima magníficet Dóminum, concípiat Dei verbum, páriat & nútriat, recordetur ſalvatiónis ſuæ pia commércia, quómodo nullis ſuis præcedéntibus méritis ſit ab iniquitáte ſalváta, ſed ſolâ Dei bonitáte gratúitâ Chriſti sánguine redémpta, & dicat: Magníficat ánima mea Dóminum.

℟. Hábuit grátiam & miſericórdiam coram Rege ſuper omnes mulíeres: & * Póſuit diadéma regni in cápite ejus, fecítque eam regnáre. ℣. Quia reſpéxit Dóminus humilitátem ancíllæ ſuæ. * Póſuit. *Eſth.* 2. 17. *Luc.* 1. 48.

Lectio ix. ad finem.

O Virgo beáta, nos adhuc in terra afflígimur, eſurímus, ſitímus, ſomnum pátimur, in cárcere retinémur: tu verò in cœléſtibus regnis præclára es cunctis Vírginum choris: tu Agnum, quòcúmque perréxerit, ſéqueris: tu virgíneos choros ab incentívæ carnis illécebris aliénos per albéntia lília roſáſque vernántes ad fontes perénnis vitæ potándos, invítas. Tibi thronus régius ab Angelis collocátur in aula ætérni Regis, teque ipſe Rex regnum ut matrem veram & decóram ſponſam præ ómnibus díligens, amóris ampléxu ſibi aſſóciat. Nec mirum ſi dignétur tibi adgaudére Deus regnans in cœlis, quem tu párvulum ex te hóminem natum tóties oſculáta es in terris. Has ergo tuas felicitátes póſſidens, convértere ad noſtrárum miſeriárum ſalútem. Inter hæc, fratres chariſſimi, cum toto mentis affectu beatíſſimæ Vírginis nos interceſſiónibus committ-

tamus, omnes ejus patrocínia omni niſu implorémus: ut dum nos súpplici eam obſéquio frequentámus in terris, ipſa nos sédulâ prece commendáre dignétur in cœlis. Neque enim dúbium quæ méruit pro liberándis proférre prétium, poſſe plus Sanctis ómnibus, liberátis impéndere ſuffrágium.

℟. Signum magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta ſole, & luna ſub pédibus ejus, * Et † In cápite ejus coróna ſtellárum duódecim. ℣. Aſtitit Regína à dextris tuis, Deus, in veſtítu deauráto, circúmdata varietáte. * Et in cápite. Glória. † In cápite. *Apoc.* 12. 1. *Pſ.* 44. 10.

Te Deum.

AD LAUDES.

Mariæ in plenitudine Sanctorum magnificantis Deum vox.

℣. *Sacerdos.* Magnificáte Dóminum mecum: ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípſum. *Pſ.* 33. 4.

Pſalmi de Dominica.

Ant. t. 5. *F.* Magnificáta eſt ánima mea hódie præ ómnibus diébus meis. *Judith.* 12. 18.

Ant. t. 6. *F.* Exultábit ánima mea in Deo meo; quia circúmdedit me corónâ, quaſi ſponſam ornátam monílibus ſuis. *Iſ.* 61. 10.

Ant. t. 7. *a.* Lætáta ſum in ſalutári tuo: Dóminus de púlvere élevat páuperem, ut sólium glóriæ téneat. 1. *Reg.* 2. 1. 8.

Ant. t. 3. *E.* Sub umbra.

CANTICUM

Judith. 13. 22. *ad med.* 25.

Benedíxit te Dóminus in virtúte ſua; * quia per te ad níhilum redegit inimícos noſtros.

Benedícta es tu, filia, à Dómino Deo excélſo, * præ ómnibus muliéribus ſuper terram.

Benedíctus Dóminus, * qui creávit cœlum & terrã:

Qui te diréxit * in vulnera cápitis príncipis inimicórum noſtrórum:

Quia hódie nomen tuum ita magnificávit, * ut non recédat laus tua de ore hóminum.

Glória Patri: *& dicitur hoc Canticum per Octavam, quando fit de ea.*

Ant. Sub umbra illíus quem deſideráveram ſedi; & fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cant.* 2. 3.

Ant. t. 2. *d.* In civitáte ſanctificáta requiévi, & in plenitúdine Sanctórum deténtio mea. *Eccli.* 24. 15. 16.

Capitulum. Eccli. 24. 17. 18.

Quaſi Cedrus exaltáta ſum in Líbano, & quaſi Cypreſſus in monte Sion: quaſi palma exaltáta ſum in Cades, & quaſi plantátio roſæ in Jéricho.

℣. Tu, Dómine, ſuſcéptor meus es, ℟. Glória mea & exáltans caput meum. *Pſ.* 3. 4.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *D.* Magnificéntia tua, Domine, in diadémate capitis illíus ſculpta erat. *Sap.* 18. 24.

Oratio.

Veneránda nobis, Dómine, hujus diéi Feſtívitas opem cónferat ſalutárem, in qua ſancta Dei Génitrix mortem súbiit temporálem; nec tamen mortis néxibus déprimi pótuit, quæ Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum de ſe génuit incarnátum; Qui tecum, &c.

Ad Horas br. Antiph. de Laudib. Pſalmi & Hymni de Dominica.

In fine Hymnorum hodie & per Octavam dicitur Doxologia.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In ſempitérna ſæcula. Amen.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine: *Matth.* 1. 16.

CANON

Ex Concílio Mediolanénſi quarto.

An. 1576. *Part.* 2. *Tit. ultim.*

In Aſſumptióne beátæ Maríæ Vírginis, sínguli Sacerdótes, & réliqui inferióris Ordinis Clérici, in Parochiálem Eccléſiam, intra cujus fines hábitant, ſi eo témpore divínis Officiis in ália Eccléſia intereſſe non debent, ad Matutínum & ad réliqua Horária divinárum Precum Officia Miſſarúmque ſolémnia celebránda convéniant.

AD TERTIAM.

Capitulum. Tob. 13. 23.

Benedíctus Dóminus qui exaltávit eam, & ſit regnum ejus in ſæcula ſæculórum. Amen.

℟. Vox exultatiónis & ſalútis, in tabernáculis juſtórum: * Déxtera Dómini exaltávit me; déxtera Dómini fecit virtútem. ℣. Magníficat ánima mea Dóminum; & exultávit ſpíritus meus in Deo ſalutári meo. * Déxtera. Glória. * Déxtera. *Pſ.* 117. 15. 16. *Luc.* 1. 46. 47.

℣. Exultábo in miſericórdia tua; ℟. Quóniam reſpexíſti humilitátem meam, allelúia. *Pſ.* 30. 8.

Per Octavam ℟. *br.* Veníte, audíte, & narrábo: * Allelúia, allelúia. Veníte. ℣. Quanta fecit ánimæ meæ.* Allelúia, allelúia. Glória. Veníte. *Pſ.* 65. 16.

℣. Anima mea exultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur ſuper ſalutári ſuo, allelúia. *Pſ.* 34. 9.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 47. 13.

Dominus exaltávit in ætérnum cornu ejus: & dedit illi teſtaméntum regni, & ſedem glóriæ.

℟. *br.* Bénedic, ánima mea, Dómino, * Allelúia,

allelúia. Bénedic. ℣. Qui corónat te in miſericórdia. * Allelúia, allelúia. Glória. Bénedic. Pſ. 102 2. 4.

℣. In velaménto alárum tuárum exultábo : ℟. Me ſuſcepit déxtera tua, allelúia. Pſ. 62. 8. 9.

AD NONAM.

Capitulum. Iſ. 58. 14.

DElectáberis ſuper Dómino, & ſuſtollam te ſuper altitúdines terræ, & cibábo te hæreditate Jacob patris tui : os enim Dómini locútum eſt.

℟. br. Sion réquies mea, * Allelúia, allelúia. Sion. ℣. In ſæculum ſæculi. * Allelúia, allelúia. Glória. Sion. Pſ. 131. 14.

℣. Hîc habitábo ; ℟. Quóniam elégi eam, allelúia. Pſ. 131. 14.

AD II. VESPERAS.

Reginæ cœli Mariæ gratulatur Eccleſia.

Pſalmi de parvo Officio B. M. V.

Ant. t. 1. D. INdue te decóre, & honóre ejus quæ à Deo tibi eſt, ſempitérnæ glóriæ. *Bar.* 5. 1.

Ant. t. 3. *E.* Decóra facta es vehementer nimis : & profecíſti in regnum ; quia perfécta eras. *Ezech.* 16. 13. 14.

Ant. t. 5. *F.* Tibi Altíſſimus regnum & magnificéntiam, glóriam & honórem dedit. *Dan.* 5. 17. 18.

Ant. t. 6. *F.* Sit Dóminus Deus tuus benedíctus, cui complacuíſti, & póſuit te ſuper thronum. 3. *Reg.* 10. 9.

Ant. t. 2. *d.* Invoca Dóminum, & lóquere Regi pro nobis, & líbera nos. *Eſth.* 15. 3.

Capitulum. Eccli. 24. 3. 4.

IN plenitúdine ſanctâ admirábitur, & in multitúdine electórum habébit laudem, & inter benedíctos benedicétur.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

O Vos æthérei, pláudite, cives;
Hæc eſt illa dies clara triúmpho,
Quâ matrem plácidâ morte ſolútam
Natus ſidéreâ ſúſcipit aulâ.

Quæ non, Virgo, tibi dona repéndit!
Cœli divítias éxplicat omnes;
Verbum veſtíeras carne; viciſſim
Te Verbum próprio lúmine veſtit.

Qui velo látuit carnis, apérti
Pleno te sátiat Núminis hauſtu:
Et quem virgíneo lacte cibáſti,
In jugem tibi dat ſe Deus eſcam.

O concéſſa tibi quanta poteſtas!
Per te quanta venit grátia terris!
Cunctis cœlitibus célſior una,

Solo facta minor, Virgo, Tonánte.
Quæ Regína ſedes próxima Chriſto,
Alto de sólio vota tuórum
Audi: namque potes fléctere Natum,
Virgo mater: amas nos quoque natos.
Divínæ Soboli, qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri;
Cujus Virgo parens, glória Nato;
Quo fœcúnda, tibi glória, Flamen.
Amen.

℣. Magna eſt glória ejus,
℟. In ſalutári tuo, Dómine. *Pſ.* 20. 6.

Ad Magnif. *Ant. t.* 6. *F.* Reſpéxit Dóminus humilitátem ancíllæ ſuæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes; quia fecit mihi magna qui potens eſt. *Luc.* 1. 48. 49.

Fit Commem. S. Rochi per Antiph. de Communi unius Juſti. Oratio ut infrà in ejus Feſto.

DIEBUS intra Octavam ASSUMPTIONIS B. M. V.

Ad Officium nocturnum, *Invitat. ut in die: novem Pſalmi de Feria, Antiphonæ,* ℟. ℟. ℟. *&* ℣. *ex uno Nocturno Feſti juxta Rubricam: Lectiones ut notantur in qualibet die.* Te Deum *dicitur.*

Ad Laudes, *Prima Antiphona de Laud. Feſti, Pſalmi de Feria; cætera ut in die.*

Ad horas br. *Hymni & Pſalmi ut in Feria; in fine Hymnorum Doxologia ut notatur in Feſto, & Antiphonæ de Laudibus, quartâ omiſſâ: reliqua ut in die.*

Ad Veſperas. *Antiph. prima de* 2. *Veſperis: Pſalmi de Feria, cætera ut in Feſto.*

DIE XVI. S. ROCHI, LAICI JUSTI.

Duplex 3. Claſſ.

Omnia de Comm. unius Juſti. Oratio ut infrà.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ejus vita, & aliis apud Boll.

Rochus, circa ſæculi décimi quarti inítia, equeſtri género natus, pátriā hábuit Montem Peſſulánum, notíſſimam Galliæ in Occitánia inferióre urbem. Is utróque parénte mórtuo, poſt facultátes magnâ ex parte paupéribus erogátas, vili indútus veſte, Románam peregrinatiónem aggréſſus eſt. Graſsánte tunc per Itáliam peſte graviſſimâ, ſtrénuam divérſa per Noſocómia in ægrotórum miniſtériis exhíbuit óperam. Quod cùm tam Romæ, quàm in áliis úrbibus zelo incredíbili præſti-

tiſſet, noviſſime apud Placéntiam ipſa peſtiléntiâ corréptus, ibi in magnâ rerum inópiâ, miræ patiéntiæ & fidei ſpecimina præbuit.

Lectio v.

Recuperatâ ſanitáte, cum in patriam reverterétur, panem emendícans, fácie præ inédia defórmis, inter bellórum tumultus pro exploratóre comprehénſus, ipſique patruo mínime ágnitus, in teterum cárcerem, eo jubente conjícitur: ubi per quinquénnium acerbíſſima quæque perpéſſus, carceríſque ténebras & fœtóres voluntáriis aliis cúmulans labóribus, óbiit, eâ ſanctitátis opinióne, ut ſtatim pópulo perſuáſum fúerit, quoſcumque graviſſimis & inſanabílibus morbis laborántes Rochi patrocínio ſalútem eſſe conſecutúros.

Lectio vj.

In tantum autem crevit glória ejus poſthuma; ut magnus quaquavérſum per Európam peſtiferæ præſértim luis ſoſpitátor invocétur, nec ſine manifeſtis faventis Dei teſtimóniis: quod cùm ſæpe áliàs, tum máximè Concilii Oecumenici Conſtantiénſis témpore comprobatum dícitur. Nam cùm eâ in urbe peſtis ántea crudéliter ſæviiſſet, delatâ Patrum decréto per vicos & cómpita civitatis in ſupplicatióne ſolémni ſancti Rochi imágine, ſtatim quiévit. Hinc ubíque locórum ejus imágines expóſitæ, confraternitátes ſub ejus invocatióne eréctæ, ſacella templaque permúlta ſub ejus nómine Deo dicáta conſpiciúntur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 9. 35.

In illo témpore: Circuíbat Jeſus civitátes & caſtélla, docens in ſynagógis eórum, & prædicans Evangélium regni, & curans omnem languórem, & omnem infirmitátem. Et réliqua.

Homilia ſancti Joánnis Chrysóſtomi.

Hom. 32. in Matth. aliàs 33. n. 1. & 2.

Id quod máximè Phariſæos mordebat, quòd Chriſtum ómnibus antepónerent turbæ, non vivis ſolum, ſed étiam qui antè fuiſſent. Anteponébant verò, non quòd curáret modò, ſed quod fácilè, citò, innumeraſque ægritudines inſanábiles. Sic quidem pópulus. Phariſæi contra, non modò facta calumniantur, ſed ſibi ipſis contraria dicéntes, non erubeſcunt. Quid enim dicunt? In príncipe dæmonióṛum éjicit dæmonia. Quo quid ſtultius? Nam ut póſtea dicit, non poteſt dæmon ejícere dæmonem. Nam ille ſua conſerváre & firmáre ſolet, non deſtrúere. Ipſe verò non modò dæmonas ejiciebat;

ciébat; ſed étiam lepróſos mundábat, mórtuos ſuſcitábat, mare frænábat, peccáta dimittébat, regnum prædicábat: id quod numquam dæmon fácere velit, neque poſſit.

Lectio viij.

CHriſtus contrà poſt tot injúrias & contumélias circuíbat urbes omnes & vicos, prædicans Evangélium regni Dei, curans omnem morbum & omnem infirmitátem. Nec modò illos non puniébat ingrátos, ſed ne increpábat quidem: ſimul manſuetúdinem ſuam oſténdens, & hanc calúmniam cónfutans, inſupérque per ſequéntia ſigna volens plura præbére arguménta, ac deínde verbis argúere. Circuíbat ítaque & per civitátes, & per vicos, perque ſynagógas eórum; docens nos ſic maledícta non maledíctis, ſed beneficiis majóribus refellénda eſſe.

Lectio ix.

NAm ſi non propter hómines, propter Deum certè conſérvis beneficia præſtas; quidquid illi agant, ne ceſſes bene fácere, ut major ſit merces; ita ut qui poſt calúmniam illátam bene fácere déſinit, oſténdat, ſe non propter Deum, ſed propter hóminum laudem hanc exercére virtútem. Ideò Chriſtus ut nos docéret ſe ex ſola benignitáte id ágere; non ſolùm non expectábat ægros ad ſe veníre, ſed ad illos contendébat, duo máxima ipſis bona cónferens, Evangélium regni, & morbórum ómnium curatiónem. Nullam urbem deſpiciébat, nullum vicum prætercurrébat, ſed omnem adíbat locum.

Oratio.

POpulum tuum, quæſumus, Dómine, ad te confugiéntem patérnâ récipe pietáte; ut qui tuæ iracúndiæ flagélla formídant, intercedénte beáto Rocho, tuâ mereántur misericórdiâ liberári; Per, &c.

In Laudibus fit Comm. Octavæ B. M. V.

In Veſperis Commem. Octavæ & S. Mamantis Martyris.

Oratio. Deus, qui beátum, *pag.* xj.

DIE XVII.

DE OCTAVA ASSUMPT. B. M. V.

Semiduplex.

Prima Lectio de Script. occurr. ex tribus fit una, & ſic in ſimilibus.

Lectio ij.

Sermo ſancti Cyrilli Alexandrini.

Contra Neſt. habit. in Conc. Epheſ.

SAnctórum cœtum qui à ſancta Deípara ſemper Vírgine María invitáti, prompto ánimo huc confluxérunt, lætum erectúmque conſpício. Quare licèt multâ prémerer triſtítiâ, áttamen hic ſanctórum Patrum cœtus

lætítiam mihi præbuit. Nunc dulce illud Hymnógraphi David verbum apud nos implétum eſt : Ecce jam quid bonum aut quid jucúndum niſi habitáre fratres in unum? Salve ítaque à nobis, ſancta myſtica Trínitas, quæ nos omnes convocáſti in hanc Eccléſiam Deíparæ Maríæ. Salve à nobis, Deípara María, quæ imménſum incomprehensúmque in ſancto virgíneo útero comprehendíſti ; per quam cœlum exúltat, per quam Angeli & Archángeli lætántur ; per quam dæmones fugántur; per quam prolápſus homo cœlum recúperat ; per quam omnis creatúra idolórum vesániâ deténta ad agnitiónem veritátis pervénit ; per quã ſanctũ baptíſma obtíngit credéntibus;per quã toto terrarũ orbe fundátæ ſunt Eccléſiæ;& quid plura dicã? Per quam Unigénitus Dei Fílius iis qui in ténebris & umbra mortis ſedébant, lux effúlſit.

Lectio iij. de S. Mamante.

Sermo ſancti Basílii Epíſcopi.

Homil. 26. de Mart. Mamante.

HIc Martyr non accépit aliúnde quem habet ſplendórem, ſed ipſe per vitæ converſatiónem glóriæ fáculam accéndit. A Mamánte relíqui, non ab áliis Mamas glóriam habet. Celebrémus virum non alièno, ſed próprio ornaménto decorátum. Vides eos qui equéſtri certámine vicérunt? Vides ſpléndida illórum monuménta, quómodo lápides ſint negléctì? Ad Mártyris verò memóriam & tota régio mota eſt, & ad illíus feſtum diem urbs univérſa immutáta geſtit. Vides honórem conſtáre ex virtúte, non ex divítiis?... Mémores eſtóte Mártyris, quotquot illo per ſómnia potíti eſtis, quotquot in hoc loco conſtitúti adjutórem ipſum ad precándum habuíſtis, quibuſcúmque ex nómine advocátus ipſis ádfuit opéribus, quotquot aberrántes ad viam redúxit, quoſcúmque ſanitáti reſtítuit, quibuſcúmque fílios jam mórtuos ad vitam redúctos réddidit, quotquot vitæ términos prorogávit. Colléctis in unum his ómnibus, ex commúni ſymbolo Mártyri encómium conſtrúite.

DIE XVIII.

DE OCTAVA B. M. V.

Semiduplex.

1. & 2. Lectio de Script. occurr. ex duabus ultimis fit una, & ſic in ſimilibus.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lectio iij.

In Luc. Lib. 2. n. 26. & 27.

SIt in ſíngulis Maríæ ánima, ut magníficet Dóminum ; ſit in ſíngulis ſpíritus Maríæ, ut exultet in Deo. Si ſecúndùm carnem una mater eſt Chriſti ; ſecúndum fidem tamen ómnium fructus eſt Chriſtus... Quæcumque enim

tur talis eſſe potúerit ánima, magníficat Dóminum, ſicut ánima Maríæ magnificávit Dóminum, & exultávit ſpíritus ejus in Deo ſalutári.... Dum magníficat eum, magnitúdinis ejus quâdam participatióne ſublímior fit. Magníficat autem ánima Maríæ Dóminum, & exúltat ſpíritus ejus in Deo; eò quòd & ánimâ & ſpíritu Patri Filióque devóta, unum Deum ex quo ómnia, & unum Dóminum per quem ómnia, pio venerétur afféctu.

DIE XIX.

DE OCTAVA B. M. V.

Semiduplex.

1. & 2. Lectio. de Scrip. occurr.

Lectio iij.

Sermo ſancti Procli Epíſcopi.

In S. Deip. Orat. 5. hab. in Conc. Epheſ.

Quamvis ómnium Sanctórum memóriæ mirábiles ſint, nihil tamen diéi hujus ſolémniis æquále ad glóriam. Abel propter ſacrifícium celebrátur; Abraham propter fidem præcláris láudibus cumulátur; Móyſes tamquam Legiſlátor prædicátur; Elías ut zelótes, teſtimónium habet; David, ut pater myſtérii in carne perácti, commendátur. Verùm nihil tale eſt, qualis eſt Dei Génitrix María: ipſa enim, quem illi in ænígmate vidérunt, incarnátum in útero portávit. Cunctas res creátas, ò homo, cogitatióne percúrre, & vide an quidquam ſit æquále vel majus María Deiparâ. Terram úndique luſtra, cœlos mente ſcrutáre, inviſíbiles omnes virtútes cógita, ac pérſpice, num ſit in univérſis creátis áliud ejúſmodi miráculum.

Veſperæ de ſequenti.

DIE XX.

S. BERNARDI, ABBATIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Duplex 3. Claſ.

Omnia de Communi Doctorum.

Oratio.

Excita, quæſumus, Dómine, in Eccléſia tua ſpíritum, cui beátus Bernárdus Abbas ardénti fervóre ſervívit: ut eódem nos replétì, ſtudeámus amáre quod amávit, & ópere exercére quod dócuit; Per, &c.

Fit Comm. Octavæ, deinde de S. Stephano per Antiph. de Communi unius Juſti.

Oratio.

Concéde, quæſumus, Eccléſiæ tuæ, omnípotens Deus, ut beátum Stéphanum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur glorióſum in cœlis; Per, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex vita S. Bernardi, auctore Guill. Abb. & ipſius Bernard. operibus.

Bernárdus, Fontánis ad caſtrum Divionénſe nobílibus & piis paréntibus natus, anno ætátis vigéſimo ſe-

cúndo, in Ciſterciénſi Monaſtério religióſam profeſſiónem induit, cum triginta ſóciis, inter quos ex própriis frátribus & cognatis plures fuére. Ut autẽ ſe ad arctiórẽ obſervántiam excitáret, hoc ſæpiùs in ore habébat: Bernárde, ad quid veníſti? Itaque eos brevi fecit in pietáte progréſſus, ut a Stéphano Abbáte ſuo ad conſtruéndum Claravallénſe Monaſtérium, júvenis licèt, mitterétur. Cujus loci póſtea Abbas deſignátus, à Guillélmo Catalaunenſi Epíſcopo, abſénte Joſcerónno Lingonénſi, benedictiónem accépit. Ibi pro victu pulménta ſæpiùs ex fagi fóliis conféćta; panis ex hórdeo, mílio & vícia; húmiles caſæ; ſolitúdo ingens in magna fratrum multitúdine; ſilentiíque tanta obſervántia, ut nihil præter laborántium ſtrépitus, & voces laudántium Deum, pénitus audirétur. Nihilóminus pro aſſeréndа Eccléſiæ cathólicæ doctrína, unitáte ac pace labóres propè infinítos ſuſtínuit; variíſque vocátus intérfuit Concíliis: Trecénſi, in quo Templáriis milítibus præſcrípta régula; Senonénſi, ubi Abailárdum confutávit; Rheménſi, in quo advérsùs Gilbértum Porretánum Pictavénſem Epíſcopum, quem erróris convícerat, ſymbolum cóndidit.

Lectio v.

Pontificátum aſſéruit Innocéntio ſecúndo, quem Petrus Leónis, uſurpáto Anacléti ſecúndi nómine, Romà expúlerat. Cùm enim, coáćto apud Stampas Concílio, Rex & Antiſtes rem totam ad uníus Bernárdi arbítrium detuliſſent, Innocéntium legítimum eſſe beáti Petri ſucceſsórem declarávit; & ad eúmdem Pontíficem redúxit Henrícum primum Angliæ Regem cum Anglicánis Epíſcopis partes Anacléti tuéntem. Tum Bernárdus, ſolútà Synodo Piſánà cui affúerat, Mediolanénſes & Aquitános, qui Anaclétum fovébant, ad Eccléſiæ unitátem revocávit; Ducémque Aquitániæ Guillélmum, expóſità cum obteſtatióne ob óculos ejus treméndà Hóſtià, ádeò térruit, ut ille abjécto ſchíſmate, ad ſanióFrem mentem ſúbitò redíerit. Imperatórem Lothárium jus inveſtiturárum ſibi vindicántem ſólità loquéndi libertáte reprehéndit, & à ſuſcéptis consíliis dimóvit. Romam accítus, Victóri, qui Anacléto & ipſe pſeudopóntifex ſubrogátus fúerat, perſuáſit ut Innocéntio obſequerétur. Claravállem revérſus, ſancti Anaſtáſii Monaſtério quod ad Aquas Salvias prope Romã extrúxerat, eum præfécit Abbátem, qui póſtea ſummus Póntifex creátus, Eugénius tértius appellátus

eſt, ad quem étiam ſuos de Conſideratióne Libros ſcripſit.

Lectio vj.

BErnárdo ſummi Pontíficis juſſu concionánte, in Concílio Carnuténſi ſacra in Saracénos expedítio ſuſcépta eſt; quæ tamen cùm felícem non habuíſſet éxitum, multis hinc impetítus eſt calúmniis, quas patientíſſimè tulit. Gravióra inter civitátē Meténſē & vicínos príncipes orta diſſídia dirémit. Oblátos quinque Epiſcopátus conſtantíſſimè recusávit. Multa ſcripſit, quæ ſingulárem ubíque pietátis ſuavitátem ſpirant. Ipſum ſæpè conſuluérunt Epiſcopi, ad quos zelo & libertáte incredíbili lítteras dedit; inter quas extát una ad Riquínum Tulléñſem Epíſcopum, in qua mira elúcet Bernárdi humílitas. Familiári quoque amicítiâ conjúnctus fuit cum Hugóne Tulléñſis Eccléſiæ Archidiácono, de quo in Epíſtola centéſima ſeptuagéſima ſexta ad Innocéntium honorífice locútus eſt. Quater in anno Tullum eſt ingréſſus, nec umquam ſine miráculis; ex quibus inſígne illud eſt quòd Domínicâ ante Pentecóſten, Miſſam célebrans in Eccléſia Cathedráli ad altáre majus, vir Dei, omni ſpectánte pópulo édidit; cùm ſcílicet oblátus ipſi puer cæcus ab ómnibus notus, per ipſíus manûs impoſitiónē viſū contínuò recépit. Annū dénique agens vitæ ſexagéſimū tértium, Claraválle óbiit, virtútibus & miráculis clariſſimus, ſepultúſque eſt ante altáre beátæ Vírginis, quam religióne ſinguári coluerat; anno Chriſti milléſimo centéſimo quinquagéſimo tértio.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19. v. 27.

IN illo témpore; Dixit Petrus ad Jeſum: Ecce nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te; quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homília ſancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 22. de diverſis. n. 1.

IN via eſtis, fratres, quæ ducit ad vitam, in via recta & impollúta, quæ ducit ad civitátem ſanctam Jeruſalem illam, quæ eſt mater noſtra. Arduus quidem aſcénſus ejus útpote per ipſum montis ſummitátem incíſus: ſed via compendióſior labóris magnitúdinem vel témperat, vel exclúdit. Vos autem tam felíci facilitáte, quàm fácili felicitáte viā iſtā non ſolum itis, ſed cúrritis; quia exonerati eſtis, & accíncti, nihil pónderis ſuper dorſa portántes. Felíces ígitur vos, qui vos & veſtra ſine omni exceptiúncula reliquíſtis; per ipſum montis vérticem iter fácitis ei qui aſcéndit ſuper occáſum: Dóminus nomen illi.

Lectio viij. n. 1. & 2.

Illi verò qui quamvis Ægyptum fúgerint, tamen ad quæque Ægyptia tenérrimè reſuſpírant, viam civitátis habitáculi non invenérunt; ſed voluntátum ſuárum graviſſimis ſárcinis prægraváti, vel ſub ónere, vel cum ónere cadunt, ut vix ad curſum pervéniant deſtinátum. Quid enim eſt quòd vita veſtra vitam Apoſtólicam repræséntet? Illi reliquérunt ómnia, & in ſchola Salvatóris ſub ejus præſentia congregáti, hauſérunt aquas in gáudio de fonte Salvatóris, ipſum vitæ fontem in ipſo fonte bibéntes. * Beáti óculi qui vidérunt. Numquid non & vos, non in præséntia, ſed in abséntia ipsíus; non ad verba oris ejus, ſed ad vocem nuntiórum ejus, ſímile áliquid feciſtis? Deféndite vobis hanc prærogatívam; quòd illi ad viſum & ad verbum, vos ad audítum & núntium credidíſtis. Sic ſtate in Dómino, chariſſimi, ut quemádmodum illi in fame & ſiti, in labóribus & vigíliis, juſtítiæ viam régiam tenuérunt; ſic & vos, etſi non eórum méritis, tamen exercítiis aliquátenus coæquáti, dicátis Dómino ante thrónum glóriæ ipsíus: Lætáti ſumus pro diébus quibus nos humiliáſti, annis quibus vídimus mala.

Lectio ix. de S. Stephano. Ex ejus vita, auctore Chartuit. & aliis.

Stéphanus in Hungáriam Chriſti fidem & Régium nomen invéxit, tantóque dilatándæ fídei ſtúdio flagrávit, ut illíus gentis Apóſtolus méritò fúerit nuncupátus. Nec minùs intérea viſus eſt in regni negótiis vel ímpiger, vel prudens; quippe qui accítis úndique viris ſapientíſſimis, nihil umquam ſine illórum consílio molirétur. Vária pietátis domicília, Romæ, Hierosólymis, Conſtantinópoli; in Hungária Archiepiſcopátum Strigoniénſem, Epiſcopátus álios decem, admirábili religióne & munificéntiâ fundávit. Par in páuperes amor & liberálitas; quos véluti Chriſtum ipſum compléctens, ad ſublevándam eórum inópiam ampliſſimas facultátes, quin & ipſam doméſticam ſupelléctilem erogávit: sólitus inſuper páuperum pedes própriis laváre mánibus, noctu ſolus, & ignótus noſocómia frequentáre, decumbéntibus inſervíre; cæteráque charitátis officia humíliter impéndere. Méritis quàm ſceptro clárior óbiit anno milleſimo trigéſimo octávo, & pro votis ipsâ die Aſſumptiónis beátæ Maríæ Vírginis, cui ſe devotíſſimum fúerat profésſus, & quam, extrúcto in ejus honórem templo ma-

piíſſimo, Hungáriæ Patronam inſtitúerat.

In Veſperis Comm. Octavæ B. M. V.

Die xxi.

DE OCTAVA ASSUMPTIONIS B. M. V.

Semiduplex.

Prim. & ſec. Lectio de Script. occurr. fit una ex ſecunda & tertia.

Lectio iij.

Sermo ſancti Fulgéntii Epíſcopi.

Serm. de laud. Mariæ in die Nativ. Chriſti.

FActa eſt María fenéſtra cœli, quia per ipſam Deus verum fudit ſæculis lumen: facta eſt María ſcala cœléſtis, quia per ipſam Deus deſcéndit ad terras; ut per ipſam hómines aſcéndere mereántur ad cælos. Ipſis enim licébit aſcéndere illuc, qui Deum credíderint ad terras per Vírginem Mariam deſcendiſſe. Facta eſt María reſtaurátio fœminárum, quia per ipſam à ruína primæ maledictiónis probántur eſſe ſubtráctæ... Veníte, vírgines, ad Vírginem, & lætámini: depónite maledictiónẽ prævaricatiónis, & benedictiónem reſtaurationis aſſúmite. Projícite dolóres quos Eva per ſerpéntem accépit, & quos per Angelum María ſuſcépit honóres, aſſúmite... Veníte, vírgines, ad Vírginem; veníte, matres, ad matrem... Ideò omnes iſtos curſus naturæ Virgo María in Dómino noſtro Jeſu Chriſto ſuſcépit, ut ómnibus ad ſe confugiéntibus ſubveníret.

Die xxii.

OCTAVA ASSUMPTIONIS B. M. V.

Duplex 4. Claſ.

Omnia ut in die (incipiendo à primis Veſperis) præter Pſalmos qui ſumuntur ex Feria, & alia quæ ſequuntur.

Fit in 1. Veſp. & Laud. Commem. S. Symphoriani Martyris. Oratio Præſta, *pag.* xj.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv. in Aſſumpt. B. M. V.

Serm. 4. n. 1.

TEmpus loquéndi eſt omni carni, cùm aſſúmitur incarnáti Verbi mater in cœlum; nec ceſſáre debet à láudibus humána mortálitas, cùm hóminis ſola natúra ſupra immortáles ſpíritus exaltátur in Vírgine. Sed de ejus glória nec ſilére devótio pátitur, nec dignum áliquid ſtérilis concípere cogitátio, aut inerudíta poteſt locútio parturíre. Hinc eſt quòd & ipſi cœléſtis cúriæ príncipes in conſideratióne tantæ novitátis clamant non ſine admiratióne; Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſérto delíciis

áffluens? Ac ſi maniféſtiùs dicant: Quanta eſt hæc, aut unde ei aſcendénti útique de deſérto affluéntia tanta deliciárum? Nec enim pares inveniúntur deliciæ, vel in nobis quos in civitáte Dómini lætíficat flúminis ímpetus, qui à vultu glóriæ voluptátis torrénte potámur.

Lectio v.

QUæ eſt iſta, quæ de ſub ſole, ubi nihil eſt niſi labor & dolor, & afflíctio ſpíritûs, aſcéndit delíciis ſpirituálibus áffluens? Quidni delícias díxerim virginitátis decus cum múnere fœcunditátis, humilitátis inſígne, diſtillántem charitátis favum, miſericórdiæ víſcera, plenitúdinem grátiæ, prærogatívam glóriæ ſinguláris? Aſcéndens ígitur de deſérto Regína mundi, étiã Angelis ſanctis, ut canit Eccléſia; ſpecióſa facta eſt, & ſuávis in delíciis ſuis. Déſinant tamen deſérti hujus mirári delícias, quia Dóminus dedit benignitátem, & terra noſtra dedit fructum ſuum. Quid mirántur de terra deſérta Maríam aſcéndere delíciis affluéntem? Mirentur pótiùs páuperem Chriſtum de cœléſtis regni plenitúdine deſcendéntem. Longe enim amplióri miráculo dignum vidétur, Dei Fílium paulò minùs ab Angelis minorári, quàm Dei matrem ſuper Angelos exaltári.

Lectio vj. n. 8. & 9.

NOs quidem sérvuli tui, Virgo beáta, cæteris in virtútibus congaudémus tibi; ſed in miſericórdia tua pótiùs nobis ipſis. Laudámus virginitátem, humilitátem mirámur; ſed miſericórdia míſeris ſapit dúlciùs, miſericórdiam ampléctimur chárius, recordámur ſæpiùs, crébriùs invocámus. Hæc eſt enim quæ totíus mundi reparationem obtínuit, ſalútem ómnium impetrávit... Ad hunc ígitur fontem ſitibúnda próperet ánima noſtra: ad hunc miſericórdiæ cúmulum totâ ſollicitúdine miséria noſtra recúrrat. Ecce jam quibus potúimus votis aſcendéntem te ad Fílium dedúximus, & proſecúti ſumus ſaltem à longè, Virgo benedícta. Sit deínceps pietátis tuæ ipſam, quam apud Deum grátiam inveniſti, notam fácere mundo... In hac die ſolemnitátis & lætítiæ dulcíſſimum Maríæ nomen cum laude invocántibus sérvulis per te, Regína clemens, grátiæ ſuæ múnera largiátur Jeſus Chriſtus Fílius tuus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 1. v. 46.

IN illo témpore; Ait María: Magníficat ánima mea Dóminum; & exultávit ſpíritus meus in Deo ſalutári meo. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Expoſit. in Luc. Cap. 1.

TAnto, inquit María, me Dóminus, támque inaudíto múnere ſublimávit, quod non ullo linguæ offício explicári, ſed ipſo vix íntimi péctoris afféctu váleat comprehéndi; & ídeò totas ánimæ vires in agéndis gratiárum láudibus óffero, totum in contemplända magnitúdine ejus, cui non eſt finis, quidquid vivo, séntio, diſcérno, gratulánter impéndo; quia & ejúsdem Jeſu, id eſt, Salutáris, ſpíritus meus ætérnâ divinitáte lætátur, cujus caro, meâ temporáli conceptióne fœtátur.

Lectio viij.

QUia reſpéxit humilitátem ancillæ ſuæ; ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Cujus humílitas reſpícitur, rectè beáta ab ómnibus cognominánda gratulátur... Quia fecit mihi magna qui potens eſt... Solet ánima illa cui Dóminus magna fácere dignátur, dignis eum præcóniis magnificáre, & ad consórtes ejúsdem voti ac propóſiti poteſt cohortándo dícere: Magnificâte Dóminum mecum, & exaltémus nomen ejus ínvicem.

Lectio ix. de S. Symphoriano.
Ex ejus Actis apud Ruinart.

SYmphoriánus, Auguſtodúni, patre Fauſto nobili & Chriſtiáno oriúndus; cùm ſimuláchrum Berecynthiæ, plaudénte pópulo, per urbem Carpénto veherétur, ad tantum ſcelus exhórruit, & idólum ſe adoratúrum negávit. Quare ad Heráclium virum conſulárem tamquam ſeditióſus ſtatim addúcitur; qui loris cæſum in cárcerem conjécit: unde edúctus póſtea, & coram eódem júdice Chriſtum prædicans, cápite damnátus eſt. Cùm autem ad ſupplícium ducerétur, matrem ſic clamántem audívit: Nate, nate Symphoriáne, meménto Dei vivi; ſurſum, fili, eréᴄto corde, áſpice regnántem in cœlis: hódie tibi vita non tóllitur, ſed mutátur in méliùs. Igitur extra muros edúctus, à carnífice occíſus eſt. Non procul à loco martyrii ſanctus Euphrónius Présbyter, ac póſtea Æduénſis Epíſcopus, in memóriam ejus Baſílicam extrúxit.

Die xxiii.

VIGILIA S. Bartholomæi, Apóſtoli.

Officium de Feria. Lectio 1. & 2. de Script. occurr.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 15. v. 12.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Hoc eſt præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, ſicut diléxi vos. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 27. in Evang. n. 1.

CUm cuncta ſacra elóquia Domínicis plena ſint præcéptis, quid eſt quòd de dilectióne quaſi de ſinguIári mandáto Dóminus dicit: Hoc eſt præcéptum meum, ut diligátis ínvicem; niſi quia omne mandátum de ſola dilectióne eſt, & ómnia unum præcéptum ſunt? quia quidquid præcípitur, in ſola dilectióne ſolidátur. Ut enim multi árboris rami ex una radíce pródeunt, ſic multæ virtútes ex una charitáte generántur: nec habet áliquid viriditátis ramus boni óperis, ſi non manet in radíce charitátis. Præcépta ergo Domínica, & multa ſunt, & unum: multa per diverſitátem óperis; unum in radíce dilectiónis. Quáliter autem iſta diléctio tenénda ſit, ipſe insínuat, qui in pleríſque Scriptúræ ſuæ ſenténtiis, & amícos jubet díligi in ſe, & inimícos propter ſe.

Dicuntur preces Feriales.

Oratio.

QUæſumus, omnípotens Deus, ut beátus Bartholomæus Apóſtolus, cujus prævenimus feſtivitátem, tuum pro nobis implóret auxílium, ut à reátibus noſtris abſolúti, à cunctis étiam perículis eruámur; Per Dominum, &c.

D I E   X X I V.

S. BARTHOLOMÆI, APOSTOLI.

Duplex 2. Claſ.

De Communi Apoſtolorum.

Oratio.

OMnípotens, ſempitérne Deus, qui hujus diéi venerándam ſanctámque lætítiam in beáti Apóſtoli tui Bartholomæi feſtivitáte tribuíſti: da Ecclésiæ tuæ, quæſumus, & amáre quod crédidit, & prædicáre quod dócuit; Per, &c.

Fit Commem. S. Audoeni Epiſcopi.

Oratio, Exáudi, *pag.* xxiv.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Euſeb. S. Hieron. & Uſuardo.

BArtholomæus, unus ex duódecim quos elégit Jeſus, & Apóſtolos nominávit, poſt ejus Aſcenſiónem, accépto Spíritu ſancto, in Indiam proféctus, Chriſti fidem, ut ſcribit Eusébius in Hiſtória Eccleſiáſtica, fertur illis géntibus prædicáſſe, & Evangélium Matthæi Hebráicis conſcríptum lítteris reliquíſſe, quod quidem ad Pantæni témpora ſervátum eſſe memorátur. Idem refert in libro de Scriptóribus Eccleſiáſticis Hierónymus. Poſtquam enim Pantænum in Indiam a Demétrio Alexandríæ Epíſcopo, rogántibus illíus gentis legátis, miſsū eſſe rétulit; ſubdit eúmdem inter gentes illas compeiíſſe, olim

advéntum Dómini Jeſu juxta Matthæi Evangélium à Bartholomæo, qui inter duódecim Apóſtolos numerátur, illìc fuíſſe prædicátum. In cujus rei fidem ipſum Matthæi exémplar Hebráicis lítteris ſcriptum ſecum Alexandríam revértens detúlerat. Fide géntibus prædicátâ, Bartholomæus vitam martyrio conſummávit.

De Sermóne ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 32. aliàs 33. n. 4. in Matth.

Lectio v.

Viden miniſtérii magnitúdinem? Viden Apoſtolórum dignitátem? Nihil ſensíbile jubéntur dícere; nec ſicut Móyſes & Prophétæ prióres; ſed nova quædam & inexpectáta. Neque enim tália ipſi prædicábant; ſed terram & terréna bona: hi autem regnum cœlórum, & quæ ibi ſunt ómnia. Neque inde ſolùm hi majóres ſunt, ſed étiam ex obediéntia. Neque enim recúſant, neque cunctántur ſicut véteres illi: ſed etiámſi perícula, bella & intolerabília mala áudiant, cum obſequéntiâ multâ imperáta ſuſcípiunt, útpote qui regni ſint prætcones.

Lectio vj. Hom. 33. aliàs 34. n. 4.

Diábolo cum orbe toto & turbâ dæmonum innúmerâ contra duódecim illos irruénte, non brevi témpore, ſed per totum vitæ ſpátium vicérunt illi & ſuperárunt. Quodque mirum eſt, non cæſis hóſtibus, ſed mutátis & convérſis. Illud enim máximè ubíque obſervándum eſt, ipſos nec occidíſſe, nec delevíſſe inſidiatóres ſuos; ſed, cùm illos dæmónibus pares cepíſſent, Angelis æquáles fecíſſe, humánam natúram hâc improbâ tyránnide liberántes: illos autem ſceléſtos dæmonas, qui ómnia conturbábant, à médio foro, & à dómibus, imo étiam à desérto expulérunt... Quodque mirabílius eſt, non inſtructâ ácie hoc faciébant, ſed malè hábiti implébant ómnia.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio vj. Cap. 6. v. 12.

In illis diébus; Exiit Jeſus in montem oráre; & erat pernóctans in oratióne Dei. Et cum dies factus eſſet, vocávit diſcípulos ſuos; & elégit duódecim ex ipſis, quos & Apóſtolos nominávit. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epiſcopi.

In Luc. Lib. 5. n. 43.

Spécies tibi, Chriſtiáne, datur, forma præſcríbitur quam débeas æmulári. Quid enim te pro ſalúte tua fácere opórtet, quando pro te Chriſtus in oratióne pernoctat? Quid te fácere cónvenit, cùm vis áliquod pie-

tátis officium adoríri; quando Chriſtus miſsúrus Apóſtolos, orávit priùs, & ſolus orávit? Nec uſquam álibi, ſi non fallor, oráſſe cum Apóſtolis reperítur; ubíque ſolus óbſecrat. Dei enim consílium humána vota non cápiunt; nec quiſquam interiórum poteſt eſſe párticeps Chriſto.

Lectio viij. n. 1. & 2.

VIs ſcire quóniam mihi, non ſibi oraverit? Vocávit, inquit, diſcípulos ſuos & elegit duódecim ex ipſis; quos ad propagandum auxílium ſalutis humánæ per terrárũ orbem ſatóres fídei deſtinaret. Simul advérte cœléſte consílium, non ſapiéntes áliquos, non dívites, non nóbiles; ſed piſcatóres & publicános, quos dirígeret, elégit; ne traduxíſſe prudéntiâ, ne redemíſſe divítiis, ne capoténtiæ nobilitatíſque auctoritáte traxíſſe áliquos ad ſuam grátiam viderétur; ut veritátis rátio, non diſputatiónis grátia, prævaléret.

Lectio ix. de S. Audoeno.

Ex ejus vita apud P. le Comte.

AUdoénus qui & Dado, Sanciáni in agro Sueſſionénſi paréntibus piis & nobílibus natus, cuſtos fuit ánnuli Dagobérti Regis, eíque ita accéptus, ut ad illíus arbítrium ómnia Palátii negótia gereréntur. Sócium hábuit in aula Elígium: & utriúſque óperâ, cùm promovéndis regni & Eccléſiæ rebus adhuc láici ſtudérent, celebráta fuit Synodus Aureliánis, in qua Monotheléta quidam, qui ex Aſia pulſus in Gálliam vénerat, ab iis convíctus eſt erróris, quamquam præ modéſtia, honórem victóriæ, Sálvio Epíſcopo, póſtea Mártyri tribúerint. Utérque eódem die comam depóſuit, & Clero addíctus eſt. Cùm autem Audoénus Románo Rotomagénſi ſuccéſſor fuíſſet eléctus, non ignárus quàm periculóſum eſſet ſúbitò Epíſcopum conſecrári, abjéctis ſtatim ómnibus Palátii curis, in várias Gálliæ províncias, deinde in Hiſpániam profé&ctus, ubíque verbo & ópere Chriſti fidem confirmávit. Unde revérſus, eódem die cum Elígio conſecrátus Epíſcopus, deínceps paſtorálibus curis totum ſe dedit. Sedit in Concílio Cabillonénſi. Palátii Majóres diſſidéntes inter ſe conciliávit: inter Néuſtriæ & Auſtráſiæ pópulos, Colóniam profectus, pacem compóſuit; unde cùm redíret, apud Clippíacum febre corréptus, óbiit anno Chriſti ſexcentéſimo octogéſimo tértio.

In 2. Veſperis fit Commem. S. Ludovici ſub Ant. ſeq.

Ait rex Dómino: Tu regnáre fecíſti ſervum tuum: ego autem ſum puer párvulus: dabis ſervo tuo cor dócile: plácuit ſermo coram Dómino. 3. *Reg.* 3. 6. 7. 9. 10.

℣. Prævenísti eum, Dómine, in benedictiónibus dulcédinis: ℟. Poſuiſti in cápite ejus corónam de lápide pretióſo. *Pſ.* 20. 4.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Deinde fit Commem. Ss. Geneſiorum, Martyrum.

Oratio. Exáudi, *pag.* xvij.

Die xxv.

S. LUDOVICI, REGIS FRANCIÆ.

Duplex 3. Claſſ.

Pſalmi de Feria in toto Officio.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Deum per quem reges regnant, * Veníte, adorémus. *Prov.* 8. 15.

IN I. NOCTURNO.

Per Deum regnat Ludovicus, Rex juxta cor ejus.

Ant. t. 1. *d.* Quæsívit Dóminus ſibi virum juxta cor ſuum: & præcépit ei ut eſſet dux ſuper pópulum ſuum. 1. *Reg.* 13. 14.

Ant t. 2. *D.* Sedit ſuper ſóliumDómini in regem pro patre ſuo; & cunctis plácuit. 1: *Paral.* 29. 23.

Ant. t. 3. *a.* Fuit Dóminus cum eo; confirmavítque regnum in manu ejus. 2. *Par.* 17. 3. 5.

℣. Invéni ſervum meum: ℟. Oleo ſancto meo unxi eum. *Pſ.* 88. 21.

Lectiones de Script. occurr.

℟. 1. Locútus es ſanctis tuis, & dixiſti, Dómine: * Exaltávi eléctum de plebe mea: manus enim mea auxiliabitur ei, & bráchium meum confortábit eum. ℣. Deus elégit patres noſtros: & ſuſcitávit illis Regem; cui teſtimónium pérhibens, dixit. * Exaltávi. *Pſ.* 88. 20. 22. *Act.* 13. 17. 22.

℟. 2. Ecce dedit vobis Dóminus Regem: * Si timuéritis Dóminum, & ſerviéritis ei, éritis & vos, & Rex qui ímperat vobis, ſequéntes Dóminum Deum veſtrum. ℣. Deum timéte, Regem honorificáte, quia ſic eſt volúntas Dei. * Si timueritis. 1. *Reg.* 12. 13. 14. 1. *Pet.* 2. 17. 15.

℟. 3. Díſſipat ímpios rex ſápiens: miſericórdia & véritas cuſtódiunt regem: * Et † Roborábitur cleméntiâ thronus ejus. ℣. Qui cuſtodíerit uſque in finem ópera mea, dabo illi poteſtátem ſuper gentes, & reget eas. * Et roborábitur. Glória. † Roborábitur. *Prov.* 20. 26. 28. *Apoc.* 2. 26. 27.

IN II. NOCTURNO.

Fortis in bello, præliari bella Domini conſtituit, nec infelici exitu dejicitur.

Ant. t. 4. *E.* Fortis in bello, máximus in ſalútem electórum Dei, expugnáre inſurgéntes hoſtes, quam glóriam adéptus eſt! *Eccli.* 46. 1. 2. 3.

Ant. t. 7. *A.* Invocávit Altíſſimum poténtem in oppugnándo inimícos úndique, & audívit illum magnus & ſanctus Deus. *Eccli.* 46. 6.

Ant 1. 8. *C.* Induit ſe lorícam ſicut gigas, & ſuccínxit ſe arma béllica in præliis, & protegébat caſtra gládio ſuo. 1. *Mach.* 3. 3.

℣. Jerúſalem, propter fratres meos loquébar pacem de te: ℟. Propter domum Dei noſtri quæsívi bona tibi. *Pſ.* 121. 8. 9.

Lectio iv.

Ex vita S. Ludovici à variis Auctoribus ſcripta.

Ludovícus hujus nóminis nonus, anno ætátis duodécimo patri Ludovíco ſuccéſſit; regnúmque Francórum ſub tutéla Blanchæ ſapientíſſimæ matris adminiſtráre cœpit. Hæc fílium à púero ſanctis documéntis inſtitúerat, dícere sólita: Mallem, fili, te vitâ & regno privátum, quàm lethális peccáti reum agnóſcere. In ipſo regni exórdio, viros ſpectátæ virtútis & prudéntiæ, cum è Cléricis, tum è Láicis adhíbuit in consílium; & Albigénſes perduélles, patérnis jam armis impetítos, ſubégit. Rebus cum finítimis Princípibus compóſitis, totum ſe divíno cultui promovéndo dedit. Duellum & blaſphémias extirpáre aggréſſus; hiſtriónes & joculatóres regno expéllere; benefícia Eccleſiáſtica probátis dùmtaxat perſónis, neque jam áliud habéntibus, niſi illo abdicáto, conferre. Juſtítiæ verò ádeò fuit ſtudióſus, ut quàcúmque transíret, illáta ſi qua forent à comitátu damna, inquíri juberet ac reſarcíri. Tricéſimo ætátis anno, gravi morbo afféctus, accéptâ cruce, contra Saracénos ſacrum bellum vovit; & poſt áliquot annos, contráctis ingéntibus cópiis, matri commíſsâ regni curâ, mare trajécit.

℟. Dixit: Ut quid natus ſum vidére contritiónem civitátis ſanctæ? Sancta in manu extraneórum facta ſunt: * Quæ erat líbera, facta eſt ancilla: quò ergo nobis adhuc vívere? Omnis qui zelum habet legis, éxeat poſt me. ℣. Gentes circuiérunt caſtra ſanctórum, civitátem diléctam. * Quæ erat. 1. *Mach.* 2. 7. 8. 11. 13. 27. *Apoc.* 20. 8.

Lectio v.

Ut primùm Saracénos in líttore aſtántes conſpéxit, è navi in mare, enſe diſtrícto, congreſſúrus insílit; fugatíſque hóſtibus, Damiátam victor ingréditur. Sed debilitáto poſtmodùm ex lue exércitu, victus ipſe captúſque eſt; neque per totum captivitátis tempus, Horárum Canonicárum, quas quotídie perſolvébat, recitatiónem intermíſit. Cùm de pace actum eſt, ipſe conditiónes Saracénis dedit, mirántibus quòd victus victóribus leges impóneret. Pacto fœdere, rex cum exércitu liber dimíttitur; cùmque in pecúniâ numerandâ, Saracé-

his non advertentibus, errátum eſſet, íntegrum pecúniæ pondus ſolvi vóluit, violáti pacti alióquin reis. Annos quinque in Syria commorátus, Chriſtiános plures à vínculis redémit, infidéles ad fidem convértit multos. Interim pia mater ejus móritur; cujus mortem ut accépit, in génua prócidens, hæc verba cum lácrymis prótulit: Grátias tibi ago, Dómine, qui matrem únicè diléctam, quam ad tempus commodáveras, recepiſti: ita fit, ut plácitum eſt coram te: ſit nomen Dómini benedíctum.

℟. In captivitáte póſitus, viam veritátis non deſéruit;* Et mónita ſalútis dabat eis qui erant in captivitáte. ℣. Suſcipiébat omnes qui ingrediebántur ad eum, prædicans regnum Dei & docens quæ ſunt de Dómino Jeſu cum omni fidúcia. * Et mónita. *Tob.* 1. 2. 15. *Act.* 28. 30. 31.

Lectio vj.

In Gálliam rédiens, navi prope Cyprum ad ſyrtes alliſâ, coram ſacra Euchariſtia ſupplíciter orans, ab imminente naufrágii perículo liberátus eſt. Poſt réditum piis impénſus opéribus, multa ædificávit Monaſtéria, multa páuperum hoſpítia, ſólitus ægrótos inviſere, ipſis, non ſúmptibus modò, ſed & mánibus própriis neceſſária miniſtráre; dum ſibi durus, ſub veſte vulgári, cilício & jejúniis frequénter corpus affligébat. Cùm in Africam trajeciſſet, bellum dénuò Saracénis illatúrus; jamque captâ Carthágine, caſtra prope Tunétum in eórum conſpéctu poſuiſſet, ex dyſentéria & febre mortem imminére séntiens, documénta Rege digna Chriſtianiſſimo, ſuâ manu conſcrípta, Philíppo fílio & ſucceſſóri trádidit. Tum ſuper ſtratum in modum crucis cínere conſpérſum récubans, dum hæc verba pronuntiáret: Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum ſanctum tuum, & confitébor nómini tuo, Dómine, ánimam Deo réddidit apud Carthágimem anno Dómini milléſimo ducentéſimo ſeptuagéſimo. Eum quem plebs paréntem, nóbiles Príncipem óptimum, Fráncia verum Regem, Eccléſia protectórem prædicáverant, Bonifácius octávus miráculis illúſtrem Sanctórum albo inſéruit.

℟. Congregávit pópulum, & adhórtans dixit: * Non mihi contíngat parcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis: † Vindicábo ítaque gentem meam, & ſancta. ℣. Ego mori in Jeruſalem parátus ſum propter nomen Dómini Jeſu. * Non mihi. Glória. † Vindicabo. 1. *Mach.* 13. 2. 3. 5. 6. *Act.* 21. 13.

IN III. NOCTURNO.

In regni regimine præclaræ Ludovici virtutes.

Ant. t. 4. E. Præpóſui ſapiéntiam regnis & sédibus, & divítias nihil eſſe duxi in comparatióne illíus. *Sap. 7. 8.*

Ant. t. 5. A. Vólui nequáquam abúti poténtiæ magnitúdine, ſed cleméntiâ & lenitáte gubernáre ſubjéctos. *Eſt. 13. 2.*

Ant. t. 6. f. Auris áudiens beatificábat me: eò quòd liberáſſem páuperem vociferántem, & pupíllum cui non eſſet adjútor. *Job. 29. 11. 12.*

℣. Nunc, reges, intellígite: ℟. Erudímini, qui judicátis terram. *Pſ. 2. 10.*

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19. 12.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regionem longínquam accípere ſibi regnum, & revérti. Et réliqua.

Homília ſancti Augustíni Epiſcopi.

Lib. 5. de Civit. Dei. C. 24.

CHriſtianos Imperatores non ideò felíces dícimus, quia vel diútius imperárunt, vel imperántes fílios morte plácidâ reliquérunt, vel hoſtes reipúblicæ domuérunt, vel inimícos cives adversùs ſe inſurgentes & cavere & opprímere potuérunt. Hæc enim & alia vitæ ærumnóſæ, vel múnera, vel ſolátia, quidam étiam cultóres dæmonum accípere meruérunt, qui non pértinent ad regnum Dei, quò pértinent iſti: & hoc ipsíus miſericórdiâ factum eſt, ne ab illo iſta, qui in eum créderent, velut ſumma bona deſiderárent.

℟. Benedíctio peritúri ſuper me veniebat, & cor víduæ conſolátus ſum: * Cùmque ſedérem Rex, circumſtánte exércitu, eram tamen mœréntium conſolátor. ℣. Sic decet nos implére omnē juſtítiam. * Cùmque. *Job. 29. 13. 25. Matth. 3. 15.*

Lectio viij.

FElíces eos dícimus, ſi juſtè ímperant; ſi inter linguas ſublímiter honorántium & obséquia nimis humíliter ſalutántium non extollúntur, ſed ſe hómines eſſe meminérunt; ſi ſuam poteſtátem ad Dei cultum máximè dilatándum, majeſtati ejus fámulam fáciunt; ſi Deum timent, díligunt, colunt; ſi plus amant illud regnum ubi non timent habére consórtes; ſi tardiùs víndicant, fácilè ignóſcunt; ſi eámdem vindíctam pro neceſſitáte regéndæ tuendæque reipúblicæ, non pro ſaturándis inimicitiárum odiis exerunt; ſi eamdem véniam non ad impunitátem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent; ſi quod aſpere cogúntur plerumque decérnere,

decérnere, miſericórdiæ lenitáte & beneficiórum largitáte compénſant; ſi malunt cupiditátibus pravis, quàm quibúslibet géntibus imperáre... Tales Chriſtiános Imperatóres dícimus eſſe felíces.

℟. Juſtítiâ indútus ſum; & veſtívi me, ſicut veſtiménto & diadémate, judício meo: * Pater eram páuperum: & cauſam quam neſciébam, diligentiſſimè inveſtigábam. ℣. Judícium ſine miſericórdia illi qui non fecit miſericórdiam; ſuperexáltat autem miſericórdia judícium. * Pater. *Job.* 29. 14. 16. *Jacob.* 2. 13.

Lectio ix. de S. Geneſii.

Ex S. Paulino & Acone.

COlúntur hoc die duo Mártyres, utérque Geneſius nómine, ambo grátiæ, quæ omnes & ſalváre vult & poteſt, teſtes feliciſſimi. Alter Arelaténſis, cùm adhuc júvenis, necdum Chriſtiánus, ante Præſidis tribúnal exceptóris fungerétur offício, dictarentúrque perſecutiónis juſſa, miniſtérium ſacrílegum devóta jam Deo mens hórruit, abjectíſque tábulis, fúgiens, divérſis látebris, civitátem étiam mutans, ab ira ſe furéntis Júdicis paulíſper occúluit. Repértus eſt tandem, eúmque in Rhódani ripa aſſecútus perſecútor, expoſito gládii ictu feſtinántem ad Deum ánimam emíttit ad cœlos, non aquâ baptiſmatis lotam, quod cupiens obtinére non potúerat; ſed próprio, imò Chriſti ſánguine mundátam. Genéſius alter theatrális hiſtrio, ut Diocletiánum oblectáret, Chriſtianíſque illúderet quos exhorrébat, baptíſmum irrídens in ſcena vóluit ágere; at ubi aqua illum tétigit, ſic repéntè mutátus eſt, ut Diocletiáno quaſi ex fábula exhíbitus ut Chriſtiánus, jam ſériò ſe Chriſtiánum profiterétur: nec ullis vel fúſtium, vel unguláꝛum, vel lámpadum torméntis ab hac confeſſióne dimovéri pótuit. Quin & inter lámpadum flammas in hæc verba erumpébat cháritas flagrántior: Non eſt rex præter Chriſtũ, pro quo ſi míllies occídar, ipſe ero ut cœpi: Chriſtum mihi de ore, Chriſtum mihi de corde auférre torménta non póterunt. Tandem martyrii corónam cápitis obtruncatióne proméruit.

℟. Miſericórdias Dómini in ætérnum cantábo: * Quóniam dixíſti: Diſpóſui teſtaméntum eléctis meis: jurávi ſervo meo: Uſque in ætérnum præparábo ſemen tuum; & ædificábo in generatiónem & generatiónem ſedem tuam. ℣. Píetas ad ómnia útilis eſt, promiſſiónem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futúræ. * Quóniam. Glória. * Quóniam. *Pſ.* 88. 2. 3. 4. 5. 1. *Tim.* 4. 8.

Te Deum.

AD LAUDES.

Ludovici virtutes gloriâ, & filiorum benedictione remuneratæ.

℣. *Sacerdot.* Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus, ℟. Magníficans ſalútes regis ejus. *Pſ.* 17. 47. 51.

Ant. t. 1. d. DEdit illi Dóminus glóriam regni, qualem nullus hábuit ante eum rex. 1. *Par.* 29. 25.

Ant. t. 2. D. Símilis illi non fuit rex, qui reverterétur ad Dóminum in omni corde ſuo, & in tota ánima ſua. 4. *Reg.* 23. 25.

Ant. t. 3. A. Fecit judícium & juſtítiam: judicávit cauſam páuperis & egéni in bonum. *Jerem.* 22. 15. 16.

Ant. t. 5. A. Perambulávit civitátes, & pérdidit ímpios ex eis; & nominátus eſt uſque ad noviſſimum terræ. 1. *Mach.* 3. 8. 9.

Ant. t. 6. f. Conſecútus eſt ſedem regni in ſæcula, dum zelat zelum legis. 1. *Mach.* 2. 57. 58.

Capitulum. 1. *Eſdræ* 7. 27.

BEnedíctus Dñus Deus patrum noſtrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini.

℣. Ego primogénitum ponam illum, ℟. Excélſum præ régibus terræ. *Pſ.* 88. 28.

Ad Benedict. Ant. t. 6. f. Fáciens fáciet Dóminus tibi domum fidélem, quia prælia Dómini tu præliáris. 1. *Reg.* 25. 28.

Oratio.

DEus qui inter falláces temporális regni delícias beátum Regem Ludovícum ſpíritu veritátis & ſobrietátis implevíſti; fac nos ejus exémplo, cœléſtis quam toto corde concupívit civitátis amatóres, cadúca ómnia deſpícere, & ad ſola ſempitérna totâ mente feſtináre; Per, &c.

Fit Commem. S. Geneſionum Martyrum.

Ad Horas br. Antiphona de Laudibus.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eccli. 2. 8. 12.

QUi timétis Dóminum, crédite illi; & non evacuabitur merces veſtra... Quis enim permánſit in mandátis ejus, & derelíctus eſt? aut quis invocávit eum, & deſpéxit illum?

℟. Operátus eſt (Rex) bonum, & rectum, & verum coram Dómino Deo ſuo, juxta legem & cæremónias, volens requírere Deum ſuum in toto corde ſuo: * Fecit & proſperátus eſt. ℣. Erat religióſus ac timens Deum, fáciens eleemóſynas multas, & déprecans Deum ſemper. * Fecit. Glória. * Fecit. 2. *Par.* 31. 20. 21. *Act.* 10. 1. 2.

℣. Potens in terra erit ſemen ejus: ℟. Generátio rectórũ benedicétur. *Pſ.* 111. 2.

AD SEXTAM.

Capitulum. Prov. 29. 14.

REx qui júdicat in veritáte páuperes, thro-

nus ejus in æternum firmábitur.

℟. *br.* Judicábit páuperes pópuli, * Salvos fáciet filios páuperum. Judicábit. ℣. Et humiliábit calumniatórem. * Salvos. Glória. Judicábit. *Pſ.* 71. 4.

℣. Ad níhilum dedúctus eſt in conſpéctu ejus malígnus : ℟. Timéntes autem Dóminum gloríficat. *Pſ.* 14. 4.

AD NONAM.

Capitulum. Deuter. 17. 19. 20.

Diſcat rex timére Dóminum Deum ſuum, & cuſtodíre verba & cæremónias ejus. Nec elevétur cor ejus in ſupérbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem déxteram vel ſiníſtram; ut longo témpore regnet ipſe, & fílii ejus.

℟. *br.* Ponã in ſæculum ſæculi * Semen ejus. Ponam. ℣. Et thronum ejus ſicut dies cœli. * Semen. Glória. Ponam. *Pſ.* 88. 30.

℣. In ætérnum ſervábo illi miſericórdiam meam : ℟. Et teſtaméntum meum fidéle ipſi. *Pſ.* 88. 29.

AD II. VESPERAS.

Pretioſæ Ludovici mortis hiſtoria.

Ant. t. 2. *d.* Immíſit Dóminus peſtiléntiam; dixítque Rex ad Dóminum : Vertátur, obſecro, manus tua contra me. 2. *Reg.* 24. 15. 17.

Ant. t. 8. *C.* Ægrotávit Rex uſque ad mortem, & orávit : Domine, meménto quómodo ambuláverim coram te in corde perfécto. *Iſ.* 38. 1. 2. 3.

Ant. t. 4. *E.* In hora mortis ſuæ vocávit fílium ſuum, & nepótes ſuos : dixítque eis : Servíte Dómino in veritáte. *Tob.* 14. 5. 10.

Ant. t. 5. *F.* Hortabátur ſuos ne formidárent ad advéntum natiónum : ſed in mente habérent adjutória ſibi facta de cœlo. 2. *Mach.* 15. 8.

Ant. t. 6. *f.* Spíritu magno vidit última, & conſolátus eſt lugéntes in Sion. *Eccli.* 48. 27.

Capitulum. Eccli. 46. 11. 12.

Semen ipsíus obtínuit hæreditátem, ut vidérent omnes, quia bonum eſt óbſequi ſancto Deo.

HYMNUS.

Coeléſti, Lódoix, lúmine fúlgidus
Tellúrem pátriam próvidus áſpice;
Ex altóque poli prótege vértice
Noſtræ lília Fránciæ.
Raptas barbáricis exúvias plagis,
Dilécto cíneres turba fréquens colit:
Hâc te gaudet ovans parte ſupérſtitem,
Ingens præsídium ſibi.
Placátus précibus Omnípotens tuis
Fœcúndo sóbolem gérmine Régiam

In longos vóluit ſtirpe ſatos tuâ
Dudum créſcere ſúrculos.
Illos contínuo flúmine grátiæ,
Rex ætérne poli, munífi-cus riga;
Fructus ferre pios ut váleant, ſimul
Nobis & ſibi fértiles.
Immortále tibi, ſumme Pater, decus,
Qui reges, pópulos, régnaque témperas;
Immortális honor ſit quoque Fílio;
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.

℣. Deus, judícium tuum Regi da; ℟. Et juſtítiam tuam fílio Regis. *Pſ.* 71. 2.

Ad Magnif. Ant. t. 6. f.

Dómine Deus, verbum quod locútus es ſuper ſervum tuum, & ſuper domum ejus, ſúſcita in ſempitérnum; ut magnificétur nomen tuum. 2. *Reg.* 7. 25. 26.

Oratio ut ſuprà.

Die xxvii.

S. Cæsarii,

Arelatensis Episcopi, & Eccleſiæ Doctoris.

Duplex 4. *Claſ.*

Omnia de Comm. unius Doctoris.

Oratio. Excita, *pag.* xxix.

Lectio iv.

Ex ejus vita apud Mabil. tom. I. *Annal.*

Cæſárius, pátriâ Cabilonénſis, jugum Chriſti ab adoleſcéntia ſuſcépit in Lerinénſi Monaſtério, tanto fervóre Chriſto sérviens, ut quem inſtituéndum putáverat Porchárius Abbas, perféctum diſcípulum à primórdio inveníſſe ſe gaudéret. Verùm jejúniis, vigíliis, & orándi aſſiduitáte, ita vires córporis attrívit, ut reficiéndus Arelátem miſſus fúerit, ibíque humaniſſimè excéptus à Firmíno viro génere & divítiis illúſtri, ſed ſuâ erga Cléricos & Mónachos charitáte clariſſimo. Illìc, ſpretis quæ ſub Pomério Rhétore notiſſimo proponebántur, eloquéntiæ ſtúdiis; cum Æónio Arelaténſi Antíſtite ſtatim ob ſacræ doctrínæ deſidérium junxit conſuetúdinem. Is Cæſárium, perſpéctâ morum ejus innocéntiâ, in Diáconum & Preſbyterum ordinátum, Monaſtério in Subúrbio urbis pòſito præfécit. Hinc, cùm compértis in dies ejus virtútibus, Æonius illum jámpridem ſibi ſucceſsórem cúperet, ſuum hâc de re votum cívibus, & Gothórum Princípibus expóſuit. Cæſárius verò ne id fíeret, arréptâ fugâ, in ſepúlchris aliquamdiu delítuit. Sed Deo ſic voléute detéctus & invéntus, Pontificátûs quidem onus, cogénte charitátis neceſſitáte, flens & invitus ſuſcépit; ſed ſublevante, quam non dimíſit, contemplatiónis ſuavitáte, lénius tolerávit.

Lectio v.

TErtiæ, Sextæ, & Nonæ Officia in majóre Basílica ſancti Stéphani inſtítuit, Laïcóſque hortabátur ad canéndas in Eccléſia Dei laudes, ut eos à fábulis avocáret. Ter apud reges Gothos proditiónis accusátus, ac tóties in exílium & cárcerem detrúſus, ter innocéntiâ maniféſtis arguméntis comprobátâ abſolútus eſt, & ad Eccléſiam ſuam remíſſus. In hac síngulis ferè diebus prædicábat; áliis verò Eccléſiis Homílias pópulo recitándas ſuppeditábat. Inter bella quibus tunc contínuis ardébat Arelaténſis Província, captívis rediméndis ſacram ſupelléctilem diſtráhere non dubitávit: in hoc cum Ambróſio consénticns, ei diſplicére non poſſe de ſupelléctili ſua dari redemptiónem, qui priùs ſemetípſum pro redemptióne hóminis tradidiſſet. Puelláre Cœnóbium conſtrúxit, ut Vírginum choris Arelaténſium Eccléſia & cívitas munirétur; ipsíſque Cæſáriam ſorórem ſuam dedit Abbatiſſam, régulâ ſecúndùm ſtatúta Patrum præſcríptâ, cujus hæc prima lex erat, ut nulli umquam è Monaſtério égredi licéret.

Lectio vj.

A Symmacho Papa, qui eum Romam invitáverat, humaniſſimè excéptus eſt, & pállii dignitáte auctus. Plúribus interfuit præfuítque Concíliis; imprímis Arauſicáno ſecúndo; ubi Semipelagianórum error vigínti quinque capítibus confíxus eſt, réctaque de grátia Chriſti doctrina, ex ipſis Auguſtíni verbis & ſenténtiis ſancíta; quam póſtea Apoſtólica Sedes & Valentína Synodus ſuo cálculo comprobárunt. Scripſit præter hæc ſpeciálem librum de grátia Dei & líbero arbítrio, necnon in ſacram Scriptúram enarratiónes & homílias: ex quibus ómnibus poſt Irenæum & Hilárium præcípuus Eccléſiæ Gallicánæ Doctor agnóſcitur. Demum exáctis in Pontificátu annis quadragínta, prídie Feſtum ſancti Auguſtíni, uti ſe, & optáre, & ſperáre díxerat, è vivis excéſſit, anno ætátis ſeptuagéſimo tértio, Chriſti quingentéſimo quadragéſimo ſecúndo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 6. v. 45.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Bonus homo de bono theſáuro cordis ſui profert bonum. Et réliqua.

Homília ſancti Cæſárii Epíſcopi.

Hom. 26. tom. 2. Bibl. Patrum Par.

QUamvis mélius ſit, fácere, quàm noſſe, prius tamen eſt noſſe quàm fáce-

re; debet enim díſcere qui optat implére... Ut ergo iſta beatitúdo per Dei gratiam impleatur in vobis, ſi in veritate, ut crédimus, eſurítis & ſitítis juſtítiam, quóties vobis verbum Dei fúerit tárdiùs prædicátum, nolíte expectáre, ut vobis ultrò illud debeámus ingérere; ſed etiam vos ipſi quaſi rem vobis jure débitam fidéliter à nobis ac ſitiénter exígite. Nā ſi nos ſemper ultrò velímus offérre, & vos aliquóties, tardántibus nobis, noluéritis exígere, póſſumus ab illis qui perículum noſtrum néſciunt, importúni fórſitan judicári. Sed qui bene novit quàm grave pondus immíneat cervícibus Sacerdótum, intélligit, quòd quamvis verbum Dei aſſíduè prædicémus, minùs tamen réddimus quàm debémus. Teſtificátur enim Sacerdótibus Spíritus ſanctus per Prophétam: Clama ne ceſſes; & Apóſtolus: Memóriam meî retinéte, quóniam per triénnium non ceſſávi die ac nocte cum lácrymis monens unumquémque veſtrùm. Si Apóſtolus ut ſe apud Deum abſólveret, die noctúque verbum Dei prædicábat, quid de nobis fiet, qui vix vel poſt multos dies commíſſo nobis gregi ſpiritualia páſcua providémus?

Lectio viij.

PRoptérea conteſtátur Timotheum idem Apóſtolus, dicens: Teſtíficor coram Deo & Chriſto Jeſu, qui judicatúrus eſt vivos & mórtuos, per advéntum ipsíus & regnum ejus. Et quaſi interrogarétur, quare tam metuéndam conteſtatiónē præmítteret, ſecútus adjúnxit: Prædica verbum, inſta opportúnè, importúnè; árgue, óbſecra, íncrepa. Quid eſt opportúnè, importúnè? niſi opportúnè voléntibus, importúnè noléntibus? Voléntibus audíre verbum Dei offeréndum eſt; faſtidiéntibus ingeréndum, ne fortè contra nos ante tribúnal Chriſti ſtantes, dicant ſe à nobis admónitos non fuiſſe, & animárum illórum ſanguis de noſtris mánibus exquirátur. Unde cum grandi timóre penſáre debémus, ne ad nos étiam illa terríbilis ſenténtia dirigátur, quam ſervus ille méruit audíre qui accéptum taléntum duplicáre nóluit... Quia ergo & noſtrum & veſtrum perículum agnovíſtis quóties evénerit ut vobis verbum Dei tárdiùs miniſtrétur, ſic hoc moléſtè accípite, quómodo ſi córpori veſtro quotidiáni victùs ſubſtántia ſubſtrahátur. Non enim apud nos major debet eſſe córporis fames, quàm ánimæ; nam quantùm ánimam digniórem eſſe nóvimus, tantùm de ejus victu majórem ſollicitúdinem habére debémus.

Lectio ix.

HOc ídeò dico, ut & in nobis & in vobis iſta ſimilitúdo ſervétur. Cúpimus enim à vobis iſtam deſiderábilem inquietúdinem ſuſtinére; dúmmodo ánimas veſtras vidére mereámur in amóre Chriſti proficere. Unde, ſicut nobis éxpedit colléctis Scripturárum flóribus ſpiritálem cibum confícere; ita & vos opórtet cum grandi aviditáte requírere. Nam quómodo ſolent vítuli, matrum úbera cum grandi ímpetu inquietáre, ut de interióribus eárum, neceſſárium ſibi poſſint extráhere cibum; ita pópuli Chriſtiáni Sacerdótes ſuos, velut ſanctæ Eccléſiæ úbera, aſſíduâ debent interrogatióne provocáre, ut cibum poſſint ſibi ſalútis acquírere, & victum ánimæ ſuæ neceſſárium providére; ne fortè (ſi & Sacerdótes tárdiùs volúerint offérre, & pópuli nímiis impediméntis mundi iſtíus occupáti, dedignéntur inquírere) impleátur illud quod ſcriptum eſt: Mittam, inquit, famem in terram, non famem panis, aut ſitim aquæ, ſed audiéndi verbum Dei.

Veſperæ de ſequenti.

DIE XXVIII.

S. AUGUSTINI, HIPPONENSIS Epíſcopi & Eccléſiæ Doctóris.

Duplex 3. Claſ.

Omnia de Commune Doctoris.

Oratio.

EXímium grátiæ Chriſti unitatíſque cathólicæ víndicem Auguſtinum Pontíficem venerántes; da nobis, Deus, ejus exémplo & méritis, præveniéntis miſericórdiæ tuæ dona, quorum ineffábilem efficáciā expértus eſt, fidéliter excípere; & Eccléſiæ, quæ ſemper una eſt, fírmiter adhærére; Per.

In I. Veſperis Comm. S. Cæſarii, deinde S. Juliani Mart.

Oratio. Deus, qui, *pag.* xj.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Poſſidio, & ipſius Auguſt. oper.

AUguſtinus Tagáſte in Africa natus, adoléſcens in amóres illícitos, & Manichæórum hæreſim impégit. Grammáticam in pátria proféſſus eſt; tum Carthágine primum Rhetórica̅, deínde Romæ, ac Mediolání, ubi cùm Ambróſii fréquens eſſet audítor, pauláttim in Cathólicos propénſior factus, ſacros Códices, à quorum lectióne priùs abhorrébat, evólvere ſtudióſiùs cœpit, & novæ vitæ inſtitútum meditári. Verùm cùm diu multùmque ſecum ipſe luctátus, converſiónem procraſtinaſſet; tandem inſólitâ voce admónitus ut légeret, ex verbis Apoſtoli in quæ íncidit derepénte mutatus eſt, & ab Ambróſio aliquántò poſt, annum agens

tricéſimum tértium, in Páſchate baptizátus. Cùm pátriam repéteret, matri ad óſtia Tibérina defúnctæ ſupréma Chriſtiánæ pietátis officia persólvit. Hinc revérſus in Africam, rus ſe recépit, ut uni Deo vacáret.

Lectio v.

HIppónem régium vocátus, ut virum ipſius audiéndi cúpidum Deo lucrarétur; raptus à pópulo, invítus atque ubértim flens, Présbyter civitátis ordinátus eſt à Valério Epíſcopo; qui cùm génere Græcus eſſet, nec ſatis latinè ſciret, eum coram ſe docére, & in Eccléſia Evangélium expónere vóluit; idque ex more Orientálium, ſed præter Africánæ Eccléſiæ conſuetúdinem. Tum Auguſtínus Monaſtérium intra Eccléſiam inſtituit, ut cum Dei ſervis juxta régulam ſub ſanctis Apóſtolis conſtitútam víveret. Véritus autem Valérius jam ſénior, ne ſibi Auguſtínus ab aliis Eccléſiis præriperétur, à Primáte aliíſque Numídiæ Epíſcopis obtinuit, ut ſibi adhuc vivénti darétur Coëpíſcopus. In Epiſcopátu commúnem vitæ ratiónem quam Présbyter inſtitúerat, cum Cléricis ténuit, nihil ſibi próprium rétinens. Veſtis ejus ac ſuppéllex nec nítida nímiùm, nec abjécta; menſa ita frugális & parca, ut, nonniſi propter hóſpites & infírmos, carnes ad legúmina & ólera adhibéret; eámque lectióne aut diſputatióne, excluſâ pénitus obtrectatióne, ſemper condiébat. Cauſis diriméndis per totum diem vacábat, ſæpè jejúnus. Mulíeres numquam alloquebátur ſine árbitro: fœminárum autem Monaſtéria non adibat, niſi urgénte neceſſitáte. Cathólicæ veritátis contra hæréticos, unitátis contra ſchiſmáticos vindex acérrimus, hæc ab Hierónymo audíre méruit: Cathólici te conditórem antiquæ rurſum fidei venerántur, atque ſuſpíciunt; & quod ſignum majóris glóriæ eſt, omnes hærétici deteſtántur. *Lectio vj.*

MAnichæos, quos ſtatim à baptíſmate aggréſſus fúerat, tum ſcriptis, tum públicis diſputatiónibus confutávit. Arianórum hæreſim ſingulári veritátis illuſtratióne profligávit. Donatiſtas in públicis collatiónibus, illâ præcipuè Carthaginénſi, ſic convícit, ut qui latè olim totâ Africâ dominabántur, vix áliquod nomen retinerent. Grátiam Chriſti, ſuo témpore à Pelagiánis impugnatam, inviĉtiſſimè aſſéruit; eorúmque in Semipelagiánis relíquias, morti jam próximus repréſſit. Advérſus Paganórum calúmnias & erróres, religionem Chriſtiánam eruditíſſimo præſértim ópere de Civitáte Dei, vindicávit. In confeſſiónum ac retractatiónum libris, à ſe

geſta ſcriptaque magnâ cum humilitáte ſevérus judex recénſuit. De Scriptúra váriis tractátibus diſſéruit quàm ſapientíſſimè. Difficíllimas quæſtiónes undequàque ſibi propóſitas, ſuis enodávit Epiſtólis. Eum Theodóſius júnior nominátìm invitávit ad Synodum Ephesínam in cauſa Neſtórii, cujus errores jam ipſe ſcriptis præfocáverat. Sed morte prævéntus, Concílio intereſſe non pótuit. Vándalis enim tértium jam menſem Hippónem obſidéntibus, in extrémum morbum íncidit: atque ubi lecto decúbuit, Pſalmos de pœniténtia paríeti juſſit affígi, quos profúſis lácrymis júgiter meditátus, & per decem últimos dies ſoli inténtus orátióni, obdormívit in Dómino anno ætátis ſeptuagéſimo ſexto, Chriſti quadringentéſimo trigéſimo. Pro commendándâ córporis ejus depoſitióne, ſacrifícium Deo oblátum eſt. Teſtaméntum nullum fecit; Quia ut ait Poſſídius, unde fáceret Chriſti pauper non hábuit. Corpus ejus primùm in Sardíniã tranſlátũ eſt, póſtea Ticínum ad Baſílicã ſancti Petri in Cœlo Aureo, nunc ſancti Auguſtíni dictam; ubi tunc Monachi ſub régula ſancti Benedícti Deo militábant.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio v.j. Cap. 5. v. 13.

IN illo tempore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 339. in die Ordinat. ſuæ. n. 1.

QUantò anni accédunt, imò decédunt, noſque propinquióres fáciunt diéi último, útique quandoque ventúro, tantò mihi eſt ácrior cogitátio, & ſtímulus plénior, qualem Dómino Deo noſtro ratiónem poſſim réddere pro vobis. Hoc enim intereſt inter unumquémque veſtrûm & nos, quòd vos penè de vobis ſolis redditúri eſtis ratiónem; nos autem & de nobis, & de ómnibus vobis... Perículum autem meum eſt, ſi atténdam quomodo laudátis, & diſſímulem quómodo vivátis. Ille enim novit, ſub cujus óculis loquor, imò ſub cujus óculis cogito, non me tam delectári laudibus populáribus, quàm ſtimulári & angi quómodo vivant qui me laudant. Laudári autem à malè viventibus nolo, abhorreo, deteſtor: dolóri mihi eſt, non voluptáti. Laudári autem à bene vivéntibus, nec plenè volo, nec plenè nolo. Non plenè volo, ne in laude humána períclitер: non plenè nolo, ne ingráti ſint quibus prædico.

Lectio viij.

In 3. v. Pſ. 49.

EGo facio quod audivi. Si non diſcréveris, inquit, juſtum; ſi non díxeris peccatóri, Morte morieris, & oſténderis illi ut recédat ab iniquitátibus ſuis; ipſe quidem in peccátis ſuis moriétur, ſánguinem autem ejus de manu tua requíram. Si autem díxeris, & ille contémpſerit, & non obedíerit, ille in ſceléribus ſuis moriétur; tu autem ánimam tuam liberábis. Dico vobis: Líbero ánimam meam. In magno enim ſum, non perículo, ſed exítio conſtitútus, ſi tacúero. Sed cùm ego díxero, & implevero officium meum, vos jam atténdite perículum veſtrum. * Quid autem volo? Quid desídero? Quare loquor? Quare hîc sédeo? Quare vivo, niſi hâc intentióne, ut cum Chriſto ſimul vivámus? Cupíditas mea iſta eſt, honor meus iſte eſt, glória mea iſta eſt; gáudium meum hoc eſt, poſſéſſio mea iſta eſt. Sed ſi me non audiéritis, & tamen ego non tacúero, ánimam meam liberábo. Sed nolo ſalvus eſſe ſine vobis. Plácent vobis verba, ego quæro facta. Nolíte me contriſtári pravis móribus veſtris: quia delectátio mea non eſt in hac vita, niſi veſtra bona vita.

Lectio ix. de S. Juliano.

Ex Libro ſancti Gregórii Turonénſis, de Miráculis.

Lib. 2.

JUliánus, Viennénſi ortus urbe, cùm eſſet apud beátum Ferréolum, cujus in milítia cómes erat; jam tunc martyrii ardóre flagrábat. Relíctis divítiis ac propínquis, ob ſolíus amorem martyrii, cóntulit ſe in Arvérnum territórium, ut facílius perveníret ad palmam; metuébat enim ne ei parcentes eſſent óbvii, ſi inter eos hoc certámen iniíſſet, & pérderet miles Chriſti corónam glóriæ, ſi legítimè non certáſſet. Igitur inſtánte perſecutióne, ad Brivaténſem vicum, in quo fanatici erróris næniæ colebántur, advénit; & cùm ínſequi adverſários nutu Dei ſenſíſſet: Nolo, ait, diútiùs commorári in hoc ſæculo; quia sítio totâ ánimi aviditate jam Chriſtum. At illi, edúctam vibránti déxterâ frámeam, decíſo cápite, in tres, ut ita dicam, partes glorióſus divíditur Martyr. Nam caput Viénnam defértur, artus Briváte recondúntur, felix ánima à Chriſto conditóre ſuſcípitur.

Veſperæ à Capitulo de ſeq.

DIE XXIX.

DECOLL. S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Duplex 2. Claſſ.

IN I. VESPERIS.

Ad vindicandam Dei legem, fortitudine & zelo inſtuitur Joannes.

Capitulum. Jerem. 1. 17.

Accínge lumbos tuos, & ſurge, & lóquere ad eos ómnia quæ ego præcípio tibi. Ne formídes à fácie eórum: nec enim timére te fáciam vultum eórum.

℟. Surréxit Elías Prophéta, quaſi ignis, * Et † Verbum ipsíus quaſi facula ardébat. ℣. Si vultis recípere, Joánnes ipſe eſt Elías qui ventúrus eſt. * Et verbum. Glória. † Verbum. *Eccli.* 48. 1. *Matt.* 11. 14.

HYMNUS.

Quis ille, ſylvis è penetrálibus
Egréſſus, ad ſe tot pópulos trahit?
Ab ore pendéntes loquéntis
Quâ súbitò tenet arte turbas?
Vates ter annos jam décies trahit
Vitam in profúndis ſáltibus áſperam
Virtútis Elíæ futúrus
Ac ánimi generóſus hæres.
Aulâ recéptum non rétinet timor;
Non blanda flectit grátia Príncipis,
Contaminàti quin reprén-dat
Flagitium opprobriúmque lecti.
Impúne Vati non erit: ímpotens
Totum furórem fœmina cólligit;
Itaque cauſas aggerándo
Exſtimulat fera corda regis.
Quid non, libído, cogis, adúltera?
Dantur caténis innócuæ manus:
At alligári veritátis
Neſcia vox, ſua jura ſervat.
Vinctus triúmphat; tu pávitans fremis,
Tyránne. Cæcum mens male cónſcia
Quatit flagellum: ſtricta Vatem
Impávidum fériet ſecúris.
Sit ſumma Patri, ſummaque Fílio,
Sanctóque compar glória Flámini;
Sanctæ litémus Trinitáti
Perpétuo pia corda cultu. Amen.

℣. Tabéſcere me fecit zelus meus; ℟. Quia oblíti ſunt verba tua inimíci mei. *Pſ.* 118. 139.

Ad Magnif. Ant. t. 3. *A.* Ego replétus ſum fortitúdine Spíritûs Dómini, judício & virtúte, ut annúntiem Jacob ſcelus ſuum, & Iſrael peccátum ſuum. *Mich.* 3. 8.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Fit Commem. S. Auguſtini: deinde S. Sabinæ, Viduæ & Martyris.

Oratio. Tribue, *pag.* lvj.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Deum qui dat voci ſuæ vocem virtútis, * Veníte, adorémus. *Pſ.* 67. 34.

Pſalmi de Feria in toto Officio.

IN I. NOCTURNO.

Mittitur Joannes, qui annuntiet domui Jacob ſcelera eorum.

Ant. t. 1. irr. Mitto ego te ad filios Iſrael, ad gentes apoſtatrices, quæ receſsérunt à me. *Ezech.* 2. 3.

Ant. t. 7. A. Ut adamántem & ut sílicem dedi fáciem tuam; ne tímeas eos. *Ezech.* 3. 9.

Ant. t. 3. a. Scient quia Prophéta fúerit in médio eórum. Tu ergo, fili hóminis, ne tímeas eos. *Ezech.* 2. 5. 6.

℣. Dabit Deus voci ſuæ vocem virtútis. ℟. Date glóriam Deo. *Pſ.* 67. 34. 35.

Lectiones de Scriptura occur.

℟. Venit Joánnes in omnem regiónem Jordánis, * Prædicans baptíſmum pœniténtiæ in remiſſiónem peccatórum; ſicut ſcriptum eſt in Libro ſermónum Iſaíæ Prophétæ. ℣. Vox clamántis in desérto. * Prædicans. *Luc.* 3. 3. 4. *Iſa.* 40. 3.

℟. Ipſe eſt diréctus divínitus in pœniténtiam gentis, & * Tulit abominatiónes impietátis; & in diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce mitto Angelum meum ante fáciem tuã, qui præparábit viam tuam ante te. * Tulit. *Eccli.* 49. 3. 4. *Luc.* 7. 27.

℟. Videns Joánnes multos Phariſæórum veniéntes ad baptíſmum ſuum, dixit eis: * Progénies viperárum, quis demonſtrávit vobis fúgere à ventúra ira? † Fácite ergo fructum dignum pœniténtiæ. ℣. Factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, & deféci, ferre non ſuſtinens. * Progénies. Glória. † Fácite. *Matth.* 3. 7. 8. *Jerem.* 20. 9.

IN II. NOCTURNO.

Fortis Joannes, qui non pertimeſcit faciem Principis.

Ant. t. 4. A. Jam olim loquor, vocíferans iniquitatem, & vaſtitátem clámito; & factus eſt mihi ſermo Dómini in oppróbrium & in derísum. *Jerem.* 20. 8.

Ant. t. 7. C. Quando invocávi te, Dómine, dixíſti; Ne tímeas. Vidíſti omnem furórem eórum advérsum me. *Thr.* 3. 57. 60.

Ant. t. 8. C. Qui perſequúntur me, confundéntur veheménter: quia non intellexérunt opprobriũ ſempitérnum, quod numquam delébitur. *Jerem.* 20. 11.

℣. Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam. ℟. Quia, Deus, ſuſcéptor meus es. *Pſ.* 58 10.

Sermo ſancti Joánnis Chryſoſtomi.

Lectio iv. Hom. 28. in Epiſt. 2. ad Cor. n. 3, & 4.

Ut virtúte nihil púrius eſt; ſic improbitáte nihil obſcœnius. Illa enim ſole ſplendidior eſt: hæc cœno fœtidior. Atque hoc ſuo teſtimónio comprobáre illi

queunt, qui in cœno volutántur, atque in ténebris verſántur, cùm ab áliquo eórum, qui in virtúte vivunt ſeſe coárgui víderint, vel étiam eum conſpéxerint. Tum demum miſériam ſuam apértiùs agnóſcunt, ac velut immíſſo quodam rádio fœditátem ſuam cóntegunt, atque ante conſciórum ora erubéſcunt, etiámſi hic ſervus ſit, ille liber, hic súbditus, ille rex. Sic Heródes, cùm reprehenſiónum pudórem ferre non poſſet (ſíquidem prophéticæ vocis ingens ac præclárus ſplendor erat) Joánnem in carcerem conjécit, tamquam qui nudus eſſet, ac lucérnam extínguere conarétur, ut ruríus in ténebris dégeret.. Cur enim eum non contémpſit? Num Joánnes eum in judícium tractúrus erat? Num adultérii pœnas ab eo pétiit? Quid ergo métuit ac trémuit? Annon verba erant, & ſimplex ſermo? Sed hujúſmodi verba magis quàm res ipſæ pungébant. Quocírca tremébat Tyránnus, virtútis ſplendórem haud ferens. Vides quanta Philoſóphiæ vis ſit? eum qui caténis vinctus erat, Tyránno ſplendidiórem réddidit, effecítque ut hic illum formidáret ac tréméret.

℟. *H*eródes Herodíadem uxórem Philíppi fratris ſui duxerat. Dicébat Joánnes Heródi; * Non licet tibi habére uxórem fratris tui. ℣. Quare ſedúceris ab aliéna, & fovéris in ſinu altérius? réſpicit Dóminus vias hóminis. * Non licet. *Marc.* 6. 17. 18. *Prov.* 5. 20. 21.

Lectio v.

Ex libro ejuſdem ad eos qui ſcandalizati ſunt. Cap. 22.

Perpénde quómodo affectum fuíſſe veriſímile eſt Heródem reprehénſum à vincto, cùm cérneret nihil eum de loquéndi libertáte propter catenam remittere, ſed occídi malle, quàm pulchérrimam illam loquéndi líberè facultátem amíttere. Cógita quis ex homínibus illíus ætátis, vel étiam conſequéntis ævi, cùm hæc cérneret & audíret, quantúmvis deſes ac remíſſus eſſet, at exíguo tamen judício valéret, non ſummam utilitátem inde decérperet? Noli enim mihi commemoráre ſcelerátos & ſtultos hómines, ſocórdes, totos córpori curándo addíctos ac fóliis levióres. Iſti enim non his ſolum, ſed re quâvis, quæ accíderit, offendúntur... Verùm illos in médium mihi prodúcito, qui ſóbrii erant & vigiles; & cum ánimo tuo réputa quantam ipſos probábile [illegible] utilitátem inde percep[illegible]m ánimam conſtántem [illegible]erent, mentem invíctam, linguam máximâ libertáte loquéndi præditam, hóminem deſérti incolam, regem ſuperáre; vinctum eſſe, nec tamen cédere; cá-

pite truncári, nec ſilére.

℟. Heródias inſidiabátur Joánni: & volébat occídere eum, nec póterat: * Heródes enim metuébat Joánnem, ſciens eum virum juſtum, & ſanctum. ℣. Fortitúdo símplicis, via Dómini: & pavor his qui operántur malum. * Heródes. *Marc.* 6. 19. 20. *Prov.* 10. 29.

Lectio vj.

SEd ne hîc quidē ſubsíſte; verum ea quæ ſecúta ſunt, exámina. Caput amputávit Heródes, capite truncátus eſt Joannes. Quis ergo beátus ab ómnibus prædicátur? quis imitándus propónitur? quis celebrátur? quis coronátur? quis in hunc uſque diem reprehéndit? Nonne in ſingulis Eccléſiis hic quidem clamat, Non licet tibi habére uxórem fratris tui: Ille verò diffamátur étiam poſt óbitum ob adultérium, insániam, & audáciam? Consídera verò præter ea quæ dicta ſunt, quanta virtus eſſet captívi, quanta tyránni imbecíllitas. Nam hic quidem non pótuit linguam unam compéſcere; ſed eâ ſublátâ, ſexcénta pro illâ & cum illa ora reſerávit; síquidem unuſquiſque dum Evangélium illud legit, dicit: Non licet tibi habére uxórem fratris tui; & ſine Evangélio in cœtibus & congréſſibus, vel étiam ad últimos mundi límites, hanc vocem áudies.. Quid ergo detriménti cepit ex óbitu juſtus ille? quid ex morte violénta? quid ex caténa? quid ex cárcere? quos autem non corréxit, quibus cor sáperet, ex iis quæ dixit, ex iis quæ paſſus eſt, ex iis quæ nunc prædicat, éadem prorſus, quæ cùm víveret?

℟. Dómine, in judícium poſuíſti eum: * Et † Fortem, ut corríperes, fundáſti eum. ℣. Ipſe præcédet ante Dóminum in ſpíritu & virtúte Elíæ. * Et fortem. Glória. † Fortem. *Habac.* 1. 12. *Luc.* 1. 17.

IN III. NOCTURNO.

Vinculis ligatur juſtus; ſed verbum Dei non eſt alligatum.

Ant. t. 8. *C.* Dóminus tecum, virórum fortíſſime. *Judic.* 6. 12.

Ant. t. 1. *A.* Quis poteſt ſimíliter ſic gloriári tibi, qui dejecíſti reges ad pernícíem & confregíſti poténtiam ipsórum? *Eccli.* 48. 4. 6.

Ant. t. 2. *d.* Nequáquam ut mori ſolent ignavi, ſed ſicut ſolent cádere coram fíliis iniquitátis, ſic corruíſti. 2. *Reg.* 3. 33. 34.

℣. Loquébar de teſtimóniis tuis in conſpéctu regum: ℟. Et non confundébar. *Pſ.* 118. 46.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 6. 17.

IN illo témpore; Heródes miſit, ac ténuit Joánnem, & vinxit eum in car-

cere, propter Herodiadem uxórem Philíppi fratris ſui, quia dúxerat eam. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epiſcopi.

Ex Lib. 3. de Virgin. Cap. 6. n. 26.

QUóniam Joánnis prænúntii Chriſti non ſtríctim prætereúnda eſt recordátio, intereſt, ut quis, & à quibus, & quam ob cauſam, quómodo, & quo témpore ſit occíſus, advértere debeámus. Ab adúlteris juſtus occíditur, & à reis in júdicem capitális ſcéleris pœna convértitur. Deinde præmium ſaltatrícis mors eſt Prophétæ. Poſtrémò (quod étiam omnes bárbari horrére conſuevérunt) inter épulas atque convívia conſummándæ crudelitátis profértur edíctum: & à convívio ad cárcerem, de cárcere ad convívium, ferális flagítii circumfértur obséquium. Quanta in uno facínore ſunt crímina!

℟. Heródes, cùm corriperétur à Joánne de Herodíade uxóre fratris ſui, & de ómnibus malis quæ fecit, * Adjécit & hoc ſuper ómnia, & inclúſit Joánnem in cárcere. ℣. Non récipit ſtultus verba prudéntiæ: ímpius, cùm in profúndum vénerit peccatórum, contémnit. * Adjécit. *Luc.* 3. 19. 20. *Prov.* 18. 2. 3.

Lectio viij. n. 29.

QUis non, cùm è convívio ad cárcerem curſári vidéret, putáret Prophétam juſſum eſſe dimítti? Quis, inquam, cùm audíſſet natálem eſſe Heródis, ſolémne convívium, puéllæ optionem eligéndi quod vellet datam, miſſum ad Joánnis abſolutiónem non arbitrarétur? Quid crudelitáti cum delíciis? Quid cum funéribus voluptáti? Rápitur ad pœnam Prophéta, conviváli témpore, conviváli præcépto, quo non cuperet vel abſolvi: perímitur gládio, caput ejus affertur in diſco. Hoc crudelitáti férculum debebátur, quo inſatiáta épulis féritas veſcerétur.

℟. In diébus ſuis non pertímuit Príncipem, & poténtiâ nemo vicit illum, * Nec ſuperávit illum verbum áliquod. ℣. Heródes volens illum occídere tímuit pópulum, quia ſicut Prophétam eum hábebant. * Nec ſuperávit. *Eccli.* 48. 13. 14. *Matt.* 14. 5.

Lectio ix. n. 30.

INtuére, rex acerbíſſime, tuo ſpectácula digna convívio. Pórrige déxteram, ne quid ſævítiæ tuæ deſit; ut inter dígitos tuos rivi défluant ſancti cruóris. Et quóniam non exſaturári épulis fames, non reſtíngui póculis pótuit inaudítæ ſævítiæ ſitis; bibe ſánguinē ſcaturiéntibus adhuc venis exſécti cápitis pro-

fluéntem. Cerne óculos in ipſa morte ſcéleris tui teſtes, averſántes conſpéctum deliciárum. Claudúntur lúmina, non tam mortis neceſſitáte, quàm horróre luxúriæ. Os áureum illud exángue, cujus ſenténtiam ferre non póteras, conticéſcit, & adhuc timétur.

℟. Deus à peccatóribus liberávit eum: * Deſcendítque cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit illum: & † Stetit contra reges horréndos. ℣. Erat Deus cum eo; & erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. * Deſcendítque. Glória. † Stetit. *Sap.* 10. 13. 14. 16. *Act.* 7. 9. 10.

Te Deum.

AD LAUDES.

Mulieris adulteræ irà necatur Juſtus.

℣. *Sacerdot.* Deféctio ténuit me, ℟. Pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam. *Pſ.* 118. 53.

Ant. t. 1. *F.* HErodes ténuit Joánnē, & alligávit eum: & póſuit in cárcerē propter Herodíadē. *Matth.* 14. 3.

Ant. t. 2. *D.* Natális ſui cœnam fecit Heródes: cùmque introíſſet fília Herodíadis, & ſaltaſſet, & placuíſſet Heródi, rex ait puéllæ: Pete à me quod vis. *Marc.* 6. 21. 22.

Ant. t. 2. *G.* Illa præmónita à matre ſua: Da mihi, inquit, in diſco caput Joannis Baptíſtæ. *Matth.* 14. 8.

Ant. t. 4. *E.* Contriſtátus eſt rex: propter juraméntum autem, & eos qui recumbébant, juſſit dari. *Matth.* 14. 9.

Ant. t. 7. *A.* Miſſo ſpiculatóre, præcépit afférri caput ejus in diſco. *Marc.* 6. 27.

Capitulum. Jerem. 17. 16.

EGo non ſum turbátus: & diem hóminis non deſiderávi, tu ſcis: quod egréſſum eſt de lábiis meis, rectum in conſpéctu tuo fuit.

℣. Quæſiérunt ánimam meam, Deus; ℟. Et non propoſuérunt te in conſpéctu ſuo. *Pſ.* 85. 14.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *G.* Miſit Heródes, & decollávit Joánnem in cárcere: & allátum eſt caput ejus in diſco, & datum eſt puéllæ; & áttulit matri ſuæ. *Matth.* 14. 10. 11.

Oratio.

DEus, qui beátum Joánnem Baptíſtam, Filii tui moriéntis, æquè ac naſcéntis, Præcursórem eſſe voluíſti; concéde, ut ſicut ille veritátis & juſtítiæ Martyr occúbuit, ita nos pro veritate & juſtítia ad mortem uſque certémus; Per eúmdem Dóminum, &c.

Comm. S. Sabinæ in Laudibus.

Ad Horas br. Antiphonæ de Laudib.

AD TERTIAM.

Capitulum. Iſ. 5. 22. 23. 24.

VÆ, qui poténtes eſtis ad bibéndum vinum, & viri

viri fortes ad miſcéndam e-
briėtátem: qui juſtificátis
ímpium pro munéribus, &
juſtítiam juſti aufértis ab eo.
Propter hoc, ſicut dévorat
ſtípulam lingua ignis, & ca-
lor flammæ exúrit; ſic radix
eórum quaſi favílla erit.

℟. Quóniam zelus dómûs
tuæ comédit me, advérsùm
me loquebántur qui ſedé-
bant in porta, * Et in me
pſallébant qui bibébant vi-
num. † Fiat menſa eórum
in láqueum, & in retribu-
tiónes, & in ſcándalum.
℣. Múlier erat circúmdata
púrpurâ, habens póculum
áureum in manu ſua: de vi-
no iræ fornicatiónis ejus bi-
bérunt, & reges terræ cum
illa fornicáti ſunt.* Et in me.
Glória. † Fiat. *Pſ.* 68. 10.
13. 23. *Apoc.* 17. 4. & 18. 3.

℣. Deus, iníqui inſurre-
xérunt ſuper me, ℟. Et ſy-
nagóga poténtium quæſié-
runt ánimam meam. *Pſ.* 85.
14.

AD SEXTAM.

Capitulum. Jerem. 1. 18.

Ego dedi te hódie in ci-
vitátem munítam, & in
colúmnam férream, & in
murum æreum ſuper om-
nem terram, régibus Juda,
princípibus ejus, & ſacerdó-
tibus, & pópulo terræ.

℟. *br.* Dixi iníquis: * No-
líte iníquè ágere. Dixi. ℣. Et
delinquentibus: Nolíte e-
xaltáre cornu.* Nolíte. Gló-
ria. Dixi. *Pſ.* 74. 5.

℣. Vidi prævaricántes, &
tabeſcébam; ℟. Quia eló-
quia tua non cuſtodiérunt.
Pſ. 118. 158.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 49. 9.

Malè tractavérunt illum
qui à ventre matris
conſecrátus eſt Prophéta,
evértere, & erúere & pérde-
re, & iterùm ædificáre, &
renováre.

℟. *br.* Príncipes * Perſe-
cúti ſunt me gratìs. Prínci-
pes. ℣. Et à verbis tuis for-
midávit cor meum. * Perſe-
cúti. Glória. Príncipes. *Pſ.*
118. 161.

℣. Eripe me, Dómine,
de operántibus iniquitátem;
℟. Et de viris sánguinum
ſalva me. *Pſ.* 58. 3.

AD II. VESPERAS.

*Morientis, ſicut naſcentis
Chriſti Præcurſor eſt
Joannes.*

Ant. 1. 2. *D.* Accedéntes diſcí-
puli Joánnis tu-
lérunt corpus ejus, & ſepe-
liérunt illud: & veniéntes
nuntiavérunt Jeſu. *Matth.*
14. 12.

Ant. 1. 3. *a.* Cùm audíſ-
ſet Jeſus, ſeceſſit inde in na-
vícula, in locum deſértum
ſeórſum. *Matth.* 14. 13.

Ant. 1. 5. *A.* Illo témpore
audívit Heródes famam Je-
ſu, & ait: Hic eſt Joánnes
Baptíſta: ipſe ſurréxit à mór-
tuis, & ideò virtútes ope-
rántur in eo. *Matth.* 14. 1. 2.

Ant. 1. 8. *C.* Ait Jeſus diſ-

cípulis ſuis : Elías venit & non cognovérunt eum , ſed fecérunt in eo quæcúmque voluérunt : ſic & Fílius hóminis paſsúrus eſt ab eis. *Math.* 17. 12.

Ant. t. 1. *A.* Intellexérunt diſcípuli ; quia de Joánne Baptiſta dixiſſet eis Jeſus. *Math.* 17 13.

Capitulum. Iſ. 57. 1.

JUſtus perit ; & non eſt qui recógitet in corde ſuo : & viri miſericórdiæ colligúntur , quia non eſt qui intélligat : à facie enim malítiæ colléctus eſt juſtus.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

ECce ſaltántis prétium puéllæ,
Fertur in diſco caput amputátum :
Hæc cruentátis nova proferúntur
Fércula menſis.
Omnibus manat cruör ecce venis :
Hinc ſitim longam sátia , Tyránne,
Et cibos inter paterásque puro
Sánguine liba.
Ut caput vidit dápibus ſub ipſis
Triſte fumánti fluitáre tabo ;
Hæſit , impáſtis fremuítque menſis
Fúneris auctor.
Pálluit cœlum , trepidávit aula ;
Ipſa ſeſe horret féritas Tyránni ,
Sola ſaltátrix ovat , execrándi
Cónſcia facti.
Non tamen frontis grávitas verénda
Ceſſit immíti violáta ferro :
Dura mitéſcit plácido ſub ore
Mortis imágo.
Qui ſuo naſcens Dómino præibat ,
Morte crudéli prior immolátus
Ille , mox diro notat immolándum
Fúnere Chriſtum.
Noſtra te ſummum célebrent Paréntem
Ora , te ſummo Génitum Parénte ;
Par ſit ambórum tibi laus per omne,
Spíritus , ævum. Amen.

℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini , ℟. Mors ſanctórum ejus. *Pſ.* 115. 15.

Ad Magnif. *Ant. t.* 6. *f.* Acceſſérunt quidã Phariſæórum , dicéntes Jeſu : Vade hinc , quia Heródes vult te occídere. Et ait illis : Dícite vulpi illi : Ecce ſanitátes perfício hódie & cras , & tertiâ die consúmmor : quia non capit Prophétam períre extra Jerúſalem. *Luc.* 13. 31. 32. 33.

Comm. de ſequenti.

Die xxx.

S. FIACRII, SOLITARII.

Simplex.

Omnia de Communi unius Solitarii.

Oratio. Deus, qui nos ádmones, *pag.* xl.

Lectio iij.

Apud Mabill. ſæc. 2. Ben.

Fiácrius, qui & Feſrus, in Hibérnia quam véteres Scótiam appellabant, nobili natus génere, Meldos ad ſanctum Farónem, ſolitáriæ vitæ deſidério, cum áliquot sóciis venit: cujus votis ánnuens beátus Póntifex, locum procul à tumúltu, & ſylvis circumtéctum, è património ſuo, nómine Brógilum, illi concéſſit. Ibi Fiácrius, evulſis arbóribus, Monaſtérium in honórem ſanctíſſimæ Vírginis conſtrúxit, in quo peregrínos & hóſpites excipiébat, exíguâ ſibi ſeórſim ædificátâ domo. Cùm autem virtútum ejus fama longè diffunderétur, undequáque ad eum adducebántur infirmi, quos ſolâ manûs impoſitióne ſanitati reſtituébat. Fuit ei sánguine conjunctus beátus Chillénus, à ſancto Faróne poſtea miſſus ad Attrébates; quem ex Romána peregrinatióne reverténtem ſuſcépit Fiácrius, & apud ſe retínuit alìquámdiu, cum ipſo divínis collóquiis vacatúrus. Miráculis illúſtris, labénte ſæculo séptimo, vitâ functus eſt. Corpus ejus multis inde ſæculis ad Eccléſiam Cathedrálem Meldénſem translátum eſt, ne in illud Calviniáni pro more ſuo ímpiè deſævírent; locus tamen ſancti Anachorétæ veſtigiis & converſatióne conſecrátus, magno populórum concúrſu frequentári non déſiit.

Veſpera de ſequenti.

Die xxxi.

S. GAUZELINI, TULLENSIS EPISCOPI.

Dupl. 4. Claſ.

Omnia de Comm. unius Pontif.

Oratio. Da Eccléſiæ tuæ, *pag.* xxiv.

Comm. S. Paulini, Trevirenſis Epiſcopi & Confeſſoris Chriſti per Antiph. de Commun. unius Confeſſoris Chriſti.

Oratio. Deus, pro cujus, &c. *pag.* xix.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Adſone auctore coævo, Vindrico, Flodard. Mabill. & ex variis Chartis S. Gauzelini, & aliis, &c.

Gauzelínus, nobilíſſimis Francórum natálibus ortus, & inter regni próceres óptimè educátus, Drogóni inclyto Leucórum Epíſcopo ſuccéſſit non minùs amor, quàm ſui gregis paſtor: quippe qui pietáte & religióne conſpícuus, litterárum ſtúdiis ádprimè erudítus, clementíſſimi cordis benevoléntiâ, vultûs ſereni-

táte, & lenitáte ſermónis, ómnium ſibi conciliáret ánimos, totus aliúnde in vigíliis, in eleemóſynis inténtus, in labóribus inſuperábilis. Póntifex ordinátus, hoc primùm in votis hábuit, ut Ecclésiæ ſuæ ſævo Danórum incúrſu vaſtátæ damna reſarcíret, Clerúmque diſpérſum collígeret: quo in ópere dum fórtiter elabórat, bona amíſſa víndicans, nova acquírens tum per ſe, tum ex Imperatórum Henríci & Othónis munificéntiâ, viros ínſuper prudéntes ad inſtituéndum Clerum undecúmque cólligens; urbem & Ecclésiam rebus auxit, ſapiéntiâ decorávit & providénti diſpenſatióne munívit.

Lectio v.

Nec iis ſtetit términis creſcens in dies Gauzelíni zelus: cónſcius enim quantùm ad Ecclésiæ ſplendórem & pietátis increméntum conferret recta Monaſteriórum inſtitútio, lapſam dolens véterem in ſanctiApri Monaſtério diſciplínam, aſcíto ſibi Herchembóldo, quem virum pietáte inſígnem, illìc Abbátem conſtítuit, locum hunc in religiónis Ordinem ſub arctióri ſancti Benedícti régulâ, commíſit reparándum. Tum è Luxoviénſi Monaſtério Adſónem Mónachum doctrinâ célebrem accerſívit, qui Epiſcopáles ſcholas in dicto ſancti Apri Cœnóbio régeret, & Cléricos ſacris litteris inſtituéndos curáret. Alteram quoque útilem Ecclésiæ cóntulit óperam, cùm laxióres ſaltûs Dervénſis Mónachos, miſſo eis in Abbátem Alberíco, ad prióren reguláris vitæ normam revocávit. Quin & ad bonórum óperum cúmulum adjécit ut Buxeriénſe Cœnóbium à fundaméntis ædificáret, multíſque dotátum provéntibus, aléndis deſtináret Virgínibus, quæ ſub ſancti Benedícti régula, ſanctíſſimæ Vírginis perpétuò deſervírent obſéquiis.

Lectio vj.

Ecclésiam ſancti Manſuéti inſtauráre & vitam illuc monáſticam indúcere cogitávit, primáſque manus huic admóvit óperi, quod à beáto Gerárdo ipſíus ſucceſſóre perféctum eſt. Plúribus intérfuit Concíliis, ac inter cætera Virdunénſi & Moſoménſi, in quibus de Archiepiſcopátu Reménſi Hugónem inter & Artáldum litigátum eſt, & Patrum ómnium judício ſedes Artáldo adjudicáta. Tandem poſt multos in Chriſti milítia labóres, quadriennáli, quem patientíſſimè tulit, languóre probátus, plenus diérum & bonórum óperum, óbiit anno Pontificátûs ſui quadragéſimo quarto. Delátus à Clero & pópulo, digniſſi-

mam, ſicut vivens júſſerat, in Buxeriénſi Cœnóbio inter choros Vírginum accépit ſepultúram: quem ſanctus Gerárdus inter cœlites annumerátum divínâ revelatióne cognóvit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 13. 33.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vidéte, vigiláte, & oráte. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. Comm. in Marc. Cap. 13.

PErſpícuè oſténdit Dóminus, quare díxerit: De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater: quia non expédiat ſcire Apóſtolis; ut péndulæ expectatiónis incérti, ſemper eum credant eſſe ventúrum, quem ignórant quando ventúrus ſit. Et non dixit: Quia neſcímus quâ horâ Dóminus ventúrus ſit; ſed: Neſcítis; præmiſſóque Patrisfamílias exémplo, cur retíceat conſummatiónis diem, maniféſtiùs docet, dicens: Vigiláte ergo, neſcítis enim quando Dóminus véniat; ſerò, an médiâ nocte, an galli cantu, an manè: ne cum vénerit repéntè, invéniat vos dormiéntes.

Lectio viij. poſt pauca.

QUod autem vobis dico, ómnibus dico: Vigiláte. Non Apóſtoli tantùm, & ſucceſſóres eórum, rectóres nimírum Eccléſiæ, ſed & omnes vigiláre præcípimur. Univérſi jánuas córdium noſtrórum, ne hoſtis antíquus mala ſuggeréndo irrúmpat, inſtánter ſerváre jubémur; ne nos dormiéntes Dóminus véniens invéniat, ſédulò ſínguli præcavére debémus. Unuſquíſque enim pro ſe reddet ratiónem Deo. * Vígilat autem, qui ad aſpéctum veri lúminis mentis óculos apértos tenet: vígilat, qui ſervat operándo quod credit: vígilat, qui à ſe torpóris & negligentiæ ténebras repéllit. Hinc étenim Paulus dicit: Evigiláte, juſti, & nolíte peccare. Hinc rurſus ait: Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere.

Lectio ix. de S. Paulino.

Ex Athanaſ. Hilar. Sulpit. Sever. & aliis.

PAulinus Aquitánus, vir, teſte ſancto Athanáſio, verè Apoſtólicus, acerrimúſque fídei Orthódoxæ advérsùs Ariánam impietátem deſénſor, poſt ſanctum Maximínum Trevirénſis Epíſcopus ordinátus eſt. Romam profectus, ad Athanáſium miſit Urſatii & Valéntis libéllum, quo illatárum ſancto Præſuli injuriárum pœni-

téntiam profitebántur. Ad Arelaténſem póſtea Synodum ab Imperatóre Conſtantio Ariáno congregátam vocatus, numquam addúci pótuit ut ſanctum Athanáſium condemnáret, & à veritáte Cathólica deviáret. Quare ipſe à Conſtántio in Phrygiam inter Montaníſtas relegátus eſt, & váriis ſubínde uſque ad mortem multis fatigátus exíliis. Is primus ex Occidentálibus in hac cauſa vexíllum confeſſiónis éxtulit. Cùm annos quinque in exílio exegíſſet, ibidem anno trecentéſimo quinquagéſimo octávo defúnctus eſt, vir beátæ paſſiónis, ut ſcribit Hierónymus in Chrónico.

Veſpera de ſequenti.



COMMUNE

COMMUNE SANCTORUM.

PARS ÆSTIVALIS.

COMMUNE APOSTOLORUM.

In hoc Communi, & in cæteris ad totum Officium ſemper dicuntur Pſalmi de Feria, niſi aliter notetur in Proprio.

AD I. VESPERAS.

Prophetiæ vel figuræ de Apoſtolis prænuntiantes.

Ant. t. 1. d. QUi ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi colúmbæ ad feneſtras? *Iſ.* 60. 8.

Ant. t. 5. A. Iſti ſunt, quos miſit Dóminus, ut perambulent terram. *Zach.* 1. 10.

Ant. t. 6. f. Locútus es, Dómine, cum eis, & dediſti eis judícia recta, & legem veritátis. 2. *Eſd.* 9. 13.

Ant. t. 3. *a.* Ecce venérunt: ponent Dómino glóriam, & laudem ejus in Inſulis nuntiábunt. *Iſ.* 42. 9. 12.

Ant. t. 8. *g.* Ædificábunt desérta a ſæculo, & ruínas antíquas érigent, & inſtaurábunt civitátes diſſipátas. *Iſ.* 61. 4.

Capitulum. Iſ. 66. 12. 19. 20.

HÆc dicit Dóminus... Mittam ex eis qui ſalvati fúerint, ad gentes,.. ad Inſulas longè, ad eos qui non audiérunt de me. Et annuntiábunt glóriam meam géntibus, & addúcent omnes fratres veſtros donum Dómino. ℟. Deo grátias.

℟. Teſtaméntum ætérnum conſtítuit Deus cum illis, & * Judícia ſua oſténdit illis. Et † Magnália honóris ejus vidit óculus illórum: & mandávit illis unicuíque de próximo ſuo. ℣. Póſuit Deus in Eccléſia primùm Apóſtolos; * Judícia. Gloria. † Magnália. *Eccli.* 17. 10. 11. 12. 1. *Cor.* 12. 28.

HYMNUS.

QUos Chriſtus ténebras
  péllere méntibus,
(Ceu biſſena novi lúmina
  fœderis)
Doctóres fídei mittit Apóſtolos,
  Feſto cármine pángimus.
Ut nubes plúviis denſa ſalúbribus,
Veri fœta cohors tránſvolat æquora:
Chriſtum voce tonat; falſaque córruunt,
  Verbi fúlmine, númina.
Velóces óperi, quo páritur
  ſalus,
Plures per lácrymas, dum
  ſtérili ſacrum
Fundunt ſemen agro, ſpem
  ſimul áureæ
Meſſis córdibus ínſerunt.
Nec torménta movent impávidos mori:
Docti dura pati, móllia
  ſpérnere,
Fictas delícias, vánaque
  lúdicra
Mundi, quàm bene dédocent!
His Chriſti réferunt dógmata móribus,
Naſcentíſque gregis partúriunt fidem,
Quam, ne degéneri pécto-
  re décidat,
Fuſo sánguine nútriunt.
Heu! noſtris ſua vox auribus ínſonans
Hortátur; nec adhuc cordis ahéneam
Mollit durítiem: da per
  eos fata,
Da, Numen, frúticet fides.
Sit laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio:
Par ſit, ſáncte, tibi glória, Spíritus,
Quo donánte, ferunt lumen Apóſtoli
  Fines orbis ad últimos.
  Amen.

℣. Magnificéntiam glóriæ ſanctitátis tuæ loquentur;

℟. Et mirabília tua narrabunt. Pſ. 144. 5.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 1. *D.* Exúrge, Jerúſalem ;& vide collectos fílios tuos ab Oriēte ſole uſque ad Occidéntem in verbo ſancti gaudéntes Dei memóriâ. *Baruch.* 5. 5.

Oratio ut in Proprio Sanctorum.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitat. Chriſtum Apoſtolórum Magíſtrum & Dóminum * Veníte, adorémus. *Joan.* 13. 13. *Pſalmus* 94. Veníte. *Pag* 2.

IN I. NOCTURNO.

Apoſtolorum vocatio, & electio.

Ant. t. 2. *D.* Vos Sacerdótes Dómini vocabímini : Miniſtri Dei noſtri, dicétur vobis : Fortitúdinem géntium comedétis. *Iſ.* 61. 6.

Ant. t. 2. *d.* Vocabúntur fortes juſtítiæ, plantátio Dómini ad glorificándum *Iſ.* 61. 3.

Ant. t. 8. *C.* Aſcéndent ſalvatóres in montem Sion : & erit Dómino regnum. *Abdiæ.* 1. 21.

℣. Pro pátribus tuis nati ſunt tibi fílii :

℟. Conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram. Pſ. 44. 17.

Pater noſter, &c.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. 1. Laudémus viros glorióſos, & paréntes noſtros in generatióne ſua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntiâ ſuâ à ſæculo, * Hómines magni virtúte, & prudéntiâ ſuâ præditi, & imperántes pópulis ſanctíſſima verba. ℣. Vocávit Jeſus ad ſe quos vóluit ; & venérunt ad eum : & fecit ut eſſent duódecim cum illo, * Hómines magni ... *Eccli.* 44. 1. 2. 3. 4. *Marc.* 3. 13. 14.

℟. 2. Póſuit Dóminus óculum ſuum ſuper corda illórum, oſténdere illis magnália óperum ſuórum, * Ut nomen ſanctificatiónis collaúdent, & magnália enárrent óperum ejus. ℣. Elégit duódecim ex ipſis, quos & Apóſtolos nominávit. * Ut nomen . . . *Eccli.* 17. 7. 8. *Luc.* 6. 13.

℟. 3. Qui dat laſſo virtútem : * His fortitúdinem & robur multíplicat : † Aſſúment pennas ſicut áquilæ ; current, & non laborábunt ; ambulábunt, & non defícient. ℣. Ignobília mundi, & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrúeret. . . * His fortitúdinem ... Glória . . . † Aſſúment. *Iſ.* 40. 29. 31. 1. *Cor.* 1. 28.

IN II. NOCTURNO.

Apoſtolorum miſſio ; & ipſis data poteſtas :

Ant. t. 4. *A.* Seminábo eos in pópulis ; & confortábo eos in Dómino ; & in nómine ejus ambulábunt. *Zach.* 10. 9. 12.

Ant. t. 2. *D.* Annuntiáte in géntibus, & audítum fáci-

te: leváte ſignum, prædicáte, & nolíte celáre. *Jerem.* 50. 2.

Ant. t. 1. *d.* In doctrínis glorificáte Dóminum; in Inſulis maris nomen Dómini Dei Iſrael. *Iſa.* 24. 15.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Pſ.* 95. 3.

Pater noſter, &c.

Lectiones ut in Proprio.

℟. 4. Vox ſpeculatórum tuórum, Sion: levavérunt vocem; óculo ad óculum vidébunt. * Conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum: parávit bráchium ſanctum ſuũ in óculis ómnium géntium. ℣. Duódecim Apóſtolos miſit Jeſus; præcípiens eis, dicens: Eúntes prædicáte: quia appropinquávit regnum cœlorum. * Conſolátus. *Iſ.* 52. 8. 9. 10. *Matth.* 10. 5. 7.

℟. 5. Aperíte portas, & ingrediátur gens juſta, cuſtódiens veritátem. * Vetus error ábiit: Servábis pacem, Dómine; pacem, quia in te ſperávimus. ℣. Egreſſi circuíbant per caſtélla, evangelizántes & curantes ubíque. * Vetus error.... *Iſ.* 26. 2. 3. *Luc.* 9. 6.

℟. 6. Ite, angeli velóces, ad gentem convúlſam; * Ad pópulum terríbilem, poſt quem non eſt álius. † Omnes habitatóres orbis, cùm elevatum fúerit ſignum in móntibus, videbitis. ℣. Ecce ego mitto vos ſicut oves in médio lupórum. * Ad pópulum. Gloria. † Omnes. *Iſ.* 18. 2. 3. *Matth.* 10. 16.

IN III. NOCTURNO.

Apoſtolorum prædicatio: & fructus.

Ant. t. 7. *D.* Eléeti mei non laborabunt fruſtra, quia ſemen benedictórum Domini eſt. *Iſa.* 65. 23.

Ant. t. 5. *F.* Sanctificábunt ſanctum Jacob, & Deũ Iſrael prædicabunt. *Iſ.* 29. 23.

Ant. t. 3. *a.* Pópulus, quem ignóro, ſérviet mihi: filii alieni auditu auris obédient mihi. 2. *Reg.* 22. 44. 45.

℣. Dominus dabit verbum Evangelizántibus, ℟. Virtute multâ. *Pſ.* 67. 12.

Pater noſter, &c.

Evang. & Homil. ut in Proprio.

℟. 7. Nova bella elégit Dóminus: qui própriâ voluntáte obtuliſtis vos diſcrimini, benedícite Dómino: qui ſedétis in judício, loquímini. * Salvátæ ſunt relíquiæ pópuli, Dóminus in fortibus dimicávit. ℣. Magnificábat eos populus, augebátur credéntium in Dómino multitúdo. * Salvatæ ſunt. *Judic.* 5. 8. 9. 10. 13. *Act.* 5. 13. 14.

℟. 8. Spíritum tuum bonum dediſti, Dómine, qui docéret eos. * Et dediſti eis regna, & populos, & partítus es eis ſortes: & multiplicaſti filios eórum ſicut ſtellas cœli. ℣. Salútem

de qua exquiſiérunt Prophétæ, evangelizavérunt, Spíritu ſancto miſſo de cœlo. * Et dedíſti . . 2. *Eſd.* 9. 20. 22. 23. 1. *Petri.* 1. 10. 12.

℟. 9. Magnificávit Dóminus fácere cum eis. * Eúntes ibant & flebant, mitténtes sémina ſua. † Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos ſuos. ℣. Illi pertranſíbant narrántes converſiónem géntium, & faciébant gaúdium magnum. * Eúntes . . . Glória. † Veniéntes. *Pſ.* 125. 2. 6. *Act.* 15. 3.

Te Deum *dicetur.*

AD LAUDES.

Apoſtolorum virtutes: & per eos facta judicia.

℣. *Sacerdotalis.* Póſuit in eis Dóminus verba ſignórum ſuórum, ℟. Et prodigiórum in terra. *Pſ.* 104. 27.

Ant. t. 1. *A.* ISti hómines ſervi Dei excelſi ſunt, qui annúntiant vobis viam ſalútis *Act.* 16. 17.

Ant. t. 5. *A.* Dedit illis Jeſus virtútem & poteſtátem ſuper ómnia dæmónia, & ut languóres curárent. *Luc.* 9. 1.

Ant. t. 2. *D.* Prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte, & ſermónem confirmánte, ſequéntibus ſignis. *Marc.* 16. 20.

Ant. t. 6. *f.* Erat manus Dómini cum eis; multúſque númerus credéntium convérſus eſt ad Dóminum. *Act.* 11. 21.

Ant. t. 7. *C.* Loquebántur verbum Dei cum fidúcia: & grátia magna erat in ómnibus. *Act.* 4. 31. 33.

Capitulum. Heb. 2. 3. 4.

CUm inítium accepíſſet ſalus enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta eſt, conteſtánte Deo ſignis & porténtis, & váriis virtútibus.

℣. Glóriam regni tui dicent; ℟. Ut notam fáciant filiis hóminum poténtiam tuam. *Pſ.* 144. 11. 12.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* In fundaméntis civitátis ſanctæ Jerúſalem nómina duódecim Apoſtolórum Agni. *Apoc.* 21. 14. *Oratio ut in Proprio.*

AD PRIMAM.

Ad Horas Antiphonæ de Laudibus quartâ prætermiſſâ, quod ſemper obſervatur.

Ant. Iſti hómines.

Capitulum. Regi ſæculórũ, &c. *Canon, ut in Proprio de Tempore, reliqua ut in Pſalterio.*

AD TERTIAM.

Ant. Dedit illis.

Capitulum. Act. 5. 12.

PEr manus Apoſtolórum fiébant ſigna & prodígia multa in plebe.

In Duplicibus. ℟. Ecce dedi vobis poteſtátem ſuper omnem virtútem inimíci. * Verúmtamen in hoc nolíte gaudére: † Gaudéte autem, quòd nómina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. ℣. Dabo vos in nomen, & in laudem ómnibus pópulis terræ. * Verúmtamen... Glória † Gau-

déte . . . *Luc.* 10. 19. 20. *Soph.* 3. 20.

℣. Nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus; ℟. Nimis confortátus eſt principátus eórum *Pſ.* 138. 17.

In Semiduplicibus, & per Oct. ℟. *br.* Príncipes populórum congregáti ſunt * Cum Deo Abraham: (*rep.*) Príncipes: ℣. Quóniam dii fortes terræ, veheménter eleváti ſunt (*rep.*) Cum Deo. Glória. (*reſum.*) Príncipes. *Pſ.* 46. 10.

℣. Nimis honorificáti ſunt &c. *ut ſuprà.*

Oratio ut in Proprio.

AD SEXTAM.

Ant. Prædicavérunt

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 19. 20.

POſuit Deus in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Chriſto ergo legatióne fún gimur, tamquam Deo exhortánte per nos.

℟. *br.* In omnem terram * Exívit ſonus eórum. (*rep.*) In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. (*rep.*) Exívit. Glória . . (*rep.*) In omnem. *Pſ.* 18. 5.

℣. Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, ℟. Quorum non audiántur voces eórum. *Pſ.* 18. 4.

AD NONAM.

Ant. Loquebántur.

Capitulum. Eph. 2. 19. 20.

FRatres, Jam non eſtis, hóſpites & ádvenæ: ſed eſtis cives ſanctórum & doméſtici Dei, ſuperædificáti ſuper fundaméntum Apoſtolórum, & Prophetárum, ipſo ſummo anguläri lápide Chriſto Jeſu.

℟. *br.* Annuntiavérunt * Opera Dei. (*rep.*) Annuntiavérunt. ℣. Et facta ejus intellexérunt. (*rep.*) Opera. Glória. (*reſum.*) Annuntiavérunt. *Pſ.* 63. 10.

℣. Confitébimur tibi, Deus; ℟. Narrábimus mirabília tua. *Pſ.* 74. 2.

AD II. VESPERAS.

Apoſtolorum labores, & ipſorum poſt paſſionem gloria.

Ant. 1. 3. *A.* VIrtúte magnâ reddébant Apóſtoli teſtimónium reſurrectiónis Jeſu Chriſti. *Act.* 4. 33.

Ant. 2. 5. *F.* Ibant gaudéntes, quóniam digni habiti ſunt pro nómine Jeſu contuméliam pati. *Act.* 5. 41.

Ant. 3. 1. *d.* Tradidérunt ánimas ſuas pro nomine Dómini noſtri Jeſu Chriſti. *Act.* 15. 26.

Ant. 4. 8. *G.* Apóſtoli Eccleſiárum, Glória Chriſti. 2. *Cor.* 8. 23.

Ant. 5. 6. *f.* Exúlta ſuper Babylónem, cœlum, & ſancti Apóſtoli; quóniam judicávit Deus judícium veſtrum de illâ. *Apoc.* 18. 20.

Capitulum. 1. *Cor.* 4. 9.

DEus nos Apóſtolos noviſſimos oſténdit, tamquam morti deſtinátos: quia ſpectáculũ facti ſumus mundo, & Angelis, & homínibus.

HYMNUS. *Ex Sanct. Vict.*

QUem miſit in terras Deus ,
Ut morte nos ſervet ſuá,
Amóris hic fidos ſuî
Vos eligit Vicários.
Occiſus Agnus à lupis,
Vos miſit agnos ad lupos:
Mores ferínos éxuunt,
Agni repénte de lupis.
Quæ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Veſtris eam ſudóribus,
Veſtro piáſtis ſánguine.
Hoc rore facta pínguior,
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta ſurréxit ſeges!
Et iſta nos ſeges ſumus.
Quam ſi bonus reſpéxeris,
Qui das rigátis créſcere;
Fruménta nos cœléſtibus
Matúra condes hórreis.
Uni ſit & Trino Deo
Supréma laus, ſummũ decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Qui séminant in lácrymis, ℟. In exultatióne metent. *Pſ.* 125. 5.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 5. *F.* Sedebitis & vos ſuper ſedes duódecim, judicántes duódecim tribus Iſrael. *Matth.* 19. 28.

Oratio ut in Proprio.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN I. VESPERIS.

Certanti pro juſtitia adſuturum ſe promittit Deus.

Ant. t. 1. *d.* JUſtus quaſi leo confídens, abſque terróre erit. *Prov.* 28. 1.

Ant. t. 3. *E.* In tentatióne Deus illum conſervábit, non illidétur quaſi in procélla navis. *Eccli.* 33. 1. 2.

Ant. t. 2. *d.* Bonus Dóminus, & confórtans in die tribulatiónis; & ſciens ſperantes in ſe. *Nahum.* 1. 7.

Ant. t. 7. *D.* Pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quòd vita ejus, ſi in probatióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3. 21.

Ant. t. 5. *A.* Uſque in tempus ſuſtinebit pátiens, & poſtea redditio jucunditátis. *Eccli.* 1. 29.

Capitulum. Joſue. 1. 9.

ECce præcipio tibi, confortáre, & eſto robuſtus. Noli metúere, & noli timére: quóniam tecum eſt Dóminus Deus tuus.

In Duplicibus. ℟. Benedictus vir qui confídit in Dómino, * Erit Dóminus fiducia ejus. † Non timébit cùm vénerit æſtus. ℣. Si propter Dei conſciéntiam ſuſtinet triſtítias, pátiens injuſtè. * Erit Dóminus. Gloria. † Non timébit. *Jerem.* 17. 7. 8. 1. *Petri* 2. 19.

HYMNUS.

MArtyr ſancte, tibi débita nos decet
Virtútis mémores prómere cántica:
Quem nec blandítiis, nec pótuit minis

déte . . . *Luc.* 10. 19. 20. *Soph.* 3. 20.

℣. Nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus; ℟. Nimis confortátus eſt principátus eórum *Pſ.* 138. 17.

In Semiduplicibus, & per Oct. ℟. *br.* Príncipes populórum congregáti ſunt * Cum Deo Abraham: (*rep.*) Príncipes: ℣. Quóniam dii fortes terræ, veheménter eleváti ſunt (*rep.*) Cum Deo. Glória. (*reſum.*) Príncipes. *Pſ.* 46. 10.

℣. Nimis honorificáti ſunt &c. *ut ſuprà.*

Oratio ut in Proprio.

AD SEXTAM.

Ant. Prædicavérunt

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 19. 20.

POſuit Deus in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Chriſto ergo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortánte per nos.

℟. *br.* In omnem terram * Exívit ſonus eórum. (*rep.*) In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. (*rep.*) Exívit. Glória.. (*rep.*) In omnem. *Pſ.* 18. 5.

℣. Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, ℟. Quorum non audiantur voces eórum. *Pſ.* 18. 4.

AD NONAM.

Ant. Loquebántur.

Capitulum. Eph. 2. 19. 20.

FRatres, Jam non eſtis, hóſpites & ádvenæ: ſed eſtis cives ſanctórum & doméſtici Dei, ſuperædificáti ſuper fundaméntum Apoſtolórum, & Prophetárum, ipſo ſummo anguléri lápide Chriſto Jeſu.

℟. *br.* Annuntiavérunt * Opera Dei. (*rep.*) Annuntiavérunt. ℣. Et facta ejus intellexérunt. (*rep.*) Opera. Glória. (*reſum.*) Annuntiavérunt. *Pſ.* 63. 10.

℣. Confitébimur tibi, Deus; ℟. Narrábimus mirabília tua. *Pſ.* 74. 2.

AD II. VESPERAS.

Apoſtolorum labores, & ipſorum poſt paſſionem gloria.

Ant. t. 3. *A.* VIrtúte magnâ reddébant Apóſtoli teſtimónium reſurrectiónis Jeſu Chriſti. *Act.* 4. 33.

Ant. t. 5. *F.* Ibant gaudéntes, quóniam digni habiti ſunt pro nómine Jeſu contuméliam pati. *Act.* 5. 41.

Ant. t. 1. *d.* Tradidérunt ánimas ſuas pro nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti. *Act.* 15. 26.

Ant. t. 8. *G.* Apóſtoli Eccleſiárum, Glória Chriſti. 2. *Cor.* 8. 23.

Ant. t. 6. *f.* Exúlta ſuper Babylónem, cœlum, & ſancti Apóſtoli; quóniam judicávit Deus judícium veſtrum de illâ. *Apoc.* 18. 20.

Capitulum. 1. *Cor.* 4. 9.

DEus nos Apóſtolos noviſſimos oſténdit, tamquam morti deſtinátos: quia ſpectáculū facti ſumus mundo, & Angelis, & homínibus.

HYMNUS. *Ex Sanct. Vict.*

Quem miſit in terras Deus,
Ut morte nos ſervet ſuâ,
Amóris hic fidos ſuî
Vos eligit Vicários.
Occiſus Agnus à lupis,
Vos miſit agnos ad lupos:
Mores feríinos éxuunt,
Agni repénte de lupis.
Quæ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Veſtris eam ſudóribus,
Veſtro piáſtis ſánguine.
Hoc rore facta pínguior,
Quot illa fructus protulit!
Quæ, quanta ſurréxit ſeges!
Et iſta nos ſeges ſumus.
Quam ſi bonus reſpéxeris,
Qui das rigátis créſcere;
Fruménta nos cœléſtibus
Matúra condes hórreis.
Uni ſit & Trino Deo
Supréma laus, ſummū decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Qui séminant in lácrymis, ℟. In exultatióne metent. *Pſ.* 125. 5.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 5. *F.* Sedébitis & vos ſuper ſedes duódecim, judicántes duódecim tribus Iſrael. *Matth.* 19. 28.

Oratio ut in Proprio.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN I. VESPERIS.

Certanti pro juſtitiâ adfuturum ſe promittit Deus.

Ant. t. 1. *d.* Juſtus quaſi leo confídens, abſque terróre erit. *Prov.* 28. 1.

Ant. t. 3. *E.* In tentatióne Deus illum conſervábit, non illidétur quaſi in procélla navis. *Eccli.* 33. 1. 2.

Ant. t. 2. *d.* Bonus Dóminus, & confórtans in die tribulatiónis; & ſciens ſperántes in ſe. *Nahum.* 1. 7.

Ant. t. 7. *D.* Pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quòd vita ejus, ſi in probatióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3. 21.

Ant. t. 5. *A.* Uſque in tempus ſuſtinébit pátiens, & poſtea redditio jucunditátis. *Eccli.* 1. 29.

Capitulum. Joſue. 1. 9.

Ecce præcipio tibi, confortáre, & eſto robúſtus. Noli metúere, & noli timére: quóniam tecum eſt Dóminus Deus tuus.

In Duplicibus. ℟. Benedictus vir qui confídit in Dómino, * Erit Dóminus fidúcia ejus. † Non timébit cùm vénerit æſtus. ℣. Si propter Dei conſciéntiam ſúſtinet triſtítias, pátiens injuſtè. * Erit Dóminus. Glória. † Non timébit. *Jerem.* 17. 7. 8. 1. *Petri* 2. 19.

HYMNUS.

Martyr ſancte, tibi débita nos decet
Virtútis mémores prómere cántica:
Quem nec blandítiis, nec pótuit minis

Fallax víncere ſæculum.
Mundi ſpernis opes, flúxaque gaúdia;
Diras nec métuis carníficum manus:
Enſes, flagra, rotas, ómnia pérpeti,
Victrix te dócuit fides.
Ut Chriſto móriens, quâ póteris tuâ
Reddas morte vices, víctima víctimæ,
Tu pœnas ávidâ mente præóccupas,
Divínæ necis æmulus.
I nunc, ſancte pugil, quò pia prælia,
Quò te magna vocant præmia mílitem:
Præſens Chriſtus adeſt: hoc duce, non cades,
Ni victâ nece fórtior.
Æternum cita mors vívere Martyri
Quòd ſpondet, próperas, Martyr, ovans mori,
Palmam dum móriens conſequeris tibi,
Firmas, noſque mori doces.
Et nos chriſtiadæ, blanda per ótia
Vitæ delícias quærimus anxii,
Noſtram ſegnítiem dúriùs íncrepat
Fuſo sánguine víctima.
Patri maxima laus, máxima Fílio,
Ambórumque ſacro máxima Flámini,
Qui dat Martyribus mille neces pati,
Et per fúnera víncere.
Amen.

℣. Juſtus cum ceciderit, non collidétur: ℟. Quia Dóminus ſuppónit manum ſuâ. *Pſ.* 36. 24.

Ad Magníficat. *Ant. t.* 5. *F.* Ecce Deus ſalvátor meus, fiducialiter agam, & non timébo: quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus. *Iſ.* 12. 2.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit Propria.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invit. Chriſtum qui dat vincenti manna abſcónditum; * Veníte, adorémus. *Apoc.* 2. 17. *Pſ.* 94. Veníte. *pag.* 2.

IN I. NOCTURNO.

Firmus Martyris ad pugnam ſe præparantis animus.

Ant. t. 1. *A.* Non mihi contíngat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis. 1. *Mach.* 13. 5.

Ant. t. 7. *D.* Prompto ánimo pro ſanctiſſimis legibus, honeſtâ morte perfungar. 2. *Mach.* 6. 28.

Ant. t. 8. *G.* In quocúmque loco fúeris, Dómine, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus. 2. *Reg.* 15. 21.

℣. Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam; ℟. Quia Deus ſuſcéptor meus es. *Pſ.* 58. 10.

Lectiones ex Scriptura occurrente.

℟. 1. E cœlo membra iſta poſſídeo; ſed * Propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpício, quóniam ab ipſo me

ea receptúrum ſpero. ℣. Ego non ſolum alligári, ſed & mori parátus ſum, propter nomen Dómini Jeſu. * Propter Dei leges. 2. *Mach.* 7. 11. *Act.* 21. 13.

℟. 2. Angúſtiæ ſunt mihi úndique: ſed * Mélius eſt mihi abſque ópere incídere in manus veſtras, quàm peccáre in conſpéctu Dómini. ℣. Víncula & tribulatiónes me manent; ſed nihil horum véreor. * Mélius *Dan.* 13. 22. 23. *Act.* 20. 23. 24.

℟. 3. Ille glorioſíſſimam mortem magis quàm odíbilem vitam compléctens, voluntáriè præíbat ad ſupplícium; patiénter súſtinens, * Deſtinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. ℣. Magis éligens afflígi, quàm temporális peccáti habére jucunditátem. * Deſtinávit. Glória. * Deſtinávit. 2. *Mach.* 6. 19. 20. *Heb.* 11. 25.

IN II. NOCTURNO.

Martyris in tormentis & in morte conſtantia.

Ant. t. 8. *C.* Certámen forte dedit illi Dóminus, ut vínceret, & ſciret quóniam ómnium poténtior eſt ſapiéntia. *Sap.* 10. 12.

Ant. t. 5. *a.* Torménta ſuſcépit; ita ut miraréntur, quòd tamquam níhilum dúceret cruciátus. 2. *Mach.* 7. 8. 12.

Ant. t. 3. *a.* Mundus óbiit, per ómnia in Dómino confidens. 2. *Mach.* 7. 40.

℣. Deo ſubjécta eſto, ánima mea; ℟. Quóniam ab ipſo patiéntia mea. *Pſ.* 61. 6.

Lectiones ut in Proprio.

℟. 4. Dómine, qui habes ſanctam ſciéntiam, maniféſtè tu ſcis, quia, cùm à morte poſſem liberári, * Duros córporis ſuſtíneo dolóres: secúndùm ánimã verò propter timórem tuum libénter hæc pátior. ℣. Pátior, ſed non confúndor. Scio enim cui crédidi. * Duros. 2. *Mach.* 6. 30. 2. *Tim.* 1. 12.

℟. 5. Nequáquam ut mori ſolent ignávi mórtuus eſt; ſed * Sicut ſolent cádere coram fíliis iniquitátis, ſic corruíſti. ℣. Confortátus fide, dans glóriam Deo. * Sicut. 2. *Reg.* 3. 33. 34. *Rom.* 4. 20.

℟. 6. Hanc tentatiónem * Ideò permíſit Dóminus evenire illi, ut póſteris darétur exémplum patiéntiæ ejus. ℣. In labóribus plúrimis, in carcéribus abundántiùs, in plagis ſupra modum, in mórtibus frequénter. * Ideò. Glória. * Ideò. *Tob.* 2. 12. 2. *Cor.* 11. 23.

IN III. NOCTURNO.

Per Deum Martyris victoria.

Ant. t. 8. *C.* Honeſtávit illum in laboribus, & complévit labóres illius. *Sap.* 10. 10.

Ant. t. 3. *A.* In fraude circumveniéntium illum affuit illi. *Sap.* 10. 11.

Ant. t. 2. *D.* Intrávit in

ánimâ ſervi Dei, & ſtetit contra reges horrendos in porténtis & ſignis. *Sap.* 10. 16.

℣. Tu, Dómine, adjuviſti me; ℟. Et conſolátus es me. *Pſ.* 85. 17.

Evang. & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Factus es mihi adjútor, Dómine, & liberáſti me * A rugiéntibus præparátis ad eſcam, de mánibus quæréntium ánimam meam, & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me. ℣. Dóminus mihi áſtitit, & confortávit me, & liberátus ſum de ore leónis. * A rugiéntibus. *Eccli.* 51. 3. 4. 5. 2. *Tim.* 4. 17.

℟. 8. Poſt tempeſtátem, tranquíllum facis, Dómine; & poſt lacrymatiónem & fletum, exultatiónē infundis. * Sit nomen tuum, Deus Iſraël, benedíctum in ſæcula.

℣. Ipſe autem Dóminus noſter Jeſus Chriſtus dedit conſolatiónem ætérnam, & ſpem bonam in grátia. * Sit nomen. *Tob.* 3. 22. 23. 2. *Theſ.* 2. 15.

℟. 9. Deus à peccatóribus liberávit eum, deſcendítque cum illo in fóveam, & * In vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi poténtiam advérsùs eos qui eum deprimébant. ℣. Erat Deus cum eo: & erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. * In vínculis Glória. * In vínculis. *Sap.* 10. 13. 14. *Act.* 7. 9. 10.

In Duplicibus & Semiduplicibus dicitur Te Deum; *& ſic in omni alio Communi.*

AD LAUDES.

E cælo miſſæ conſolationes quæ Martyris animam lætificant mediis in tribulationibus.

℣. *Sacerdotalis.* Cantábo fortitúdinem tuam, Dómine, ℟. Et exultábo manè miſericórdiā tuam. *Pſ.* 58. 17.

Ant. t. 1. *D.* Non facio ánimā meā pretioſiórem quàm me, dúmmodo conſúmmem curſum meum. *Act.* 20. 24.

Ant. t. 3. *A.* Pláceo mihi in perſecutiónibus, in anguſtiis pro Chriſto. 2. *Cor.* 12. 10.

Ant. t. 8. *G.* Replétus ſum conſolatióne, ſuperabúndo gaúdio in omni tribulatióne 2. *Cor.* 7. 4.

Ant. t. 6. *f.* Magnificábitur Chriſtus in córpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem. *Phil.* 1. 20.

Ant. t. 8. *C.* Omnia detriméntum feci, ut Chriſtum lucrifaciam. *Philip.* 3. 8.

Capitulum. 1. *Joan.* 5. 4.

Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victória quæ vincit mundum, fides noſtra.

℣. Dóminus exaudívit eum; ℟. Et de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum. *Pſ.* 33. 7.

Ad Bened. *Ant. t.* 5. *F.* Qui perdíderit ánimā ſuam propter me, & Evangélium, ſalvam fáciet eam. *Marc.* 8. 35.

Oratio ſi ſit Pontifex.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui in Sanctórum tuórum virtúte es mirábilis; da nobis Beáti N. feſtivitátem cóngruis honóribus, & sedulâ imitatione celebráre; qui Filii tui Martyr & Pontifex, quod miniſtério geſſit, teſtimónio comprobavit, & quod prædicávit ore, confirmávit exémplo: Per eúmdem Dóminum, &c.

Alia Oratio ſi ſit Pontifex.

FAc, nos, Dómine Deus, imitári ſacerdotálē conſtántiam Beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis; ut fidem ſervántes, quam docuit, ejúſdem coronæ consórtes efficiámur; Per Dóminum, &c.

Oratio pro Martyre tantùm.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus; ut qui Beáti Mártyris tui N. natalítia cólimus, interceſſióne ejus & exémplo, in tui nóminis amóre roborémur; Per Dóminum.

Alia Oratio pro Martyre tantùm.

DEus qui beátum Martyrem tuum N. virtúte conſtántiæ in paſſióne roboráſti; tríbue, quæſumus, nos ex ejus imitatione pro amóre tuo próſpera mundi deſpícere, & nulla ejus advérſa formidáre; Per Dóminum, &c.

Si facienda ſit commemoratio alterius Martyris ſimpl. fiet per Ant. ad Magnif. *& ℣. ex primis Veſperis: quod ſervatur in omni alio Communi.*

A D T E R T I A M.

Capitulum. Rom. 5. 3. 4. 5.

TRibulátio patiéntiam operátur: patiéntia autē probatiónem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confúndit.

℟. *in Duplic.* Probávit me Dóminus quaſi aurum, quod per ignem tranſit. Veſtígia ejus ſecútus eſt pes meus, * Viam ejus cuſtodívi, & non declinávi ex ea. ℣. Ad cognoſcéndum Chriſtum, & ſocietátem paſſiónum illíus, configurátus morti ejus. * Viam ejus. Glória. * Viam. *Job.* 23. 10. 11. *Philip.* 3. 10.

℣. In Deo ſperávi, ℟. Non timebo quid fáciat mihi homo. *Pſ.* 55. 11.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Si consíſtant advérsum me caſtra, * Non timébit cor meum. Si consíſtant. ℣. Si exúrgat advérsum me prælium. * Non timebit. Gloria. Si. *Pſ.* 26. 3.

℣. Dóminus illuminátio mea, & ſalus mea, ℟. Quem timébo? *Pſ.* 26. 1.

Oratio ut in Laudibus.

A D S E X T A M.

Capitulum. Apoc. 3. 5.

QUi vícerit, veſtiétur veſtiméntis albis, & confitébor nomen ejus corā Patre meo & coram Angelis ejus.

℟. *br.* Super ſalutáre tuum, Dómine, * Exultábit veheménter. Super. ℣. Deſidériū cordis ejus tribuíſti ei. *

Exultábit. Glória. Super. *Pſ.* 20. 2. 3.

℣. Lætificábis eum in gaúdio, ℟. Cum vultu tuo. *Pſ.* 20. 7.

AD NONAM.

Capitulum. Rom. 8. 18.

FRatres, Exíſtimo quòd non ſunt condígnæ paſſiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis.

℟. *br.* Magna eſt glória ejus * In ſalutári tuo. Magna. ℣. Gloriam & magnum decórē impónes ſuper eum.* In ſalutári. Glória. Magna. *Pſ.* 20. 6.

℣. Dabis eum in benedictiónem, ℟. In ſæculum ſæculi. *Pſ.* 20. 7.

AD II. VESPERAS.

Vincit & coronatur Martyr.

Ant. t. 8. *G.* PRopter opus Chriſti uſque ad mortem accéſſit, tradens ánimā ſuam. *Philip.* 2. 30.

Ant. t. 7. *C.* Divítias æſtimans impropérium Chriſti, aſpiciébat in remuneratiónem *Hebr.* 11. 26.

Ant. t. 3. *e.* Expectábat fundaménta habéntem civitátem, cujus ártifex & cónditor Deus. *Hebr.* 11. 10.

Ant. t. 5. *f.* Deus juſtum oppréſſum à nefandórum injúria erípuit. 2. *Petr.* 2. 7.

Ant. t. 6. *F.* Data eſt ei coróna, & exívit vincens ut vinceret. *Apoc.* 6. 2.

Capitulum. Jacob. 1. 12.

BEatus vir, qui ſuffert tentatiónem: quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromíſit Deus diligētibus ſe.

HYMNUS. *ex Sant. Vict.*

EX quo, ſalus mortálium,
Fluxit ſacer Dei cruor;
Homo redémptus æmulum
Deo litávit sánguinem.

Non jam crucis Chriſti pudet:
Quin ſurgit ingens glória
Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.

Hoc iſte plenus ſpíritu
Ridet minas, ridet neces;
Tuâque fretus dexterâ,
Tibi, Redémptor, mílitat.

Paráta ſpectans præmia,
Secúrus ad pœnam volat:
Sic pugnat, ut ſperet mori,
Et morte mortem víncere.

Unus tot armátas manus
Stupénte laſſat júdice;
Et tortus ipſis qui cadit
Torquéntibus fit fórtior.

Da, Chriſte, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia;
Da ſuſtinére pro tuo,
Quodcúmque durū, nómine.

Æterne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus
Tibi, Deus ſit glória. Amen.

℣. Poſuiſti, Dómine, in cápite ejus corónam, ℟. De lápide pretióſo. *Pſ.* 20. 4.

Ad Magn. Ant. t. 1. *D.* Bonum certámen certávi, curſum conſummávi, fidem ſervávi. In réliquo repóſita eſt mihi coróna juſtítiæ. 2. *Timoth.* 4. 7. 8.

Oratio ut ſuprà ad Laudes, niſi ſit propria.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

IN I. VESPERIS.

Tribulatione, electorum ſuorum virtutem probat Dominus.

Ant. t. 1. D. PRobat hómines juſtos tentátio tribulatiónis. *Eccli.* 27. 6.

Ant. t. 3. A. Quaſi holocaúſti hóſtiam accépit illos Deus, & in témpore erit reſpéctus illórum. *Sap.* 3. 6.

Ant. t. 2. D. In paucis vexáti, in multis bene diſponéntur, quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos ſe. *Sap.* 3. 5.

Ant. t. 1. f. Etſi coram homínibus torménta paſſi ſunt, ſpes illórum immortalitáte plena eſt. *Sap.* 3. 4.

Ant. t. 7. D. Ruent in gladio, & in flamma, & in captivitáte, ut conflétur, & dealbéntur uſque ad tempus præfinítum. *Dan.* 11. 33. 35.

Capitulum. Iſ. 51. 7. 8.

NOlíte timére oppróbrium hóminum, & blaſphémias eórum ne metuátis: ſicut enim veſtiméntum, ſic cómedet eos vermis: Salus autem mea in ſempitérnum erit.

In Duplic. ℟. Nunc séquimur te, Dómine, in toto corde, & timémus te; ne confúndas nos: & * Erue nos in mirabílibus tuis; & da gloriã nómini tuo: & confundántur omnes qui oſténdunt ſervis tuis mala.

℣. Datum eſt béſtiæ bellũ fácere cum ſanctis. * Erue nos. Glória. * Erue nos. *Dan.* 3. 41. 42. 43. 44. *Apoc.* 13. 7.

HYMNUS.

CHriſti quis mémoret
prælia mílitum?
Palmis illa nitet turba viréntibus,
Victorúmque gerit præmia nóbiles
Multo sánguine laúreas.
Aptántur manicæ, vérbera, cómpedes:
Illi ſupplícium delícias putant;
Subdunt ſe gládiis; & súperat fides
Armis fórtior ómnibus.
Qui vincéndo cadunt, aſpice mílites,
Non indígna, Deus, númine múnera;
Quot proſtrata jacent córpora Mártyrum,
Hæc ſunt tot tibi víctimæ.
Et vos quæ, púgiles, glória múnerat,
Cùm veſtros cíneres plebs colit óſculis?
Ultor nempe Deus penſat honóribus
Summis oppróbriũ necis.
Tortóri nócuit, prófuit & furor
Victis, queis títulos, nomen & áddidit;
Quos delére cupit, cónſecrat ínſcius
Fuſo sánguine Mártyres.

Vincéndi genus hoc Martyribus novum:
Victis eſt ſua laus, eſt ſua glória;
Victi dum cáditis, fúneris è ſinu
Victâ morte resúrgitis.
Sit laus ſumma Patri, ſummaque Filio;
Sit par, ſancte, tibi glória, Spíritus,
Per quem magnánimi prælia ſúſtinent
Contémptâ nece Mártyres. Amen.

℣. Cuſtodit Dóminus ánimas Sanctórum ſuórum, ℟. De manu peccatoris liberábit eos. *Pſ.* 96. 10.

Ad Magn. *Ant. t.* 6. *f.* Agnóſcent qui derelicti ſunt, quoniam glória magna eſt ſequi Dominum. *Eccli.* 23. 37. 38.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Dominum legítimè certántes coronántem, * Venite, adorémus. 2. *Timoth.* 2. 5.

IN I. NOCTURNO.

A Martyribus rogatur, & à Deo promittitur auxilium in tribulatione.

Ant. t. 5. *F.* Convenérunt advérsùm nos, ut nos diſpérdant. Quómodo potérimus ſubsíſtere, niſi tu, Deus, ádjuves nos? 1. *Mach.* 3. 52. 53.

Ant. t. 8. *C.* Qui oſténdunt ſervis tuis mala, confundantur in omnipotentia tua; & ſciant quia tu es Dóminus Deus ſolus. *Dan.* 3. 44. 45.

Ant. t. 1. *A.* Dómine, réſpice ad noſtram humilitátem, & fáciem ſanctórum tuórum attĕnde, & oſténde quoniam non derelinquis præſuméntes de te. *Judith.* 6. 15.

℣. Da nobis auxílium de tribulatióne; ℟. Quia vana ſalus hóminis. *Pſ.* 59. 13.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. 1. Dóminus Deus veſter in medio veſtrî eſt, * Et pro vobis contra adverſários dimicabit, ut eruat vos de periculo.

℣. Quóniam eſtis filii, miſit Deus ſpíritum Filii ſui in corda veſtra. * Et pro vobis. *Deuter.* 20. 4. *Gal.* 4. 6.

℟. 2. Æmulatóres eſtote legis, & date ánimas veſtras pro teſtaménto patrum veſtrórum. Et * Cogitate quia omnes qui ſperant in Dominum, non infirmantur. ℣. Fidelis eſt Deus, qui confirmábit vos, & cuſtódiet à malo. * Cogitate, 1. *Mach.* 2. 50. 61. 2. *Theſſ.* 3. 3.

℟. 3. Mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitatem. * Et † Spiritũ vobis íterũ cum miſericórdia reddet & vitam, ſicut vosmetípsos deſpicitis propter leges ejus. ℣. Non injúſtus Deus ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendíſtis in nomine ipsius.* Et ſpíritum. Gloria. † Spiri-

tum. 2. *Mach.* 7. 23. *Hebr.* 6. 10.

IN II. NOCTURNO.

Pugnæ firmo ſe animo devovent Martyres.

Ant. t. 6. *f.* Propítius ſit nobis Deus: non eſt nobis útile relínquere legem & juſtítias Dei, ut eamus álterâ viâ. 1. *Mach.* 2. 21. 22.

Ant. t. 3. *a.* Paráti ſumus mori, magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. 2. *Mach.* 7. 2.

Ant. t. 7. *a.* Moriámur omnes in ſimplicitáte noſtra: & teſtes erunt ſuper nos cœlum & terra, quòd injúſtè pérditis nos. 1. *Mach.* 2. 37.

℣. Non diſcédimus à te, vivificábis nos; ℟. Et nomen tuū invocabimus. *Pſ.* 79. 19.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 4. Abſit à nobis ut relinquamus Dóminum, & ſerviámus diis alienis: * Dómino Deo noſtro ſerviémus, & obedientes érimus præcéptis ejus. ℣. Quis nos ſeparabit à charitáte Chriſti? Tribulatio? An angúſtia? An fames? An perſecútio? An gládius? neque mors, neque vita póterit nos ſeparáre à charitáte Dei. * Dómino. *Joſue.* 24. 16. 24. *Rom.* 8. 35. 38. 39.

℟. 5. Dóminus Deus aſpíciet veritátem, & conſolábitur in nobis: * Pótius eſt ab homínibus morti datos ſpem expectáre à Deo, íterùm ab ipſo reſuſcitandos. ℣. Deus omnis grátiæ qui vocávit nos in ætérnam ſuam glóriam, módicùm paſſos ipſe perfíciet. * Pótius eſt. 2. *Mach.* 7. 6. 14. 1. *Petr.* 5. 10.

℟. 6. Nos ergo non ulciſcámur nos pro his quæ pátimur, ſed * Reputántes hæc ipſa ſupplícia eſſe flagélla Dómini, quibus quaſi ſervi corrípimur, ad emendatiónem, & non ad perditiónem noſtram, evenìſſe credámus. ℣. Ecce beatificámus eos qui ſuſtinuérunt; quóniam miséricors Dóminus eſt. * Reputántes. Glória. * Reputántes. *Judith.* 8. 26. 27. *Jacob.* 5. 11.

IN III. NOCTURNO.

Martyrum in doloribus & in morte fortitudo.

Ant. t. 2. *D*, Convaluérunt ánimis; non ſolùm hómines, ſed & béſtias ferocíſſimas, & muros férreos paráti penetráre. 2. *Mach.* 11. 9.

Ant. t. 8. *G.* Ibant prompti, de cœlo habéntes adjutórem, & miſerántem ſuper eos Dóminum. 2. *Mach.* 11. 10.

Ant. t. 6. *f.* Placuérunt Deo, per multas tribulatiónes tranſiérunt fidéles. *Judith.* 8. 23.

℣. Multæ tribulatiónes juſtórum; ℟. Et de ómnibus his liberábit eos Dóminus. *Pſ.* 33. 20.

Evang. & Lectiones, ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Dedíſti nos tamquam oves eſcárum: poſuíſti nos oppróbrium, ſubſannatiónē,

& deríſum his, qui ſunt in circúitu noſtro. Hæc ómnia venérunt ſuper nos, * Nec obliti ſumus te. ℣. Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificámur totâ die: æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis.* Nec obliti. *Pſ.* 43. 12. 14. 18. *Rom.* 8. 36.

℞. 8. Benedíctus Deus eórum; éruit ſervos ſuos qui credidérunt in eum: * Et tradidérunt córpora ſua ne adorárent omnem deum, excépto Deo ſuo. ℣. Ludíbria, & vérbera expérti ſunt, ínſuper & víncula, & cárceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládii mórtui ſunt. * Et tradidérunt. *Dan.* 3. 95. *Hebr.* 11. 36. 37.

℞. 9. Ecce bellum advérsùs ſanctos, donec venit antíquus diérum, & judícium dedit ſanctis Excélſi, * Et. † Regnū obtinuérunt ſancti. ℣. Per fidem vicérunt regna, operáti ſunt juſtitiam, adépti ſunt repromiſſiónes. * Et regnū. Glória. Regnum. † *Dan.* 7. 21. 22. *Hebr.* 11. 33.

AD LAUDES.

Poſt paſſionem & victoriam Martyribus gratulatur Eccleſia.

℣. *Sacerd.* Clamavérunt juſti, & Dominus exaudívit eos: ℞. Ex omnibus tribulatiónibus eórum liberavit eos. *Pſ.* 33. 18.

Ant, t. 1. *F.* QUi ſpontè obtuliſtis ánimas veſtras ad perículum, benedícite Dómino. *Judic.* 5. 2.

Ant. t. 8. *G.* Vobis donátum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credátis, ſed ut étiam pro illo patiámini. *Philip.* 1. 29.

Ant. t. 3. *A.* Magnum certámen ſuſtinuíſtis paſſiónum, oppróbriis, & tribulatiónibus ſpectaculum facti. *Hebr.* 10. 32. 33.

Ant. t. 5. *A.* Exultábitis lætítiâ inenarrábili, & glorificátâ, reportántes finem fídei veſtræ, ſalutem animárum. 1. *Petr.* 1. 8. 9.

Ant. t. 6. *f.* In vobis gloriámur in Eccleſiis Dei pro patiéntia veſtra, & fide in ómnibus perſecutiónibus veſtris. 2. *Theſ.* 1. 4.

Capitulum. Jac. 1. 2. 3. 4.

OMne gaudium exiſtimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis: ſciéntes quòd probátio fídei veſtræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet.

℣. In te, Domine, ſperavérunt, ℞. Et liberáſti eos. *Iſ.* 21. 5.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Sicut ſocii paſſiónum eſtis, ſic eritis & conſolatiónis. 2. *Cor.* 1. 7.

Oratio ſi ſint Pontifices.

DEus, cujus grátiâ ſancti Mártyres, & Pontífices N. & N. mundi nec blandítiis, nec terróribus devicti ſunt: da nobis, ut te ſolum diligéntes, próſperis mundi, vel advérſis non vincámur;

cámur; Per Dóminum, &c.

Alia Oratio.

BEatórum Mártyrū tuórum & Pontíficum N. & N. nos quæſumus, Dómine, feſta tueántur, & eórum commendet orátio veneránda; Per, &c.

Oratio pro Martyribus tantùm.

EXaúdi, Dómine, Mártyrum tuórum N. & N. victórias celebrántes, ut, córdibus ex eórum paſſióne ſuccénſis, in lege tua fidéliter ambulémus; Per, &c.

Alia Oratio.

MArtyris tui N. & ſociórum ſolémnia recenſéntes, ſúpplices te, Dómine, deprecamur; ut in tua charitáte radicáti, & fundáti, paſſiónes hujus témporis amóre illíus glóriæ, quæ revelánda eſt in nobis, voléntí & invícto ánimo ſuſtineámus; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Petr.* 4. 14.

SI exprobrámini in nómine Chriſti, beáti éritis: quóniam quod eſt honóris, glóriæ & virtútis Dei, & qui eſt ejus ſpíritus, ſuper vos requiéſcit.

In Dupl. ℟. Juſti decantavérunt, Dómine, nomen ſanctum tuum, * Et Victrícem manum tuam laudavérunt páriter. ℣. In multo experiménto tribulatiónis, abundántia gaúdii ipsórum fuit. Et victrícem. Glória. * Victricē. *Sap.* 10. 20. 2. *Cor.* 8. 2.

℣. Vox exultatiónis & ſalútis, ℟. In tabernáculis juſtórum. *Pſ.* 117. 15.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Exúltent juſti * In conſpéctu Dei: Exúltent. ℣. Et delecténtur in lætitia.* In conſpéctu Dei. Gloria. Exúltent. *Pſ.* 67. 4.

℣. Próteges eos, Dómine, ℟. In tabernáculo tuo. *Pſ.* 30. 21.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Apoc.* 21. 4.

ABſtérget Deus omnem lácrymā ab óculis ſanctórum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra; quia prima abiérunt.

℟. *br.* Ad te clamavérunt, * Et ſalvi facti ſunt: Ad te. ℣. In te ſperavérunt, & non ſunt confúſi, * Et ſalvi. Glória. Ad te. *Pſ.* 21. 6.

℣. In ætérnum exultabunt: ℟. Et habitábis in eis. *Pſ.* 5. 12.

AD NONAM.

Capitulum. *Apoc.* 22. 14.

BEáti qui lavant ſtolas ſuas in ſánguine Agni: ut ſit potéſtas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátem.

℟. *br.* Lætáti ſumus pro diébus, * Quibus nos humiliáſti. Lætáti. ℣. Annis, quibus vídimus mala. * Quibus. Glória. Lætati. *Pſ.* 89. 15.

℣. Transívimus per ignem & aquam: ℟. Et eduxíſti nos in refrigérium. *Pſ.* 65. 12.

AD II. VESPERAS.

Martyrii gloria: & Martyrum merces.

Ant. t. 1. A. HI ſunt, qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt ſtolas ſuas in sánguine Agni. *Apoc.* 7. 14.

Ant. t. 5. *F.* Ipſi vicérunt, & non dilexérunt ánimas ſuas uſque ad mortem: proptérea lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. *Apoc.* 12. 11. 12.

Ant. t. 4. *E.* Datæ ſunt illis ſíngulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis ut requiéſcerent. *Apoc.* 6. 11.

Ant. t. 3. *A.* Módico nunc dolóre ſuſtentáto, ſub teſtaménto ætérnæ vitæ effécti ſunt. 2. *Mach.* 7. 36.

Ant. t. 7. *D.* Lætabúntur coram te, Dómine, ſicut qui lætántur in meſſe, ſicut exúltant victóres captâ prædâ. *Iſ.* 9. 3.

Capitulum. 2. *Cor.* 4. 17.

ID quod in præsénti eſt momentáneum & leve tribulatiónis noſtræ, ſupra modum in ſublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis.

HYMNUS *ex Sanct. Vict.*

QUam, Chriſte, ſignáſti viam,
Primus, profúſo sánguine,
Per hanc tui te fórtiter
Ducem ſequúntur mílites.

Foſſus manus, foſſus pedes,
Ovans ad aſtra cónvolas,
Et membra trunci, Mártyres
Addunt triúmpho ſe tuo.

Omnes in oſtro ſpléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt:
Accépta monſtrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.

Audíre, ſi nos réſpuis,
Quos críminum moles gravat:
Audi tuos, qui sánguinem
Fudére pro te, Mártyres.

Fac, ſi tyránnus déficit,
Ne blandiéndo mólliùs
Frangat volúptas péctora
Ipſis tyránnis ſævior.

Æterne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri
Et par utríque, Spíritus
Tibi, Deus, ſit gloria.
Amen.

℣. Confitebúntur nómini tuo, Dómine: ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Pſ.* 139. 14.

Ad Magnific. *Ant. t.* 5. *F.* Ecce quómodo computati ſunt inter fílios Dei, & inter ſanctos ſors illórum eſt. *Sap.* 5. 5.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS CONF. CHRISTI.

(*Qui ſcilicet coram Tyranno paſſus, in pace tamen obiit.*)
Omnia de Communi, ſecundùm dignitátem Sancti, exceptis quæ notantur infrà.

AD I. VESPERAS.

HYMNUS.

ECquis magnánimus ſe
pugil éxhibet?
Fit verbum gládius, fit
clypeus fides;
Athletámque Dei præparat ardua
Ad certámina véritas.
Reges ante feros impávidus
volat',
Teſtatúrque fidem, nil métuit mori,
Os, virésque, ſui pollíciti
memor,
Præſens ſuppéditat Deus.
Fruſtrà barbáries explícuit
cruces;
Nil torménta movent: ore
ſerénior,
Et fidens ánimi, promptus ad ómnia
Pœnas inter ovat ſuas.
Perpéſſis tua jam ſat cruciátibus
Commendáta fides: ſúſcipit hoſtiam,
Ceu mactáta foret, Chriſtus, & ímpias
Tortórum cóhibet manus.
Oſténtas lácero córpore vúlnera,
Tamquam pulchra tuæ
ſtemmata glóriæ·
Aptatúrque ſacro, digna
laboribus
Merces, laúrea vértici.
Patri máxima laus, máxima Fílio
Sit par, ſancte, tibi laus
quoque, Spíritus;
Fac mentes répleat lúmine
véritas,
Urat pectora cháritas.
Amen.

℣. Dóminus mihi adjútor;
℟. Et ego deſpíciam inimícos meos. *Pſ.* 117. 7.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Dómine, protéctor factus es mihi, & liberáſti corpus meum à perditióne, & in conſpéctu aſtántium factus es mihi adjútor. *Eccli.* 51. 2. 3.

Oratio.

DEus, pro cujus nómine beátus N. Conféſſor tuus (& Póntifex) paſſiónes invíctâ fide ſuſtínuit; da nobis ejus exémplo magis elígere afflígi in hoc ſæculo, quàm temporális peccáti habére jucunditátem; Per, &c.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Deum patiéntiæ & ſolátii * Veníte, adorémus. *Rom.* 15. 5.

Reliqua ut in Officio ſecundùm dignitatem Sancti.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd. Ant. & Capitulum ut in Communi pro dignitate Sancti.*

℣. Propter verba labio-

rum tuórum, ℟. Ego cuſtodívi vias duras. *Pſ.* 16. 4.

Ad Benedic. *Ant. t.* 8. *G.* Qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. *Matth.* 10. 32.

Oratio ut ſuprà.

AD II. VESPERAS.

HYMNUS.

CONféctor ictus ſi tibi
deficit,
Nil inde laudi detrâhitur
tuæ:
Mortem volúntas antevértit
Martyrium facit hæc volúntas.
O ter beátos! dura quibus
pati
Pro Chriſtiáno nómine
cóntigit;
Sunt nempe truncis iſta
membris
Eméritæ monuménta
palmæ.
Sunt & futúri pígnora præmii:
Diláta merces mox redit
aúctior;
Sic, Chriſte, vis nos ire
cœlo:
Matéries datur hæc
triúmphis.
Fac ſimus, & nos nómine
pro tuo
Semper paráti fúndere
sánguinem:
Quam corde toto veritátem
Crédimus, hanc fateámur ore.
Sit laus Parénti, ſit quoque
Filio,
Tíbique ſit par glória,
Spíritus
Trinúmque dum vox confitetur,
Vera fides venerétur
unum.
Amen.

℣. Paulò minùs conſummavérunt me in terra:
℟. Ego autem non derelíqui mandáta tua. *Pſ.* 118. 87.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *A.* Apprehénde vitam ætérnam, in qua vocátus es, confeſſus bonam confeſſiónem coram multis téſtibus. 1. *Tim.* 6. 12.

COMMUNE UNIUS PONTIFICIS.

AD I. VESPERAS.

In Pontificis electione conſilia Domini.

Ant. t. 3. *a.* QUæsívit Dóminus ſibi virum juxta cor ſuum; & præcépit ei ut eſſet dux ſuper pópulum ſuum. 1. *Reg.* 13. 14.

Ant. t. 8. *G.* Ipſum elégit Dóminus Deus, ut ſtet, & miníſtret nómini Dómini. *Deut.* 18. 5.

Ant. t. 1. *D.* Geſtábit judícium filiórum Iſrael in péctore ſuo, in conſpéctu Dómini ſemper. *Exod.* 28. 30.

Ant. t. 5. *F.* Erit ipſi pactum ſacerdótii ſempitérnū, quia zelátus eſt pro Deo ſuo. *Num.* 25. 13.

Ant. t. 1. *F.* Quemcúmque elégerit Dominus, ipſe erit ſanctus. *Num.* 16. 7.

Capitulum. 1. *Reg.* 2. 35.

SUſcitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet: & ædificábo ei domum fidélem, & ambulábit coram Chriſto meo cunctis diébus.

℟. *In Duplic.* Locútus es ſanctis tuis, Dómine, & dixíſti: Invéni ſervum meum: * Oleo ſancto meo unxi eum: † Manus mea auxiliábitur ei. ℣. Huic Deus teſtimónium pérhibens dixit: Invéni virum ſecúndùm cor meum. * Oleo. Glória. † Manus. *Pſ.* 88. 20. 21. 22. *Act.* 13. 22.

HYMNUS *Ex Guill. Ep. Santon.*

CHriſte, Paſtórum caput atque princeps,
Præſulis Feſtam veneráta lucem,
Débitis ſupplex tua templa votis
Turba frequéntat.

Ille non vano ténuit treméndam
Spíritu ſedem, próprio nec auſu:
Sed ſacrum juſſus, Dómino vocánte,
Sumpſit honórem.

Strénuum bello púgilem ſupérni
Chríſmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu; poſuítque ſanctam
Páſcere gentem.

Fit gregis paſtor, pater atque forma
Lætus impéndit ſua, ſeque; ſervus
Omnium, curis gravis, omnibúſque
Omnia factus.

Pro reis orat, réficit geméntes,
Erigit lapſos, tenebráſque pellit,
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hoſtem.

Fac ut illíus précibus juvémur,
Chriſte, fac Patrem, paritérque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

℣. Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Pſ.* 64. 5.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *D.* Ipſum elégit Dóminus ab omni vivénte, offérre ſacrifícium Deo, incénſum, & bonum odórem pro pópulo ſuo. *Eccl.* 45. 20.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Chriſtum Paſtórum príncipem; * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5. 4.

IN I. NOCTURNO.

Non niſi vocatus, ſibi ſumit honorem, Pontifex.

Ant. t. 2. *D.* Vocávit eum Dóminus, & ait ei: Vidi afflictiónem pópuli mei: veni, & mittam te, ut edúcas

pópulũ meũ. *Ex.* 3. 4. 7. 10.

Ant. t. 8. *G.* Vade in hac fortitúdine tua, & liberabis Iſraël: ſcito quòd miſerim te. *Judic.* 6. 14.

Ant. t. 3. *a.* Perge ígitur: tu eris in his quæ ad Deum pértinent. *Exod.* 4. 12. 16.

℣. Elégit Dominus ſervum ſuum, ℟. Páſcere hæreditátem ſuam. *Pſ.* 77. 70. 71.

Lectiones ex Scriptura occur.

℟. 1. Elégi eum ex ómnibus mihi in ſacerdótem * Ut aſcénderet ad altáre meũ, & adoleret mihi incénſum, & miniſtráret in conſpéctu meo. ℣. Nec quiſquam ſumit ſibi honórem, ſed qui vocátur à Deo tamquàm Aáron: * Ut aſcénderet. 1. *Reg.* 2. 28. 30. *Hebr.* 5. 4.

℟. 2. Speculatórem dedi te dómui Iſraël: * Audiens ergo ex ore meo ſermonem, annuntiábis eis ex me: ℣. Deus præordinávit te, ut cognóſceres voluntátem ejus, & audires vocem ex ore ejus: quia eris teſtis illíus ad omnes hómines eorum quæ audíſti. * Audiens. *Ezech.* 33. 7. *Act.* 22. 14. 15.

℟. 3. Cum párvulus eſſes in oculis tuis, caput in tríbubus Iſraël factus es. * Unxit te Dóminus ſuper Iſraël, & miſit te. ℣. Qui vocávit vocatióne ſuâ ſanctâ, ſecúndũ propóſitum ſuum, & grátiam. * Unxit. 1. *Reg.* 15. 17. 18. 2. *Tim.* 1. 9.

IN II. NOCTURNO.

Vocationi ſuæ fidelis, paſcit oves verbo & exemplo.

Ant. t. 2. *d.* In omni ópere dedit confeſſiónem Sancto, & Excélſo in verbo glóriæ. *Eccli.* 47. 9.

Ant. t. 7. *D.* In fide ſua probátus eſt Prophéta, & cógnitus eſt in verbis ſuis fidélis. *Eccli.* 46. 17. 18.

Ant. t. 1. *A.* Juſtítiam & fidem conſervávit genti ſuæ, & exquisívit omni modo exaltare pópulum ſuum. 1. *Mach.* 14. 35.

℣. Véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo: ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Pſ.* 88. 25.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 4. Unxit illum óleo ſancto: * Et dedit illi Dominus in præcéptis ſuis poteſtátem, docére Jacob teſtimónia, & in lege ſua lucem dare Iſraël; ℣. Hic erat edóctus viã Dómini, & fervens ſpíritu loquebatur. * Et dedit. *Eccli.* 45. 18. 21. *Act.* 18. 25.

℟. 5. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timórem, & tímuit me: à facie nóminis mei pavébat. * Lex veritátis fuit in ore ejus. ℣. Fidélis erat in tota domo Dei, in teſtimónium eórum quæ dicenda erant. * Lex. *Malach.* 2. 5. 6. *Hebr.* 3. 5.

℟. 6. Iníquitas non eſt invénta in lábiis ejus: in pace & in æquitáte ambulávit, * Et † Multos avertit ab iniquitate. ℣. Hortabátur

omnes in propóſito cordis permanére in Domino; quia erat vir bonus, & plenus Spíritu ſancto. * Et multos. Glória. ✝ Multos. *Malach.* 2. 6. *Act.* 11. 23. 24.

IN III. NOCTURNO.

Pontificis pro ovibus labóres.

Ant. t. 6. f. Paſcébat ſervus tuus gregem, & veniébat leo, & eruébam, perſequébar, & percutiébam. 1. *Reg.* 17. 34. 35.

Ant. t. 8. *C.* Die noctúque æſtu urébar, & gelu, fugiebátque ſomnus ab óculis meis. *Gen.* 31. 40.

Ant. t. 2. *D.* Sic in domo tua ſervívi tibi, pro grégibus tuis. *Gen.* 31. 41.

℣. Exítus aquárum deduxérunt óculi mei: ℟. Tabéſcere me fecit zelus meus. *Pſ.* 118. 136. 139.

Evang. & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Super ſpéculam Dómini ego ſum, ſtans júgiter per diem; * Et ſuper cuſtódiam meam ego ſum, ſtans totis nóctibus. ℣. Nocte & die non ceſſávi, cum lácrymis monens unumquémque. * Et ſuper. *Iſ.* 21. 8. *Act.* 20. 31.

℟. 8. Abſit à me hoc peccátum in Dóminum, ut ceſſem oráre pro vobis, * Et docébo vos viam bonam & rectam. ℣. Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Libentíſſimè impéndam, & ſuperimpéndar ipſe pro animbus veſtris. * Et docébo. 1. *Reg.* 12. 23. 2. *Cor.* 12. 14. 15.

℟. 9. Factus ſum infírmis infírmus: ómnibus ómnia factus ſum, ut omnes fácerem ſalvos. * Omnia fácio propter Evangélium; ut párticeps ejus efficiar. ℣. Zelátus ſum bonum: proptérea bonam poſſidébo poſſeſſiónem. * Omnia. Glória. * Omnia. 1. *Cor.* 9. 22. 23. *Eccli.* 51. 24. 29.

AD LAUDES.

Quanti ex ejus zelo & labóribus fructus.

℣. *Sacer.* Juſtítia ejus manet in ſæculū ſæculi, ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Pſ.* 111. 9.

Ant. t. 7. *D.* SAcérdos magnus in vita ſua ſuffúlſit domum, & in diébus ſuis corroborávit templum. *Eccli.* 50. 1.

Ant. t. 2. *d.* Curávit gentem ſuam, & liberávit eam à perditióne. *Eccli.* 50. 4.

Ant. t. 5. *A.* Invéntus eſt perféctus, juſtus, & in témpore iracúndiæ factus eſt reconciliátio. *Eccli.* 44. 17.

Ant. t. 8. *G.* Zelándo zelum Dei, accépit teſtaméntum ſacerdótii ætérni. 1. *Mach.* 2. 54.

Ant. t. 6. *f.* Hic eſt fratrū amátor, & pópuli Iſrael: hic eſt qui multùm orat pro pópulo. 2. *Mach.* 15. 14.

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 12.

GRátias ago ei, qui me confortávit, Chriſto Jeſu Dómino noſtro; quia fi-

délem me exiſtimávit, ponens in miniſtério.

℣. Conſtítuit eum dóminum domûs ſuæ; ℟. Et príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ. *Pſ.* 104. 21.

Ad Bened. *Ant.* *t.* 1. *D.* Ipſe eſt diréctus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis; & in diébus peccatórum corroborávit pietátem. *Eccli.* 49. 3. 4.

Oratio.

EXaúdi, quæſumus, Dómine, preces noſtras, quas in beáti N. Pontíficis feſtivitáte deférimus: & ejus, qui tibi dignè méruit famulári, intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis; Per, &c.

Alia Oratio.

OMnípotens Deus, qui beátum N. Antíſtitem pópulo tuo præéſſe, & quibus præerat verbo & exémplo prodéſſe voluíſti, eódem intercedénte Paſtóres Eccléſiæ tuæ cum grégibus ſibi commiſſis dírige in viam ſalútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, & totâ virtúte perfíciant; Per, &c.

Alia Oratio.

DA Eccléſiæ tuæ, miséricors Deus, ut mérita ſancti Epíſcopi N. pietátem tuam pro ipſa ſemper exórent, & fructum in nobis labórum ejus cuſtódiant; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. Act. 20. 18. 19. 20.

VOs ſcitis, quáliter vobíſcum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino, cum omni humilitáte, & lácrymis: quómodo nihil ſubtráxerim utílium, quóminùs annuntiárem vobis, & docérem vos públicè, & per domos.

℟. *In Dupl.* In bonitáte & alacritáte ánimæ ſuæ * Plácuit Deo pro Iſrael: ídeò ſtátuit illi teſtaméntū pacis, príncipem ſanctórū & gentis ſuæ, ut ſit illi ſacerdótii dígnitas in ætérnum. ℣. Exémplum fidélium in verbo, in converſatióne, in charitáte, in fide. * Plácuit. Glória. * Plácuit. *Eccli.* 45. 29. 30. 1. *Tim.* 4. 12.

℣. Dedúxit eos in viam rectam; ℟. Ut irent in civitátē habitatiónis. *Pſ.* 106. 7.

In Semid. ℟. *br.* Deduxit eos * In viam rectam. Dedúxit. ℣. Ut irent in civitátem habitatiónis. * In viam. Glória. Dedúxit *Pſ.* 106. 7.

℣. Abſtúlit ſicut oves pópulum ſuum: ℟. Et dedúxit eos in ſpe. *Pſ.* 77. 52. 53.

AD SEXTAM.

Capitulum Act. 20. 26. 27.

COntéſtor vos, quia mundus ſum à ſánguine ómnium. Non enim ſubterfúgi, quóminùs annuntiárem omne consílium Dei vobis.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntia cordis ſui. Pavit

℣. Et in intellectibus mánuum ſuárum dedúxit eos. * In innocentia. Glória. Pavit. *Pſ.* 77. 72.

℣. Edúxit eos de ténebris. ℟. Suſcépit eos de via iniquitátis eórum. *Pſ.* 106. 14. 17.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 20. 31. 32.

NOcte & die non ceſſávi, cum lácrymis monens unumquémque veſtrũ. Et nunc comméndo vos Deo, & verbo grátiæ ipsíus, qui potens eſt ædificáre, & dare hæreditátem in ſanctificátis ómnibus.

℟. *br.* Salvum fecit Dóminus * Chriſtum ſuum. Salvum. ℣. Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo. * Chriſtum. Glória. Salvum. *Pſ.* 19. 7.

℣. Memor ſit Dóminus omnis ſacrifícii tui. ℟. Impleat omnes petitiónes tuas. *Pſ.* 19. 4. 7.

AD II. VESPERAS.

In cœlis coronatur Pontifex: & memoria ejus in benedictione eſt in terris.

Ant. t. 3. *a.* FIdélis ſervus & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam. *Math.* 24. 45.

Ant. t. 6. *f.* Hic eſt qui fuit in Eccléſia cum pátribus noſtris: qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7. 38.

Ant. t. 5. *A.* Erudítus eſt omni ſapiéntiâ, & erat potens in verbis, & in opéribus ſuis. *Act.* 7. 22.

Ant. t. 7. *D.* Induit eum Dóminus ſtolam glóriæ, & coronávit eum in vaſis virtútis. *Eccli.* 45. 9.

Ant. t. 1. *Irreg.* Euge, ſerve bone & fidélis, intra in gaúdium Dómini tui. *Math.* 25. 21.

Capitulum. 1. *Cor.* 11. 1. 2.

IMitatóres meì eſtóte, ſicut & ego Chriſti. Laudo autem vos, fratres, quòd per ómnia meì mémores eſtis.

HYMNUS. *Guill. Epiſc. Sant.*

JEſu, Sacerdótum decus,
In hac die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præſulem,
Votis adéſto súpplicum.

Sui probátũs præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos ſibi
Accépit agnos páſcere.

Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque páſcua
Victúmque præbet; aúdiunt,
Sequúntur, & vivunt oves.

Quam ſentit errántẽ jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet invéntam ſuo
Portans ovíli réddere.

Arcet freméntes béſtias;
Lupi retúndit ímpetus,
Dolóſque fallit, vel mori
Charo parátus pro grege.

Offert frequéntem víctimã
Pro plebe Paſtor ínnocens,
Secúmque devótum gregem
Pius ſacérdos ímmolat.

Supréme Chriſte Póntifex,
Jugis tibi ſit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Dabis eum in benedic-

tiónem, ℟. In ſæculum ſæculi. *Pſ.* 20. 7.

Ad Magn. *Ant. t.* 5. *F.* Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39. 13.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS DOCTORIS.

AD I. VESPERAS.

Non niſi ex Dei ſapientiâ ſapiens fuit, qui in Eccleſiâ Doctor.

Ant. t. 1. *A.* BEátus vir qui excógitat vias ſapiéntiæ in corde ſuo, vadens poſt illam quaſi inveſtigátor. *Eccli.* 14. 22. 23.

Ant. t. 8. *C.* Aquâ ſapiéntiæ ſalutáris potábit illum, & exaltábit illum apud próximos ſuos. *Eccli.* 15. 3. 4.

Ant. t. 5. *F.* Denudábit Dóminus abſcónſa ſua illi, & theſaurizábit ſuper illum ſciéntiam & intelléctum juſtítiæ. *Eccli.* 4. 21.

Ant. t. 7. *D.* Ipſe tamquam imbres mittet elóquia ſapiéntiæ ſuæ, & in oratióne confitebitur Dómino. *Eccli.* 39. 9.

Ant. t. 6. *f.* Sápiens in pópulo hæreditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37. 29.

Capitulum. Eccli. 4. 28. 29.

NE retíneas verbum in témpore ſalútis. In lingua enim ſapiéntia dignóſcitur: & ſenſus, & ſciéntia, & doctrína in verbo ſensáti.

℟. *In Duplic.* In médio Eccleſiæ apériet os ejus, & * Adimplébit illum Dóminus ſpíritu ſapiéntiæ & intellectûs. ℣. Non in perſuaſibilibus humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in oſtenſióne ſpíritûs & virtútis: * Adimplébit .... Glória. * Adimplébit. *Eccli.* 15. 5. 1. *Cor.* 2. 4.

HYMNUS. *ex Sanct. Vict.*

O Qui perpétuus nos mónitor doces,
Vox ætérna Patris, Chriſte, Vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm bene súppetis!

Hi ſemper vígilant, ne quid adulterum
Corrúmpat fídei virgíneũ decus:
Lædi vel léviter non pátitur fides,
His cuſtódibus íntegra.

Infámes ábolent relliquias deûm:
Erróres ábigunt, crímina dédocent;
Chriſto reſtítuunt, quos malè crédulos
Mendax lúſerat hæreſis.

Patrum canítiem, tot venerábiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides;

Quæ ſunt priſca, docent; quæ nova, ſubruunt:
Servant depóſitum Dei.
Vicíſtis ſtygias, vos quibus hæreſes,
Hæc nos accípimus tela ſupérſtites:
His pugnámus adhuc, nec dúbio éxitu
His armis quoque víncimus.
Sit ſupréma tibi glória, Véritas,
Quæ per ſcripta Patrum, quando foris ſonas,
Nullo vocis egens, corda doces, ſono
Et te méntibus ínſeris. Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine; ℟. Et de lege tua docúeris eum. *Pſ.* 93. 12.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *d.* Collaudábunt multi ſapiéntiam ejus, & uſque in ſæculum non delébitur. *Eccli.* 39. 12.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Fontem ſapiéntiæ, Verbum Dei in excélſis: * Veníte, adorémus. *Ec.* 1. 5. *Pſ.* 94. Veníte. *pag.* 2.

IN I. NOCTURNO.

Per orationem, veram à Deo ſapientiam obtinet Eccleſiæ Doctor.

Ant. t. 7. *D.* Quæsívi ſapiéntiam palàm in oratióne mea; & efflóruit tamquam præcox uva. *Eccli.* 51. 18. 19.

Ant. t. 8. *C.* Dóminus dedit mihi linguam erudítam, ut ſciam ſuſtentáre eum, qui laſſus eſt, verbo. *Iſa.* 50. 4.

Ant. t. 6. *f.* Beátus homo, qui invénit ſapiéntiam: mélior eſt acquisítio ejus negotiatione argénti. *Prov.* 3. 13. 14.

℣. Fac, Dómine, erudítos corde ℟. In ſapiéntia. *Pſ.* 89. 12.

Lectiones de Scriptura occur.

℟. 1. Sápiens cor ſuum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum: apériet os ſuum in oratióne. * Si enim Dóminus magnus volúerit, ſpíritu intelligéntiæ replébit illum. ℣. Si quis veſtrûm índiget ſapiéntiâ, poſtulet à Deo, qui dat ómnibus affluenter.. * Si enim. *Eccli.* 39. 6. 7. 8. *Jacob.* 1. 5.

℟. 2. Optavi, & datus eſt mihi ſenſus; & invocávi, & venit in me ſpíritus ſapiéntiæ: & præpóſui illam regnis & sédibus, * Et divítias nihil eſſe duxi in comparatióne illíus. ℣. Exíſtimo ómnia detriméntum eſſe, propter eminéntem ſciéntiam Jeſu Chriſti. * Et divitias. *Sap.* 7. 7. 8. *Philip.* 3. 8.

℟. 3. Ante templum poſtulábam pro ſapiéntia, & excépi illam. * Danti mihi ſapiéntiam, dabo glóriam. † Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam: & in ipſa laudábo eum. ℣. Ut innotéſcat per Eccléſiā multifórmis ſapiéntia Dei. * Danti mihi. . . Glória. . . † Dedit. . . *Eccli.* 51. 19. 21. 23. 30. *Eph.* 3. 10.

IN II. NOCTURNO.

Cum ſapientia, omnia alia bona evenere Doctori.

Ant. t. 7. *A.* Implévit eum Dóminus Spíritu Dei, & intelligéntiâ, & sciéntiâ, & omni doctrínâ. *Exod.* 35. 31.

Ant. t. 6. *f.* Divítiæ ſalútis ſapiéntia & ſciéntia; timor Dómini ipſe eſt theſaúrus ejus. *Iſ.* 33. 6.

Ant. t. 8. *C.* Perféctio tua, & doctrína tua, Dómine, viro ſancto tuo, quem probáſti. *Deut.* 33. 8.

℣. Bonum mihi lex oris tui, ℟. Super míllia auri & argénti. *Pſ.* 118. 72.

Lectiones ut in Propr. Sanct.

℟. 4. Super ſalútem & ſpéciem diléxi ſapiéntiam, & propóſui pro luce habére illam. * Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa. ℣. Quæ desúrsùm eſt ſapiéntia, pudíca eſt, pacífica, plena miſericórdiâ & frúctibus bonis... * Venérunt... *Sap.* 7. 10. 11. *Jac.* 3. 17.

℟. 5. Sapiéntia ómnium bonórum mater eſt; quam ſine fictióne dídici, & ſine invídia commúnico. * Infinítus enim theſaúrus eſt, quo qui uſi ſunt, partícipes facti ſunt amicítiæ Dei...

℣. Potéſtis legéntes intellígere prudéntiam meam in myſtério Chriſti. * Infinítus. *Sap.* 7. 12. 13. 14. *Epheſ.* 3. 4.

℟. 6. Sapiéntia & fortitúdo Dómini ſunt: ipſe revélat profúnda & abſcóndita. * Tibi, Deus, confíteor, teque laudo; † Quia ſapiéntiam & fortitúdinem dedíſti mihi. ℣. Secúndùm revelatiónem notum mihi factum eſt ſacraméntum, ſicut ſcripſi... * Tibi, Deus... Glória. † Quia... *Dan.* 2. 20. 22. 23. *Epheſ.* 3. 3.

IN III. NOCTURNO.

Plebem docet verbis, & ſcriptis.

Ant. t. 7. *D.* Vir perítus multos erudívit, & ánimæ ſuæ ſuávis eſt. *Eccli.* 37. 22.

Ant. t. 8. *C.* Surréxit quaſi ignis, & verbum ipsíus quaſi fácula ardébat. *Eccli.* 48. 1.

Ant. t. 3. *a.* Poſtquàm ſe ámpliùs dedit ad diligéntiam lectiónis legis, & prophetárum; vóluit & ipſe ſcríbere quæ ad doctrínam & ſapiéntiam pértinent. *Prolog. Eccli.*

℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam, ℟. Et lingua ejus loquétur judíciũ. *Pſ.* 36. 30.

Evang. & Homil. ut in Propr. Sanct.

℟. 7. Cùm eſſet ſapiéntiſſimus, dócuit pópulum. * Quæsívit verba utília, & conſcrípſit ſermónes rectíſſimos, ac veritáte plenos. ℣. Potens exhortári, & eos qui contradícunt, argúere. * Quæsívit... *Eccle.* 12. 9. 10. *Tit.* 1. 9.

℟. 8. Vidit principátum ſuum, quòd in parte ſua Doctor eſſet repóſitus; * Fuit cum princípibus, & fecit juſtítias Dómini, & judícium ſuum cum Iſrael. ℣. Prædicans regnum Dei, & docens

quæ ſunt de Dómino Jeſu.* Fuit. *Deut.* 33. 21. *Act.* 28. 31.

℟. 9. Sciéntia ſapiéntis tamquam inundátio abundábit; & *Consilium illíus ſicut fons vitæ pérmanet. Os prudéntis quæritur in Ecclésiâ, & † Verba illíus cogitábunt in córdibus ſuis. ℣. Scriba doctus in regno cœlórum profert de theſaúro ſuo nova & vétera. *Consílium. Glória... † Verba... *Eccli.* 21. 16. 20. *Matth.* 13. 52.

Te Deum.

AD LAUDES.

De ſapientia Doctori gratulatur Eccleſia.

℣. *Sacerdot.* Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo; ℟. Ut meditárer elóquia tua. *Pſ.* 118. 148.

Ant. t. 3. *a.* ERudítus es in juventúte tua; & implétus es, quaſi flumen, ſapiéntiâ. *Eccli.* 47. 15. 16.

Ant. t. 2. *d.* Sicut érudit fíliū ſuum homo, ſic Dóminus Deus tuus erudívit te. *Deut.* 8. 5.

Ant. t. 7. *D.* Sápiens es, ſicut habet ſapiéntiam Angelus Dei, ut intélligas ómnia. 2. *Reg.* 14. 20.

Ant. t. 1. *A.* Ad ínſulas longè divulgátū eſt nomen tuum; in interpretatiónibus miratæ ſunt terræ. *Eccli.* 47. 17. 18.

Ant. t. 6. *f.* Beáti qui ſtant coram te ſemper, & aúdiunt ſapiéntiā tuam. 3. *Reg.* 10. 8.

Capitulum. Eccli. 24. 46.

DOctrínam quaſi prophetíam effúndam, & relínquam illam quæréntibus ſapiéntiam, & non déſinam in progénies illórum uſque in ævum ſanctum.

℣. Narrábo nomen tuū frátribus meis: ℟. In médio Eccléſiæ laudábo te. *Pſ.* 21. 23.

Ad Benedictus. *Ant. t.* 1. *d.* Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlorum. *Matth.* 5. 19.

Oratio.

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ ſalútis beátum N. miníſtrum tribuíſti: præſta, ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris, interceſſórem habére mereámur in cœlis; Per, &c.

Alia Oratio.

EXcita, Dómine, in Eccléſia tua Spíritum, quo beátus N. ſervívit, tibi, ut eódem nos repléti, ſtudeámus amáre quod amávit, & ópere exercére quod dócuit; Per Dóminum.... in unitáte ejúſdem, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum 2. *Tim.* 3. 14. 15.

TU verò pérmane in iis quæ didicíſti, & crédita ſunt tibi; ſciens à quo didíceris, & quia ab infántia ſacras litteras noſti.

℟. *In Dupl.* Invénti ſunt ſermónes tui, Dómine, & comédi eos * Et † Factum eſt mihi verbum tuum in gaúdium & in lætítiam cordis mei. ℣. Accépi librum,

Nudi, prompti, álacres, líberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles ócius ádvolant;
Ut vaſtum mare tranent
Prudéntes onus éxuunt.

Ætérnas ut opes, cértaque gaúdia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt
Confíſi melióribus.

Illis ſumma fuit glória, déſpici;
Illis divítiæ, paupériem pati;
Illis ſumma volúptas,
Longo ſupplício mori.

Fac nos, ſumme Deus, quæ pátimur mala
In pœnam ſcélerum ferre libéntiùs;
Et, tellúre relíctâ,
Immortália quærere.

Ætérnus ſit honos ingénito Patri,
Sit par unígeno glória Fílio;
Sacri nexus amóris
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.

℣. Abſcóndes eos in abſcóndito faciéi tuæ, ℟. A conturbatióne hóminum. *Pſal.* 30. 21.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *D.* In ſolitúdine ſedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ. *Iſ.* 32. 16. 18.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Jeſum qui ductus eſt in deſértum à ſpíritu, * Veníte, adorémus. *Matth.* 4. 1.

IN I. NOCTURNO.

Deo vocanti obediens, vadit in ſolitudinem.

Ant. t. 8. *C.* Egrédere de cognatióne tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrábo tibi. *Gen.* 12. 1.

Ant. t. 6. f. Surge, ne péreas in ſcélere civitátis: ſalva ánimam tuam: noli reſpícere poſt tergum. *Gen.* 19. 15. 17.

Ant. t. 2. *D.* In partes vade ſæculi ſancti, cum vivis & dántibus confeſſiónem Deo. *Eccli.* 17. 25.

℣. In umbra alárum tuárum ſperábo, ℟. Donec tránſeat iníquitas. *Pſal.* 56. 2.

Lectiones de Scriptura occurr.

℟. 1. Ecce elongávi fúgiens: & * Manſi in ſolitúdine. Expectábam eum qui ſalvum me fecit à puſillanimitáte ſpíritûs, & tempeſtáte: quóniam vidi iniquitátem in civitáte. ℣. Quóniam mundus totus in malígno póſitus eſt. * Manſi. *Pſal.* 54. 8. 9. 10. 1. *Joan.* 5. 19.

℟. 2. Mélior eſt dies una in átriis tuis, Dómine, ſuper míllia: * Elégi abjéctus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum. ℣. Magis eligens afflígi cum pópulo Dei, quàm temporalis peccati habére jucunditátem.

* Elégi. *Pſal.* 83. 11. *Hebr.* 11. 25.

℟. 3. Invénit eum Dóminus in terra deſérta * In loco horróris, & vaſtæ ſolitúdinis; circumdúxit eum, & † Sicut Aquila próvocans ad volándum pullos ſuos & ſuper eos vólitans, expándit alas ſuas, & aſſúmpſit eum. ℣. Juſtum à nefandórum luxurióſa converſatione erípuit : aſpéctu enim & audítu juſtus erat, * In loco.. Glória. † Sicut. *Deut.* 32. 10. 11. 2. *Petr.* 2. 7. 8.

IN II. NOCTURNO.

Perfecta ejus abnegatio.

Ant. t. 8. *G.* Quòd relíqueris paréntes tuos, plenam mercédem recípias à Dómino Deo, ad quem veníſti. *Ruth.* 2. 11. 12.

Ant. t. 7. *a.* Dóminum elegíſti, ut ſit tibi Deus, & ámbules in viis ejus, & obédias ejus império. *Deuter.* 26. 17.

Ant. t. 4. *E.* Hæc eſt hæréditas ſervórum Dómini, & juſtítia eórum. *Iſ.* 54. 17.

℣. Beáta gens, cujus eſt Dóminus Deus ejus, ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi. *Pſal.* 32. 12.

Lectiones ut in Proprio Sanct.

℟. 4. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea;* Proptérea expectábo eum : bonum eſt præſtolári cum ſiléntio ſalutáre Dei. ℣. Propter Chriſtũ ómnia detriméntum feci, & árbitror ut ſtércora, ut Chriſtum lucrifáciam. * Proptérea. *Thren.* 3. 24. 26. *Philip.* 3. 8.

℟. 5. Exui me ſtolâ pacis,* Indui autem me ſacco obſecratiónis, clamábo ad Altíſſimum in diébus meis : ſperávi in ætérnum ſalútem : & venit mihi gáudium à ſancto. ℣. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus ſum propter Chriſtum detriménta. * Indui autem. *Baruch.* 4. 20. 22. *Philip.* 3. 7.

℟. 6. Perféctio tua, Dómine, & doctrína tua viro ſancto tuo, quem probáſti in tentatióne. * Dixit patri ſuo & matri ſuæ ; Néſcio vos ; & frátribus ſuis : Ignóro vos. ℣. Fide obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem : & éxiit, néſciens quò iret. * Dixit. Glória. * Dixit. *Deuter.* 33. 8. 9. *Hebr.* 11. 8.

IN III. NOCTURNO.

Orationes & alia pœnitentiæ opera.

Ant. t. 7. *D.* Póſui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre & deprecári in jejúniis, ſacco, & cínere. *Dan.* 9. 3.

Ant. t. 3. *a.* Nomen tuũ, Dómine, & memoriále tuum in deſidério ánimæ. *Iſ.* 26. 8.

Ant. t. 8. *C.* Anima mea deſiderávit te in nocte; ſed & ſpíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilabo ad te. *Iſ.* 26. 9.

℣. Propter verba labiórũ tuórum, ℟. Ego cuſtodívi vias duras. *Pſal.* 16. 4.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Secéſſerat in deſértũ locum, ibíque * Inter feras vitam in móntibus cum ſuis agébat: ne partícipes eſſent coinquinatiónis. ℣. In omni oratióne, & obſecratióne, cum gratiárum actióne.* Inter feras... 2. *Mach.* 5. 27. *Philip.* 4. 6.

℟. 8. Opéruit cilício carnem ſuam, * Jejunávit, & dormívit in ſacco, & ambulávit demíſſo cápite. ℣. In vigíliis multis, in fame & ſiti, in frígore & nuditáte. * Jejunávit... 3. *Reg.* 21. 27. 2. *Cor.* 11. 27.

℟. 9. Hic multis tempóribus * Continéntiæ propóſitum ténuit, corpúſque & ánimam tradere conténtus pro perſeveránti. ℣. Mortificátus carne, vivificátus autem ſpíritu. * Continéntiæ.. Glória.. * Continéntiæ. 2. *Mach.* 14. 38. 1. *Pet.* 3. 18.
Te Deum.

AD LAUDES.

Quòd totum ſe Deo vóverit, abundat conſolationibus.

℣. *Sacerd.* Abſcóndit me Dóminus in tabernáculo ſuo; ℟. In die malórum protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui. *Pſal.* 26. 5.

Ant. t. 8. *C.* Ego in voce laudis immolábo tibi: quæcúmque vovi, reddam pro ſalúte Dño. *Jonæ.* 2. 10.

Ant. t. 1. *F.* Non ſedi in concílio ludéntium: ſolus ſedébam, quóniam comminatióne repléſti me. *Jerem.* 15. 17.

Ant. t. 4. *A.* Mihi mundus crucifíxus eſt, & ego mundo. *Gal.* 6. 14.

Ant. t. 6. *F.* Exíſtimo ómnia detriméntũ eſſe propter eminéntem ſciéntiam Jeſu Chriſti. *Philip.* 3. 8.

Ant. t. 5. *A.* Gaúdeo in paſſiónibus, & adímpleo ea quæ deſunt paſſiónum Chriſti, in carne mea. *Coloſ.* 1. 24.

Capitulum. Eccli. 51. 35. 36.

Vidéte óculis veſtris, quia módicùm laborávi, & invéni mihi multã réquiem. Aſſúmite diſciplínam in multo número argénti, & copióſum aurum poſſidéte in ea.

℣. Clamávi ad te, Dómine, dixi: Tu es ſpes mea, ℟. Portio mea in terra vivéntium. *Pſal.* 141. 6.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *D.* Mihi vívere Chriſtus eſt; & mori lucrum. *Philip.* 1. 21.

ORATIO, *ſi ſit Abbas.*

Omnípotens ſempitérne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis: da nobis exémplo & interceſſióne beáti N. Abbátis cujus ſolémnia celebrámus, ut purificátis ab omni ſæculi deſidério méntibus, te ſolo dívites eſſe velímus; Per, &c.

ALIA ORATIO, *ſi non ſit Abbas.*

Deus, qui nos, ádmones, exémplo beáti *N.* temporália deſpícere, & ad ætérna feſtináre: da fámulis tuis, ut quæ tibi plácita cognovimus, ipſo pro nobis interce-

dénte, implére valeámus; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. 2. *Cor.* 6. 17. 18.

EXíte de médio eórum, & ſeparámini, dicit Dóminus, & immúndum ne tetigéritis; & ego recípiam vos; & ero vobis in Patrem, & vos éritis mihi in fílios.

In Dupl. ℟. Dixit ad illum Dóminus: Exi de terra tua, & de cognatióne tua, & veni in terram quam mionſtrávero tibi. * Tunc éxiit. ℣. Velut fílius Altíſſimi obédiens. * Tunc.. Glória. * Tunc. *Act.* 7. 3. 4. *Eccli.* 4. 11.

℣. Dixi; Quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ?

℟. Volábo & requiéſcam. *Pſal.* 54. 7.

In Semid. & Simp. ℟. *br.* Extráneus factus ſum * Frátribus meis. Extráneus. ℣. Et peregrínus fíliis matris meæ. * Frátribus. Glória. Extráneus. *Pſal.* 68. 9.

℣. Símilis factus ſum pellicáno ſolitúdinis; ℟. Factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto. *Pſal.* 101. 7. 8.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Joan.* 2. 15. 16.

SI quis díligit mundum, non eſt cháritas Patris in eo; quóniam omne quod eſt in mundo, concupiſcéntia carnis eſt, & concupiſcéntia oculórum, & ſupérbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.

℟. *br.* Quid mihi eſt in cœlo? * Et à te quid vólui ſuper terram? Quid. ℣. Deus cordis mei & pars mea. * Et à te. Glória. Quid. *Pſal.* 72. 25. 26.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ, ℟. Et cálicis mei. *Pſal.* 15. 5.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 9. 26. 27.

EGo ſic curro, non quaſi in incértum; ſic pugno, non quaſi áërem vérberans; ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitútem rédigo.

℟. *br.* Cùm mihi moléſti eſſent, * Induébar cilício. Cùm. ℣. Humiliábā in jejúnio ánimam meam. * Induébar. Glória. Cùm mihi. *Pſal.* 34. 13.

℣. Anticipavérunt vigílias óculi mei. ℟. Cogitávi dies antíquos. *Pſal.* 76. 5. 6.

AD II. VESPERAS.

Enumerantur illius opera in æternum remuneranda.

Ant. 1. 3. a. ISte cuſtodívit ánimam ſuam: & memor fuit Dómini in toto corde ſuo. *Tob.* 1. 12. 13.

Ant. 1. 8. C. Abjécit veſtiméntum ſuum à ſe, & indútus eſt ſacco, & ſedit in cínere. *Jonæ.* 3. 6.

Ant. 1. 1. A. Majóres dívitias æſtimans theſaúro Ægyptiórum, impropérium Chriſti, fide relíquit Ægyptum. *Hebr.* 11. 26. 27.

Ant. 1. 7. C. Vir erat religióſus, ac timens Deum, & déprecans Deum ſemper. *Act.* 10. 1. 2.

Ant. t. 6. F. In cáſulis habitándo, expectábat fundaménta habéntem civitátem: cujus ártifex & cónditor Deus. *Hebr.* 11. 9. 10.

Capitulum. Hebr. 12. 11.

OMnis diſciplína, in præſénti quidem vidétur non eſſe gaúdii, ſed mœróris: póſtea autem fructum pacatíſſimum exercitátis per eam reddet juſtítiæ.

HYMNUS. *Ex Sant. Vict.*

QUid tu, relíctis úrbibus,
Mortálium conſórtia
Timens fugis? Quid tu vides,
Solúſque tecum cógitas?
Mentis volátu líbero,
Percúrris ætérnas domos;
Et quæ negas mortálibus
Transfers Deo commércia.
Præſens choris cœléſtibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuéndo Númini,
Totus coléndo tú vacas.
Quàm pura, qui te díligunt,
O Chriſte, libant gaúdia!
Te propter antris ábditos
Tuo recóndis in ſinu.
Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. Aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit, ℟. In valle lacrymárum. *Pſal.* 83. 6 7.

Ad Magn. *Ant. t.* 7. *A.* Omnis qui relíquerit domũ, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut agros propter nomen meũ, céntuplum accípiet, & vitam ætérnam poſſidebit. *Math.* 19. 29.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS LAICI JUSTI.

AD I. VESPERAS.

Viro juſto quantæ promiſſiones factæ.

Ant. t. 1. D. FOrtitúdo símplicis via Dómini juſtus in ætérnum non commovebitur. *Prov.* 10. 29. 30.

Ant. t. 2. D. Timor Dómini delectábit cor, & dabit lætítiam & gaúdium. *Eccli.* 1. 12.

Ant. t. 6. f. Tenébit juſtus viam ſuam, & mundis mánibus addet fortitúdinem. *Job.* 17. 9.

Ant. t. 4. E. Timénti Dóminum bene erit, & in diébus conſummatiónis illíus benedicétur. *Eccli.* 1. 19.

Ant t. 5. A. Quaſi virens fólium germinábit; fructus juſti lignum vitæ. *Prov.* 11. 28. 30.

Capitulum. Eccli. 31. 8. 9.

BEátus qui invéntus eſt ſine mácula; & qui poſt aurum non ábiit, nec ſperávit in pecúnia, & theſaúris. Quis eſt hic & laudabimus eum? fecit enim mirabília in vita ſua.

In Dupl. ℟. Qui in via peccatórum non ſtetit, erit tamquam lignum quod plan-

tátum eſt ſecus decúrſus aquárum quod fructum ſuum dabit in témpore ſuo; * Et † Fólium ejus non défluet.

℣. Cóngregat fructum in vitam æternam. * Et fólium. Glória. † Fólium. *Pſ.* 1. 1. 3. *Joan.* 4. 36.

HYMNUS. *Ex Sant. Vict.*

Non parta ſolo ſánguine
Ornat beátos púrpura:
Sunt incruénta, quæ ſuos
Habent triúmphos, prælia.
Non iſte flammas, non cruces,
Non ſenſit uncos péctines:
Crudélis & durus ſibi,
Se morte lentâ cónficit.
Si lictór illi défuit,
Si vincla, fuſtes, úngulæ;
Paráta pro Chriſto mori,
Hoc ſupplet omne cháritas.
Corpus ſubégit cáſtitas,
Et líberam mentem fides;
Amor ſupérnis ígnibus
Totam litávit hóſtiam.
Venis apértis ómnibus,
Qui vellet ultro erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fuſus in fletum cruor.
Da, Chriſte, nos ſic vívere,
Diſcámus ut ſemper mori:
Da, poſt brevis vitæ dies,
Vitæ perénnis gaúdia.
Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. Beátus vir cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus; ℟. Et non reſpéxit in vanitátes & insánias falſas. *Pſal.* 39. 5.

Ad Magn. Ant t. 5. *F.* Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparáſti expectántibus te. *Iſ* 64. 4.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Remuneratórem inquiréntibus ſe Deum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 11. 6.

IN I. NOCTURNO.

Per fidelem mandatorum obſervantiam cuſtodit ſe ab omni macula.

Ant. t. 1. *D.* Erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo. *Job.* 1. 1.

Ant. t. 5. *F.* Præcépta ſúſcipit, ámbulat ſimplíciter, ámbulat confidénter. *Prov.* 10. 8. 9.

Ant. 2. *t.* d. Exquiſívit Dóminum, cùmque requíreret, diréxit eum in ómnibus. 2. *Paral.* 26. 5.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus; ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. *Pſal.* 36. 31.

Lectiones ex Scriptura occurente.

℟. 1. Qui ámbulat in juſtítiis, & lóquitur veritátem, & claudit óculos ſuos ne vídeat malum, * Iſte in excélſis habitábit. Regem in decóre ſuo vidébunt óculi ejus.

℣. Si quis emundáverit ſe, erit vas in honórem ſanctificátum Dómino. * Iſte. *Iſ.* 33. 15. 16. 17. 2. *Tim.* 2. 21.

℟. 2. Innocens mánibus & mundo corde, qui non accé-

pit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo, * Hic accípiet benedictiónem à Dómino. ℣. Qui vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, declínet à malo, & fáciat bonum. * Hic accípiet. *Pſ.* 23. 4. 5. 1. *Petr.* 3. 10. 11.

℟. 3. Quàm magnus, qui invénit ſciéntiam! ſed non eſt ſuper timéntem Dóminum. * Beátus homo, cui donátum eſt habére timórem Dei: † Cui aſſimilábitur? ℣. Símilis eſt hómini ædificánti domum, qui fodit in altum, & póſuit fundaméntum ſuper petram. * Beátus. Glória. † Cui. *Eccli.* 25. 13. 15. *Luc.* 6. 48.

IN II. NOCTURNO.

Juſtus, bonis operibus in dies juſtificatur adhuc.

Ant. t. 8. *C.* Ad Dóminum currit juſtus, & exaltábitur. *Prov.* 18. 10.

Ant. t. 3. a. Quaſi lux ſplendens, procédit, & creſcit uſque ad perféctam diem. *Prov.* 4. 18.

Ant. t. 1. *A.* In hora velóci procéſſus illíus fructíficat. *Eccli.* 11. 24.

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri; ℟. Cùm dilatáſti cor meum. *Pſal.* 118. 32.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 4. Lætátum eſt cor meum: ambulávit pes meus iter rectum à juventúte mea. * Zelátus ſum bonum, & non confúndar. ℣. Quæ retrò ſunt oblivíſcens, ad ea verò quæ ſunt prióra exténdens meipſum. * Zelátus. *Eccli.* 51. 20. 24. *Philip.* 3 13.

℟. 5. Auris aúdiens beatificábat me, & óculus videns teſtimonium reddébat mihi: * Eò quòd liberáſſem paúperem vociferántem, & pupíllum, cui non eſſet adjútor. ℣. In me clarificábant Deū. * Eò quòd. *Job.* 29. 11. 12. *Gal.* 1. 24.

℟. 6. Ambulávit ſervus tuus in conſpéctu tuo in veritáte, & juſtitia, & recto corde tecum: * Cuſtodíſti ei, Dómine, miſericórdiam tuā grandem. ℣. In ſuâ generatióne cùm adminiſtráſſet voluntáti Dei. * Cuſtodíſti. Glória. * Cuſtodíſti 3. *Reg.* 3. 6. *Act.* 13. 36.

IN III. NOCTURNO.

Eò quòd dilexerit Deum, & in mandatis ejus ambulare perſeveraverit, hinc maximâ mercede dignus.

Ant. t. 7. a. De omni corde ſuo laudávit Dóminum, & diléxit Deum qui fecit illum. *Eccli.* 47. 10.

Ant. t. 3. a. Non erat ſímilis ei, & diléctus Deo ſuo erat. 2. *Eſd.* 13. 26.

Ant. t. 2. *D.* Immóbilis in Dei timóre permánſit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ ſuæ. *Tob.* 2. 14.

℣. Adhæſit ánima mea poſt te; ℟. Me ſuſcépit déxtera tua. *Pſal.* 62. 9.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Sapiéntia juſtum dedúxit per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei: * Dedit illi ſciéntiam ſanctórũ: honeſtávit illum in labóribus, & complévit labóres illíus. ℣. Regnum Dei juſtítia eſt, & pax in Spíritu ſancto: qui in hoc ſervit Chriſto, placet Deo. * Dedit illi. *Sap.* 10. 10. *Rom.* 14. 17. 18.

℟. 8. Beátus qui in iſtis verſátur bonis: qui ponit illa in corde ſuo, ad ómnia valébit; * Quia lux Dei, veſtígium ejus eſt. ℣. Habet vitam ætérnam, & in judícium non venit, ſed tránſiit à morte in vitam. * Quia. *Eccli.* 50. 30. 31. *Joan.* 5. 24.

℟. 9. Probátus & perféctus eſt; pótuit tránſgredi, & non eſt tranſgréſſus; fácere mala, & non fecit: * Ideò ſtabilíta ſunt bona illíus in Dómino, & † Eleemóſynas illíus enarrábit omnis Eccléſia ſanctórum. ℣. Factum eſt ut moreretur, & portarétur ab Angelis in ſinum Abrahæ. * Ideò. Glória. † Eleemóſynas. *Eccli.* 31. 10. 11. *Luc.* 16. 22. Te Deum.

AD LAUDES.

Juſto in virtutibus ſuis gratulatur Eccleſia.

℣. *Sacerd.* Lux orta eſt juſto, ℟. Et rectis corde lætítia. *Pſal.* 96. 11.

Ant. t. 3. a. Te vidi juſtũ coram me in generatióne hac. *Gen.* 7. 1.

Ant. t. 2. *D.* In veritáte ámbulas, fidéliter facis quidquid operáris. 3. *Joan.* 3. 5.

Ant. t. 8. *G.* Charitátem & fidem habes in Dómino Jeſu, & in omnes ſanctós; ut communicátio fídei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni. *Philem.* 5. 6.

Ant. t. 1. *A.* Oratiónes tuæ, & eleemóſynæ tuæ aſcendérunt in memóriam in conſpéctu Dei. *Act.* 10. 4.

Ant. t. 3. a. Beátus ſervus quem cùm vénerit Dóminus ejus, invénerit ſic faciéntem. *Matth.* 24. 46.

Capitulum. 2. *Cor.* 1. 12.

Glória noſtra hæc eſt, teſtimónium conſciéntiæ noſtræ, quòd in ſimplicitáte cordis & ſinceritáte Dei, & non in ſapiéntia carnáli, ſed in grátia Dei conversati ſumus in hoc mundo.

℣. Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, ℟. Nec eſt in ſpíritu ejus dolus. *Pſal.* 31. 2.

Ad. Benedic. *Ant. t.* 1. *D.* Serve bone & fidélis, quia ſuper pauca fuíſti fidélis, ſupra multa te conſtítuam. *Matth.* 25. 21.

Oratio.

Adeſto, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris quas in beáti N. feſtivitáte deférimus; ut qui noſtræ juſtítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit précibus adjuvémur; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. Jacob. I. 25.

QUi perſpéxerit in legē perféctam libertátis, & permánſerit in ea, non audítor oblívióſus factus, ſed factor óperis; hic beátus in facto ſuo erit.

In Dupl. ℟. Spem habens in Deum, reſurrectiónem futúram juſtórum; * In hoc & ipſe ſtúdeo ſine offendículo conſciéntiam habére ad Deum, & ad hómines ſemper. ℣. A mandátis labiórum ejus non recéſſi, & in ſinu meo abſcóndi verba oris ejus. * In hoc. Gloria. * In hoc. *Act.* 24. 15. 16. *Job.* 23. 12.

℣. Servávi mandáta tua, Dómine; ℟. Quia omnes viæ meæ in conſpéctu tuo. *Pſal.* 118. 168.

In Semid. & Simp. ℟. *br.* Beatus vir * Qui timet Dominum. Beátus. ℣. In mandátis ejus volet nimis.* Qui timet. Glória. Beátus. *Pſal.* III. I.

℣. Judícia Dómini vera. ℟. In cuſtodiéndis illis retribútio multa. *Pſal.* 18. 10. 12.

AD SEXTAM.

Capitulum. Jac. I. 27.

REligio munda & immaculata apud Deum, hæc eſt, Viſitáre pupíllos & víduas in tribulatione eórum, & immaculátum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.

℟. *br.* Diſpérſit, * Dedit paupéribus. Diſperſit. ℣. Juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi. * Dedit. Glória. Diſpérſit. *Pſal.* III. 9.

℣. Beatus qui intélligit ſuper egénum & paúperem: ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Pſal.* 40. 2.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 15. 7. 8.

JUſtítia longè abeſt à ſupérbia & dolo, viri mendáces non erunt illíus mémores: & viri veráces inveniéntur in illa, & ſuccéſſum habébunt uſque ad inſpectiónem Dei.

℟. *br.* Non egit dolum. * In lingua ſua. Non. ℣. Nec fecit próximo ſuo malum: * In lingua. Glória. Non. *Pſal.* 14. 3.

℣. Hæc eſt generátio quæréntium Dóminum, ℟. Quæréntium fáciem Dei Jacob. *Pſal.* 23. 6.

AD II. VESPERAS.

Operum ſuorum mercedem accipit juſtus.

Ant. t. 6. f. ECce verè Iſraelíta, in quo dolus non eſt. *Joan.* I. 47

Ant. t. 3. *A.* Vir erat timens Deum, fáciens eleemóſynas multas, & déprecans Deum ſemper. *Act.* 10. I. 2.

Ant. t 3. a. Non prætériit de univérſis mandatis, nec unum quidem verbum quod juſſerat Dominus. *Joſue.* II. 15.

Ant. t. 6. f. Miráti ſunt in illo multi, & honoravérunt Deum. *Eccli.* II. 13.

Ant. t. 7. *D.* Dilectus Deo & homínibus; cujus memó-

tia in benedictióne eſt. Símilem illum fecit Dóminus in glória ſanctórum. *Eccli.* 45. 1. 2.

Capitulum. *Gal.* 6. 8.

FRatres, Quæ ſemináverit homo, hæc & metet: quóniam qui ſéminat in carne ſua, de carne & metet corruptiónem: qui autem ſéminat in ſpíritu, de ſpíritu metet vitam ætérnam.

HYMNUS.

Ex S. Victor.

QUi te, Deus, ſub íntimo
Amans récipit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suspírat, oblítus ſuî.

Quid ergo gaudes néctere
Triſtes moras amántibus?
Terris retárdas éxules
Cives polo qûos déſtinas.

Hinc fervet in dies amor;
In vota toti díffluunt:
Ad aſtra feſtinántibus
Fit pœna vita lóngior.

Vix iſte tardi córporis
Pondus moléſtum súſtinet;
Mortis diem præóccupat,
Ardens Deo ſe júngere.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. In memória ætérna erit juſtus. ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Pſal.* 111. 7. 9.

Ad Magn. *Ant. t.* 7. *A.* Sic glorificávit eum Dóminus, & laudávit eum in benedictiónibus, in offeréndo illi corónam glóriæ. *Eccli.* 47. 7.

Oratio ut ſupra in Laudibus.

COMMUNE UNIUS VIRGINIS.

AD I. VESPERAS.

Promiſſiones Virgini factæ.

Ant. t. 1. *A.* A Modò voca me: Pater meus, dux virginitátis meæ tu es. *Jerem.* 3. 4.

Ant. t. 4. *E.* Non vocáberis ultrà Derelícta; quia complácuit Dómino in te. *Iſ.* 62. 4.

Ant. t. 8. *C.* Eris coróna glóriæ in manu Domini, & diadéma regni in manu Dei tui. *Iſ.* 62. 3.

Ant. t. 7. *D.* Dóminum elegíſti, ut ſit tibi Deus, & ámbules in viis ejus. *Deut.* 26. 17.

Ant. t. 5. *F.* Benedícat tibi Dóminus, pulchritúdo juſtítiæ, mons ſanctus. *Jerem.* 31. 23.

Capitulum. *Oſée* 2. 19.

SPonsábo te mihi in ſempitérnum: & ſponsábo te mihi in juſtítia, & judício, & in miſericórdia, & in miſeratiónibus.

In Duplic. ℟. Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuã: * Oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui; & concupíſcet Rex decórem tuũ; † Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. ℣. Virgo cógitat

quæ Dómini ſunt; ut ſit ſancta córpore, & ſpíritu. * Oblivíſcere .. Glória. † Quoniã. *Pſ.* 44. 11. 12. 1. *Cor.* 7. 34.

HYMNUS.

Pro Virgine & Martyre.

Ex S. Victor.

FEſtis læta ſonent æthera cántibus:
Nunc aptáte tubas, ſúmite tympana,
Cœtus Angélici; dícite Vírginem,
Chriſti dícite Mártyrem.

Veſtris illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula,
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

Sed quid cogis, amor? fórtiter ámbiit
Sponſo virgíneum, fúndere ſánguinem;
Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præcláræ ſítiens necis.

Sic quâ parte minor, vos ſuperéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna ſui córporis, íntegram
Teſtári Dómino fidem.

Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
A quo magnánimæ prælia ſuſtinent
Spreto fúnere, Vírgines.
Amen.

Si non ſit Martyr.

HYMNUS.

Ex - Sanct. Victor.

VOs ô virgínei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponſum virgíneo progénitum ſinu
Puris tóllite laúdibus.

Hæc eſt feſta dies cælítibus ſacra,
Quâ plenâ rútilans óbvia lámpade,
Sponſo ſponſa Deo próxima cóncinit
Virgo cántica Vírgini.

Mortáles thálamos, córporis ímmemor,
Solo digna Deo cónjuge, réſpuit:
Sponſo perpétuo fœdere júngitur,
Sponſæ ſe Deus óbligat.

Ægro vix ſua ſunt pábula córpori:
Nil cernunt óculi, nil ſonat aúribus;
Morti quod ráperet próvida præripit;
Unus ſit Deus ómnia.

Fac, ô Chriſte! tuæ Vírginis æmulos
Nos inſtáre ſacrâ, quâ gráditur, viâ:
Qui gens ſancta ſumus, móribus íntegris
Uni fac tibi vívere.

Da te, ſumme Pater, tóllere laúdibus:
Da te, Chriſte, ſequi, laúrea Vírginum:
Fac incénſa tuis, Spíritus, árdeant

Flammis

flammis, frígida péctora. Amen.

℣. Deus præcínxit me virtúte: ℟. Et póſuit immaculátam viam meam. *Pſal.* 17. 33.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. *A.* Quid bonum Dómini eſt, & quid pulchrum ejus, niſi fruméntum electórum, & vinum gérminans Vírgines? *Zach.* 9. 17.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Agnum quem ſequúntur Vírgines * Veníte, adorémus. *Apoc.* 14. 4.

IN I. NOCTURNO.

Virginitatis laus.

Ant. t. 1. *a.* Omnis ponderátio non eſt digna continéntis ánimæ. *Eccli.* 26. 20.

Ant. t. 8. *G.* Incorrúptio facit eſſe próximum Deo. *Sap.* 6. 20.

Ant. t. 5. *a.* Qui díligit cordis mundítiam, habébit amícum regem. *Prov.* 22. 11.

℣. Beáti immaculáti in viâ; ℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Pſ.* 118. 1.

Lectiones ex Scriptura occurrente.

℟. 1. O quàm pulchra eſt caſta generátio cum claritáte! * Immortális eſt enim memória illíus, quóniam & apud Deum nota eſt, & apud hómines.

℣. Relígio munda apud Deum & Patrem, hæc eſt: Immaculátum ſe cuſtodíre àb hoc ſæculo. * Immortális.. *Sap.* 4. 1. *Jac.* 1. 27.

℟. 2. Felix eſt ſtérilis: * Et incoinquináta, quæ neſcívit thorum in delícto, habébit fructum in reſpectióne animárum ſanctárũ. ℣. Reddet Deus iis qui ſecúndùm patiéntiam boni óperis, incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam. * Et incoinquináta.. *Sap.* 3. 13. *Rom.* 2. 6. 7.

℟. 3. Magna facta eſt, & præclárior erat univérſæ terræ Iſrael: * Erat étiam virtúti cáſtitas adjúncta. ℣. In opéribus bonis teſtimonium habens, omne opus bonum ſubſecúta eſt.. * Erat.. Glória.. * Erat.. *Judith.* 16. 25. 26. 1. *Tim.* 5. 10.

IN II. NOCTURNO.

Tota ſponſo Chriſto devota Virgo, in nullo alio lætatur.

Ant. t. 3. *E* Ego Dilécto meo, & Diléctus meus mihi, qui páſcitur inter lília. *Cant.* 6. 2.

Ant. t. 4. *E.* Dómine, qui habes ómnium ſcientiam, tu ſcis quòd numquam lætáta ſit ancílla tua, niſi in te, Dómine Deus. *Eſth.* 14. 14. 16. 18.

Ant. t. 7. *D.* Quia compláscui Dómino, ſecũdùm mundítiam mánuum meárũ reddet mihi. 2. *Reg.* 22. 20. 21.

℣. Deus meus impollúta via ejus: ℟. Protéctor eſt ómnium ſperántium in ſe. *Pſ.* 17. 31.

Lectiones ut in Proprio.

℟. 4. Exultábit ánima mea in Deo meo; quia índuit me

veſtiméntis ſalútis : * Et indúménto juſtítiæ circúmdedit me, quaſi ſponſum decorátum coróna, & quaſi ſponſam ornátam monílibus ſuis. ℣. Quòd nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei qui diléxit me. *Et induménto .. *Iſ.* 61. 10. *Gal.* 2. 20.

℟. 5. Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua. Lex tua meditátio mea eſt. * Fiat cor meum immaculátum in juſtificatiónibus tuis, ut non confúndar. ℣. Secúndùm expectatiónem & ſpem meam magnificábitur Chriſtus in córpore meo. * Fiat .. *Pſal.* 118. 75. 77. 80. *Philip.* 1. 20.

℟. 6. Diléctus meus, eléctus ex míllibus, * Totus deſiderábilis; & † Ipſe eſt amícus meus, fíliæ Jeruſalem. ℣. Vivo, jam non ego : vivit verò in me Chriſtus * Totus. Glória. † Ipſe eſt.. *Cant.* 5. 10. 16. *Gal.* 2. 20.

IN III. NOCTURNO.

Virginem ſibi ſponſam aſſumit Chriſtus, & coronat.

Ant. t. 5. *F.* In charitáte perpétuâ diléxi te : ídeò attráxi te, míſerans. *Jerem.* 31. 3.

Ant. t. 6. *f.* Deo placent ópera tua : omni témpore ſint veſtiménta tua cándida. *Eccle.* 9. 7. 8.

Ant. t. 8. *G.* Veni de Líbano, ſponſa mea, veni : coronáberis. *Cant.* 4. 8.

℣. Corónat te Dóminus in miſericordiâ, ℟. Et miſerationibus. *Pſ.* 102. 4.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Dábitur illi ſors in templo Dei accepiíſſima. * Bonórum enim labórum gloriósus eſt fructus, & quæ non cóncidat radix ſapiéntiæ; ℣. Beáti mundo corde, quóniā ipſi Deum vidébunt. * Bonórum.. *Sap.* 3. 14. 15. *Matth.* 5. 8.

℟. 8. Ingréſſus ſum pactum tecum, & facta es mihi. * Dedi corónam decóris in cápite tuo; & profecíſti in regnum : quia perfécta eras in decóre meo. ℣. Scient quia ego diléxi te. * Dedi corónam.. *Ezech.* 16. 8. 12. 13. 14. *Apoc.* 3. 9.

℟. 9. Immortális eſt apud Deum. * Et † In perpétuum coronáta triúmphat incoinquinatórum certáminū præmium vincens. ℣. Gaudio gaudet propter vocem ſponſi. * Et in.. Glória. † In perpétuum.. *Sap.* 4. 1. 2. *Joan.* 3. 29.

Te Deum.

A D L A U D E S.

Quantus Virginis in Deum amor.

℣. *Sacerd.* Vírgines laudent nomen Dómini;

℟. Quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus. *Pſ.* 148. 12. 13.

Ant. t. 4. *E.* VOx Dilécti mei pulsántis : Aperi mihi, ſoror mea, immaculáta mea. *Cant.* 5. 2.

Ant. t. 7. *A.* Invéni quem

dîligit ánima mea: ténui eum; nec dimíttam. *Cant.* 3. 4.

Ant. t. 8. *C.* Pone me ut ſignáculum ſuper cor tuum; quia fortis eſt ut mors diléctio. *Cant.* 8. 6.

Ant. t. 5. *F.* Diléctus meus ordinávit in me charitátem; fulcíte me flóribus, ſtipáte me malis. *Cant.* 2. 3. 4. 5.

Ant. t. 6. *f.* Sub umbra illíus, quem deſideráveram, ſedi: & fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cant.* 2. 3.

Capitulum. Sap. 8. 21.

SCivi quóniam áliter non poſſem eſſe cóntinens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapiéntiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum.

℣. In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam, ℟. Laudatiónes tibi. *Pſ.* 55. 12.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *D.* Tu ſcis, Dómine, quia númquam concupívi virum, & mundam ſervávi ánimã meã ab omni concupiſcéntia. *Tob.* 3. 16.

Oratio pro Virgine & Martyre.

DEus, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in ſexu frágili victóriam mártyrii contulíſti: concéde propítius, ut qui beátæ N. Virginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur; Per, &c.

Si non ſit Martyr. Oratio.

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco conſtituíſti: concéde ut qui fidélis ſponſæ tuæ N. puritátem húmili venerémur obſéquio, piæ converſatiónis ſequámur exémplo; Per, &c.

Alia Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui mundi contémptum, diligéntibus te inſpiráſti; da nobis in feſtivitáte beátæ N. Vírginis, ejus interceſſióne terréna deſpícere, & tibi ſoli fírmiter adhærére; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 7. 7. 8.

UNuſquíſque próprium donum habet ex Deo: álius quidem ſic, álius verò ſic. Dico autem non nuptis, & víduis: bonum eſt illis ſi ſic permáneant.

In Duplic. ℟. Audívi vocem de cœlo, & vocem, quam audívi, ſicut citharizántium in cítharis ſuis. Et * Cantábant quaſi cánticum novum, ante ſedem Agni. ℣. Exultavérunt fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómine.. * Cantábant.. Glória.. * Cantabant. *Apoc.* 14. 2. 3. *Pſ.* 96. 8.

℣. Laudábo nomen Dei cum cántico; ℟. Et magnificábo eum in laude. *Pſ.* 68. 31.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Pſallam, & intélligam * In viâ immaculátâ. Pſallam... ℣. In innocéntia cordis mei; * In viâ.. Glória.. Pſallam.. *Pſ.* 100. 1. 2.

℣. Immíſit in os meum cánticum novum, ℟. Carmen Deo noſtro. *Pſ.* 39. 4.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 7. 34.

MUlier innúpta, & Virgo cógitat quæ Dómini ſunt; ut ſit ſancta córpore, & ſpíritu. Quæ autem nupta eſt, cógitat quæ ſunt mundi, quómodo pláceat viro.

℟. *br.* Quid mihi eſt in cœlo? * Et à te quid vólui ſuper terram? Quid mihi..

℣. Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in ætérnum. * Et à te.. Glória.. Quid mihi. *Pſ.* 72. 25. 26.

℣. Quæ eſt expectátio mea? ℟. Nonne Dóminus? *Pſalm.* 38. 8.

AD NONAM.

Capitulum. 2. *Cor.* 11. 2.

ÆMulor enim vos Dei æmulatióne. Deſpóndi enim vos uni viro Vírginem caſtam exhibére Chriſto.

℟. *br.* Afferéntur regi Vírgines, * In lætítia & exultatióne.. Afferéntur.. ℣. Adducéntur in templum regis.* In lætítia.. Glória.. Afferéntur.. *Pſ.* 44. 15. 16.

℣. Delectavérunt te fíliæ regum ℟. In honóre tuo. *Pſ.* 44. 9. 10.

AD II. VESPERAS.

Quænam ſint prudentes Vírgines ad nuptias Agni admittendæ.

Ant. t. *1. A.* VIrgines accipiéntes lámpades ſuas, exiérunt óbviàm ſponſo. *Matth.* 25. 1.

Ant. t. 4. *ii.* Prudéntes accepérunt óleum in vaſis ſuis, & ornavérunt lámpades ſuas. *Matth.* 25. 4. 7.

Ant. t. 2. *d.* Média nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exíte óbviàm ei. *Matth.* 25. 6.

Ant. t. 3. *a.* Venit ſponſus: & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias. *Matth.* 25. 10.

Ant. t. 1. *D.* Vírgines ſequúntur Agnum, quocúmque íerit: ſine mácula enim ſunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14. 4. 5.

Capitulum. *Iſ.* 56. 4. 5.

HÆc dicit Dóminus: Dabo eis, in domo meâ, & in muris meis locum, & nomen mélius à fíliis & filiábus: nomen ſempitérnum dabo eis: quod non períbit.

HYMNUS.

Pro Virgine & Martyre.

Ex Sant. Vict.

QUid ſacram, Virgo, generóſe Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempe non unum gémino repórtas
Hoſte triúmphum.
Móllior fregit neque te volúptas;
Impotens flexit neque te tyránnus;
Tu graves pœnas, paritérque blandos
Vincis amóres.
Líliis ſponſus récubat, roſíſque;

Tu, tuo ſemper bene fida ſponſo,
Et roſas Martyr, ſimul & dedíſti
Lília Virgo.
Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúſque Nexus;
Fac tibi ſemper placeámus uni
Móribus æquis. Amen.

HYMNUS.

Si non ſit Martyr.

Ex Sant. Vict.

COeléſtis aula pánditur;
En Sponſus; omnes óbviæ
Exíte ſponſo Vírgini,
Exíte, ſponſæ Vírgines.
Hæc nuptiális eſt dies,
Quæ, longa poſt ſuſpíria,
Dat omnibus, dat ſíngulis
Jam pléniùs frui Deo.
Quæ caſta vobis gáudia
Quos afflet ignes, dícite:
Ab ore cujus púrior
Torrens volúptas éffluit?
Hunc propter unum víluit
Supérba regum púrpura:
Dotáta quæ ſponſo Deo,
Quid virgo terris ámbiat?
O virgináles núptiæ,
Per quas caro fit ſpíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!
Sit laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus;
Divína qui perénnibus
Firmas ſigíllis fœdera.
Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in ætérnum erit;
℟. Non confundéntur in témpore malo. *Pſalm.* 36. 18. 19.

Ad Magnif. *Antiph. t.* 7. *D.* In reſurrectióne, neque nubent, neque nubéntur; ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. *Matth.* 22. 30.

Oratio ut in Laudibus.

COMMUNE MULIERIS SANCTÆ VEL VIDUÆ.

AD I. VESPERAS.

Mulieris ſanctæ imago.

Ant. t. 1. *ir.* SIcut ſol óriens mundo in altíſſimis Dei, ſic Mulíeris bonæ ſpécies in ornaméntum domûs ejus. *Eccli.* 26. 21.

Ant. t. 3. *A.* Grátia ſuper grátiam, Múlier ſancta & pudorata. *Eccli.* 26. 19.

Ant. t. 3. *E.* Múlier fortis oblécat virum ſuum, & annos vitæ illíus in pace implébit. *Eccli.* 26. 2.

Ant. t. 4. *E.* Vana eſt pulchritúdo; Múlier timens Dóminum ipſa laudábitur. *Prov.* 31. 30.

Ant. t. 7. *D.* Fundaménta ætérna ſupra petram ſólidam, & mandáta Dei in corde Mulíeris ſanctæ. *Eccli.* 26. 24.

Capitulum. Prov. 31. 10. 11.

MUlíerem fortem quis invéniet? procul, & de últimis fínibus prétium ejus. Confidit in ea cor viri ſui, & ſpóliis non indigébit.

In Duplic. ℟. Pars bona, Múlier bona, * In parte timéntium Deum dábitur viro pro factis bonis. ℣. Múlier colens Deum, cujus Dóminus apéruit cor, * In parte. Glória. * In parte.. *Eccli.* 26. 3. *Act.* 16. 14.

HYMNUS.

Ex Sant. Vict.

ADéſte, ſanctæ Cónjuges,
En illa fortis Fœmina
Ornáta quæ virtútibus
Triúmphat inter Cœlites.

Blandos ut hoſtes vínceret,
Hanc fortitúdo véſtiit;
Ut proſit intuéntibus,
Cœléſtis ornávit decor.

Non vana pompa ſæculi
Senſus fefellit, nec malis
Gliſcens volúptas ártibus
Viríle pectus mólliit.

Non illa luxu véſtium,
Non crine torto ſplénduit;
Cultu nitens ſed símplice,
Puris placébat móribus.

Se ſub ferénis vúltibus
Auſtéra virtus occulit:
Timet vidéri, ne ſuum,
Dum prodit, amíttat decus.

Prodeſſe quærit ómnibus
Curis honéſtis ánxia;
Patróna, cuſtos Vírginum,
Secúnda mater órphanis.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória. Amen.

℣. Deus habitáre facit in domo, ℟. Matrem filiórum lætántem. *Pſ.* 112. 9.

Ad Magnif. Ant. t. 1. *A.* Fáciat Dóminus hanc Mulíerem, ſicut Rachel & Liam; ut ſit exémplum virtútis, & hábeat célebre nomen. *Ruth.* 4. 11.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invit. Deum in quo ſanctæ Mulíeres ſperavérunt; * Veníte, adorémus. 1. *Pet.* 3. 5.

IN I. NOCTURNO.

Mulieris ſanctæ bona in domo ſuâ converſatio.

Ant. t. 1. *irr.* Inítium ſapiéntiæ, timor Dómini, & cum eléctis Fœminis gráditur. *Eccli.* 1. 16.

Ant. t. 1. *A.* Mulíeris bonæ beátus vir: númerus enim annórum illíus duplex. *Eccli.* 26. 1.

Ant. t. 8. *C.* Fílii, & ædificátio civitátis confirmábit nomen, & ſuper hæc Múlier immaculáta computábitur. *Eccli.* 40. 19.

℣. Anima ejus in bonis demorábitur; ℟. Et ſemen ejus hæreditábit terram. *Pſ.* 24. 13.

Lectiones ex Scriptura occurrente.

℟. 1. Grátia Mulíeris ſédulæ delectábit virum ſuū, * Diſciplína illíus, datum Dei eſt. ℣. Quæ filios aut nepótes habet, diſcat domum ſuam régere: hoc enim ac-

téptum eſt coram Deo. * Diſciplína.. *Eccli.* 26. 16. 17. 1. *Tim.* 5. 4.

℟. 2. Lex cleméntiæ in lingua ejus. * Conſiderávit ſémitas domûs ſuæ, & panem otióſa non comédit. ℣. Quod decet Mulíeres, promitténtes pietátem per ópera bona.. * Conſiderávit.. *Prov.* 31. 26. 27. 1. *Tim.* 2. 10.

℟. 3. Surrexérunt fílii ejus, & beatíſſimam prædicavérunt; * Vir ejus, & laudávit eam. ℣. Vir imágo & glória Dei eſt, Múlier autem glória viri eſt. * Vir.. Glória.. * Vir ejus.. *Prov.* 31. 28. 1. *Cor.* 11. 7.

IN II. NOCTURNO.

Orationi intenta Mulier, à rebus vanis & malorum conſortio longè fugit.

Ant. t. 7. *D.* Deprecabátur Dóminum, dicens: Dómine, ádjuva me, cujus præter te nullus eſt auxiliátor álius. *Eſth.* 14. 3.

Ant. t. 6. *F.* Tu ſcis, Dómine, quia virum cum timóre tuo conſénſi ſuſcípere. *Tob.* 3. 16. 18.

Ant. t. 8. *G.* Invéni grátiam apud óculos tuos, Dómine, qui conſolátus es me, & locútus es ad cor ancíllæ tuæ. *Ruth.* 2. 13.

℣. Meditátio cordis mei, Dómine, ℟. In conſpéctu tuo ſemper. *Pſ.* 18. 15.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 4. Miſericórdia tua, Dómine, ante óculos meos eſt; & complácui in veritáte tuâ: * Non ſedi cum concílio vanitátis; & odívi eccléſiam malignántium: ℣. Corrúmpunt mores bonos collóquia mala. * Non ſedi... *Pſ.* 25. 3. 4. 5. 1. *Cor.* 15. 33.

℟. 5. Dómine, qui habes ómnium ſciéntiam, * Noſti quia óderim glóriam iniquórum, & quòd numquam lætáta ſit ancilla tua, niſi in te, Dómine. ℣. Quæ participátio juſtítiæ cum iniquitáte? * Noſti quia.. *Eſth.* 14. 14. 15. 18. 2. *Cor.* 6. 14.

℟. 6. Mundam ſervávi ánimam meam ab omni concupiſcéntiâ. * Numquam cum ludéntibus míſcui me: neque cum his, qui in levitáte ámbulant, partícipem me præbui. ℣. Grátias ago Deo, cui ſérvio in conſciéntiâ purâ. * Numquam. Glória. * Numquam. *Tob.* 3. 16. 17. 2. *Tim.* 1. 3.

IN III. NOCTURNO.

Mulier ſancta virtutibus ſuis & operum gloriâ ſit omnibus in exemplum.

Ant. t. 4. *E.* Indue te decóre ſempitérnæ glóriæ: Deus enim oſténdet ſplendórem ſuum in te. *Baruch.* 5. 1. 3.

Ant. t. 3. *a.* Gaudébit ſuper te Dóminus in lætítia, ſilébit in dilectióne ſua, exultábit ſuper te in laude. *Soph.* 3. 17.

Ant. t. 6. *f.* Deus det tibi grátiam, ut ſit nomen tuum in número ſanctórum

& juſtórum. *Judith.* 10. 8.

℣. Benedícat tibi Dóminus ex Sion : ℟. Et vídeas bona Jerúſalem ómnibus diébus vitæ tuæ. *Pſ.* 127. 5.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Multæ filiæ congregaverunt divítias : tu ſupergréſſa es univérſas. * Fallax grátia, & vana eſt pulchritúdo : Múlier timens Dóminum ipſa laudábitur. ℣. In incorruptibilitáte modéſti ſpíritûs, qui eſt in conſpéctu Dei lócuples, ſanctæ Mulíeres ornábant ſe. * Fallax. *Prov.* 31. 29. 30. 1. *Pet.* 3. 4. 5.

℟. 8. Feciſti viríliter, & confortátum eſt cor tuum, eò quòd caſtitátem amáveris : * Ideò & manus Dómini confortávit te, & ídeò eris benedícta in ætérnum. ℣. O Múlier, magna eſt fides tua. * Ideò. *Judith.* 15. 11. *Matth.* 15. 28.

℟. 9. Omnia quæ locúta es, vera ſunt, & non eſt in ſermónibus tuis ulla reprehénſio. * Nunc ergo † Ora pro nobis, quóniam Múlier ſancta es, & timens Deum : ℣. Fides tua te ſalvam fecit : * Nunc ergo. Gloria. † Ora. *Judith.* 8. 28. 29. *Luc.* 7. 50.

In Dupl. & Sem. Te Deum.

AD LAUDES.

Enumerantur opera quibus aſſidua fuit Mulier ſancta.

℣. *Sacerdot.* Laudatiónem Dómini loquétur os meum ; ℟. Et benedícat omnis caro nómini ſancto ejus. *Pſal.* 144. 21.

Ant. t. 1. *irr.* IN ancílla ſua adimplévit Dóminus miſericórdiam ſuam. *Judith.* 13. 18.

Ant. t. 5. *A.* Hæc erat plena opéribus bonis, & eleemóſinis, quas faciébat. *Act.* 9. 36.

Ant. t. 3. *a.* Induens ſe cilício, & proſtérnens ſe, clamábat ad Dóminum. *Judith.* 9. 1.

Ant. t. 6. *f.* Magna facta eſt : erat étiam virtúti cáſtitas adjúncta. *Judith.* 16. 25. 26.

Ant. t. 7. *C.* In opéribus bonis teſtimonium habens, omne opus bonum ſubſecúta eſt. 1. *Tim.* 5. 10.

Capitulum. Eccli. 36. 26.

QUi póſſidet Mulíerem bonam, ínchoat poſſeſſiónem : adjutórium ſecúndùm illum eſt, & colúmna ut réquies.

℣. Ecce ſic benedicétur homo, ℟. Qui timet Dóminum. *Pſ.* 127. 4.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *irr.* Exultávit cor meum in Dómino, & dilatátum eſt os meum : quia lætáta ſum in ſalutári tuo. 1. *Reg.* 2. 1.

Oratio ſi ſit Martyr.

TRíbue, quæſumus, Dómine, précibus noſtris cum exultatióne provéntum, ut beátæ N. cujus paſſiónem recólimus, conſtántiam imitémur ; Per, &c.

Alia Oratio.

MArtyris tuæ N. nos, Dómine, conféſſio ſancta commúniat, & fragilitáti noſtræ contínuum ímpetret ſubsídium: Per, &c.

Oratio ſi non ſit Martyr.

TUórum corda fidélium, Deus miſerátor, illúſtra; & beátæ N. précibus & méritis fac nos terréna deſpícere; & amáre cœléſtia; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. Judith. 13. 31.

BEnedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob, quóniam in omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur ſuper te Deus Iſrael.

℞. *In Duplic.* Facta eſt quaſi navis inſtitóris de longè portans panem ſuum. * Manum ſuam apéruit ínopi, & palmas ſuas exténdit ad paúperem. ℣. Hoſpítio recépit, ſanctórum pedes lavit, tribulatiónem patiéntibus ſubminiſtrávit: * Manum. Glória. * Manum. *Prov.* 31. 14. 20. 1. *Tim.* 5. 10.

℣. Pauper & inops ℞. Laudábunt nomen tuum. *Pſ.* 73. 21.

In Semid. & Simpl. ℞. *br.* Víduam ejus * Benedícens benedícam. Víduam. ℣. Páuperes ejus ſaturábo pánibus. * Benedícens. Glória. Víduam ejus. *Pſ.* 131. 15.

℣. Exultáte in conſpéctu Dei, ℞. Patris orphanórum, & júdicis viduárum. *Pſ.* 67. 5. 6.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. Tim. 2. 8. 9. 10.

VOlo Mulíeres oráre in hábitu ornáto, cum verecúndia, & ſobrietáte ornántes ſe, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veſte pretióſâ: ſed quod decet Mulíeres, promitténtes pietátem per ópera bona.

℞. *br.* Deus ſalútis meæ, * In die clamávi. Deus. ℣. Et nocte coram te. * In die. Glória. Deus. *Pſ.* 87. 2.

℣. Apud me orátio ℞. Deo vitæ meæ. *Pſ.* 41. 9.

AD NONAM.

Capitulum. 1. Pet. 3. 1. 2.

MUlíeres súbditæ ſint viris ſuis; ut & ſi qui non credunt verbo, per Mulíerum converſatiónem ſine verbo lucrifiant, conſiderántes in timóre caſtam converſatiónem veſtram.

℞. *br.* Perambulábam * In innocéntia cordis mei. Perambulábam.

℣. In médio domûs meæ * In innocéntia. Glória. Perambulábam. *Pſ.* 100. 2.

℣. Oculi mei ad fidéles terræ, ℞. Ut ſédeant mecum. *Pſ.* 100. 6.

AD VESPERAS.

De virtutibus ſuis, & gloria Mulieri ſanctæ gratulatur Eccleſia.

Ant. 1. *7. d.* TU glória Jeruſalem, tu lætítia Iſrael, tu honorificéntia pó-

puli noſtri. *Judith.* 15. 10.

Ant. t. 6. f. Eò quòd caſtitátem amáveris, manus Dómini confortavit te. *Jud.* 15. 11.

Ant. t. 8. G. Benedícta es à Dómino, & priórem miſericórdiam poſterióre ſuperáſti; quia non es ſecúta júvenes. *Ruth.* 3. 10.

Ant. t. 5. a. Scit omnis pópulus Mulíerem te eſſe virtútis. *Ruth.* 3. 11.

Ant. t. 7. c. Dóminus nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. *Judith.* 13. 25.

Capitulum. 1. *Tim.* 2. 15.

MUlier ſalvábitur per filiórum generatiónē, ſi permánſerit in fide & dilectióne, & ſanctificatióne cum ſobrietáte.

HYMNUS *Ex Sant. Vict.*

O Jam beáta, quæ ſuo
Tandem ſolúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur!

Per quos gradus cœlum petit,
His ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos ſolútæ Cónjuges.

Inſígnis & nos Fœminæ
Sequi decet veſtígia,
Magnum vel ipſis quæ fuit,
Virtútis exémplum viris.

Queis arſit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus,
Eóque, quo te vis coli,
Amóre, fac mens te colat.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino.

℟. Et delectábitur ſuper ſalutári ſuo. *Pſ.* 34. 9.

Ad Magnif. Ant. t. 7. a. Date ei de fructu mánuum ſuárum; & laudent eam in portis ópera ejus. *Prov.* 31. 31.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS PATRONI
PRIVATÆ ALICUJUS ECCLESIÆ VEL PATRONÆ,
Aut etiam plurium Patronorum.
Duplex I. Claſ. Annuale.

Omnia de Communi convenienſe, ſecundùm qualitatem Patroni, exceptis iis quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

De libro ſecúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 15. *v.* 7. *ad* 11.

MAchabæus ſemper confidébat cum omni ſpe auxílium ſibi à Deo affutúrum. Et hortabátur ſuos ne formidárent ad advéntum natiónum, ſed in mente habérent adjutória ſibi facta de cœlo, & nunc ſperárent ab Omnipoténte ſibi affutúram victóriam. Et allocútus eos de lege & prophétis, ádmonens étiam certámina, quæ fécerant priùs, promptióres conſtítuit eos: & ita ánimis eórum eréctis, ſimul oſtendébat géntium falláciã, & juramentórum prævaricatiónem.

Lectio ij. *v.* 11. *ad* 14.

SIngulos autem illórum armávit, non clypei, & haſtæ munitióne, ſed ſermónibus óptimis, & exhortatiónibus, expóſito digno fide ſómnio, per quod univérſos lætificávit. Erat autem hujuſcémodi viſus: Oníam, qui fúerat ſummus Sacerdos, virum bonum & benígnum, verecúndum viſu, modéſtum móribus, & elóquio decórũ, & qui à púero in virtútibus exercitátus ſit, manus proteudéntem, oráre pro omni pópulo Judæórum. Poſt hoc apparuíſſe & álium virum ætáte & glóriâ mirábilem, & magni decóris habitúdine circa illum.

Lectio iij. *v.* 14. *ad* 18.

REſpondéntem verò Oníam dixíſſe: Hic eſt fratrum amátor, & pópuli Iſrael; hic eſt qui multùm orat pro pópulo, & universâ ſanctâ civitáte, Jeremías Prophéta Dei. Extendíſſe autem Jeremíam déxtram, & dedíſſe Judæ gládium áureum, dicéntem: Accipe ſanctum gládium munus à Deo, in quo dejícies adverſários pópuli mei Iſ-

raël. Exhortáti itaque Judæ ſermónibus bonis valdè, de quibus extólli poſſet ímpetus, & ánimi júvenum confortári, ſtatuérunt dimicáre & conflígere fórtiter, ut virtus de negótiis judicáret.

IN II. NOCTURNO.

Si non ſint Lectiones Propriæ.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

In Vigil. SS. Petri & Pauli. n. 2.

Lectio iv.

TRia ſunt quæ in feſtivitátibus Sanctórum vigilánter conſideráre debémus: auxílium Sancti, exémplum ejus, confuſiónem noſtram. Auxílium ejus, quia qui potens in terra fuit, potentior eſt in cœlis ante fáciem Dómini Dei ſui. Si enim dum hìc víveret, miſértus eſt peccatóribus, & orávit pro eis; nunc tantò ámplius, quantò vériùs agnóſcit miſerias noſtras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria charitátem ejus non immutávit, ſed augmentávit: neque enim quia impaſſíbilis omníno, ideò & incompaſſíbilis factus eſt.

Lectio v. n. 2.

DEbémus étiam atténdere exémplum ejus; quia quámdiu in terris viſus eſt, & cum homínibus converſátus eſt, non declinávit ad déxteram, neque ad ſiníſtram; ſed viam régiam ténuit, donec veníret ad illum, qui dicit: Ego ſum via, véritas, & vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátem verbórum ejus; & tunc vidébitis quómodo tam verbo, quàm exémplo lúxerit inter hómines: quália nobis veſtígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, & non errémus in eis. Verè juxta Prophétam: Sémita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulándum.

Lectio vj. n. 3.

SEd & diligentióri intúitu confuſiónem noſtram inſpiciámus: quia homo ille símilis nobis fuit paſſíbilis, ex eódem luto formátus, ex quo & nos. Quid ergo eſt quod non ſolùm diffícile, ſed & impoſſíbile crédimus, ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, & contremiſcámus.. Hómines iſti fuérunt, qui præceſſérunt nos, qui tam mirabíliter proceſſérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuiſſe credámus. Sic ergo in Sanctórum feſtivitátibus, & gaudére, & confúndi debémus: gaudére, quia Patrónes præmiſimus; confúndi, quia eos imitári non poſſumus.

IN III. NOCTURNO.

Si non ſit Homilia propria.

Lectio ſancti Evangélii ſecundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 5.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Quis

veſtrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homília ſancti Basílii Epíſcopi.

Conſtitut. Monaſt. Cap. I.

HOc exémplum idcírco nobis propónitur à Dómino, ut in fide acres ac pertináces eſſe nos dóceat. Exémplum ab hómine ad álium hóminem ſumit; ut intélligas nullâ labóris fatigatióne debére te à ſuſcépto propóſito desíſtere, ut vidélicet quandocúmque áliquid petíeris, neque impetráveris, támdiu perſevéres quoad ímpetres; ſi tamen ea petas, quæ voluntáti Dei non repúgnent. Neque díxeris: Peccátor ſum, & proptérea non exaúdior. Ut enim diffidéntiæ ille tibi cauſam omnem præcíderet, illud adjécit: Etſi non dabit illi ſurgens, eò quòd amícus ejus ſit, propter improbitátem tamen dabit illi quotquot habet neceſſários.

Lectio viij.

OPórtet ítaque divínum auxílium flagitáre: flagitándum autem eſt non ſégniter, neque mente huc & illuc divagante; síquidem quisquis eſt ejúſmodi, non ſolùm non conſecutúrus eſt quæ petet, imò verò Dóminum magis exaſperábit. Si enim cùm áliquis coram príncipe ſtat, ac lóquitur, ſtat cum multo timóre, atque tum extérnum, tum intérnum ánimæ óculum nequáquam vagum, ſed inténtum habet, ne fortè in áliquod perículum véniat; quantò magis coram Deo cum timóre & tremóre ſtandum eſt, mente totâ in illum ſolum, nuſquam verò aliò inténtâ. Nam ipſe non extérnum hóminem modò videt, velut hómines; ſed intérnũ étiam intuétur.

Lectio ix.

SI ſic vi tibi illátâ omne opus bonum perfícias, ne ſuperſéderis, quoad petíta conſequáre; ſed patiénter fores ejus pulſa, cùm petis: Omnis enim, inquit, qui petit, áccipit; & qui quærit, ínvenit; & pulſánti aperiétur. Quam enim áliam rem áſſequi vis, niſi ſolam ſecúndùm Deum ſalútem? Vis díscere, ô dilécte, quómodo patiéntes fúerint Sancti, nec ſpem abjécerint? áccipe exémpla. Nos autem annum orámus, & desíſtimus. At ſæpè, inquis, petívi, & tamen non accépi. Prorsùs quia malè petivíſti, aut dubitánter, aut vagâ mente, aut ea quæ tibi non condúcunt. Quòd ſi ſæpè étiam flagitáſti conducibília, at non perſeveráſti. Scriptum eſt enim: Qui perſeveráverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

Ad *Horas in* ℟. *br. additur duplex* Alleluia, *ut in Annualibus*.

DIEBUS INTRA OCTAVAM.

Per Octavam ritus eſt Semiduplex, & in die Octava Duplex 4. Claſſ.

AD OFFICIUM NOCT.

Tres Antiph. ℣. & ℟℟. ex Nocturno diei ſecundùm Rubricam pro feriâ occurrente.

Lectio j. & ij. de Scriptura occur. (ſecunda & tertia junctis in unam.)

Lectio iij. ut infrà pro quâlibet die.

Dominicâ intra Octavam occurrente, totum Officium fit de Dominica, incipiendo à 1. Veſperis, cum commem. Octavæ in utriſque Veſperis & Laudibus.

SECUNDA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Gregórii Nyſſéni Epíſcopi.

Orat. de S. Theodoro.

CONſideráte, hujus puri cultûs miniſtri ſtudióſi, quanta res ſit juſtus, quàmque multas conſequátur remunerationes: & cognito pietátis fructu, imitamini consílium, & aſpiráte ad ánimum & voluntátem eórum, qui ita præ cæteris honorántur. Cui regum talis honor habétur? quis eſt ex iis, qui ſupra modum inter hómines excéllere viſi ſunt, qui tali memóriâ celebrétur? quis imperatórum, qui urbes munítas cepérunt, natiónes innúmeras ſubegérunt, ádeò decantátus, & famâ celebrátus eſt?

TERTIA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Epiſtol. 22. ad Marcellinam ſororem.

GRátias tibi, Dómine Jeſu, quòd hoc témpore tales nobis Sanctórum ſpíritus excitáſti, quo Eccléſia tua ſancta præſídia majóra desíderat. Agnóſcant omnes quales ego propugnatóres requíram. Hos ego acquisivi tibi, plebs ſancta, qui proſint ómnibus, némini nóceant: tales ego ámbio defensóres: tales mílites hábeo; hoc eſt, non ſæculi mílites, ſed mílites Chriſti. Nullam de tálibus invídiam tímeo, quorum, quò majóra, eò tutióra patrocínia ſunt. Horum étiam illis ipſis, qui mihi eos invídent, opto præſídia. Véniant ergo, & vídeant ſtipatóres meos: tálibus me armis ambíri non nego. Nos etſi eos vidére non poſſumus, ſentímus tamen.

QUARTA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Hierónymi Presbyteri.

Contra Vigilantium.

DIcis in libéllo tuo, quòd dum vívimus, mútuò pro nobis oráre póſſumus: poſtquam autem mórtui fuérimus, nullíus ſit pro álio exaudiénda orátio. Si Apoſtoli & Mártyres adhuc in córpore conſtitúti, poſſunt

orâre pro cæteris, quandò pro ſe adhuc debent eſſe ſollíciti; quantò magis poſt corónas, victórias, & triúmphos? Unus homo Móyſes ſexcéntis míllibus armatórũ ímpetrat à Deo véniam; & Stéphanus imitátor Dómini ſui, & primus Martyr in Chriſto, pro perſecutóribus véniam deprecátur: & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minùs valébunt?

QUINTA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Basílii Epíſcopi.

Orat. in 40. Martyres.

PArátum eſt hìc Chriſtiánis auxílium, vidélicet exércitus triumphántium, chorus laudántium Deum. Qui áliquâ prémitur angúſtiâ, ad hos cónfugit: qui rurſus lætátur, ad hos occúrrit: hic ut à malis liberétur; ille ut duret in rebus lætis. Hìc múlier orans pro fíliis audítur; peregrinánti viro réditum incólumem, ægrotánti verò ſalútem implórat. O ſanctum chorum! ô ſacrum órdinem! ô cúneum inexpugnábilem! ô commúnes humáni géneris cuſtódes, óptimi curárum ſócii, precum adjutóres, legáti apud Deum potentíſſimi, aſtra mundi, flores Eccleſiárum! vos non terra contéxit, ſed cœlum excépit.

SEXTA DIE.

Sermo ſancti Clementis Papæ & Mártyris.

Epiſt. 1. ad Cor. Cap. 32. 33.

II glóriam & amplitúdinem conſecúti ſunt, non per ſeípſos aut ópera ſua, aut juſtas actiónes quas fecérunt, ſed per voluntátem Dei. Et nos igitur ex voluntáte illíus in Chriſto Jeſu vocáti, non per nos ipſos juſti efficimur, neque per ſapiéntiam noſtram, aut intelligéntiam, aut pietátem, aut ópera quæ in cordis ſanctitáte operáti ſumus; ſed per fidem, per quam cunctos, qui umquam juſti fuérunt, juſtificávit Deus omnípotens. Quid ígitur faciémus, fratres? ceſſábimus à bonis opéribus, & charitátem derelinquémus? neútiquam hoc à nobis fíeri permíttat Dóminus: ſed cum diligéntiâ & alacritáte feſtinémus omne opus bonum perfícere. Videámus quòd in bonis opéribus ornáti fuérunt omnes juſti. Et ipſe Dóminus cùm ſe opéribus decoráſſet, gavíſus eſt. Habéntes ítaque hoc exémplar, ímpigrè ad voluntátem ejus accedámus; ex totis víribus noſtris operémur opus juſtítiæ.

SEPTIMA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. I. *in Epiſtol. Joan.* n. 8.

JOannes quid dixit? Et ſi quis peccáverit, advocátum habémus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum. Sed dicit áliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis? ergo Epíſcopi vel Præpóſiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite Scripturas, & vidéte quia & Præpóſiti comméndant ſe pópulo. Nam Apóſtolus dicit plebi: Orántes ſimul & pro nobis. Orat Apóſtolus pro plebe: orat plebs pro Apóſtolo. Orámus pro vobis, fratres; ſed & vos oráte pro nobis: ínvicem pro ſe ómnia membra orent, caput pro ómnibus interpéllet.

IN OCTAVA.

Duplex 4. Claſ.

Omnia ut in die, exceptis iis quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv.

In Feſto omnium SS. Serm. 5. n. 3. 4. *&* 5.

ILlórum lauda virtútem, quorum jam certa victória eſt: illos devótis extolle præcóniis, quorum ſecúrè potes adgaudére corónis... Secúrè laudantur hómines, qui non ſuâ jam vivunt vitâ, ſed Dei.. Non enim eſt quò vánitas intret, ubi véritas jam totum occupávit. Sed quænam, ínquies, glória Sanctis? ad quid ergo Sanctis laus noſtra? ad quid glorificátio noſtra? ad quid noſtra hæc ipſa ſolémnitas? Quò eis terrénos honóres, quos juxta verácem Fílii promiſſiónem honoríficat Pater cœleſtis? Quò eis præcónia noſtra? Pleni ſunt. Prorsùs ita eſt, dilectíſſimi, honórum noſtrórum Sancti non egent, nec quidquam eis noſtrâ devotióne præſtátur. Planè quòd eórum memóriam venerámur, noſtrâ intereſt, non ipsórum. Vultis ſcire quantùm íntereſt noſtrâ? Ego in me, fáteor, ex hac recordatióne ſéntio deſidérium véhemens inflammári. Quando & nos addémur ad patres noſtros? quando eſſentiáliter præſentábimur eis? Hoc enim primum deſidérium, quod in nobis Sanctórum memória éxcitat, ut eórum tam optábili ſocietáte fruámur.

Lectio v. n. 10.

UT eam glóriam nobis ſperáre líceat, & ad tantam beatitúdinem adſpiráre, ſummópere nobis deſiderán da ſunt ſuffrágia Sanctórum: ut quot poſſibílitas noſtra non óbtinet, eórum nobis interceſſióne donétur. Miſeremini mei, miſeremini mei,

ſaltem vos amíci mei. Noſtis ipſi perículum noſtrum : noſtis figméntum noſtrum : noſtis ignorántiam noſtram, & dolos adverſariórum : noſtis eórum ímpetus, & noſtram fragilitátem. Vobis enim loquor, qui in eádem tentatióne fuíſtis ; qui eóſdem ſuperáſtis conflíctus, eóſdem láqueos evaſíſtis ; qui didicíſtis ex his, quæ paſſi eſtis, compaſſiónem.

Lectio vij. n. 10. 11.

ETſi de Angelis mihi árbitror præſuméndum ob ſpirituális ſubſtántiæ & rationalis formæ ſimilitúdinem ; amplióri tamen fidúciâ ad eos mihi reor verténdum, quos habére me nóverim & in ipſa humanitáte consórtes ; ut opórteat eos familiáriùs & ſpeciáliùs miſeréri oſſi de óſſibus meis, & carni de carne mea. Abſit, abſit à vobis, ánimæ ſanctæ, Ægyptia illa crudelitas pincérnæ Pharaónis, qui in gradum príſtinum reſtitútus, ſtatim oblítus eſt Joſeph ſancti, qui in cárcere tenebátur. Non enim erant uníus cápitis membra, nec áliqua pars fidéli cum infidéli, aut ulla ſocíetas Iſraelítæ ad Ægyptium... Nos quoque ſi non ſumus ipsíus cápitis membra, cujus & Sancti, unde eis tam ſolémnibus votis, & tanto gratulámur affectu ? Hæc ígitur noſtra & eórum cohæréntia eſt, ut nos gratulémur eis, ipſi compatiántur nobis : nos devótâ meditatióne regnémus in eis, ipſi in nobis & pro nobis mílitent piâ interventióne.

IN III. NOCTURNO.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 5.

IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Quis veſtrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi : Amíce, cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 7. in Luc. n. 87.

ALius præcépti locus eſt, ut in ómnibus moméntis, non ſolùm diébus, ſed étiam nóctibus orátio deferátur. Vides enim quòd iſte qui médiâ nocte perréxit, tres panes ab amíco ſuo póſtulans, & in ipſa peténdi intentióne persíſtens, non defraudátur orátis. Qui ſunt iſti tres panes, niſi myſtérii cœléſtis aliméntum ? Quód ſi díligas Dóminum Deum tuũ, non ſolùm tibi, ſed étiam áliis póteris emeréri. Quis autem amícior nobis, quàm qui pro nobis corpus ſuum trádidit ? Ab hoc médiâ nocte panes David pétiit, & accépit. Pétiit quando dicébat : Médiâ nocte ſurgébam ad confiténdum tibi. Neque enim tímuit ne excitáret dormiéntem, quem ſcit ſemper vigilántem.

Lectio viij. n. 88. & 89.

ET ideò ſcriptórum mémores, nóctibus ac diébus orationi inſtántes, peccátis noſtris véniam poſtulémus. Nam ſi ille tam ſanctus, & qui regni erat neceſſitátibus occupátus, ſépties in die laudem Dómino dicébat, matutínis & veſpertínis ſacrifíciis ſemper inténtus; quid nos fácere opórtet, qui eò ámpliùs rogáre debémus, quò frequéntiùs carnis & mentis fragilitáte delínquimus; ut de via laſſis, & iſtíus ævi curſu, ac vitæ hujus anfráctu gráviter fatigátis, panis refectiónis deéſſe non poſſit, qui hóminis corda confírmet? Nec ſolùm médiâ nocte Dóminus, ſed ómnibus propè docet vigilándum eſſe moméntis: venit enim & veſpertínâ, & ſecúndâ, & tértiâ vigíliâ, & pulsáre conſuévit. Beáti ítaque ſervi illi, quos, cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilántes.

Lectio ix. n. 89. & 90.

SI ergo deſíderas ut virtus Dei præcíngat ſe, & miníſtret tibi, vigilándum eſt ſemper: multæ enim inſídiæ ſunt bonis, & gravis córporis ſomnus; quia ſi dormíre mens cœperit, vigórem ſuæ virtútis amíttit. Excita ígitur ſomnum tuum, ut pulſes óſtium Chriſti. Quod aperíri ſibi étiam Paulus expóſcit, non ſolùm ſuis, ſed étiam pópuli oratiónibus óbſecrans ſe juvári, ut aperiátur óſtium ſibi ad loquéndum myſtérium Chriſti.... Ergo præceptívus locus frequénter orándi, ſpes impetrándi, rátio perſuadéndi; priùs in præcépto, poſt in exémplo. Qui enim promíttit áliquid, ſpem debet afférre promíſſi; ut mónitis obediéntia deferátur, promíſſis fides.

IN SOLEMNITATE
VEL
ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Dupl. 1. *Claſſ. SOLEMNE-MAJUS.*

AD I. VESPERAS.

Ut ſibi inter homines domus ædificetur, tandem probat Altiſſimus.

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 5. *F.* MAgnus eſt Deus noſter ſuper omnes deos. Quis ergo póterit prævalére, ut ædíficet ei dignam domum? 2. *Par.* 2. 5. 6.

Ant. t. 6. *f.* Si cœlum, & cœli cœlórum cápere eum nequeunt; quantus ego ſum ut poſſim ædificáre ei domũ? 2. *Par.* 2. 6.

Ant. t. 5. *a.* Opus námque grande eſt, neque enim hómini præparátur habitátio, ſed Deo. 1. *Par.* 29. 1.

Ant. t. 3. *E.* O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus! *Baruch.* 3. 24.

Ant. t. 6. *F.* Ergone credíbile eſt, ut habitet Deus cum homínibus ſuper terram? 2. *Par.* 6. 18.

Capitulum. Aggæi. 1. 7. 8.

HÆc dicit Dominus exercituum; Pónite corda veſtra ſuper vias veſtras: aſcéndite in montem, portáte ligna, & ædificáte domum; & acceptábilis mihi erit, & glorificábor.

℟. Non manſi in domo uſque ad diem hanc, dicit Dóminus: ſed fui ſemper in tentório, manens cum omni Iſrael. * Nunc dedi locum pópulo meo, plantábitur, & habitábit in eo, & ultrà non commovébitur. ℣. Tabernáculum teſtimonii fuit cum pátribus noſtris in deſérto uſque in diebus David: Sálomon autem ædificávit domum. * Nunc dedi. Glória. * Nunc. 1. *Par.* 17. 5. 6. 9. *Act.* 7. 44. 45. 47.

HYMNUS.

SIſte, qui ſanctam própe-
ras ad ædem;
Myſtico poſtquam ſacra
facta ritu

Scis Dei quòd ſit domus, & Tonántis
Altera ſedes?
Cujus in cœlo thronus eſt perénnis,
Parva vult terris habitáre tecta:
Incapax claudi, latet hoſpes arcto
Clauſus in orbe.

Non malos ultor venit inter ignes;
Non nigræ nimbo tonat è procéllæ:
Nec minùs credas plácido veréndа
Númine templa.

Quid vetus fluxit cruor hoſtiárum?
Príſtinæ ceſſent holocáuſta legis:
Aſtat hic aris, ſimul & Sacérdos,
Hóſtia Chriſtus.

Flectit & curvus Séraphim ſub alis,
Dum Deo libans Deus immolátur:
Seque, poſt funus ſíbimet ſupérſtes,
Præbet in eſcam.

Quid venis audax? procul hinc profánus;
Sancta ni fletûs lavet unda crimen!
Munda quàm multis jubet eſſe mundum
Vócibus ædes!

Trine, quæ ſanctis tibi thura fumant
Ædibus, grato pláceant odóre;
Et pluant pingues reſolúta lætis
Núbibus imbres. Amen.

℣. Fundátur exultatione univérſæ terræ mons Sion.
℟. Deus in domibus ejus cognoſcétur. *Pſ.* 47. 3. 4.

Ad Magnif. *Ant.* 1. 5. F. Sint óculi tui, Dómine, apérti ſuper domum hanc nocte ac die; ſuper domum de quâ dixíſti: Erit nomen meum ibi. 3. *Reg.* 8. 29.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD COMPLETORIUM.

Hodie & per Octavam.

HYMNUS.

Hoc in templo, ſumme Deus,
Exorátus ádveni;
Et cleménti bonitáte
Precum vota súſcipe:
Largam benedictionem
Hîc infúnde júgiter.

Hîc promereántur omnes
Petíta acquírere,
Et adépta poſſidére,
Cum ſanctis perénniter
Paradíſum introíre,
Tranſláti in réquiem.

Sit perénnis laus Paréntis;
Sit perénnis Fílio:
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perénnis, Spíritus,
Chriſma cujus nos inúngens
Viva templa cónſecrat.
Amen.

Ad Nunc dimitt. *Ant.* 1. 5. a. Qui ſtatis in domo Dómini, allelúia, in nóctibus extollite manus veſtras in ſancta, allelúia. *Pſ.* 133. 1. 2.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Dóminum in templo ſancto ſuo, * Veníte, adorémus, *Habac.* 2. 20.

IN I. NOCTURNO.

In domum ſibi templum conſecrat Dominus.

In Pſalm. 5. Verba mea aúribus pércipe, Dómine, *pag.* 121.

Ant. t. 5. *a.* Implébo domum iſtam glóriâ, & in loco iſto dabo pacem. *Aggæi.* 2. 8. 10.

In Pſalm. 23. Dómini eſt terra & plenitúdo ejus, *pag.* 34.

Ant. t. 2. *D.* Dabo ſanctificatiónem meam in médio eórum, & erit tabernáculum meum in eis. *Ezech.* 37. 26. 27.

In Pſalm. 25. Júdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntiâ, *pag.* 94.

Ant. t. 7. *D.* Glória Líbani véniet ad ornándum locum ſanctificatiónis meæ; & locum pedum meórum glorificábo. *Iſ.* 60. 13.

℣. Lætátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi; ℟. In domum Dómini íbimus. *Pſ.* 121. 1.

De libro ſecúndo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 1. *ad* 6.

CUm compléſſet Sálomon fundens preces, ignis deſcéndit de cœlo, & devorávit holocáuſta & víctimas: & majéſtas Dómini implévit domum. Nec póterant ſacerdótes ingredi templum Dómini, eò quòd impléſſet majéſtas Dómini templum Dómini. Sed & omnes filii Iſrael vidébant deſcendéntem ignem, & glóriam Dómini ſuper domum: & corruéntes proni in terram ſuper pavimentum ſtratum lápide, adoravérunt, & laudavérunt Dóminum: Quóniam bonus, quóniam in ſæculum miſericórdia ejus. Rex autem, & omnis pópulus, immolábant víctimas coram Dómino. Maſtávit ígitur rex Sálomon hóſtias, boum vigínti duo míllia, aríetum centum vigínti míllia: & dedicávit domum Dei rex, & univérſus pópulus.

℟. 1. Ecce gloria Dei Iſrael ingrediebátur per viam orientalem. Et majéſtas Dómini ingréſſa eſt templum, * Et dixit ad me: Fili hóminis, locus sólii mei, & locus veſtigiórum pedum meórum, ubi hábito in médio filiórum Iſrael in ætérnum. ℣. Implétum eſt templum fumo à majeſtáte Dei, & de virtúte ejus. * Et dixit. *Ezech.* 43. 2. 4. 7. *Apoc.* 15. 8.

Lectio ij. *v.* 6. *ad* 10.

SAcerdótes autem ſtabant in officiis ſuis: & Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum; Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus; hymnos David canéntes per manus ſuas. Porrò ſacerdótes canébant tubis ante eos, cunctúſque

Iſrael ſtabat. Sanctificávit quoque Salomon médium atrii ante templum Dómini; obtúlerat enim ibi holocáuſta & ádipes pacificórum; quia altáre æneum quod fécerat, non póterat ſuſtinére holocauſta & ſacrifícia & ádipes. Fecit ergo Salomon ſolemnitátem in témpore illo ſeptem diébus; & omnis Iſrael cum eo; eccléſia magna valde, ab intróitu Emath uſque ad torréntem Ægypti. Fecítque die octávo collécta, eò quòd dedicáſſet altáre ſeptem diébus, & ſolemnitátem celebráſſet diébus ſeptem.

℟. 2. In templo hoc ponā nomē meū in ſempitérnū: & ultra non fáciam commovéri pedem Iſrael, * Si tamen cuſtodíerint ópera ómnia quæ præcépi eis. ℣. Sicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos. * Si tamen. 4. *Reg.* 21. 7. 8. 2. *Cor.* 6. 16.

Lectio iij. v. 11. *ad* 17.

Complevítque Sálomon domum Dómini, & domum regis, & ómnia quæ diſpóſuerat in corde ſuo, ut fáceret in domo Dómini, & in domo ſuâ; & proſperátus eſt. Appáruit autem ei Dóminus nocte, & ait: Audívi oratiónem tuam, & elégi locum illum mihi in domum ſacrifícii. Si cláuſero cœlum, & plúvia non flúxerit, & mandávero & præcépero locúſtæ, ut dévoret terram; & míſero peſtiléntiam in pópulum meum: convérſus autem pópulus meus, ſuper quos invocátum eſt nomen meum, deprecátus me fúerit, & exquiſíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis ſuis péſſimis: & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum, & ſanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco iſto oráverit. Elégi enim, & ſanctificávi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempitérnum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus.

℟. 3. Elégi locum iſtum mihi in domum ſacrifícii. * Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco iſto oráverit. ℣. De omni re quamcúmque petíerint, fiet: ubi enim ſunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi ſum. * Oculi. Glória. * Oculi. 2. *Paral.* 7. 12. 15. *Matth.* 18. 19. 20.

IN II. NOCTURNO.

Quàm verenda domus Dei conſecrata.

In Pſalm. 28. Afférte Dómino, filii Dei, *pag.* 5.

Ant. t. 1. *A.* Tu, Dómine, elegíſti domum iſtam, ut eſſet domus oratiónis pópulo tuo. 1. *Mach.* 7. 37.

In Pſalm. 45. Deus noſter refúgium & virtus, *pag.* 96.

Ant. *t.* 2. *d.* Stábimus coram domo hâc in conſpéctu tuo; & clamábimus ad te in tribulatiónibus noſtris, & exáudies. 2. *Paral.* 20. 9.

In Pſalm. 47. Magnus Dóminus & laudábilis nimis, *pag.* 97.

Ant. *t.* 4. *E.* Sciant omnes pópuli, quia nomen tuum invocátum eſt ſuper domum hanc. 2. *Paral.* 6. 33.

℣. Sanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus, ℟. Deus in médio ejus. *Pſal.* 45. 5. 6.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv. in Dedic. Serm. I. n. I.

FEſtívitas hodiérna, fratres, tantò nobis debet eſſe devótior, quantò familiárior eſt. Nam cæteras quidem Sanctórum ſolemnitátes cum Eccléſiis áliis habémus commúnes; hæc vero ſic nobis eſt própria, ut neceſſe ſit, vel à nobis eam, vel à némine, celebrári. Noſtra eſt, quia de Eccléſiâ noſtrâ; magis autem noſtra, quia de nobis ipſis. Mirámini fórſitan, & erubéſcitis celebrári feſta de vobis: ſed nolíte fíeri ſicut equus & mulus quibus non eſt intelléctus. Quid enim lápides iſti potuérunt ſanctitátis habére, ut eórum ſolémnia celebrémus? Habent útique ſanctitátem, ſed propter córpora veſtra. An verò córpora veſtra ſancta eſſe quis dúbitet, quæ templum ſancti Spíritûs ſunt; ut ſciat unuſquíſque poſſidére vas ſuum in ſanctificatióne? Itaque ſanctæ ſunt ánimæ propter inhabitantem Spíritum Dei in vobis; ſancta ſunt córpora propter ánimas; ſancta eſt étiam propter córpora domus.

℟. 4. Réſpice, Sion, civitátem ſolemnitátis noſtræ Jerúſalem: * Tabernáculum quod nequáquam transférri póterit: quia ſolúmmodo ibi magníficus eſt Dóminus noſter. ℣. Domus Dei eſt Eccléſia Dei vivi, colúmna & firmaméntum veritátis. * Tabernáculum. *Iſ.* 33. 20. 21. 1. *Tim.* 3 15.

Lectio v. n. 3. & 4.

QUando domus iſta per manus Pontíficum dedicáta eſt Dómino, propter nos ſine dúbio factum eſt; in nobis proínde ſpirituáliter impléri necéſſe eſt, quæ in pariétibus viſibíliter præceſſérunt. Et ſi vultis ſcire, hæc útique ſunt; Aſpérſio, inſcríptio, inúnctio, illuminátio, & benedíctio. Hæc quidem in hâc viſíbili domo fecére Pontífices; hæc Chriſtus aſſíſtens Póntifex futurórum bonórum inviſibíliter quotídie operátur in nobis. Primò ſíquidem nos aſpérgit hyſſópo, ut mundémur, lavémur, dealbémur; .. Lavat, inquam, nos in con-

feſſióne; lavat nos lacrymárum imbre; lavat ſudóribus pœniténtiæ: magis autem lavat nos aquâ illâ pretioſíſſimâ quæ de fonte pietátis, id eſt, ab ejus látere, emanávit... Non ſolùm autem, ſed inſcribit dígito Dei, in quo ejiciébat dæmónia; haud dúbium quin in Spíritu ſancto. Inſcribit, inquam, legem ſuam, non jam in lápide, ſed in tabulis cordis carnálibus, prophéticam implens promiſſiónem, quâ ſe pollícitus eſt ablatúrum cor lapídeum, & cárneum cor eſſe datúrum; id eſt, non durum, non obſtinátum, non judáïcum; ſed pium, ſed manſuétum, ſed tractábile, ſed devótum.

℟. 5. Verè Dóminus eſt in loco iſto. * Quàm terríbilis eſt locus iſte! non eſt hic áliud, niſi domus Dei, & porta cœli. ℣. Audívi vocem magnam dicéntem: Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis. * Quàm terríbilis. *Gen.* 28. 16. 17. *Apoc.* 21. 3.

Lectio vj. n. 5. *&* 6.

UNde necéſſe eſt ut únctio ſpirituális grátiæ ádjuvet infirmitátem noſtram, obſervantiárum & multímodæ pœniténtiæ cruces devotiónis ſuæ grátiâ líniens; quia nec eſt ſine cruce ſequi Chriſtum, nec ſine unctióne crucis aſperitátem ferre quis poſſet? Hinc eſt quòd multi fúgiunt pœniténtiam; crucem quidem vidéntes, ſed non unctiónem. Vos, qui expérti eſtis, ecce ſcitis quia verè crux noſtra inúncta eſt, & per grátiam Spíritûs adjuvántis, ſuávis & delectábilis eſt pœniténtia noſtra, &, ut ita dicam, amaritúdo noſtra dulciſſima... Jam verò benedictiónem quidem expectámus in fine, quando apériet manum ſuam, & implébit omne ánimal benedictióne: nam in quátuor præmíſſis mérita conſtant; in benedictióne ſunt præmia. In benedictióne tota complébitur grátia ſanctificatiónis, quando jam in domum transíbimus non manufáctam, ætérnam in cœlis. Ipſa eſt quæ conſtrúitur vivis ex lapídibus, Angelis ſcílicet & homínibus. Simul enim ædificátio, & dedicátio ipſa complébitur.

℟. 6. Exaltáte Dóminum Deum noſtrum, & adoráte ſcabéllum pedum ejus, quóniam ſanctum eſt. * Adoráte in monte ſancto ejus: † Quóniam ſanctus Dóminus Deus noſter. ℣. Veri adoratóres adorábunt Patrem in ſpíritu & veritáte: nam & Pater tales quærit qui adórent eum.* Adoráte. Glória. † Quóniã. *Pſ.* 98. 5. 9. *Joan.* 4. 23.

IN III. NOCTURNO.

Ab omni irreverentiâ cave in domo Dei.

In Pſalm. 64. Te decet hymnus, Deus, in Sion, *pag.* 60.

Ant. t. 7. *C.* Solve calceaméntum de pédibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. *Exod.* 3. 5.

In Pſalm. 83. Quam dilecta tabernácula tua, *pag.* 99.

Ant. t. 3. *a.* Ipſe qui habet in cœlis habitatiónem, viſitátor & adjútor eſt loci illíus, & veniéntes ad malefaciéndum percutit, ac perdit. 2. *Mach.* 3. 39.

In Pſalm. 86. Fundaménta ejus in montibus ſanctis, *pag.* 99.

Ant. t. 2. *D.* Cadat virtus eórum in iracúndiâ tuâ, Dómine, qui promíttunt ſe violáre ſancta tua, & pollúere tabernáculum nóminis tui. *Judith.* 9. 11.

℣. Adorábo ad templum ſanctum tuum ℟. In timóre tuo. *Pſ.* 5. 8.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 11. *ad* 19.

IN illo témpore; Introívit Jeſus Jeroſólymam in templum: & circumſpéctis ómnibus, cùm jam véſpera eſſet hora, éxiit in Bethániam cum duódecim. Et réliqua.

Homília ſancti Baſílii Epíſcopi.

In Pſalm. 28. n. 3.

NEceſſária eſt adorátio, non ea quæ fit extra Eccléſiam, ſed quæ in ipsâ Dei aulâ perficitur. Ne mihi privátas aulas, aut Eccléſias excogitétis. Una eſt aula ſancta Dei. Synagóga Judæorum priùs aula erat: ſed poſt admíſſum in Chriſtum peccátum, facta eſt habitátio eórum desérta. Quaprópter & Dóminus: Et álias oves hábeo quæ non ſunt ex hoc ovíli. Cùm autem loquátur de iis qui ex géntibus ad ſalútem præordináti ſunt, aulam própriam præter Judæórum aulam oſténdit. Non ígitur extra ſanctam hanc aulam adoráre opórtet, ſed intra ipſam... Intérſunt multi in hábitu quidem precatiónis; nec ſunt tamen in aula ob mentis evagatiónem, & ánimi eórum aberrratiónem, ex vanis ac inutílibus curis naſcéntem.. Qui ventrem, aut glóriam, aut argéntum, aut quidvis áliud quod réliquis ómnibus pluris æſtimat, Deum fécerit, is neque adórat Dóminum, neque in aula ſancta eſt, etiámſi videátur eſſe dignus qui ad ſenſíbiles convéntus admittátur.

℟. 7. Audíte, qui ingredímini per portas has, ut adorétis Dóminum: * Bonas fácite vias veſtras, & ſtúdia veſtra. ℣. Appropinquáte Deo, & appropinquábit vobis: emundáte manus, purificáte corda. * Bonas fácite. *Jerem.* 7. 2. 3. *Jacob.* 4. 8.

Lectio viij. n. 7.

IN templo adſtant ſancti Angeli: adeſt Dóminus, qui ánimum ingrediéntium

feſſione; lavat nos lacrymárum imbre; lavat ſudóribus pœniténtiæ: magis autem lavat nos aquâ illâ pretioſiſſimâ quæ de fonte pietátis, id eſt, ab ejus látere, emanávit... Non ſolum autem, ſed inſcribit digito Dei, in quo ejiciébat dæmonia; haud dúbium quin in Spiritu ſancto. Inſcribit, inquam, legem ſuam, non jam in lápide, ſed in tabulis cordis carnálibus, prophéticam implens promiſſiónem, quâ ſe pollícitus eſt ablatúrum cor lapídeum, & cárneum cor eſſe datúrum; id eſt, non durum, non obſtinátum, non judáïcum; ſed pium, ſed manſuétum, ſed tractábile, ſed devótum.

℟. 5. Verè Dóminus eſt in loco iſto. * Quàm terríbilis eſt locus iſte! non eſt hic áliud, niſi domus Dei, & porta cœli. ℣. Audívi vocem magnam dicéntem: Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis. * Quàm terríbilis. *Gen.* 28. 16. 17. *Apoc.* 21. 3.

Lectio vj. n. 5. *&* 6.

Unde necéſſe eſt ut únctio ſpirituális grátiæ ádjuvet infirmitátem noſtram, obſervantiárum & multímodæ pœniténtiæ cruces devotiónis ſuæ grátiâ líniens; quia nec eſt ſine cruce ſequi Chriſtum, nec ſine unctióne crucis aſperitátem ferre quis poſſet? Hinc eſt quòd multi fúgiunt pœniténtiam; crucem quidem vidéntes, ſed non unctiónem. Vos, qui experti eſtis, ecce ſcitis quia verè crux noſtra inúncta eſt, & per grátiam Spiritûs adjuvántis, ſuávis & delectábilis eſt pœniténtia noſtra, &, ut ita dicam, amaritúdo noſtra dulciſſima... Jam verò benedictiónem quidem expectámus in fine, quando apériet manum ſuam, & implébit omne ánimal benedictióne: nam in quátuor præmíſſis mérita conſtant; in benedictióne ſunt præmia. In benedictióne tota complébitur grátia ſanctificatiónis, quando jam in domum tranſíbimus non manufactam, ætérnam in cœlis. Ipſa eſt quæ conſtrúitur vivis ex lapídibus, Angelis ſcílicet & homínibus. Simul enim ædificátio, & dedicátio ipſa complébitur.

℟. 6. Exaltáte Dóminum Deum noſtrum, & adoráte ſcabéllum pedum ejus, quóniam ſanctum eſt. * Adoráte in monte ſancto ejus: † Quóniam ſanctus Dóminus Deus noſter. ℣. Veri adoratóres adorábunt Patrem in ſpíritu & veritáte: nam & Pater tales quærit qui adórent eum. * Adoráte. Glória. † Quóniã. *Pſ.* 98. 5. 9. *Joan.* 4. 23.

IN III. NOCTURNO.

Ab omni irreverentiâ cave in domo Dei.

In Pſalm. 64. Te decet hymnus, Deus, in Sion, *pag.* 60.

AD LAUDES.

Si domus Dei eſt templum ex lapidibus conſtructum, & nos ipſi Dei ſumus domus ſpiritualis.

℣. *Sacerdos.* Cantáte Dómino cánticum novum :

℟. Laus ejus in Eccléſiâ Sanctórum. *Pſ.* 149. 1.

Pſalmi de Dominicâ.

Ant. t. 3. *A.* QUàm pulchra tabernácula tua, Jacob, & tentória tua, Iſrael! ut tabernácula quæ fixit Dóminus. *Num.* 24. 5. 6.

Ant. t. 4. *E.* Chriſti domus ſumus nos, ſi fidúciam, & glóriam ſpei uſque ad finem, firmam retineámus. *Heb.* 3, 6.

Ant. t. 8. *C.* Ad Dóminum accedéntes lápidem vivum; & ipſi tamquam lápides vivi ſuperædificámini, domus ſpirituális. 1. *Pet.* 2. 4. 5.

Ant. t. 5. *a.* Omnis.

CANTICUM *Tobiæ* 13.

v. 11. 13. *ad finem.*

JErúſalem cívitas Dei, luce ſpléndidâ fulgébis; * & omnes fines terræ adorábunt te.

Natiónes ex longínquo ad te vénient; & múnera deferéntes adorábunt in te Dóminum; * & terram tuam in ſanctificatiónem habébunt;

Nomen enim magnum * invocábunt in te.

Maledícti erunt qui contémpſerint te; & condemnáti erunt omnes qui blaſphemáverint te; * benedictíque erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in filiis tuis; * quóniam omnes benedicéntur, & congregabúntur ad Dóminum.

Beáti omnes qui díligunt te, * & qui gaudent ſuper pace tuâ.

Anima mea, bénedic Dóminum; * quóniam liberávit Jerúſalem civitátem ſuam à cunctis tribulatiónibus ejus Dóminus Deus noſter.

Beátus ero ſi fúerint relíquiæ ſéminis mei, * ad vidéndam claritátem Jerúſalem.

Portæ Jerúſalem ex ſapphíro & ſmarágdo ædificabúntur; * & ex lápide pretióſo omnis circúitus murórum ejus.

Ex lápide cándido & mundo omnes platéæ ejus ſternéntur; * & per vicos ejus Allelúia cantábitur.

Benedíctus Dóminus qui exaltávit eam; * & ſit regnum ejus in ſæcula ſæculórum ſuper eam.

Glória Patri, &c.

Ant. t. 5. *a.* Omnis ædificátio conſtrúcta in Chriſto Jeſu creſcit in templum ſanctum in Dómino; in quo & vos coædificámini in habitáculum Dei in ſpíritu. *Eph.* 2. 21. 22.

Ant. t. 1. *d.* Meménto, Dómine, teſtaménti tui, ut domus tua in ſanctificatióne tuâ permáneat. *Judith.* 9. 18.

Capitulum. 1. *Cor.* 6. 19. 20.

AN neſcitis quoniam membra veſtra, templum ſunt Spíritûs ſancti, qui in vobis eſt, quem habétis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis prétio magno. Glorificáte & portáte Deum in córpore veſtro.

℣. Domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, ℟. In longitúdinem diérum. *Pſalm.* 92. 5.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *a.* Habéntes fidúciam in introïtu ſanctórum in ſánguine Chriſti, accedámus cum vero corde, aſpérſi corda à conſciéntia mala, & ablúti corpus aquâ mundâ. *Hebr.* 10. 19. 22.

ORATIO

In die Dedicationis.

DEus, qui invíſibíliter ómnia continens, pro ſalúte géneris humáni ſigna tuæ poténtiæ viſibíliter oſténdis: templum hoc poténtiâ tuæ inhabitatiónis illúſtra, & concéde, ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, conſolatiónis tuæ benefícia conſequántur; Per, &c.

ORATIO

In Anniverſario Dedicat.

DEus, qui nobis per ſíngulos annos hujus ſancti templi tui conſecratiónis réparas diem, & ſacris ſemper myſteriis repræſentas incólumes; exáudi preces pópuli tui; & præſta ut quiſquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta ſe impetráſſe lætétur; Per, &c.

AD HORAS

Ant. de Laudibus.

Pſalmi de Dominicâ.

AD PRIMAM.

Ant. Quàm pulchra.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui magníficas in nobis locum tuum, & templum. 2. *Mach.* 3. 30.

CANON

Ex Concílio Coloniénſi primo. *An.* 1536. *part.* 9. *Canon* 13.

SIgnat templi Dedicátio tam fidélis ánimæ, quàm Eccléſiæ cum Chriſto deſponſatiónem. Quámobrem, niſi ómnia quæ in hujuſcémodi conſecratióne extérius agúntur, in nobis ſpirituáliter impleántur; parùm hinc fructûs nobis accéſſerit

AD TERTIAM.

Ant. Chriſti domus.

Capitulum. 2. *Cor.* 6. 16.

VOs eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus; quóniam inhabitábo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi pópulus.

℟. Nolíte confídere in verbis mendácii, dicéntes: Templũ Dómini eſt. * Quóniam † Si bene direxéritis vias veſtras, & ſtúdia veſtra, habitábo vobíſcum. ℣. Dei ædificátio eſtis: unuſquíſque autem vídeat quómodo ſuperædíficet. * Quoniam. Glória. † Si bene. *Jerem.* 7. 4.

§. 7. 1. *Corinth.* 3. 9. 10.

℣. Quis ſtabit in loco ſancto ejus? ℟. Innocens mánibus & mundo corde, allelúia. *Pſ.* 23. 3. 4.

Per Octavam. ℟. *br.* Sanctum eſt templum tuum. * Allelúia, allelúia. Sanctum eſt. ℣. Mirábile in æquitáte.* Allelúia. Glória. Sanctum eſt. *Pſ.* 64. 5. 6.

℣. Confitébor tibi in ſæculum ℟. In conſpéctu ſanctórum tuórum, allelúia. *Pſ.* 51. 11.

AD SEXTAM.

Ant. Ad Dóminum.

Capitulum. Apoc. 3. 12.

QUi vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, & foràs non egrediétur ámpliùs: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei novæ Jerúſalem.

℟. *br.* Beátus quem elegíſti, & aſſumpsiſti; * Allelúia, allelúia. Beátus. ℣. Inhabitabit in atriis tuis. * Allelúia. Glória. Beátus. *Pſ.* 64. 5.

℣. Beáti, qui hábitant in domo tuâ, Dómine; ℟. In ſæcula ſæculórum laudábunt te, allelúia. *Pſ.* 83. 5.

AD NONAM.

Ant. Meménto.

Capitulum. Soph. 1. 9.

VIſitábo ſuper omnem qui arrogánter ingréditur ſuper limen in die illâ: qui complent domum Dómini Dei ſui iniquitáte & dolo.

℟. *br.* Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * Allelúia, allelúia. Dómine. ℣. Qui ingréditur ſine mácula. * Allelúia. Glória. Dómine. *Pſ.* 14. 1. 2.

℣. Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimã meam: ℟. Quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, allelúia. *Pſ.* 41. 5.

AD II. VESPERAS.

Ex domo Dei viſibili in terris, ad civitatem Dei inviſibilem in cælis aſſurgendum.

Ant. t. 3. *A.* Acceſsíſtis.

In Pſalm. 121. Lætátus ſum in his quæ dicta, *pag.* 111.

Ant. Acceſsíſtis ad Sion montem, & civitátem Dei vivéntis, Jerúſalem cœléſtem. *Hebr.* 12. 22.

Ant. t. 8. *C.* Dóminus.

In Pſalm. 126. Niſi Dóminus ædificáverit, *pag.* 52.

Ant. Dóminus Deus omnipotens templum illíus eſt, & Agnus. *Apoc.* 21. 22.

Ant. t. 4. *E.* Civitas.

In Pſalm. 131. Meménto, Dómine, David, *pag.* 112.

Ant. Cívitas non eget ſole, neque lunâ, ut lúceant in ea; nam cláritas Dei illumináv it eam, & lucérna ejus eſt Agnus. *Apoc.* 21. 23.

Ant. t. 5. *a.* Non intrábit.

In Pſalm. 137. Confitébor tibi, quóniam audíſti, *pag.* 53.

Ant. Non intrábit in eam

áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens, & mendácium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni. *Apoc.* 21. 27.

Ant. t. 1. *irr.* Beáti.

In Pſalm. 147. Lauda, Jerúſalem, Dóminum, *pag.* 93.

Ant. Beáti qui lavant ſtolas ſuas, ut per portas intrent in civitátem. *Apoc.* 22. 14.

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 1.

SCimus, quóniam ſi terréſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cœlis.

HYMNUS.

O Domus cœlis ópibus
fecúnda!
Dives en plenis mánibus
ſcatúrit
Fons tibi Chriſtus, váriis
& undans
Grátia rivis.

Hic ſacri mundant látices,
ab ortu
Inditam primi máculam
reátus:
Hìc & infúſo nova conſecrántur
Chríſmate membra.

Se dat in menſa cibus Angelórum;
Quem fames aris ſatiánda
ſiſtit,
Gaudet hic ſacro reparáre vires
Lætus ab eſu.

Ore divínum ſitiénte ve-
bum
Sugit hìc infans, cúpi-
docéri:
Lac datur parvo, ſolid-
que fortis
Páſcitur eſcâ.

Hìc ſalus cunctis ſua co-
ægris:
Hìc ſacros Numen ſa-
per miníſtros
Jura dum laxat, redi-
pellit
Grátia culpam.

Hìc ruens prompti cohibé-
fulmen
Stant ab advérſo, Domi-
númque placant,
Víndices in nos quóti-
ab alto
Dépluit iras.

Trine, quæ ſanctis tibi thura fumant
Ædibus, grato pláceant
odóre,
Et pluant pingues reſolúta lactis
Núbibus imbres.
Amen.

℣. Quam diléćta tabernácula tua, Dómine virtútum!
℟. Concupíſcit, & déficit ánima mea in átria Dómini. *Pſalm.* 83. 2. 3.

Ad Magn. *Ant. t.* 5. *F.* In hoc ingemíſcimus, habitatiónem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupiéntes: ſi tamen veſtíti, non nudi inveniámur. 2. *Cor.* 5. 2. 3.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

INTRA OCTAVAM DEDICATIONIS.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. ut in die Feſti.

Pſalmi de Feriâ occurrente.

Tres Antiphonæ ℣. *&* ℟℟℟. *ex uno ex Nocturnis Feſti juxta Rubricam: Duæ primæ Lectiones ex Scripturâ occurrente. Tertia ut habetur infrà in quálibet die.*

AD LAUDES.

Ant. Prima de Laudibus, Pſalmi de Feria. Canticum ut in die. Cætera ut in Laudibus Feſti.

AD HORAS breves Antiphonæ de Laudibus quartâ prætermiſſâ ut in die. Reliqua ut in Feſto præter Canonem.

AD VESPERAS.

Antiph. prima de II. Veſperis; Pſalmi de Feriâ: reliqua ut in II. Veſperis diei. Completorium, ut ſuprà.

SECUNDA DIE INTRA OCTAVAM DEDICATIONIS.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Lectio iij.

Serm. 356. in Dedicat. Eccl. c. 1. aliàs de tempore. 256.

CElébritas hujus congregationis, Dedicátio eſt domûs orationis. Domus ergo noſtrárum orationum, iſta eſt; domus Dei, nos ipſi. Si domus Dei, ons ipſi, nos in hoc ſæculo ædificámur, ut in fine ſæculi dedicémur. Ædificium, immò ædificatio habet labórem, Dedicatio exultatiónẽ. Quod hic fiébat, quando iſta ſurgébant; hoc fit modò, cùm congregántur credéntes in Chriſtum. Credéndo enim, quaſi de ſylvis & móntibus ligna & lápides præcidúntur: cùm verò catechizántur, baptizántur, formántur, tamquam inter manus fabrórum & opíficum dolántur, collineántur, complanántur. Verúmtamen domum Dómini non fáciunt, niſi quando charitáte compaginántur.

TERTIA DIE.

De Sermóne ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Lectio iij.

Unde ſuprà. c. 6.

DUm novam conſtructiónem ſanctæ hujus Eccléſiæ libénter atténdimus, quam divíno nómini dedicámus; invenímus à nobis debéri, & Deo noſtro máximâ laudem, & ſanctitáti veſtræ cóngruum de divínæ domûs ædificatióne ſermónem. Tunc autem ſermo noſter cóngruus erit, ſi in ſe áliquid ædificatiónis hábeat, quod utilitáti animárum veſtrárum, Deo vos intériùs ædificánte, profíciat. Quod hîc factum corporáliter vidémus in paríetibus, ſpirituáliter fiat in méntibus; & quod hîc perféctum cérnimus in lapídibus & lignis, hoc, ædificánte gratiâ Dei, perficiátur in corpóribus veſtris. Principáliter ergo grátias agámus Dómino Deo noſtro, à quo eſt omne datum óptimum,

& omne donum perféctum ; quóniam ad conſtruéndam iſtam domum oratiónis fidélium ſuorum viſitávit ánimum , excitávit affectum, ſurrogávit auxilium... Adhuc ámpliùs agéndæ ſunt grátiæ Deo noſtro. Hanc enim Eccleſiam, quam fecit nómini ſuo conſtrui, fecit étiã ſanctorum Mártyrum relíquiis ampliùs honorári.

QUARTA DIE.

Sermo ſancti Joánnis Chryſoſtomi.

Lectio iij.

Homil. 33. *in Matth.*

Commúnis ómnium domus eſt Eccleſia, in quã vobis priùs ingréſſis, nos intrámus, diſcipulórum formam retinéntes : ideòque commúniter ómnibus, ſtatim atque ingreſſi fuérimus, pacem offérimus. Nemo ígitur ſocórdiâ tórpeat, nemo ſæcularibus rebus ſuſpenſum ánimum habeat, cum jam ad prædicándum Sacerdótes intráverint. Non enim parva huic rei ímminet pœna. Equidem míllies potius malim in domum alicujus veſtrûm ingréſſus deſtítui, quam hic prædicans non audiri. Hoc mihi moléſtius eſſet quàm illud ; quandoquidem hæc magis própriè domus noſtra eſt, quàm illa. Hic magnæ illæ noſtræ opes póſitæ ſunt, hic ſpes noſtra omnis. Quid enim hoc loco non magnum eſt, & admirándum ? Nam hæc menſa longè pretióſior eſt, atque jucundior ; & lucérna hæc quàm illa, ut nórunt qui cum fide óleo perúncti, à morbis liberáti ſunt. Arca étiam hæc multò mélior, magíſque neceſſária : non enim veſtes, ſed miſericórdiam inclúſam cóntinet.

QUINTA DIE.

Sermo ſancti Joannis Chryſóſtomi.

Lectio iij.

Homil. 1. *in* Vidi Dóminum.

Nulla res tantùm affert gáudii vitæ noſtræ, quantùm hoc, quòd ex ánimo gaudeátis in Ecclésia congregari. In Ecclésia, gaudéntium conſervátur gaudium. In Ecclésia, ánimo dejectórum eſt recreátio. In Ecclésia, doléntium eſt volúptas. In Ecclésia, defatigatorum reſpirátio. In Eccleſia, laborántiũ réquies. Veníte enim, inquit, ad me omnes, qui laboratis & oneráti eſtis ; & ego refíciam vos. Quid hâc voce poſſit eſſe deſiderabílius ? Quid hâc invitatióne jucúndius ? Ad epulum te vocat, qui in Eccléſiam te vocat Dominus. Ad réquiem pro labóribus adhoratur, ad relaxatiónem à moleſtiis transfert, pondus peccatórum állevans ; delíciis, ánimi moleſtiam ; gáudio, mœrorem ſanat. O ineffábilem curam ! O vocatiónem cœleſtem !

SEXTA

SEXTA DIE.

Sermo S. Cæsárii Epíſcopi.

Lectio iij.

Serm. 229. qui eſt in Dedicat. Eccleſiæ.

QUotiescúmque, fratres chariſſimi, altaris vel templi feſtivitátem cólimus, ſi fidéliter ac diligénter atténdimus, & ſanctè ac juſtè vívimus; quidquid in templis manufactis ágitur, totum in nobis ſpirituáli ædificatióne complétur; non enim mentítus eſt ille qui dixit: Templum Dei ſanctū eſt, quod eſtis vos; & íterum: Neſcítis quia córpora veſtra templum ſunt Spíritus ſancti? Quia verò nullis præcedéntibus méritis, ſed per grátiam Dei meruimus fieri templum Dei; quantum póſſumus, cum ipsíus adjutório laborémus, ne Dóminus noſter in templo ſuo, hoc eſt in nobis ipſis, inveniat quod óculos ſuæ majeſtátis offendat: ſed habitáculum cordis noſtri evacuétur vítiis, & virtútibus repleátur; claudátur diábolo, & aperiatur Chriſto.

SEPTIMA DIE.

Sermo ſancti Cæsárii Epíſcopi.

Lectio iij. Serm. 230.

QUia, fratres, habitáre desíderat in nobis Deus; cum ipsíus adjutório ita cor noſtrū ſtudeámus bonis ſemper cogitatiónibus occupare, & córpora noſtra ab omni ſorde luxúriæ munda cuſtodíre, ut Deum in nobis delectet habitáre. In templo enim à Salomóne ædificato légimus duo altária fuiſſe conſtitúta, unum foris, aliud intùs; in illo quod foris erat, animalium celebrabátur ſacrifícium; in illo verò quod intùs erat, thymiamatis offerebátur incenſum. Videámus ergo ne forte in nobis duo ſint altaria conſtitúta; córporis ſcílicet, & cordis noſtri. Dénique duplex à nobis ſacrifícium quærit Deus; unum, ut ſimus caſto córpore; áliud, ut mundo corde eſſe debeámus.

VESPERÆ de die Octava, ut in I. Veſperis Feſti.

OCTAVA DEDICATIONIS

Ritu Dupl. 3. Claſſis.

Omnia ut in die præter ea quæ ſequuntur.

Pſalmi de Feriâ in toto Officio.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scrip. occur.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Auguſtíni Epíſcopi.

Lectio iv. In Pſalm. 86.

FUndaménta ejus in móntibus ſanctis. Cívitas quædam in hoc Pſalmo cantátur, & commendatur; cujus cives ſumus, in quantùm Chriſtiáni ſumus; & unde peregrinámur quámdiu mortales ſumus, & ad quam téndimus.. Ambulántes ergo in Chriſto, & adhuc peregrinántes, donec perveniámus, & ſuſpirántes deſidério cu-

júſdam ineffábilis quiétis, quæ hábitat in illa civitáte; ſic cantémus ut deſiderémus. Dedicábitur domus aliquándo, quæ nunc fabricátur: modò enim fabricátur domus, id eſt Eccléſia; póſtea dedicábitur. In dedicatióne apparébit glória populi Chriſtiáni, quæ modò latet. Tamen, fratres, ántequam véniat dies dedicationis domûs, videamus quia jam dedicátum eſt caput noſtrum: jam facta eſt dedicátio domûs in cápite, tamquam dedicatio fundamenti.

Lectio v.

in Pſalm. 121. *num.* 4.

FUndaméntum quando pónitur in terra, déſuper ædificántur parietes, & pondus parietum ad ima tendit, quia in imo póſitum eſt fundaméntum. Si autem fundaméntum noſtrum in cœlo eſt, ad cœlum ædificémur. Córpora ædificavérunt iſtam ſtructúram, quam vidétis amplam ſurrexiſſe hujus baſilicæ: & quia córpora ædificavérunt, fundaméntum in imo poſuérunt. Quia verò ſpirituáliter ædificámur, fundaméntum noſtrum in ſummo póſitum eſt Illuc ergo currámus ubi ædificemur; quia de ipſa Jeruſalem dictum eſt: ſtantes erant pedes noſtri in atriis tuis, Jeruſalem.

Lectio vj.

Serm. 337. *de Ded. Eccl. C.* 2.

ITaque ſicut hoc ædifícium viſíbile factum eſt nobis corporáliter congregándis; ita illud ædificium, quod nos ipſi ſumus, Deo ſpirituáliter habitatúro conſtruitur: Templum enim Dei ſanctum eſt, inquit Apóſtolus, quod eſtis vos. Sicut hoc terrénis mólibus conſtrúimus; ſic illud bene compóſitis móribus erigámus. Hoc enim nunc viſitantibus nobis, illud in fine ſæculi, Dómino veniénte, dedicábitur; quando corruptíbile hoc noſtrum índuet incorruptiónem, & mortále hoc noſtrum índuet immortalitátem; quia corpus humilitatis noſtræ conformábit córpori glóriæ ſuæ.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangelii ſecúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 10. v. 22.

IN illo témpore: Facta ſunt Encænia in Jeroſólymis; & Hyems erat; & ambulabat Jeſus in templo, in pórticu Salomónis. Et reliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Expoſit. in Evang. Joan.

ENcænia vocabatur ſolemnitas dedicatiónis templi, quam pópulus Dei ex antiqua Patrum traditióne per annos ſingulos celebrare conſueverat. Sed notandum eſt quòd hæc Encænia, quæ hîc legúntur, non

ad primam templi dedicationem, ſed ad últimam pértinent: quod ex eo fácilè colligitur, quia Hyeme facta referúntur. Prima síquidem ejúſdem templi dedicatio à Salomóne témpore Autúmni; ſecúnda autem à Zoróbabel & Jeſu Sàcerdote témpore Veris; tertia à Juda Machabæo témpore Hyemis eſt facta, quando ſpeciáliter conſtitútum eſſe légitur, ut éadem dedicátio per omnes annos in memóriam ſolémnibus renovarétur officiis: quæ étiam ad tempus uſque Domínicæ incarnatiónis obſerváta fuit, ſicut modò, cùm legerétur Evangélium, audívimus. Quæ étiam dedicátio ſalúbri conſuetúdine in Eccléſiis Chriſti ſervári moderno témpore dignóſcitur.

Lectio viij.

ET ambulábat Jeſus in pórticu Salomónis. Si Dei Filius ambuláre vóluit in templo in quo caro & ſanguis brutorum animálium offerebatur; multò magis noſtram oratiónis domum, ubi carnis ipsíus ac sanguinis ſacraménta celebrántur, viſitare gaudebit. Si perambuláre non deſpéxit pórticum, in quo rex quondam mortális ac terrénus, quamvis potentíſſimus ac ſapientíſſimus, ad orándum ſtare ſolébat; quantò magis penetrália córdium noſtrórum inviſere atque illuſtráre desíderat; ſi tamen ea pórticum eſſe Salomónis, hoc eſt, ſi ea timórem ſuum, qui eſt inítium ſapiéntiæ, habére perſpéxerit?

Lectio ix.

NEque enim putándum eſt, quia domus ſolúmmodo in qua ad orándum, vel ad myſtéria celebránda convenímus, templum ſit Dómini; & non ipſi qui in nómine Dómini convenímus, multò amplius templum ejus appellemur & ſimus; cum manifeſtè dicat Apóſtolus; Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus, Inhabitabo in eis, & inter illos ambulábo.

OFFICIUM BEATÆ MARIÆ IN SABBATO.

Omnibus Sabbatis, præterquam in Adventu, Quadrageſima, quatuor Temporibus ac Vigiliis Aſſumptionis B. M. & omnium Sanctorum; & niſi occurrat Feſtum Dupl. vel Semid. fit Officium de Beata, ut infrà.

AD VESPERAS FERIÆ SEXTÆ.

Si Feria 6. factum ſit Officium de Dupl. fiet tantùm commemoratio de Beata, ſub Ant. ad Magnif. ℣. *& Orat. ſequent... ſi Feria dicta 6. factum ſit Officium de Semid. Veſperæ erunt de Beata, cum commemoratione de Semid. fit etiam commemoratio de Simpl.*

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 1. irr. BEnedícta es tu, filia, à Dómino Deo excélſo, præ ómnibus muliéribus ſuper terram. *Judith.* 13. 23.

Ant. t. 3. E. Super te oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. *Iſ.* 60. 2.

Ant. t. 4. E. Ex te egrediétur qui ſit Dominátor in Iſrael. *Mich.* 5. 2.

Ant. t. 5. F. Vidébunt gentes juſtum tuum, & cuncti reges íinclytum tuum. *Iſ.* 62. 2.

Ant. t. 7. a. Magna eris, & nomen tuum nominábitur in univérſa terra. *Judith.* 11. 21.

Capitulum. Gen. 3. 14. 15.

AIt Dóminus Deus ad ſerpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & ſemen tuum & ſemen illíus: ipſa cónteret caput tuū.

HYMNUS.

AVe, maris ſtella,
Dei mater alma,
Atque ſemper Virgo,
Felix cœli porta:

Sumens illud Ave,
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.

Monſtra te eſſe matrem;
Sumat per te preces,

Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolútos
Mites fac & caſtos.
Vitam præſta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jeſum
Semper collætémur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus,
Spirítui ſancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur ſuper ſalutári ſuo. *Pſ.* 34. 9.

Ad Magn. *Ant. t.* 6. *f.* Deus oſténdet ſplendórem ſuum in te, omni qui ſub cœlo eſt. *Baruch.* 5. 3.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Compl *ut in Pſalt. Ad fin. Hym.*

Qui natus es de Vírgine
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula. Amen.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Jeſum de Maríâ natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1. 16.

Novem Pſalmi de Feria ſub tribus Antiphonis ſequentibus.

Ant. t. 1. *A.* Eris coróna glóriæ in manu Dómini; quia complácuit Dómino in te. *Iſ.* 62. 3. 4.

Ant. t. 4. *E.* In ómnia ſæcula ſæculórum luce ſpléndidâ fulgébis. *Tob.* 13. 12. 13.

Ant. t. 8. *g.* In te benedicéntur univérſæ cognatiónes terræ. *Gen.* 12. 3.

℣. Glorióſa dicta ſunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Pſ.* 86. 3.

Duæ primæ Lectiones erunt de Scriptura occurrente, tertia erit una ex inferiùs poſitis ſecundùm menſem, niſi in Sabbato fiat de Vigilia habente Evangelium: tunc enim tertia Lectio erit de Homilia.

℟. 1. Tu glória Jerúſalem, tu lætítia Iſrael, tu honorificéntia pópuli noſtri, confortátum eſt cor tuum, * Eò quòd caſtitátem amáveris, & ídeò eris benedícta in ætérnum. ℣. María, inveníſti grátiam apud Deum; * Eò quòd. *Judith.* 15. 10. 11. *Luc.* 1. 30.

℟. 2. Benedíctus Dóminus, qui creávit cœlum & terram, * Qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum noſtrórum. ℣. Beáta, quæ credidíſti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta ſunt tibi à Dómino: * Qui te. *Judith.* 13. 24. *Luc.* 1. 45.

℟. 3. Dóminus nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum, * Propter anguſtias géneris tui, ſubveníſti ruínæ ante conſpéctum Dei noſtri.

℣. Ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus Jeſum. * Propter. Glória Patri. * Propter.

Judith. 13. 25. *Luc.* 1. 31.

Te Deum *dicitur.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Confiteántur tibi pópuli, Deus; ℟. Terra dedit fructum ſuum. *Pſalm.* 66. 6. 7.

Ant. t. 1. *A.* AVe, grátiâ plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1. 28.

Ant. t. 3. *a.* Tota pulchra es, & mácula non eſt in te. *Cant.* 4. 7.

Ant. t. 5. *a.* Multæ fíliæ congregavérunt divítias; tu ſupergréſſa es univérſas. *Prov.* 31. 29.

Ant. t. 7. *a.* In omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur ſuper te Deus Iſrael. *Judith.* 13. 31.

Ant. t. 6. *f.* Venit lumen tuum, & glória Dómini ſuper te orta eſt. *Iſ.* 60. 1.

Capitulum. Iſ. 7. 13. 14.

AUdíte, domus David: Dabit Dóminus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concípiet, & páriet Fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dómini, ℟. Quæ póſuit prodígia ſuper terram. *Pſ.* 45. 9.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Beátus venter, qui te portávit, & úbera quæ ſuxíſti. *Luc.* 11. 27.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére; & glorióſâ beátæ Maríæ ſemper Vírginis interceſſióne, à præſenti liberári triſtítiâ, & ætérna pérfrui lætítia; Per, &c.

Ad Hor. br. Ant. de Laud.

AD PRIMAM.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui natus es de Maríâ Vírgine, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. Cant. 6. 9.

QUæ eſt iſta quæ progréditur quaſi auróra conſúrgens, pulchra ut luna, elécta ut ſol, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta?

℟. *br.* Diffúſa eſt grátia * In lábiis tuis. Diffúſa.

℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. * In lábiis. Glória. Diffúſa. *Pſ.* 44. 3.

℣. Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ ℟. Inténde, próſperè procéde, & regna. *Pſ.* 44. 5.

AD SEXTAM.

Capitulum. Tob. 13. 23.

BEnedíctus Dóminus qui exaltávit eam, & ſit regnum ejus in ſæcula ſæculórum ſuper eam.

℟. *br.* Vultum tuum * Deprecabúntur. Vultum.

℣. Omnes dívites plebis, * Deprecabúntur. Glória. Vultum. *Pſ.* 44. 13.

℣. Concupíſcet rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. *Pſ.* 44. 12.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 12. 5.

MUlier péperit Fílium máſculum, qui rectúrus erat omnes gentes; & raptus eſt Fílius ejus ad Deũ, & ad thronum ejus.

℟. *br.* Homo * Natus eſt in ea. Homo; ℣. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. * Natus. Glória. Homo. *Pſ.* 86. 5

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

Hoc Officium terminatur ad Nonam.

Una ex ſequentibus Lectiónibus dicetur pro tertia Lectione in Officio B. M. in Sabbato, juxta menſem.

MENSE JUNIO.

Ex tractátu ſancti Auguſtíni Epíſcopi in Joánnem.

Lectio iij.

Tract. 10. *n.* 2.

DEſcéndit in Caphárnaum, ipſe & mater ejus, & fratres ejus. Unde fratres Dómino? Num enim María íterum péperit? Abſit. Inde cœpit dígnitas Vírginum. Illa fœmina mater eſſe pótuit; mulier eſſe non pótuit. Dicta eſt autem múlier ſecúndùm fœmíneum ſexum, non ſecúndùm corruptiónẽ integritátis: & hoc ex lingua ipsíus Scriptúræ. Nam & Heva ſtatim facta de látere viri ſui, nondum contacta à viro ſuo, noſtis quia múlier appelláta eſt; & formávit eam in mulíerem. Unde ergo, fratres? Cognáti Maríæ, fratres Dómini, de quolibet gradu cognati. Unde probámus? ex ipſa Scriptúra. Frater Abrahæ dictus eſt Lot, fílius erat fratris ipsíus. Lege, & invenies quia Abraham pátruus erat Lot; & dicti ſunt fratres. Unde, niſi quia cognáti? Item Jacob Laban Syrum habébat avúnculum: frater enim erat Laban matris Jacob, id eſt, Rebéccæ uxóris Iſaac. Lege Scriptúram, & invénies quia fratres dicúntur avúnculus & ſorórIs fílius. Quâ régulâ cógnitâ, invénies omnes conſanguíneos Maríæ fratres eſſe Chriſti.

MENSE JULIO.

Ex libro Morálium ſancti Gregórii Papæ.

Lectio iij.

Lib. 18. *Cap.* 52. *Art.* 85.

MEdiátor Dei atque hóminum, homo, Chriſtus Jeſus, non, ſicut iſte hæréticus déſipit, alter in humanitáte, alter in Deitáte eſt: Non purus homo concéptus atque éditus, poſt per méritum ut Deus eſſet, accépit: ſed nuntiánte Angelo, & adveniénte Spíritu, mox verbum in útero, mox intra úterum Verbum caro; & manénte incommutábili eſſéntiâ quæ eſt ei cum Patre & cum ſancto Spíritu coætérna, aſſúmpſit intra

virgínea víſcera, unde & impaſſíbilis pati, & immortális mori, & ætérnus ante ſæcula, temporális poſſet eſſe in fine ſæculórum: ut per ineffábile ſacraméntum, concéptu ſancto, & partu inviolabili ſecúndum veritátem utriúſque natúræ, éadem Virgo, & ancílla Dómini eſſet, & mater. Sic quippe ei ab Elízabeth dicitur: Unde hoc mihi, ut véniat mater Domini mei ad me? Et ipſa Vírgo concípiens dixit: Ecce ancilla Domini; fiat mihi ſecundum verbū tuū.

MENSE AUGUSTO.

De epiſtolâ ſancti Leónis Papæ ad Pulchériam Auguſtam.

Epiſt 27. *c.* 2.

Lectio iij.

SAcraméntum reconciliatiónis noſtræ ante témpora ætérna diſpóſitum, nullæ implébant figúræ: quia nondum ſupervéne-at Spíritus ſanctus in Vírginem, nec virtus Altíſſimi obumbráverat ei: ut intra intemeráta víſcera, ædificánte ſibi ſapiéntiâ domum, Verbum caro fieret; & formâ Dei ac formâ ſervi in unam conveniénte persónam, Creátor ómnium naſcerétur in témpore; & per quem facta ſunt omnia, ipſe inter ómnia gignerétur. Niſi enim novus homo factus in ſimilitúdinem carnis peccáti, noſtram ſuſcíperet vetuſtátem; & conſubſtantiális Patri, conſubſtantialis eſſe dignarétur & matri; naturámque ſibi noſtram ſolus à peccáto liber uníret, ſub jugo diáboli generaliter tenerétur humána captívitas.

OFFICIUM PARVUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ex devotione tantùm dicendum ut infrà.

AD VESPERAS.

Dictis, Pater. Ave. *incipitur*

℣. Deus, in adjutórium, &c. Glória Patri, &c. Allelúia *vel* Laus tibi, Dómine, &c. *Pro tempore.*

Antiph. ſola. t. 7. *A.* Non vocáberis.

PSALMUS 109.

DIxit Dñus Dño meo: * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * ſcabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * dominare in médio inimicórum tuórum.

Tecum principium in die virtútis tuæ, in ſplendóribus ſanctórum: * ex útero ante luciferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndum órdinem Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquaſſábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet; * proptérea exaltábit caput.

PSALMUS 112.

LAudáte, púeri, Dóminum; * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum: * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

A ſolis ortu uſque ad occáſum * laudábile nomen Dómini.

Excélſus ſuper omnes gentes Dóminus, * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter, qui in altis hábitat, * & humília réſpicit in cœlo & in terra?

Súſcitans à terra ínopem, * & de ſtércore érigens pauperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli ſui;

Qui habitáre facit ſtérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

PSALMUS 121.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtri * in átriis tuis, Jerúſalem;

Jerúſalem, quæ ædificátur ut cívitas; * cujus participátio ejus in idípſum.

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini; * teſtimónium Iſrael ad confiténdum nómini Dómini;

Quia illìc ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem; * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te:

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæsívi bona tibi.

PSALMUS 126.

NIſi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem, * fruſtrà vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem súrgere: * súrgite poſtquam ſedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis ſuis ſomnum, * ecce hæréditas Dómini, fílii; merces, fructus ventris.

Sicut ſagíttæ in manu poténtis; * ita filii excuſſórum.

Beátus vir qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis; * non confundétur, cùm loquétur inimícis ſuis in porta.

PSALMUS 147.

LAuda, Jerúſalem, Dóminum, * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum; * benedíxit filiis tuis in te:

Qui póſuit fines tuos pacem; * & ádipe fruménti sátiat te:

Qui emíttit elóquium ſuum terræ; * velóciter currit ſermo ejus:

Qui dat nivem ſicut lanã; * nébulam ſicut cínerem ſpargit:

Mittit cryſtállum ſuam ſicut buccéllas; * ante fáciem frígoris ejus quis ſuſtinébit?

Emíttet verbum ſuum, & liquefáciet ea; * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ;

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſrael.

Non fecit táliter omni natióni, * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

Ant. Non vocáberis ultrà Derelícta, quia complácuit Dómino in te. *Iſ.* 62. 4.

Capitulum. Iſ. 11. 1. 2.

EGrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcéndet: & requiéſcet ſuper eum Spíritus Dómini.

Hymnus. Ave, maris ſtella, *ut ſuprà*, pag. lxxxiv.

℣. Concupíſcet rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. *Pſ.* 44. 12.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. *a.* Magna eris, & nomen tuum nominábitur in univérsâ terrâ. *Judith.* 11. 21.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére; & glorióſâ beátæ Maríæ ſemper Vírginis interceſſióne, à præſenti liberari triſtítia, & ætérnâ pérfrui lætítiâ; Per Dóminum, &c.

Deinde fit commemoratio de omnibus Sanctis.

Ant. Regnáſti, Dómine Deus omnípotens, & advénit tempus réddere mercédem ſervis tuis, & ſanctis. *Apoc.* 11. 17. 18.

℣. Juſti confitebúntur nómini tuo, Dómine: ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Pſ.* 139. 14.

Oratio.

PRótege, Dómine, pópulum tuum, & Apoſtolórum tuórum Petri & Pauli, & aliórum Apoſtolorum patrocínio confidéntem perpétuâ defenſióne conſerva.

OMnes Sancti tui, quæſumus, Dómine, nos ubíque lætíficent; ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia ſentiámus: & pacem tuam noſtris concéde

tempóribus, & ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam; iter, actus, & voluntátes noſtras, & ómnium famulórum tuórum, in ſalútis tuæ proſperitáte diſpóne; benefactóribus noſtris ſempitérna bona retríbue; & ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam concéde; Per Dóminum, &c.

AD COMPLETORIUM.

Pater. Ave.

℣. Convérte nos, &c.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

Pſalmi Uſquequò, Dómine, *pag.* 56. Sæpe expugnavérunt me, *pag.* 133. De profundis, *pag.* 133. Dómine, non eſt exaltátum, *pag.* 133.

H Y M N U S.

O Quæ polo ſublímior
Regína cœli díceris!
Nos è ſupérnis ſédibus,
María, clemèns áſpice.

Chriſtus ſibi quos éligit
Fratres, adópta fílios:
Et matris in nos víſcera
Mitéſque vultus índue.

Sit laus Patri, laus Fílio
Qui natus eſt de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Capitulum. Judith. 13. 25.

NOmen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

℣. Mémores erunt nóminis tui, ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Pſ.* 44. 18.

Ad Nunc dimíttis. *Ant.* *t.* 5. Invéniam grátiam in conſpéctu tuo: experiménto dídici, quia benedíxerit mihi Deus propter te. *Geneſ.* 30. 27.

Oratio.

BEátæ & glorióſæ ſemper Vírginis Maríæ, quæſumus, Dómine, intercéſſio glorióſa nos prótegat, & ad vitam perdúcat ætérnam; Per Dóminum, &c.

Dóminus vobíſcum.

Benedicamus, &c.

Fidélium ánimæ, &c.

AD OFFICIUM NOCT.

Pater. Ave. Credo.

℣. Dómine, lábia mea, &c. ℣. Deus, in adjutórium, &c.

Invitat. Jeſum de María natum, * Veníte, adorémus. *Math.* 1. 16.

H Y M N U S.

NObis Deum quæ párturis,
O Virgo, matrum máxima!
Preces tibi quas fúndimus,
Offer benígna Fílio.

Novi ſimul tu fœderis,
Et orbis arca náufragi,
Colúmba pacis núntia,
Et pacis obſes mítteris.

Quo vivis, à te ſúſcipit
Vitam Creátor ómnium:
Imménſus in te cláuditur,
De te fit ætérnus caro.

Subdit tuis ſe légibus
Mundi treméndus légifer:
A te puer lac mútuat
Qui dat cibum quo páſceris.
Cœlum feréntem ſúſtines;
Greſſus Tonántis témperas;
Suóque ſtantem Númine
Loco, ſitúque dímoves.
Sit laus Patri, laus Fílio
Qui natus eſt de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Tres Pſalmi ſequentes ſub una Antiphona dicuntur die Dominicâ, in parvo Officio B. Mariæ, necnon Feriâ 2. & 5.

Ant. Erit tibi Dóminus.

PSALMUS 8.

DOmine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

Quóniam eleváta eſt magnificéntia tua * ſuper cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfeciſti laudem propter inimícos tuos; * ut déſtruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & ſtellas, quæ tu fundáſti.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam víſitas eum?

Minuíſti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronáſti eum; * & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjecíſti ſub pédibus ejus, * oves & boves univérſas, ínſuper & pécora campi:

Vólucres cœli & piſces maris, * qui perámbulant ſémitas maris.

Dómine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univerſa terra!

PSALMUS 18.

COeli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuū ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbū, * & nox nocti índicat ſciéntiam.

Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit ſonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In ſole póſuit tabernáculum ſuum; * & ipſe, tamquam ſponſus procédens de thálamo ſuo,

Exultávit ut gigas ad curréndam viam; * à ſummo cœlo egréſſio ejus;

Et occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus; * nec eſt qui ſe abſcóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * teſtimónium Dómini fidéle, ſa-

piéntiam præſtans párvulis.

Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini ſanctus, pérmanens in ſæculum ſæculi: * judícia Dómini vera, juſtificáta in ſemetipſa.

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretióſum multùm; * & dulciora ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea; * in cuſtodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me, & ab aliénis parce ſervo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero,* & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; * & meditátio cordis mei in conſpéctu tuo ſemper.

Dómine, adjútor meus, * & redémptor meus.

P s a l m u s 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ * velóciter ſcribéntis.

Speciólus formâ præ fíliis hóminum; diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum, * Potentíſſime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ inténde, * próſperè procéde,

Et regna propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli ſub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexíſti juſtítiam, & odíſti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cáſia à veſtiméntis tuis, à dómibus ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Aſtitit regína à dextris tuis in veſtítu deauráto,* circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam; * & oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui:

Et concupíſcet rex decórem tuum; * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus; & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus; * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis aureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines poſt eam; * próximæ ejus afferéntur tibi;

Afferéntur in lætítia & exultatióne; * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi fílii: * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in ſæculum ſæculi.

Ant. Erit tibi Dóminus in lucem ſempitérnam, & Deus tuus in glóriam tuam. *Iſ.* 60. 19.

℣. In ſole póſuit tabernáculum ſuum; ℟. Et ipſe tamquam ſponſus procédens de thálamo ſuo. *Pſ.* 18. 6.

Pater noſter, &c. *Benedictiones, Lectiones & ℟℟℟. ut infrà.*

IN II. NOCTURNO.

Tres Pſalmi ſequentes ſub una Antiphona dicuntur Feriâ 3. & Feriâ 6.

Ant. Ipſa eſt múlier.

PSALMUS 45.

DEus noſter refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra; * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ ſunt aquæ eórum: * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna: * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dóminus virtútum nobíſcum; * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ póſuit prodígia ſuper terram; * áuferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma; * & ſcuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego ſum Deus; * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíſcum; * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

PSALMUS 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur, * cùm ſuſcípiet eam;

Quóniam ecce reges terræ congregáti ſunt; * convenérunt in unum.

Ipſi vidéntes ſic admiráti ſunt, * conturbáti ſunt, commóti ſunt.

Tremor apprehéndit eos: * ibi dolóres ut parturiéntis.

In ſpíritu veheménti * cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei noſtri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suſcépimus, Deus, miſericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ: * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & compleƈtímini eam; * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus, & diſtribúite domos ejus; * ut enarrétis in progénie áltera;

Quóniam hic eſt Deus, Deus noſter in ætérnum, & in ſæculum ſæculi: * ipſe reget nos in ſæcula.

PSALMUS 84.

BEnedixíſti, Dómine, terram tuam, * avertíſti captivitátem Jacob.

Remiſíſti iniquitátem plebis tuæ; * operuíſti omnia peccata eórum.

Mitigaſti omnem iram tuam; * avertíſti ab irâ indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus ſalutáris noſter, * & averte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum iraſcéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérſus vivificábis nos; * & plebs tua lætábitur in te.

Oſténde nobis, Dómine, miſericórdiam tuam; * & ſalutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam;

Et ſuper ſanƈtos ſuos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum ſalutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi; * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt; * & juſtítia de cœlo proſpéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * & terra noſtra dabit fruƈtum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit; * & ponet in via greſſus ſuos.

Ant. Ipſa eſt múlier quam præparávit Dóminus fílio Dómini mei. *Gen.* 24. 44.

℣. Exultent fíliæ Judæ, ℟. Propter judícia tua, Dómine. *Pſ.* 47. 12.

Pater. *Leƈtiones ut infrà.*

IN III. NOCTURNO.

Tres Pſalmi ſequentes ſub una Antiph. dicuntur Fer. 4. & Sabb.

Ant. Benedixit.

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus ſanctis: * diligit Dóminus portas Sion ſuper ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dicta ſunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylonis, * ſciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & populus Æthíopum, * hi fuérunt illìc.

Numquid Sion dicet; Homo & homo natus eſt in ea; * & ipſe fundávit eam Altíſſimus?

Dóminus narrábit in Scripturis populórum, & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium, * habitátio eſt in te.

Psalmus 96.

DOminus regnávit, exúltet terra, * lætentur ínſulæ multæ.

Nubes & caligo in circúitu ejus; * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet; * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adorāt ſculptília, * & qui gloriántur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, & lætata eſt Sion;

Et exultavérunt filiæ Judæ * propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram; * nimis exaltátus es ſuper omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * cuſtodit Dóminus ánimas ſanctorum ſuórum, de manu peccatóris liberábit eos:

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, juſti in Dómino; * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum; * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus, * & brachium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum; * in conſpectu géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, * & veritátis ſuæ dómui Iſrael.

Vidérunt omnes términi terræ * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo, omnis terra; * cantáte, & exultate, & psallite.

Psállite Dómino in cíthara, in cithara & voce pſalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpéctu regis Dómini; * moveátur mare, &

& plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpéctu Dómini; * quóniam vénit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Benedíxit te Dóminus in virtúte ſuâ, quia per te ad níhilum redégit inimícos noſtros. *Judith.* 13. 22.

℣. Vidérunt omnes términi terræ ℟. Salutáre Dei noſtri. *Pſ.* 97. 3.

Pater noſter, &c.

Abſolutio.

BEnefáciat nobis Deus, & memínerit teſtaménti ſui quod locútus eſt, & exáudiat oratiónes noſtras. 2. *Mach.* 1. 2. 5. ℟. Amen.

Jube, Dómine, &c.

Benedict. Nobíſcum ſit Deus, qui in ancíllâ ſuâ adimplévit miſericórdiam quam promíſit dómui Iſrael. *Judith.* 13. 13. 18.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 10. *ad* 15.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz dicens; Pete tibi ſignum à Dómino Deo tuo in profúndum inférni, ſive in excélſum ſuprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David;: Numquid parum vobis eſt, moléſtos eſſe homínibus, quia moléſti eſtis & Deo meo. Propter hoc dabit Dóminus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concípiet, & páriet fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel. Tu autem, &c.

℟. Benedícam ei, & ex illa dabo Fílium, cui benedictúrus ſum. * Conſtítuam pactum meum illi in fœdus ſempitérnum.

℣. Hic erit magnus, & Fílius Altíſſimi vocábitur; & regnábit in domo Jacob in ætérnum. * Conſtítuam. *Gen.* 17. 16. 19. *Luc.* 1. 32.

Jube, Dómine, &c.

Benedict. 2. Arca fœderis Dómini ſalvet nos de manu inimicórum noſtrórum. 1. *Reg.* 4. 3.

De Libro Apocalypſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio ij. Cap. 11. *v.* 19. *&* Cap. 12. *v.* 1. *&* 5.

APértum eſt templum Dei in cœlo: & viſa eſt arca teſtaménti ejus in templo ejus, & facta ſunt fúlgura, & voces, & terræ motus, & grando magna. Et ſignum magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta ſole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna ſtellárum duódecim. Et péperi Fílium máſculum qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea: & raptus eſt fílius ejus ad Deum, & ad thronum ejus. Tu autem, &c.

℟. Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi: * Véritas de terra orta eſt, & juſtítia

de cœlo proſpéxit. ℣. De María natus eſt Jeſus, qui vocátur Chriſtus. * Véritas. *Pſ.* 84. 11. 12. *Matth.* 1. 16.

Jube, Dómine, &c.

Benedict. 3. Reſpíciat qui hoſtem pópuli ſui per manum fœminæ percúſſit, Dóminus Deus noſter. *Judith.* 13. 7. 18. 19.

Ex Libro ſancti Ambróſii Epíſcopi de Virgínibus. *Lib.* 2. *Cap.* 2.

Lectio iij.

SIt vobis tamquam in imágine deſcrípta virgínitas, vitaque Maríæ, de qua velut ſpéculo refúlget ſpécies caſtitátis, & forma virtútis. Quid nobílius Dei matre? Quid ſplendídius eâ quam ſplendor elégit? Quid caſtius eâ quæ corpus ſine córporis contagióne generávit? Nam de cæteris ejus virtútibus quid loquar? Virgo erat non ſolùm córpore, ſed étiã mente, quæ nullo doli ámbitu ſincérum adulteráret affectum; corde húmilis, verbis gravis, ánimo prudens, loquéndi párcior, legéndi ſtudióſior; non in incérto divitiárum, ſed in prece páuperis ſpem repónens.

℟. Memoráre diérum humilitátis tuæ; * Et tu ínvoca Dóminum, & lóquere regi pro nobis, & † Líbera nos de morte. ℣. María, inveníſti grátiam apud Deum. * Et tu. Glória. † Líbera. *Eſther.* 15. 2. 3. *Luc.* 1. 30.

Te Deum *dícitur diebus Dominicis & in Dupl. & Semid.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Confiteántur tibi pópuli, Deus: ℟. Terra dedit fructum ſuum. *Pſ.* 66. 6. 7.

Ant. ſola. Benedícta.

PSALMUS 66.

DEus miſereátur noſtri, & benedícat nobis: * illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtri;

Ut cognoſcámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Lætántur, & exúltent gentes; * quoniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedícat nos Deus, Deus noſter, benedícat nos Deus: * & métuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS 92.

DOminus regnávit, decórem indútus eſt; * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcínxit ſe.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc; * à ſæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dó-

mine, * elevavérunt flúmina vocem ſuam :

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirabiles elatiónes maris ; * mirábilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis : * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

PSALMUS 99.

JUbiláte Deo, omnis terra ; * ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpéctu ejus,* in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus ; ipſe fecit nos, & non ipſi nos : * pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus.

Introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus,* in ætérnũ miſericórdia ejus, & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

CANTIC. *Zachariæ* 2. *v.* 10. *ad finem.*

LAuda, & lætáre, fília Sion ; * quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, ait Dóminus.

Et applicabúntur gentes multæ ad Dóminum in die illa, * & érunt mihi in pópulum, & habitabo in médio tuî.

Et ſcies quia Dóminus exercítuum * miſit me ad te.

Et poſſidébit Dóminus Judam partem ſuam in terra ſanctificata ; * & éliget adhuc Jerúſalem.

Sileat omnis caro à fácie Dómini, * quia conſurréxit de habitáculo ſancto ſuo.

Glória.

PSALMUS 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus ; * laudate eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus ; * laudate eum ſecúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudate eum in ſono tubæ ; * laudate eum in pſaltério & cítharâ.

Laudáte eum in tympano & choro ; * laudate eum in chordis & órgano.

Laudate eum in cymbalis beneſonantibus, laudát eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Glória Patri.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42.

Capitulum. Cant. 6. 9.

QUæ eſt iſta, quæ progréditur quaſi auróra conſúrgens ? pulchra ut luna, elécta ut ſol, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta.

HYMNUS *ex Sant. Vict.*

NUnc auróra, novæ núntia lucis,
Triſtes orbe procul díſſipat umbras:
O quàm lucídior, nocte ſepúltis
Portans ipſa diem, Virgo, refúlges!
O quæ nunc hábitas lúcida regna,
Mittas inde tuæ múnera lucis:
Te ſi terra dedit munus olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus?
Inter perpétuos Núminis hauſtus,
O Regína, tibi sánguine junctum
Ne dedíſce genus: noſtra fuíſti,
Summi facta parens, Virgo Tonántis.
Divínæ Sóboli, qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcúnda, tibi glória, Flamen.
Amen.

℣. Rex noſter operàtus eſt ſalútem. ℟. Tu confrégiſti cápita dracónis. *Pſ.* 73. 12. 14.

Ad Benedict. *Ant.* Beáta, quæ credidíſti; quóniam perficiéntur ea, quæ dicta ſunt tibi à Dómino. *Luc.* 1. 45.

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem ſuſcípere voluíſti; præſta ſupplícibus tuis, ut qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te interceſſiónibus adjuvémur; Per Dóminum, &c.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Commemoratio Sanctorum, ut ſuprà in Veſperis.

AD PRIMAM.

Pater. Ave. &c.

℣. Deus in adjutorium, &c. *Et ſic in aliis Horis.*

HYMNUS.

MEménto, de Deo Deus,
Quòd matre natus Vírgine,
Noſtrî miſértus, pérditi
Mundi redémptor véneris.
Et nos, Dei Virgo parens,
Vultu benígno réſpice:
Placábilem tuâ prece
Fac eſſe nobis Fílium.
Sit laus Patri; laus Filio
Qui natus eſt de Vírgine;
Quo Virgo fit Puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. Tu glória.

Pſalmi. Deus, in nómine tuo ſalvum me fac, *pag.* 59. Cantáte Dómino... cantáte.. omnis terra, *pag.* 124. Laudáte Dóminum, omnes gentes, *pag.* 91.

Ant. Tu glória Jerúſalem, tu lætítia Iſrael, tu honorificéntia pópuli noſtri. *Judith.* 15. 10.

Capitulum. Cant. 6. 8.

VIdérunt eam fíliæ, & beatíſſimam prædicavérunt; regínæ & laudavérunt eam.

℟. *br.* Spécie tuâ * Et pulchritúdine tuâ. Spécie..

℣. Inténde próſperè, procéde, & regna. * Et pulchritúdine. Glória, &c. Spécie. *Pſ.* 44. 5.

℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: ℟. Benedíxit te Deus in ætérnum. *Pſ.* 44. 3.

Oratio.

PRótege, Dómine, fámulos tuos ſubſídiis pacis: & beátæ Maríæ ſemper Vírginis patrocíniis confidéntes, à cunctis hóſtibus & perículis redde ſecúros; Per, &c.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

O Glorióſa Vírginum,
Regína cœlo célſior,
Quantò, María, fœnore
Reddis quod Eva pérdidit.
Cunctis Deum Virgo paris,
Deſiderátum géntibus
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ pláudite.

Sit laus Patri, &c. *ut ad Primam.*

Ant. Fílius.

Pſalmi. Crédidi propter quod locútus ſum, *pag.* 91. Ad Dóminum cùm tribulárer, *pag.* 154. Levávi óculos, *pag.* 71.

Ant. Fílius Dei factus eſt ei ex ſémine David ſecúndùm carnem. *Rom.* 1. 3.

Capitulum. Eccli. 24. 12.

PRæcépit, & dixit mihi Creátor ómnium: & qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

℟. *br.* Deus in médio ejus; * Non commovébitur. Deus.

℣. Adjuvábit eam Deus manè dilúculo. * Non. Glória. Deus. *Pſ.* 45. 6.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

Oratio.

DEus, qui ſalútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcúndâ, humáno géneri præmia præſtitíſti tríbue, quæſumus; ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ ſuſcípere Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, Qui tecum vivit, &c.

AD SEXTAM.

HYMNUS *ex Sanct. Vict.*

DIc, Virgo, quæ vis tráxerit,
Patris coævum Fílium,
E Patris ætérno ſinu,
Mortális in matris ſinum?

Hæc, quæ ſibi numquam placens
Deo placet modéſtiâ,
Quâ tu tibi ſis vilior,
Hâc, digna ſis mater Dei.
Sit laus, &c. *ut ad Primam.*

Ant. Péperit.

Pſalmi. Ad te levávi óculos meos, *pag.* 51. Niſi quia Dominus erat, *pag.* 71. Qui confídunt in Dómino, *pag.* 72.

Ant. Péperit Fílium máſculum, qui rectúrus erat omnes gentes. *Apoc.* 12. 5.

Capitulum. Gal. 4. 4. 5.

UBi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Filiū ſuum, factum ex muliére, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperemus.

℟. *br.* Homo * Natus eſt in ea. Homo. ℣. Et ipſe fundávit eam Altiſſimus. * Natus. Glória. Homo. *Pſalm.* 86. 5.

℣. Jurávit Dóminus David veritátem; ℟. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. *Pſ.* 131. 11.

Oratio.

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti noſtræ præſídium: ut qui ſanctæ Dei Genitrícis memóriā ágimus, interceſſiónis ejus auxílio, à noſtris iniquitátibus reſurgámus; Per, &c.

AD NONAM.

HYMNUS.

Ex Sant. Vict.

QUis ore digno te canat
Virgo, Dei Puérpera?
Adéſte, puri ſpíritus,
Veſtri ſit illud múneris.
Tu dux olympi prævia,
Clauſas diu pandis fores;
Nos éxules, ſi nos amas,
Reddas patérnis ſédibus.
Sit laus, &c. *ut ad Primam.*

Ant. Beátus venter.

Pſalmi. In convertendo, *pag.* 92. Beáti omnes qui timent, *pag.* 112. Confitébor tibi... quóniam audíſti, *pag.* 53.

Ant. Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ ſuxíſti. *Luc.* 11. 27.

Capitulum. Tob. 13. 23.

BEnedíctus Dóminus, qui exaltávit eam, & ſit regnum ejus in ſæcula ſæculorum ſuper eam.

℟. *br.* Vultum tuum * Deprecabúntur. Vultum. ℣. Omnes dívites plebis, * Deprecabúntur. Gloria. Vultum. *Pſ.* 44. 13.

℣. Adducentur regi vírgines poſt eam; ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi. *Pſalm.* 44. 15.

Oratio.

FAmulórum tuórum, quæſumus, Dómine, delíctis ignóſce, ut qui tibi placére de áctibus noſtris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini noſtri inter-

ceſſióne ſalvémur; Per eumdem Dóminum, &c.

AD II. VESPERAS.

Pſalmi ut in I. Veſperis ſub unica Antiph. ſequenti.

Ant. Quod in eâ natum eſt, de Spíritu ſanćto eſt. *Matth.* 1. 20.

Capitulum. Apoc. 12. 1.

SIgnum magnum appáruit in cœlo; Múlier amícta ſole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna ſtellárum duódecim.

HYMNUS.

DAvídis sóboles, glória Vírginum
Chriſti Virgo parens, te póſuit Deus,
Partu virgíneo, quæ malè súbdoli
Anguis contéreres caput.
Rebus princípium, qui dedit ómnibus,
A te princípium ſumpſit homo Deus;
Cunćtis proſpíciens qui tríbuit cibos
Paſtus lacte fuit tuo.
Per te quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur áućtiùs:
Tu clauſas míſeris, heu nímiùm diu!
Cœlórum réſeras fores.
Qui lucis Pater eſt, glória ſit Patri:
Cujus Virgo parens, glória Filio;
Quo fœcúnda, tibi, nexus amábilis,
Sit par glória, Spíritus. Amen.

℣. Mémores erunt nóminis tui ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Pſ.* 44. 18.

Ad Magnif. *Ant.* Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens eſt. *Luc.* 1. 48. 49.

Oratio.

COrdibus noſtris, quæſumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde, & intercedénte ſanćtâ Dei Genitríce Maríâ, córpora noſtra caſtitáte, & mentes noſtras humilitáte, & charitáte ſanćtífica; Per, &c.

Commemoratio Sanćtorum, ut in I. Veſperis.

Completorium, ut poſt I. Veſperas.

PSALMI POENITENTIALES.

Ant. Dómine.

Psalmus 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me: * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére mei, Dómine, quóniam infírmus ſum; * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: *ſed tu, Dñe, úſquequò.

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam;

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per ſíngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem;* quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubéſcant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei; * convertántur & erubéſcant valdè velóciter.

Glória Patri, &c.

Psalmus 31.

BEáti quorum remiſſæ ſunt iniquitátes, * & quorum tecta ſunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum,* nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt oſſa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua, * convérſus ſum in ærúmna mea, dum configitur ſpina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci, * & injuſtítiam meam non abſcóndi.

Dixi: Confitébor advérsùm me injuſtítiam meam Dómino; * & tu remiſíſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea,

érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & ínſtruam te in via hac, quâ gradiéris: * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fíeri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eorum conſtrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris;* ſperántem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti, * & gloriámini, omnes recti corde.

Glória, &c.

PSALMUS 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam ſagíttæ tuæ infíxæ ſunt mihi, * & confirmáſti ſuper me manũ tuam.

Non eſt ſánitas in carne mea à fácie iræ tuæ;* non eſt pax óſſibus meis à fácie peccatórum meórum;

Quóniam iniquitátes meæ ſupergréſſæ ſunt caput meũ;* & ſicut onus grave graváta ſunt ſuper me.

Putruérunt, & corrúptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem: * totâ die contriſtátus ingrediébar;

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus; * & non eſt ſánitas in carne mea.

Afflíctus ſum, & humiliátus ſum nimis; * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne deſidérium meum; * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Amíci mei, & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & ſtetérunt;

Et qui juxta me erant, de longè ſtetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam;

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes;* & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tamquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuum:

Et factus ſum ſicut homo non áudiens, * & non habens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, ſperávi; * tu exáudies me, Dómine Deus meus;

Quia dixi: Nequándo ſupergáudeant mihi inimíci mei; * & dum commovéntur pedes mei, ſuper me magna locúti ſunt;

Quóniam ego in flagélla parátus ſum; * & dolor meus in conſpéctu meo ſemper.

Quóniam iniquitátem meã

annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo:

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti ſunt ſuper me;* & multiplicáti ſunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam ſequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus, * ne diſcéſſeris à me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus ſalútis meæ.

Glória, &c.

PSALMUS 50.

MIſerére meî, Deus, * ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam;

Et ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum,* dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me;

Quoniã iniquitátem meã ego cognóſco, * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexíſti: * incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſſópo, & mundábor: * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * & ſpíritum ſanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; * & ſpíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas;* & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluíſſes, ſacrifícium dedíſſem útique;* holocáuſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus; * cor contrítũ & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benígnè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion; * ut ædificéntur muri Jeruſalem.

Tunc acceptábis ſacrifíciũ juſtítiæ, oblatiónes & holocáuſta; * tunc impónent ſuper altáre tuum vitulos.

Glória, &c.

P s a l m u s 101.

DOmine, exáudi oratiónem meam; * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me; * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me;

Quia defecérunt ſicut fumus dies mei, * & oſſa mea ſicut crémium aruérunt.

Percúſſus ſum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus ſum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæſit os meum carni meæ.

Símilis factus ſum pellicáno ſolitúdinis; * factus ſum ſicut nycticórax in domicílio.

Vigilávi, * & factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudâbant me, advérsùm me jurâbant;

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miſcébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevans alliſíſti me.

Dies mei ſicut umbra declinavérunt; * & ego ſicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes; * & memoriale tuum in generatiónem & generatiónem.

Tu exúrgens miſeréberis Sion; * quia tempus miſeréndi ejus, quia venit tempus:

Quóniam placuérunt ſervis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miſerebúntur:

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória ſua.

Reſpéxit in oratiónem humílium, * & non ſprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera; * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum;

Quia proſpéxit de excélſo ſancto ſuo; * Dóminus de cœlo in terram aſpéxit;

Ut audíret gémitus compeditórum; * ut sólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúſalem;

In conveniéndo pópulos in unum, & reges, * ut ſerviant Dómino.

Reſpóndit ei in via virtútis ſuæ: * paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum; * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundáſti; * & ópera mánuum tuárum ſunt cœli.

Ipſi períbunt; tu autem

pérmanes : * & omnes ſicut veſtiméntum veteráſcent ;

Et ſicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur : * tu autem idem ipſe es , & anni tui non deficient.

Fílii ſervórum tuórum habitábunt ; * & ſemen eórum in ſæculum dirigétur.

Glória , &c.

P S A L M U S 129.

DE profúndis clamávi ad te , Dómine ; * Dómine , exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes , * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris , Dómine ; * Dómine , quis ſuſtinébit ?

Quia apud te propitiátio eſt ; * & propter legem tuã ſuſtínui te , Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus : * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſrael in Dómino ;

Quia apud Dóminum miſericórdia , * & copióſa apud eum redémptio ;

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória , &c.

P S A L M U S 142.

DOmine , exáudi oratiónem meam ; aúribus pércipe obſecratiónem meã in veritáte tua ; * exáudi me in tua juſtítia ;

Et non intres in judícium cum ſervo tuo ; * quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens ;

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam ; * humiliávit in terra vitam meã.

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos ſæculi ; * & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus ; in me turbátum eſt cor meum.

Memor fui diérum antiquórum ; meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis ; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te ; * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exáudi me , Dómine ; * defécit ſpíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me ; * & ſímilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam ; * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam , in qua ámbulem ; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine ; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam , quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum , Dómine , vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam ; * & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tribulant ánimam meam; * quóniam ego ſervus tuus ſum.

Glória, &c.

Ant. Dómine, memor eſto meî, & ne vindíctam ſumas de peccátis meis, neque reminiſcáris delícta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3. 3.

LITANIÆ.

Kyrie, eléiſon.
Chriſte, eléiſon.
Kyrie, eléiſon.
Chriſte, audi nos.
Chriſte, exáudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerére nobis.
Fili redémptor mundi Deus, miſerére nobis.
Spíritus ſancte Deus, miſerére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, miſerére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo Vírginum, ora pro nobis.
Sancte Míchael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes ſancti Angéli & Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes ſancti beatórum Spírituum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptiſta, ora pro nobis.
Sancte Joſeph, ora.
Sancte Joachíme, ora.
Omnes ſancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule,
Sancte Andréa,
Sancte Jacóbe, (*Zeb.*)
Sancte Joánnes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacóbe,
Sancte Philíppe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon,
Sancte Thadæe,
Sancte Matthía,
Sancte Bárnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Ora pro nobis.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Gengúlphe, ora.
Sancti Fabiáne & Sebaſtiáne, oráte pro nobis.
Sancte Irenæe cum sóciis tuis, ora.
Sancti Joánnes & Paule, oráte pro nobis.
Sancti Coſma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gerváſi & Protáſi, oráte pro nobis.
Sancte Elíphi, ora.
Sancte Eúchari, ora.
Omnes ſancti Mártyres, oráte.
Sancte Sylvéſter, ora.
Sancte Leo, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Ambróſi, ora.

Sancte Auguſtíne,
Sancte Hierónyme,
Sancte Hilári,
Sancte Martíne,
Sancte Remígi,
Sancte Nicoláe,
Sancte Manſuéte,
Sancte Amon,
Sancte Aper,
Sancte Gauzelíne,
Sancte Gerárde,
Sancte Aúſpici,
Sancte Leudíne,
Sancte Jacob,
Sancte Vedáſte,
Sancte Deódate,
Sancte Hydúlphe,
Sancte Gondelbérte,
Sancte Arnúlphe,
Sancte Cárole,
Ora pro nobis.
Omnes ſancti Pontífices & Confeſſóres, oráte.
Omnes ſancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Sancte Romárice, ora.
Sancte Amáte, ora.
Omnes ſancti Sacerdótes & Levítæ, oráte.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta Elízabeth, ora.
Sancta María Magdaléne, ora pro nobis.
Sancta Thecla, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína,
Sancta Anaſtáſia,
Sancta Urſula cum sóciis tuis,
Sancta Aprónia,
Sancta Libária,
Sancta Genovéfa,
Ora pro nobis.
Omnes ſanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro nobis.
Propítius eſto, Parce nobis, Dómine.
Propítius eſto, Exáudi nos, Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, Líbera nos, Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A ſubitánea & improviſa morte, líbera.
Ab insídiis Diáboli, líbera.
Ab immúndis cogitatiónibus, líbera.
Ab ira, & ódio, & omni malâ voluntáte, líbera.
A fúlgure & tempeſtáte, líbera nos, Dómine.
A morte perpétua, líbera.
Per myſtérium ſanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per Advéntum tuum, líbera.
Per Nativitátem tuam, lib.
Per Baptíſmum & ſanctum jejúnium tuum, líbera.
Per Crucem & paſſiónem tuam, líbera.
Per mortem & ſepultúram tuam, líbera.
Per ſanctam Reſurrectionē tuam, líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam, líbera.

Per advéntum Spiritûs ſancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut compunctiónem cordis, fontémque lacrymárum nobis dones, te.
Ut remiſſiónem peccátorum noſtrórum nobis dones, te.
Ut fidem, ſpem, & charitátem nobis dones, te.
Ut Eccléſiam tuam ſanctam régere, & conſerváre dignéris, te.
Ut domnum Apoſtólicum, & omnes gradus Eccléſiæ in ſancta Religióne conſerváre dignéris, te.
Ut Antíſtitem noſtrum, & omnes congregatiónes illi commíſſas in tuo ſancto obséquio conſerváre dignéris, te rog.
Ut Regem noſtrum cuſtodíre dignéris, te.
Ut inimícos ſanctæ Eccléſiæ humiliáre dignéris, te.
Ut Régibus, & Princípibus Chriſtiánis pacem & concórdiam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut cuncto pópulo Chriſtiáno pacem, & unitátem largíri dignéris, te.
Ut noſmetípſos in tuo ſancto ſervítio confortáre, & conſerváre dignéris, te.
Ut mentes noſtras ad cœléſtia deſidéria érigas, te.
Ut ómnibus benefactóribus noſtris ſempitérna bona retríbuas, te.
Ut ánimas noſtras, fratrum, propinquórum & benefactórum noſtrórum ab ætérna damnatióne erípias, te rogámus.
Ut fructus terræ dare, & conſerváre dignéris, te.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus.
Fili Dei, te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miſerére nobis.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter: *ſecretò*: ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

P S A L M U S 69.

Deus, in adjutórium meum inténde: * Dómine, ad adjuvándum me feſtína.

Confundántur & revereántur, * qui quærunt ánimã meam.

Avertántur retrórſum & erubéſcant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur ſtatim erubeſcéntes, * qui dicunt mihi; Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te ; * & dicant ſemper ; Magnificétur Dóminus, qui díligũt ſalutáre tuum.

Ego verò egénus, & pauper ſum ; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus & liberátor meus es tu : * Dómine, ne moréris.

Glória Patri, &c.

℣. Dómine, non ſecúndum peccáta noſtra fácias nobis ; ℟. Neque ſecúndùm iniquitátes noſtras retríbuas nobis. *Pſ.* 102. 10.

℣. Ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquárũ, ℟. Citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ ; quia páuperes facti ſumus nimis. *Pſ.* 78. 8.

℣. Adjuva nos, Deus ſalutáris noſter ; & propter glóriam nóminis tui líbera nos ; ℟. Et propítius eſto peccátis noſtris propter nomen tuum. *Pſ.* 78. 9.

℣. Eſto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Pſ.* 60. 4.

℣. Orémus pro Paſtóre noſtro : ℟. Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum. *Pſ.* 40. 3.

℣. Pro Rege noſtro :
℟. Dómine, ſalvum fac Regem ; & exáudi nos in die qua invocavérimus te. *Pſal.* 19. 10.

℣. Pro benefactóribus noſtris : ℟. Deus omnem grátiã abundáre fáciat in illis, & áugeat increménta frugum juſtitiæ illórum. 2. *Cor.* 9. 8. 10.

℣. Pro frátribus noſtris abséntibus : ℟. Rege eos, & extólle illos uſque in ætérnum. *Pſ.* 27. 9.

℣. Pro infirmis, afflíctis, captívis & peregrínis ; ℟. Líbera, Deus, Iſrael ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *Pſ.* 24. 22.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis: ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant juſtítiam ejus. *Mich.* 7. 9.

℣. Memor eſto congregatiónis tuæ, ℟. Quam poſſedíſti ab inítio *Pſ.* 73. 2.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam ; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.2.

℣. Dóminus vobíſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper, & párcere : súſcipe deprecatiónem noſtram ; ut nos, & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa conſtríngit, miſerátio tuæ pietátis cleménter abſólvat.

EXáudi, quæſumus, Dómine, súpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis ; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, miſericórdiam tuam cleménter oſténde ; ut ſimul nos, & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro

his

his merémur, erípias.

DEus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris; preces pópuli tui ſupplicántis propítius réſpice; & flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis noſtris merémur, avérte.

OMnípotens ſempitérne Deus, miſerére fámulo tuo Pontífici noſtro N. & dírige eum ſecúndùm tuam cleméntiam in viam ſalútis ætérnæ; ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

QUæſumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus N. Rex noſter qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus, vitiórum monſtra devitáre, hoſtes ſuperáre; & ad te, qui via, véritas & vita es, gratióſus váleat perveníre.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília, & juſta ſunt ópera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut & corda noſtra mandátis tuis dédita; &, hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquílla.

URe igne ſancti Spíritûs renes noſtros, & cor noſtrum, Dómine; ut tibi caſto córpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

FIdélium, Deus ómnium Cónditor & Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur.

ACtiónes noſtras, quæſumus, Dómine, aſpirándo præveni, & adjuvándo proſéquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui vivórum domináris ſimul & mortuórũ, omniúmque miſeréris, quos tuos fide & ópere futúros eſſe prænóſcis: te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus; quoſque vel præſens ſæculũ adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore ſuſcépit, intercedéntibus ómnibus ſanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum ſuórum véniam conſequántur; Per Dóminũ, &c.

℣. Dóminus vobíſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Exáudiat nos omnípotens & miséricors Dóminus.
℟. Amen.

℣. Et fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

ORDO
COMMENDATIONIS ANIMÆ
ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.
Sancta María, Ora pro eo (*vel* ea.)
Omnes ſancti Angeli, & Archángeli, oráte.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Juſtórum, ora pro eo (*vel* ea.)
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptíſta, ora pro eo (*vel* ea.)
Omnes ſancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocéntes, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Omnes ſancti Mártyres, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Sylvéſter, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Auguſtíne, ora.
Omnes ſancti Pontífices & Confeſſóres, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléne, ora pro eo (*vel* ea.)
Sancta Lúcia, ora.
Omnes ſanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro eo (*vel* ea.)
Propítius eſto, Parce ei, Dómine.
Propítius eſto, Adjuva eum, (*vel* eam) Dómine.
Propítius eſto, Líbera eum, (*vel* eam) Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A perículo mortis, líbera.
A mala morte, líbera.
A pœnis inférni, líbera.
Ab omni malo, líbera.
A poteſtáte diáboli, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera eum, (*vel* eam) Dómine.
Per crucem & paſſiónem tuam, líbera eum, (*vel* eam) Dómine.

Per mortem & ſepultúram tuam, líbera.
Per glorióſam reſurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem aſcenſiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritus ſancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus, audi nos.
Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Deinde cùm in agone ſui exitûs anima anxiatur, dicuntur ſequentes Orationes.

ORATIO.

PRoficíſcere, ánima Chriſtiána, de hoc mundo, In nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit: In nómine Jeſu Chriſti Filii Dei vivi, qui pro te paſſus eſt: In nómine Spíritûs ſancti, qui in te effuſus eſt: In nómine Angelórum & Archangelórum: In nómine Thronórum & Dominatiónum: In nómine Principátuum & Poteſtátum: In nómine Chérubim & Séraphim: In nómine Patriarchárum & Prophetárum: In nómine ſanctórum Apoſtolórum & Evangeliſtárum: In nómine ſanctórum Mártyrum & Confeſſórum: In nómine ſanctórum Monachórum & Eremitárum: In nómine ſanctárum Vírginũ, & ómnium Sanctórũ & Sanctárũ Dei. Hodie ſit in pace locus tuus, & habitátio tua in ſancta Sion; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Orémus.

DEus miſéricors, Deus clemens, Deus qui ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, & præteritórum críminum culpas véniâ remiſſiónis evácuas: réſpice propítius ſuper *hunc fámulum tuum N. (*vel* hanc fámulam tuam N.) & remiſſiónem ómnium peccatórum ſuórum totâ cordis confeſſióne poſcentem, deprecátus exáudi. Rénova in *eo, (*vel* ea) piíſſime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corruptum, vel quidquid diabólicâ fraude violátum eſt: & unitáti córporis Eccléſiæ membrum redemptiónis annécte. Miſerére, Dómine, gemítuum, miſerére lacrymárum ejus; & non habentem fidúciam, niſi in tua miſericórdia, ad tuæ ſacramentum reconciliatiónis admitte; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

COmmendo te omnipoténti Deo, *charíſſime frater (*vel* charíſſima ſoror;) & ei cujus es creatúra committo: ut cùm humanitátis débitum persólveris, ad eum qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore, ſpléndidus Angelórum cœtus occúrrat, judex

Apoſtolórum tibi ſenátus advéniat : candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet : liliáta rutilántium te Confeſſórum turma circumdet : jubilántium te Vírginum chorus excípiat : beátæ quiétis in ſinu Patriarchárum te compléxus aſtringat : mitis atque feſtívus Chriſti Jeſu tibi aſpéctus appáreat, qui te inter aſſiſténtes ſibi júgiter intereſſe decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod ſtridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi teterrímus sátanas cum ſatellítibus ſuis : in advéntu tuo, te comitántibus Angelis, contremíſcat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus ; & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant : ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei : & juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei. Confundántur ígitur & erubéſcant omnes tartáreæ legiónes : & miniſtri sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciatu Chriſtus, qui pro te crucifixus eſt. Líberet te ab ætérna morte Chriſtus, qui pro te mori dignatus eſt. Conſtituat te Chriſtus Fílius Dei vivi intra paradíſi ſui ſemper amœna virentia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnóſcat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te abſólvat, atque ad déxteram ſuam in electórum ſuórum te ſorte conſtítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas ; & præſens ſemper aſsiſtens, manifeſtíſſimam beátis óculis aſpícias veritátem. * Conſtitútus (*vel* Conſtitúta) ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Súſcipe, Dómine,*ſervum tuum (*vel* ancíllam tuã) in locum ſperándæ ſibi ſalvatiónis à miſericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus ex ómnibus perículis inférni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Enoch & Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Noe de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Job de paſſiónibus ſuis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Iſaac de hóſtia, & de manu patris ſui Abrahæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, áni-

mam ejus, ſicut liberáſti Lot de Sódomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dñe, ánimam ejus, ſicut liberáſti Móyſen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera, Dñe, ánimam ejus, ſicut liberáſti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti tres púeros de camíno ignis ardéntis, & de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Suſánnam de falſo crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti David de manu regis Saül, & de manu Góliath. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Petrum & Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et ſicut beatíſſimam Theclam vírginem & mártyrem tuam, de tribus atrocíſſimis torméntis liberáſti, ſic liberáre dignéris ánimam hujus * ſervi tui (*vel* ancíllæ tuæ;) & tecum fácias in bonis cœléſtibus congaudére. ℟. Amen.

COmmendámus tibi, Dómine, ánimam * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ,) precamúrque te, Dómine Jeſu Chriſte, Salvátor mundi, ut eam propter quam ad terram deſcendíſti, Patriarchárum tuórum ſínibus inſinuáre non rénuas. Agnóſce, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, ſed à te ſolo Deo vivo & vero; quia non eſt álius Deus præter te, & non eſt ſecúndùm ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conſpéctu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, quas ſuſcitávit furor mali deſidérii. Licèt enim peccáverit, tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum ſanctum non negávit, ſed crédidit; & zelum Dei in ſe habuit, & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit. ℟. Amen.

Orémus.

DElícta juventútis, & ignorántias ejus, quæſumus, ne memíneris, Dómine: ſed ſecúndum magnam miſericórdiam tuam memor eſto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cœli, collæténtur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, creatúram tuam súſcipe. Suſcípiat eam ſanctus Michael Archángelus Dei, qui milítiæ cœléſtis méruit principátum. Véniant illi óbviam ſancti Angeli Dei, & perdúcant eam in civitátem cœléſtem Jeruſalem. Suſcípiat eam beátus Petrus Apóſtolus, cui à Deo claves regni cœléſtis tráditæ ſunt. Adjuvet eam beátus Paulus Apóſtolus, qui dignus fuit eſſe vas electiónis. Intercédat pro ea ſanctus Joánnes,

electus Dei Apóſtolus, cui reveláta ſunt ſecréta cœleſtia. Orent pro ea omnes ſancti Apóſtoli, quibus à Dómino data eſt poteſtas ligándi atque ſolvéndi. Intercédant pro ea omnes Sancti & Electi Dei, qui pro Chriſti nomine torménta in hoc ſæculo ſuſtinuérunt; ut vinculis carnis exuta, pervenire mereátur ad glóriam regni cœléſtis, præſtánte Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spíritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculórum.

℞. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicitur Pſalmus Confitémini Dómino, *pag.* 12. *& totus Pſalmus* Beáti immaculáti in via. *per Horas Dominicæ diſtributus*, pag. 13.

Egreſſâ autem animâ, dicitur: ℞. In te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnum; accélera ut éruas me: in manus tuas comméndo ſpíritum meum: * Redemiſti me, Dómine Deus veritátis; illúſtra fáciem tuam ſuper * ſervum tuum (*vel* ancillam tuam,) * ſalvum (*vel* ſalvam) me fac in miſericórdia tua. ℣. Dómine Jeſu, ſúſcipe ſpíritum meum. Redemiſti me. *Pſ.* 30. 2. 3. 6. 17. *Act.* 7. 58.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon. *Secretò*: Pater noſter. *Altâ voce*; ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℞. Sed libera nos a malo.

℣. Non intres in judícium cum * ſervo tuo (*vel* ancilla tua,) Dómine; ℞. Quia non juſtificábitur in conſpectu tuo omnis vivens. *Pſ.* 142. 2.

℣. Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi: ℞. Et ánimas páuperum tuórum ne oblivíſcaris in finē. *Pſ.* 73. 19.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam; ℞. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobiſcum, ℞. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) N. ut * defúnctus (*vel* defúncta) ſæculo, tibi vivat: & quæ per fragilitátem humánæ converſatiónis peccáta commíſit, tu véniâ miſericordiſſimæ pietátis abſtérge; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℞. Amen.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

AD VESPERAS.

Veſperæ inchoantur abſolutè à prima Antiphona.

In fine cujuſque Pſalmi, loco Glória, *dicitur* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, & lux perpétua lúceat eis.

PSALMUS 114.

Ant. *t.* 8. *G.* O Dómine.

DIléxi; * quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ;

Quia inclinávit aurem ſuã mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam; * miſéricors Dóminus, & juſtus, & Deus noſter miſerétur.

Cuſtódiens párvulos Dóminus, * humiliátus ſum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapſu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. O Dómine, líbera ánimam meam, miséricors & juſtus Deus. *v.* 4. 5.

Ant. *t.* 2. *D.* Heu mihi.

PSALMUS 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolóſa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguã dolóſam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus deſolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt! * habitávi cum habitántibus Cedar; multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Ant. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt! *v.* 5.

Ant. *t.* 8. *C.* Auxílium.

PSALMUS 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómi-

no, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum; * neque dormítet qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet * qui cuſtódit Iſrael.

Dóminus cuſtódit te, Dóminus protéctio tua * ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo; * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat intróitum tuum, & éxitum tuũ, * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

Ant. Auxílium meum à Dómino, qui fecit cœlum & terram. *v.* 2.

Ant. t. 8. *G.* Si iniquitátes.

PSALMUS 129.

DE profúndis clamávi ad te, Domine; * Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt; * & propter legem tuam ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus: * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſrael in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio;

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; Dómine, quis ſuſtinébit? *v.* 3.

Ant. t. 2. *D.* Opera.

PSALMUS 137.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audíſti verba oris mei.

In conſpéctu Angelórum pſallam tibi: * adorábo ad templum ſanctum tuum;

Et confitébor nómini tuo ſuper miſericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificáſti ſuper omne, nomen ſanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me; * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini; * quóniam magna eſt glória Dómini;

Quóniam excélſus Dóminus, & humília réſpicit, * & alta à longè cognóſcit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me; * & ſuper iram inimicórum meórum extendíſti manum tuam, & ſalvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, miſericór-

dia tua in ſæculum : ópera mánuũ tuárum ne deſpícias.

Ant. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne deſpícias. *v.* 8.

Continuò dicitur :

Ant. t. 4. *E.* Ad Dóminum.

CANTICUM MARIÆ.

Luc I. *v.* 46. *ad* 56.

MAgníficat * ánima mea Dóminum ;

Et exultávit ſpíritus meus * in Deo ſalutári meo ;

Quia reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes ;

Quia fecit mihi magna qui potens eſt, * & ſanctum nomen ejus :

Et miſericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio ſuo ; * diſpérſit ſupérbos mente cordis ſui.

Depóſuit poténtes de ſede ; * & exaltávit húmiles.

Eſuriéntes implévit bonis ; * & dívites dimíſit inánes.

Suſcépit Iſrael púerum ſuum, * recordátus miſericórdiæ ſuæ,

Sicut locútus eſt ad patres noſtros, * Abraham & sémini ejus in ſæcula.

Réquiem ætérnam, &c.

Ant. Ad Dóminum aſpíciam, donec fáciat judícium meum : edúcet me in lucem, vidébo juſtítiam ejus. *Mich.* 7. 7. 9.

Si Officium fiat ritu Simplici, dicuntur Preces ut poſt Laudes, niſi tamen immediatè poſt Veſperas dicantur Vigiliæ tunc enim Preces omittuntur, & incipitur à prima Antiphona illius Nocturni qui dicendus eſt juxta Rubricam.

Si verò Officium fiat ritu Duplici, & Vigiliæ non dicantur immediatè, poſt Veſperas dicitur, Dóminus vobíſcum, *& una ex Orationibus poſt Laudes ; & poſt Orationem.* ℣. Dóminus vobíſcum.
℞. Et cum ſpíritu tuo.
℣. Requiéſcant in pace.
℞. Amen.

AD VIGILIAS.

Invitat. Deum, cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20. 38.

Pſalm. 94. Veníte, exultémus, *pag.* 2. *in cujus fine, loco* Glória Patri. *dicitur* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, & lux perpétua lúceat eis.

Vigiliæ dicuntur cum tribus Nocturnis, in Depoſitione corporis, & in Anniverſariis ritu Duplici celebrandis : in iis verò quæ fiunt ritu Simplici, unicum dicitur Nocturnum; ſcilicet primum Feriâ 2. *&* 5. *ſecundum Feriâ* 3. *&* 6. *tertium Feriâ* 4. *& Sabbato.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. t. 7. *A.* Dómine.

PSALMUS 5.

VErba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus;

Quóniam ad te orábo; * Dómine, manè exáudies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo, * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus; * neque permanébunt injúſti ante óculos tuos.

Odíſti omnes qui operántur iniquitátem; * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum ſánguinum & dolóſum * abominábitur Dóminus.

Ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum ſanctum tuū in timóre tuo.

Dómine, deduc me in juſtítia tua: * propter inimícos meos dírige in conſpéctu tuo viam meam;

Quóniam non eſt in ore eórum véritas; * cor eórum vanum eſt.

Sepúlchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis dolóſè agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis, ſecúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui ſperāt in te; * in ætérnū exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuū;* quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ * coronáſti nos.

Ant. Dómine, deduc me in juſtítia tua: propter inimícos meos dírige in conſpéctu tuo viam meam. *v.* 9.

Ant. t. 8. *G.* Salvum me fac.

PSALMUS 6.

Domine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére meî, Dómine, quóniam infírmus ſum; * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu, Dómine, úſquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam;

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per ſíngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem;* quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam; * Dó-

minus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubéſcant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei ; * convertántur & erubeſcant valde velóciter.

Ant. Salvum me fac propter miſericórdiam tuam ; quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî. *v.* 5. 6.

Ant. t. 3. *a.* Illúmina.

PSALMUS 12.

USquequò, Dómine, oblivíſceris me in finem ? * úſquequò avértis fáciem tuã à me ?

Quámdiu ponam conſília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem ?

Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me ? * réſpice, & exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiã in morte ; * nequándo dicat inimícus meus : Præválui advérsùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero : * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo, * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte. *v.* 4.

℣. Convértere, Dómine, úſquequò ? ℟. Deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſal.* 89. 13.

Pater noſter, *ſecretò : deinde mediocri voce dicitur* : Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

Lectiones leguntur ſine Benedictionibus, & ſine Titulo.

Lectio j.

Job. 7. *v.* 16. *ad finem.*

PArce mihi, Dómine, nihil enim ſunt dies mei. Quid eſt homo, quia magníficas eum ? aut quid appónis erga eum cor tuum ? Víſitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Uſquequò non parcis mihi, nec dimíttis me ut glútiam ſalívam meam ? Peccávi, quid fáciam tibi, ô cuſtos hóminum ? Quare poſuíſti me contrárium tibi, & factus ſum mihimetípſi gravis ? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam ? Ecce, nunc in púlvere dórmiam : & ſi manè me quæsíeris non ſubsíſtam.

In fine Lectionum nihil additur ; ſed terminantur per ſolam vocis intercidentiam.

℟. Dómine omnípotens, ánima in angúſtiis, & ſpíritus ánxius clamat ad te : audi, Dómine, & miſerére ; * Quia Deus es miſéricors. ℣. Deus, propítius eſto peccatori. * Quia Deus. *Baruch.* 3. 1. 2. *Luc.* 18. 13.

Lectio ij.

Job. 10. *v.* 1. *ad* 8.

TÆdet ánimam meam vitæ meæ : dimíttam advérsùm me elóquium meũ, loquar in amaritúdine áni-

mæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre. Indica mihi cur me ita júdices. Numquid bonum tibi vidétur, ſi calumniéris me, & ópprimas me opus mánuum tuárum, & consílium impiórũ ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi ſunt: aut ſicut videt homo, & tu vidébis? Numquid ſicut dies hóminis dies tui, & anni tui ſicut humána ſunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, & peccatum meum ſcrutéris? Et ſcias quia nihil ímpium fécerim, cum ſit nemo qui de manu tua poſſit eruére.

℞. Quoniam ibit homo in domum æternitátis ſuæ; * Revertátur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpíritus rédeat ad Deum qui dedit illum. ℣. Det illi Dóminus inveníre miſericórdiam à Dómino in illa die. * Revertátur.. *Eccle.* 12. 5. 7. 2. *Tim.* 1. 18.

Lectio iij.

Job. 10. *v.* 8. *ad* 13.

MAnus tuæ fecérunt me, & plaſinavérunt me totum in circúitu: & ſic repéntè præcípitas me? Meménto, quæſo, quòd ſicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nonne ſicut lac mulsíſti me, & ſicut cáſeum me coaguláſti? Pelle & cárnibus veſtíſti me: óſſibus & nervis compegíſti me. Vitam & miſericórdiam tribuíſti mihi, & viſitátio tua cuſtodívit ſpíritum meum.

℞. Miſeréris ómnium, Dómine, quia ómnia potes, & diſsímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam: nihil odíſti eórum quæ feciſti: * Parcis ómnibus quóniam tua ſunt, Dómine, qui amas ánimas. ℣. Quia tu es Chriſtus Fílius Dei vivi qui in mundum veniſti. * Parcis. Réquiem. * Parcis. *Sap.* 11. 24. 25. 27. *Joan.* 11. 27.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. *6. f.* In médio.

PSALMUS 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me; * ánimam meã convértit.

Dedúxit me ſuper ſémitas juſtítiæ, * propter nomẽ ſuũ.

Nam, & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam, * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum, * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me, * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. In médio umbræ mortis non timebo mala; quóniam tu mecum es, Dómine. *v.* 4.

Ant. t. 8. *G.* Delícta.

PSALMUS 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubéſcam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérſi qui ſúſtinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * ſupervacuè.

Vias tuas, Dómine, demónſtra mihi; * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus ſalvátor meus, & te ſuſtínui totâ die.

Reminíſcere miseratiónū tuárum, Dómine, * & miſericordiárum tuárum quæ à ſæculo ſunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secundùm miſericórdiam tuam meménto mei tu, * propter bonitatem tuam, Domine.

Dulcis & rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget manſuetos in judicio: * docebit mites vias ſuas.

Univérſæ viæ Dómini, miſericordia & véritas, * requirentibus teſtamentum ejus, & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: * multū eſt enim.

Quis eſt homo qui timet Dóminum? * legem ſtatuit ei in via quam elegit.

Anima ejus in bonis demorábitur; * & ſemen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum; * & teſtaméntum ipsíus ut maniſeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminū; * quóniam ipſe evéllet de láqueo pedes meos.

Réſpice in me, & miſerére mei; * quia únicus & pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ ſunt; * de neceſſitatibus meis érue me.

Vide humilitatem meam, & laborem meum; * & dimítte univerſa delícta mea.

Réſpice inimicos meos, quóniam multiplicáti ſunt; * & ódio iniquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam, & érue me: * non erubéſcam quoniam ſperavi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi, * quia ſuſtínui te.

Líbera, Deus, Iſrael * ex omnibus tribulationibus ſuis.

Ant. Delícta juventútis meæ, & ignorantias meas ne memineris, Domine. *v.* 7.

Ant. t. 4. *E.* Ne tradíderis.

PSALMUS 26.

DOminus illuminátio mea, & ſalus mea; * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum appropiant ſuper me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipſi infirmáti ſunt, & cecidérunt.

Si consíſtant advérsùm me caſtra, * non timébit cor meùm.

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego ſperabo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptatem Dómini, * & víſitem templum ejus;

Quóniam abſcóndit me in tabernáculo ſuo; * in die malórum protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me; * & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis; * cantábo, & pſalmum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem meam, quâ clamávi ad te: * miſerére meî, & exáudi me.

Tibi dixit cor meum; Exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me; * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto; * ne derelinquas me, neque deſpícias me, Deus ſalutaris meus;

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem aſſúmpſit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua; * & dirige me in semitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me; * quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age; * & confortétur cor tuum, & ſúſtine Dóminum.

Ant. Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me. *v.* 12.

℣. Ne avértas fáciem tuam à me, ℟. Ne declines in ira à ſervo tuo. *Pſalm.* 26. 9.

Pater noſter, *ut ſuprà.*

Lectio iv. Job. 13. *v.* 22. *ad finem.*

REſponde mihi quantas hábeo iniquitates & peccáta, ſcélera mea, & delícta oſtende mihi. Cur fáciem tuam abſcóndis, & arbitráris me inimícum tuû? Contra fólium, quod vento rápitur, oſténdis poténtiam tuam, & ſtipulam ſiccam perséqueris. Scribis enim

contra me amaritúdines, & consúmere me vis peccátis adoleſcéntiæ meæ. Poſuiſti in nervo pedem meum, & obſerváſti omnes sémitas meas, & veſtígia pedum meórum conſideráſti : qui quaſi putrédo conſuméndus ſum, & quaſi veſtiméntum quod coméditur à tínea.

℟. Hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, óptimam habent repóſitam grátiam. * Sancta ergo & ſalúbris eſt cogitátio pro defúnctis exoráre, ut à peccátis ſolvántur. ℣. Uniuſcujúſque opus quale ſit, ignis probábit : ſi cujus opus árſerit, detriméntum patiétur; ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem. * Sancta. 2. *Mach.* 12.45.46. 1. *Cor.* 3. 13. 15.

Lectio v. Job. 14. *v.* 1. *ad* 7.

Homo natus de muliére, brevi vivens témpore, replétur multis miſériis. Qui quaſi flos egréditur, & contéritur, & fugit velut umbra, & numquam in eódem ſtatu pérmanet. Et dignum ducis ſuper hujuſcémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis poteſt fácere mundum de immúndo concéptum sémine? Nonne tu qui ſolus es? Breves dies hóminis ſunt, númerus ménſium ejus apud te eſt : conſtituíſti términos ejus qui præteríri non póterunt. Recéde páululum ab eo, ut quiéſcat, donec optáta véniat, ſicut mercenárii dies ejus.

℟. Deus cœli magne atque terríbilis, * Fiant aures tuæ auſcultántes ut áudias oratiónem ſervi tui, quam oro coram te pro ſervis tuis, & confíteor pro peccátis quibus peccavérunt tibi : Dómine, ipſi ſervi tui, & pópulus tuus quos redemiſti. ℣. Defúncti ſunt iſti, non accéptis repromiſſiónibus, ſed à longè eas aſpiciéntes, & ſalutántes, ſigníficant ſe pátriam inquírere; * Fiant aures. 2. *Eſdr.* 1.5.6.10. *Hebr.* 11. 13. 14.

Lectio vj. Job. 14. *v.* 13. *ad* 17.

Quis mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abſcóndas me, donec pertránſeat furor tuus, & conſtítuas mihi tempus, in quo recordéris meî? Putáſne mórtuus homo rurſum vivat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, & ego reſpondébo tibi : Operi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem greſſus meos dinumeráſti, ſed parce peccátis meis.

℟. Audi nunc, Dómine, oratiónem mortuórum Iſrael qui peccavérunt ante te. * Noli meminíſſe iniquitátum patrum noſtrórum, ſed meménto manûs tuæ, & nóminis tui in témpore iſto. ℣. Occíſus es, Dómine, & re-

demiſti nos Deo in ſánguine tuo. * Noli. Réquiem. * Noli. *Baruch.* 3. 4. 5. *Apoc.* 5. 9.

IN III. NOCTURNO.

Ant. t. 2. *D.* Propter.

PSALMUS 38.

DIxi ; Cuſtódiam vias meas, * ut non delínquam in lingua mea.

Póſui ori meo cuſtódiam,* cùm consíſteret peccátor advérsùm me.

Obmútui & humiliátus ſum, & silui à bonis: * & dolor meus renovátus eſt.

Concáluit cor meum intra me, * & in meditatióne mea exardéſcet ignis.

Locútus ſum in lingua mea ; * Notum fac mihi, Dómine, finem meum,

Et númerum diérum meórum quis eſt, * ut ſciam, quid deſit mihi.

Ecce menſurábiles posuíſti dies meos ; * & ſubſtántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérſa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránſit homo ; * ſed & fruſtrà conturbátur.

Theſaurízat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ eſt expectátio mea? nonne Dóminus? * & ſubſtántia mea apud te eſt.

Ab omnibus iniquitátibus meis érue me ; * oppróbriũ inſipiénti dediſti me.

Obmútui, & non apérui os meum, * quóniam tu feciſti.

Amove à me plagas tuas; à fortitúdine manûs tuæ ego defécì.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuiſti hóminem, & tabéſcere feciſti ſicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam : * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego ſum apud te, & peregrínus, * ſicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúſquam ábeam ; * & ámplius non ero.

Ant. Propter iniquitátem corripuíſti hóminem : remitte mihi, Dómine, ut refrígerer. *v.* 12. 14.

Ant. t. 3. *A.* Numquid.

PSALMUS 40.

BEátus qui intélligit ſuper egénum & páuperem ; * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi ſuper lectum dolóris ejus ; * univérſum ſtratum ejus versáſti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine, miſerére meî, * ſana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi : * Quando morietur

&

& peribit nomen ejus ?

Et ſi ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur; * cor ejus congregávit iniquitátem ſibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idípſum.

Advérsùm me ſuſurrábant omnes inimíci mei; * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum conſtituérunt advérsùm me: * numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat ?

Etenim homo pacis meæ, in quo ſperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit ſuper me ſupplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miſerére meî, & resúſcita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluíſti me; * quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me.

Me autem propter innocéntiam ſuſcepíſti; * & confirmáſti me in conſpéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſrael à ſæculo, & uſque in ſæculum: * Fiat, fiat.

Ant. Numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat ? Dómine, miſerére meî, & reſúſcita me. *v.* 9. 11.

Ant. t. 8. *G.* Sitívit.

P s a l m u s 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deũ fortem, vivum; * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei ?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi eſt Deus tuus ?

Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimam meã; * quóniam tranſibo in locum tabernáculi admirábilis, uſque ad domum Dei;

In voce exultatiónis & confeſſionis, * ſonus epulántis.

Quare triſtis es, ánima mea ? * & quare contúrbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meípſum ánima mea conturbáta eſt; * proptérea memor ero tuî de terra Jordánis & Hermóniim à monte módico.

Abyſſus abyſſum ínvocat, * in voce cataractárum tuárũ.

Omnia excélſa tua, & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam; * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ; * dicam Deo: Suſcéptor meus es;

Quare oblítus es meî ? * & quare contriſtátus incédo dum afflígit me inimícus ?

Dum confringúntur oſſa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei;

Dum dicunt mihi per ſingulos dies ; * Ubi eſt Deus tuus ?

Quare triſtis es, ánima mea ? * & quare contúrbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei ? *v.* 3.

℣. Ne ſimul trahas me cum peccatóribus, ℟. Et cum operántibus iniquitátem ne perdas me. *Pſal.* 27. 3.

Pater noſter, &c.

Lectio vij.

Job. *Cap.* 16. *v.* 23. & *Cap.* 17. *v.* 1. *ad* 4.

BReves anni tránſeunt, & sémitam, per quam non revértar, ámbulo. Spíritus meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, & ſolum mihi ſupereſt ſepúlchrum. Non peccávi, & in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine, & pone me juxta te, & cujúſvis manus pugnet contra me.

℟. Scio quòd Redémptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrectúrus ſum:* Et in carne mea vidébo Deũ meum. ℣. Opórtet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem ; & mortále hoc indúere immortalitátem. * Et in carne. *Job.* 19. 25. 26. I. *Cor.* 15. 53.

Lectio viij.

Job. 17. *v.* 11. *ad* 16.

DIes mei tranſiérunt, cogitatiónes meæ diſſipátæ ſunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, & rurſum poſt ténebras ſpero lucem. Si ſuſtinúero, inférnus domus mea eſt, & in ténebris ſtravi léctulum meum. Putrédini dixi ; Pater meus es ; mater mea, & ſoror mea, vérmibus. Ubi eſt ergo nunc præſtolátio mea, & patiéntiam meam quis consíderat ?

℟. Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt ; álii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium. ℣. Procédent qui bona fecérunt, in reſurrectiónem vitæ : qui verò mala egérunt, in reſurrectiónem judícii. * Evigilábunt. *Dan.* 12. 2. *Joan.* 5. 29.

Lectio ix.

Job. 19. *v.* 20. *ad* 28.

PElli meæ, consúmptis cárnibus, adhæſit os meũ, & derelícta ſunt tantùmmodo lábia circa dentes meos. Miſerémini meî, miſerémini meî, ſaltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare perſequímini me ſicut Deus, & cárnibus meis ſaturámini ? Quis mihi tríbuat ut ſcribántur ſermónes mei ? Quis mihi det ut exaréntur in libro ſtylo férreo, & plumbi láminâ, vel celte ſculpántur in sílice ? Scio enim quòd Redémptor meus vivit, & in noviſſimo

die de terra ſurrectúrus ſum: & rurſum circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meum. Quem viſúrus ſum ego ipſe, & óculi mei conſpectúri ſunt, & non álius: repóſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

℟. Secúndùm multitúdinem miſericórdiæ nóminis tui, Dómine, * Líbera me à rugiéntibus, præparátis ad eſcam, † De mánibus quæréntium ánimam meam, & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me: § A preſsúra flammæ quæ circúmdedit me. *Eccli.* 51. 4. 5. 6. ℣. Per redemptiónem quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propóſuit Deus propitiatiónem in sánguine ipsíus propter remiſſiónem delictórum. *Rom.* 3. 24. 25. * Líbera me.. ℣. Vos, fratres, per Jeſum Chriſtum adjuvétis me in oratiónibus veſtris pro me ad Deum, ut líberer. *Rom.* 15. 30. 31. † De mánibus.. ℣. Non eſt in álio áliquo ſalus. *Act.* 4. 12. § A preſsúra. *repetitur* Secúndùm multitúdinem, *uſque ad* ℣. Per redemptiónem.

Quando dictum eſt unicum Nocturnum, omittitur ſuperius ℟. *& dicitur ſequens.*

℟. Líbera me, Dómine, à perſequéntibus me. * Educ de cuſtódiâ ánimam meam ad confiténdū nómini tuo: † Me expéctant juſti, donec retríbuas mihi. ℣. Miſerére meî, Dómine fili David, ádjuva me.* Educ. Réquiē. † Me expéctant. *Pſ.* 141. 7. 8. *Matth.* 15. 22. 25.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Humiliáſti nos, Dómine, in loco afflictiónis. ℟. Coopéruit nos umbra mortis. *Pſ.* 43. 20.

Inchoatur abſolutè ab Ant. t. 1. d. A peccáto.

In fine Pſalmorum dicitur Requiem, &c.

PSALMUS 50.

MIſerére meî, Deus, * ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam;

Et ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátem meā ego cognóſco; * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malū coram te feci; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas, cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexíſti: * incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſſópo, & mundábor: * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * & ſpíritum ſanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; * & ſpíritu principali confirma me.

Docebo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluíſſes, ſacrifícium dediſſem útique, * holocáuſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus; * cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benígnè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion; * ut ædificéntur muri Jeruſalem.

Tunc acceptábis ſacrifíciũ juſtítiæ, oblatiónes & holocauſta; * tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

Ant. A peccáto meo munda me: & exultábunt oſſa humiliáta. *v.* 4. 10.

Ant. t. 8. C. Exáudi.

PSALMUS 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jeruſalem.

Exáudi oratiónem meam; * ad te omnis caro veniet.

Verba iniquórum prævaluérunt ſuper nos; * & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti; * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ; * ſanctum eſt templum tuũ, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos, Deus ſalutáris noſter, * ſpes ómnium fínium terræ, & in mari longè;

Præparans montes in virtúte tuâ, accínctus potentiâ: * qui contúrbas profúndum maris, ſonum fluctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à ſignis tuis: * exitus matutíni, & véſperè delectábis.

Viſitáſti terram, & inebriáſti eam; * multiplicáſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt aquis; * paráſti cibum illorum; quóniam ita eſt præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus: * in ſtillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéſcent ſpecioſa deſérti; * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti ſunt aríetes óvium, & valles abundábunt frumen-

to : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Exáudi oratiónem meam : ad te omnis caro véniet. *v.* 3.

Ant. t. I. *A.* Collocávit me.

PSALMUS 142.

DOmine, exáudi oratiónem meam ; áuribus pércipe obſecratiónem meam in veritáte tua ; * exáudi me in tua juſtítia ;

Et non intres in judícium cum ſervo tuo ; * quia non juſtificabitur in conſpéctu tuo omnis vivens ;

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam ; * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos ſæculi ; * & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus ; in me turbátum eſt cor meum.

Memor ſui diérum antiquórum ; meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis ; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te ; * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine ; * deſécit ſpíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me ; * & símilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam ; * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam, in quâ ámbulem ; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine ; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam ; * & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam ; * quóniã ego ſervus tuus ſum.

Ant. Collocávit me in obſcúris, ſicut mórtuos ſæculi ; & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus. *v.* 3. 4.

Ant. t. 6. *f.* Dómine.

CANTICUM *Ezechiæ*, *Iſ.* 38. 10.

EGo dixi : In dimídio diérũ meórum vadam ad portas ínferi : * quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium ; * non aſpíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta eſt, & convolúta eſt à me, * quaſi tabernáculum paſtórum.

Præcíſa eſt velut à texénte, vita mea ; dum adhuc ordírer ſuccídit me : de manè uſque ad véſperam fínies me.

Sperábam uſque ad manè : * quaſi leo ſic contrívit ómnia oſſa mea.

De manè uſque ad véſperam finies me : * ſicut pullus hirúndinis ſic clamábo, meditábor ut colúmba.

Attenuáti ſunt óculi mei * ſuſpiciéntes in excélſum.

Dómine, vim pátior, reſpónde pro me : *quid dicam, aut quid reſpondébit mihi, cùm ipſe fécerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, ſi ſic vívitur, & in tálibus vita ſpíritûs mei, corrípies me &, vivificábis me : * ecce in pace amaritúdo mea amaríſſima.

Tu autem eruiſti ánimam meam, ut non períret ; * projeciſti poſt tergum tuum ómnia peccáta mea :

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te ; * non expectábunt qui deſcéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipſe confitébitur tibi, ſicut & ego hódie : * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, ſalvum me fac; * & pſalmos noſtros cantábimus cunctis diébus vitæ noſtræ in domo Dómini.

Ant. Dñe, vim pátior, reſpónde pro me : quid dicam, aut quid reſpondébit mihi, cùm ipſe fécerit? *v.* 14. 15.

Ant. t. 7. D. Omnis ſpíritus.

P s a l m u s 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus ; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus ; * laudáte eum ſecundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ ; * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro ; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Requiem ætérnam.

Ant. Omnis ſpíritus laudet Dóminum. *v.* 6.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *G.* Per víſcera.

Cantic. *Zach. Luc.* 1. 68.

BEnedíctus Dñus Deus Iſrael ; * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ.

Et eréxit cornu ſalútis nobis ; * in domo David púeri ſui,

Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui à ſæculo ſunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis noſtris,* & de manu ómnium qui odérunt nos ;

Ad faciéndam miſericórdiam cum pátribus noſtris, * & memorári teſtaménti ſui ſancti ;

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrum, * datúrum ſe nobis ;

Ut ſine timóre de manu inimicórum noſtrórum liberáti, * ſerviámus illi,

In ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, * ómnibus diébus noſtris.

Et tu, puer, Prophéta Altíſſimi vocáberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini, paráre vias ejus;

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus; * in remiſſiónem peccatórum eórum,

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis ſedent, * ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.

Réquiem.

Ant. Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, in quibus viſitávit nos Oriens ex alto, illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis ſedent. *v.* 78. 79.

Quando Officium peractum eſt ritu ſimplici, & dictum eſt unum tantùm Nocturnum, adduntur ante ultimam Orationem Preces ſequentes.

Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, &c. Pater, *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Uſquequò exardéſcet ſicut ignis ira tua? ℟. Erue ánimas eórum de manu ínferi. *Pſ.* 88. 47. 49.

℣. Requiéſcant in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

Abſolutio.

PArtem beátæ reſurrectiónis obtíneant, vitámque habére mereántur in cœlis; per te, Jeſu Chriſte, Salvátor mundi, qui ventúrus es judicáre vivos & mórtuos & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

PSALMUS 145.

LAuda, ánima mea, Dóminum, * laudábo Dóminum in vita mea; pſallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in filiis hóminum, in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipſíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis ſunt:

Qui cuſtódit veritátem in ſæculum, facit judícium injúriam patiéntibus; * dat eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſolvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos:

Dóminus érigit eliſos: * Dóminus díligit juſtos:

Dóminus cuſtódit ádvenas; pupíllum & víduam ſuſcípiet; * & vias peccatórum diſpérdet.

Regnábit Dóminus in ſæcula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem & generatiónem.

Réquiem, &c.

Si Pſalmus, Lauda, anima mea, *dictus fuerit ad preces in Veſperis: loco illius dicetur ad Laudes*, De profundis clamavi, &c. *pag.* cxx.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio.

In Depoſitione Pontificis.

DEus, qui inter Apoſtólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Pontificáli fecíſti dignitáte vigere; præſta, quæſumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio; Per Dóminum, &c.

In Depoſitione Sacerdotis.

PRæſta, quæſumus, Dómine, ut ánima fámuli tui *N.* Sacerdótis, quē in hoc ſæculo commorántem, ſacris munéribus decoraſti, in cœléſti ſede glorióſâ ſemper exúltet; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, &c.

In Depoſitione Defuncti.

ABsólve, quæſumus, Dómine, ánimam fámuli tui *N.* ut defúnctus ſæculo tibi vivat: & quæ per fragilitátem carnis, humanâ converſatióne commíſit, tu véniâ miſericordíſſimæ pietátis abſterge; Per Dóminum, &c.

In Depoſitione Defunctæ.

QUæſumus, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ *N.* & à contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ ſalvatiónis partem reſtítue; Per Dóminum noſtrum.

In die tertio, ſeptimo, & trigeſimo.

PRæſta, quæſumus, Dómine, ut ánima fámuli tui *N.* (*vel* fámulæ tuæ *N.*) cujus depoſitiónis diem (tertium) (séptimum) (trigéſimum) commemorámus, ſanctórum atque electórum tuórum largíri dignéris consórtium, & rorem miſericórdiæ tuæ perénnem infúndas; Per Dóminum, &c.

In Anniverſario die.

DEus indulgentiárum, Dómine: da ánimæ fámuli tui, (fámulæ tuæ) cujus anniversárium depoſitiónis diem commemorámus, refrigérii ſedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem; Per Dóminum, &c.

Cùm Officium ſit ritu ſimplici, & plures dicendæ ſunt Orationes. Orémus.

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericórdiam tuam súpplices deprecámur; ut ánimam fámuli tui (fámulæ tuæ) quam de hoc ſæculo migráre juſsíſti, in pacis ac lucis regióne conſtítuas, & Sanctórum tuórum júbeas eſſe consórtem.

DEus véniæ largítor, & humánæ ſalútis amátor, quæſumus cleméntiam tuam, ut noſtræ congregatiónis fratres, propínquos, & benefactóres, qui ex hoc ſæculo tranſiérunt, beatâ Maríâ ſemper vírgine intercedénte cum ómnibus Sanc-

contra me amaritúdines, & conſúmere me vis peccátis adoleſcéntiæ meæ. Poſuíſti in nervo pedem meum, & obſerváſti omnes sémitas meas, & veſtígia pedum meórum conſideráſti: qui quaſi putrédo conſuméndus ſum, & quaſi veſtiméntum quod coméditur à tínea.

℟. Hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, óptimam habent repóſitam grátiam. * Sancta ergo & ſalúbris eſt cogitátio pro defúnctis exoráre, ut à peccátis ſolvántur. ℣. Uniuſcujúſque opus quale ſit, ignis probábit: ſi cujus opus árſerit, detriméntum patiétur; ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem. * Sancta. 2. *Mach.* 12.45.46. 1. *Cor.* 3. 13. 15.

Lectio v. Job. 14. *v.* 1. *ad* 7.

HOmo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis miſériis. Qui quaſi flos egréditur, & contéritur, & fugit velut umbra, & numquam in eódem ſtatu pérmanet. Et dignum ducis ſuper hujuſcémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis poteſt fácere mundum de immúndo concéptum sémine? Nonne tu qui ſolus es? Breves dies hóminis ſunt, númerus ménſium ejus apud te eſt: conſtituíſti términos ejus qui præteríri non póterunt. Recéde páululum ab eo, ut quiéſcat, donec optáta véniat, ſicut mercenárii dies ejus.

℟. Deus cœli magne atque terríbilis, * Fiant aures tuæ auſcultántes ut áudias oratiónem ſervi tui, quam oro coram te pro ſervis tuis, & confíteor pro peccátis quibus peccavérunt tibi: Dómine, ipſi ſervi tui, & pópulus tuus quos redemíſti. ℣. Defúncti ſunt iſti, non accéptis repromiſſiónibus, ſed à longè eas aſpiciéntes, & ſalutántes, ſigníficant ſe pátriam inquírere; * Fiant aures. 2. *Eſdr.* 1.5.6. 10. *Hebr.* 11. 13. 14.

Lectio vj. Job. 14. *v.* 13. *ad* 17.

QUis mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abſcóndas me, donec pertránſeat furor tuus, & conſtítuas mihi tempus, in quo recordéris meî? Putáſne mórtuus homo rurſum vivat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, & ego reſpondébo tibi: Operi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem greſſus meos dinumeráſti, ſed parce peccátis meis.

℟. Audi nunc, Dómine, oratiónem mortuórum Iſrael qui peccavérunt ante te. * Noli meminíſſe iniquitátum patrum noſtrórum, ſed meménto manûs tuæ, & nóminis tui in témpore iſto. ℣. Occíſus es, Dómine, & re-

tátur humilis factus confúſus. ℣. Occíſus es, Dómine, & redemíſti nos Deo in sanguine tuo. * Ne tradas. *Pſ.* 73. 2. 19. 20. 21. *Apoc.* 5. 9.

Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon.

DIri vúlneris novitáte percúlſi, & quodámmodo córdibus ſauciáti, miſericórdiam tuam, mūdi Redémptor, flebílibus vócibus implorámus, ut chari noſtri *N.* (*vel* charæ noſtræ *N.*) ánimam ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, reverténtem, blandè lenitérque ſuſcípias: & quas ex carnáli commoratióne contráxit máculas, tu, Deus, inólitâ bonitáte cleménter déleas: atque hanc tibi laudem cum cæteris redditúram, & ad corpus próprium quándoque reverſúram, Sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias; Qui cum Deo Patre, & Spíritu ſancto vivis & regnas Deus.

℟. Amen.

℟. 3. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me: * Non absórbeat me profúndum: neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum. † Exáudi me, quóniam benígna eſt miſericórdia tua. §. Réſpice in me, quóniam tríbulor: inténde ánimæ meæ, & líbera eam. *Pſ.* 68. 15. 16. 17. 18. 19. ℣. In die iræ & revelatiónis juſti judícii Dei, *Rom.* 2. 5. * Non absórbeat. ℣. Quia tu es Chriſtus, Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum veníſti. *Joan.* 11. 27. † Exáudi. ℣. Nec enim áliud nomen eſt ſub cœlo datum homínibus, in quo opórtеat nos ſalvos fieri. *Act.* 4. 12. § Réſpice..... *Deinde repetitur* ℟. Líbera me, Dómine, *uſque ad Verſiculum primum.*

Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon.

Pater noſter, &c. *ſecretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine, ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. Uſquequò exardéſcet ſicut ignis ira tua? ℟. Erue ánimam ejus de manu ínferi. *Pſ.* 88. 47. 49.

℣. Dómine, exáudi, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, &c.

Orémus.

PArtem beátæ reſurrectiónis obtíneat, quæſumus, Dómine, ánima fámuli tui (*vel* famulæ tuæ,) vitámque ætérnam habére mereátur in cœlis, per te, Jeſu Chriſte, Salvátor mundi.

DEus, cui ſoli cómpetit medicínam præſtare poſt mortem, præſta, quæſumus, ut ánima fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) terrénis exúta contágiis, in tuæ redemptiónis parte numerétur; Per Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

℣. Requiéſcant in pace.

℟. Amen.

PSALMI GRADUALES.

Quinque ſequentes Pſalmi dicuntur ſine Gloria Patri, *ſed in fine ultimi tantùm dicitur* Requiem.

Ad Dóminum cùm tribulárer, *pag.* 154.

Levávi óculos meos, *p.* 71.

Lætátus ſum, *pag.* 111.

Ad te levávi, *pag.* 51.

Niſi quia Dóminus erat, *pag.* 71. *In fine dicitur* Requiem.

Deinde flexis genibus. Pater noſter, *ſecretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum ſervis tuis, ℟. Quia non juſtificábitur in conſpectu tuo omnis vivens. *Pſ.* 142. 2.

℣. Requiéſcant in pace.
℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum,
℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

ABſólve, quæſumus, Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum, & ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum; ut in reſurrectiónis glória, inter ſanctos & eléctos tuos reſuſcitáti reſpírent; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Poſt Orationem ſtatim dicuntur alii Pſalmi Graduales, ut ſequitur, & in fine cujuslibet dicitur Glória Patri.

Qui confídunt in Dómino, *pag.* 72.

In convertendo, *pag.* 92.

Niſi Dóminus, *pag.* 52.

Beáti omnes qui timent, *pag.* 112.

Sæpè expugnavérunt me, *pag.* 133.

Poſtea dicitur flexis genibus: Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon.

Pater, *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, &c.

℣. Memor eſto congregationis tuæ, ℟. Quam poſſediſti ab início. *Pſ.* 73. 2.

℣. Dómine, exáudi, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, &c.

Oratio.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere, ſúſcipe deprecatiónem noſtram; ut nos & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa conſtríngit, miſerátio tuæ pietátis clementer abſólvat; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

Similiter poſt hanc Orationem dicuntur quinque Pſalmi ſequentes cum Gloria Patri, *in fine cujuslibet.*

De profúndis, *pag.* 133. Dómine, non eſt exaltátum, *pag.* 133. Meménto, Dómine, David, *pag.* 112. Ecce quàm bonum, *pag.* 113. Ecce nunc benedícite, *pag.* 158.

Deinde flexis genibus. Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon. Pater noſter, *ſecretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, &c.

℣. Deus ómnium, miſeréré plebi tuæ, ℟. Super quam invocátum eſt nomen tuum. *Eccli.* 36. 1. 14.

℣. Dómine, exáudi oratiónem, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, &c.

Orémus.

PRæténde, quæſumus, Dómine, fámulis & famulábus tuis déxteram cœléſtis auxílii; ut te toto corde perquírant, & quæ digné poſtulant, cónſequi mereántur; Per Dóminum, &c.

℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ.

Ante Prandium.

BEnedícite. ℟. Dóminus. Oculi ómnium in te ſperant, Dómine; & tu das eſcam illórum in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Pſalm.* 144. 15. 16.

Glória Patri, &c. Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon. Pater noſter, *ſecretò.* ℣. Et ne nos, &c. ℟. Sed líbera nos, &c.

Orémus.

BEnedic, Dómine, nos & hæc dona ✝ tua, quæ de tua largitáte ſumus ſumptúri; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Si fiat Lectio, Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

Bened. Menſæ cœléſtis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

In fine Lectionis dicitur: Tu autem, Dómine, miſeréré noſtri.

℟. Deo grátias.

Gratiarum Actio poſt Prandium.

COnfiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, & ſancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144. 10.

Qui benedixit menſam, dicit: AGimus tibi grátias, omnípotēs Deus, pro univérſis benefíciis tuis; Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Deinde procedendo ad Eccleſiam dicitur Pſalm. Miſerére, &c. *Si verò non proceditur, dicitur Pſalm.* Laudáte Dñum, omnes, &c. Glória, &c.

Kyrie, eléïſon, &c. *ut ſuprà.* Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos, &c. ℣. Diſpérſit, dedit paupéribus: ℟. Juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi. *Pſ.* 111. 9.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Pſ.* 33. 2.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea; ℟. Audiant manſuéti & læténtur. *Pſ.* 33. 3.

℣. Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípſum. *Pſ.* 33. 4.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℟. Ex hoc, nunc, & uſque in ſæculū. *Pſ.* 112. 2.

℣. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus, propter nomen ſanctum tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Mediocri voce. ℣. Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ ante Cœnam.

Benedícite. ℟. Dóminus. Edent páuperes & ſaturabúntur: & laudabunt Dóminum, qui requírunt eum: vivent corda eorum in ſæculum ſæculi. *Pſ.* 21. 27. Gloria Patri. Kyrie, &c. *ut ſuprà.* Pater noſter, &c.

Clarà voce. Et ne nos, &c.

Orémus.

Benedic, Dñe, nos & hæc dona ✝ tua, quæ de tua largitáte ſumus ſumptúri; Per Chriſtum, &c. ℟. Amen.

Ad Benedictionem Lectoris.

Ad cœnam perpétuæ vitæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO poſt Cœnam.

Memóriam fecit mirabílium ſuórum, miſéricors & miſerátor Dóminus; eſcam dedit timéntibus ſe. *Pſ.* 110. 4. 5.

Glória Patri, &c.

Qui benedixit menſam, dicit:

Benedíctus Deus in donis ſuis, & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis; Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Pſalmi & reliqua, ut poſt prandium.

ITINERARIUM.

Viator in ipſo itineris ingreſſu, ſi ſolus fuerit, dicat quæ ſequuntur in ſingulari: ſi cum ſociis, in plurali.

In Cant. Benedíctus.

Ant. In viam pacis & proſperitátis dirigat nos omnípotens, & miséricors Dóminus: & Angelus Ráphael comitétur nobíſcum in via, ut cum pace, ſalute, & gáudio revertamur ad própria. *Tob.* 5. 21. 27.

PRECES.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, &c. Pater noſter, &c. Et ne nos, &c. ℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de ſancto; ℟. Et de Sion tuére nos. *Pſ.* 19. 3.

℣. Eſto nobis, Dómine, turris fortitúdinis ℟. A facie inimíci. *Pſ.* 60. 4.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis; ℟. Et filius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Pſ.* 88. 23.

℣. Benedíctus Dominus die quotídie, ℟. Proſperum iter fáciat nobis Deus ſalutarium noſtrorum. *Pſ.* 67. 20.

℣. Vias tuas, Dómine, demónſtra nobis, ℟. Et sémitas tuas édoce nos. *Pſalm.* 24. 4.

℣. Utinam dirigántur viæ noſtræ, ℟. Ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas. *Pſalm.* 118. 5.

℣. Erunt prava in diréc-ta; ℟. Et áſpera in vias planas. *Iſ.* 40. 4.

℣. Angelis ſuis Deus mandávit de te; ℟. Ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. *Pſ.* 90. 11.

℣. Dómine, exándi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

DEus, qui filios Iſrael per maris médium ſicco veſtígio ire feciſti, quique tribus Magis iter ad te, ſtellâ duce, pandiſti: tribue nobis, quæſumus, iter próſperum tempúſque tranquíllum: ut Angelo tuo ſancto cómite, ad eum quo pérgimus locum, ac demum ad ætérnæ ſalútis portum pervenire feliciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum per omnes ſuæ peregrinatiónis vias illæſum cuſtodiſti: quæſumus, ut nos fámulos tuos cuſtodíre dignéris: eſto nobis, Dómine, in procínctu ſuffrágium, in via ſolátium, in æſtu umbráculum, in plúvia & frígore teguméntum, in laſſitúdine vehículum, in adverſitáte præſidium: in lúbrico báculus, in naufrágio portus: ut te duce quò téndimus, proſperè perveniámus, & demum incólumes ad própria redeámus.

ADéſto, quæſumus, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris, & viam famulórum tuórum in ſalútis proſperitáte diſpóne: ut inter omnes viæ & vitæ varietátes, tuo ſemper protegámur auxílio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam ſalútis incédat, & beati Joánnis Præcurſoris hortaménta ſectándo, ad eum quem prædíxit, ſecúra pervéniat, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum; Qui tecum, &c.

℣. Procedámus in pace, ℟. In nómine Dómini. Amen.

PRÆPARATIO AD MISSAM, AD LIBITUM SACERDOTIS.

Pſalmi. Quàm diléćta, *pag*. 99. Benedixiſti, *pag*. 78. Inclína, *pag*. 78. Crédidi, *pag*. 91. De profúndis, *pag*. 133.

Ant. Dómine, memor eſto meì: & ne vindíćtam ſumas de peccátis meis: neque reminiſcáris delíćta mea, vel paréntum meórum. *Tob*. 3. 3.

PRECES.

KYrie, eléïſon. Chriſte, &c. Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos, &c. ℟. Sed, &c.

℣. Ego dixi: Dómine, miſerére meì, ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Pſ*. 40. 5.

℣. Convértere, Dómine, úſquequò, ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ*. 89. 13.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dñe, ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ*. 32. 22.

℣. Sacerdótes tui induántur juſtítiam, ℟. Et ſanćti tui exúltent. *Pſ*. 131. 9.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine, ℟. Et ab aliénis parce ſervo tuo. *Pſ*. 18. 13. 14.

℣. Dñe, exáudi, &c. ℣. Dñus vobíſcũ, &c. Orémus.

AUres tuæ pietátis, mitiſſime Deus, inclína précibus noſtris, & grátiâ Spíritûs ſanćti illúmina cor noſtrum: ut tuis myſtériis dignè miniſtráre, teque ætérnâ charitáte dilígere mereámur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & quem nullum latet ſecrétum: purífica per infuſiónem ſanćti Spíritûs cogitatiónes cordis noſtri; ut te perféćtè dilígere, & dignè laudáre mereámur.

URe igne ſanćti Spíritûs renes noſtros, & cor noſtrum, Dómine; ut tibi caſto córpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit illúminet, & indúcat in omnem, ſicut tuus promíſit Fílius, veritátem.

ADſit nobis, quæſumus, Dómine, virtus Spíritûs ſanćti: quæ & corda noſtra cleménter expúrget, & ab ómnibus tueátur advérſis.

DEus, qui corda fidélium ſanćti Spíritûs illuſtratióne docuíſti: da nobis in eódem Spíritu recta ſápere, & de ejus ſemper conſolatióne gaudére.

COnſciéntias noſtras, quæſumus, Dómine, viſitándo purífica: ut véniens Jeſus Chriſtus Fílius tuus, parátam ſibi in nobis invéniat manſiónem; Qui tecum vivit & regnat, &c.

℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

Ant. Benedícite.

Canticum. Benedícite, ómnia, *pag.* 10. *Pſ.* Laudate Dóminum in ſanctis ejus. *pag.* 11.

Ant. Benedícite, Sacerdótes Dómini, Dómino, laudáte, & ſuperexaltáte eum in ſæcula. *Dan.* 3. 84.

PRECES.

KYrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon, &c. Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera, &c.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, ℟. Et ſancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144. 10.

℣. Exultábunt ſancti in glória; ℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis. *Pſ.* 149. 5.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis; * ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Pſ.* 113. 9.

℣. Dómine, exaudi, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, &c.

Orémus.

DEus, qui tribus púeris mitigáſti flammas ígnium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

ACtiónes noſtras, quæſumus, Dómine, aſpirándo præveni, & adjuvándo proſéquere; ut cuncta noſtra oratio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur.

DA nobis, quæſumus, Dómine, vitiórum noſtrórum flammas extínguere: qui beáto Lauréntio tribuíſti tormentórum ſuórum incéndia ſuperáre; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

INDEX PSALMORUM.

Pſalmi.		*Paginæ.*
119	AD Dóminum cùm tribulárer.	154
27	Ad te, Dómine, clamábo.	57
24	Ad te, Dómine, levávi.	76
122	Ad te levávi óculos meos.	51
28	Afférte Dómino, fílii Dei.	5
77	Atténdite, pópule meus.	84
48	Audíte hæc, omnes gentes.	139
118	BEáti immaculáti in via.	13
127	Beáti omnes qui timent Dóminum.	112
31	Beáti quorum remíſſæ ſunt.	115
40	Beátus qui intélligit.	116
1	Beátus vir qui non ábiit.	3
111	Beátus vir qui timet Dóminum.	25
33	Benedícam Dóminum in omni témpore.	80
103	Bénedic, ánima mea, Dómino: Domine Deus.	69
102	Bénedic, ánima mea, Dómino; & ómnia.	56
143	Benedíctus Dóminus Deus meus.	155
84	Benedixíſti, Dómine, terram tuam.	78
91	Bonum eſt confitéri Dómino.	33
95	CAntáte Dómino cánticum novum: cantáte.	124
149	Cantáte Dño cánticum novum: laus ejus.	146
97	Cantáte Dómino cánticum novum; quia.	83
18	Cœli enárrant glóriam Dei.	28
74	Confitébimur tibi, Deus.	31
110	Confitébor tibi, Dómine.... in concílio.	24
9	Confitébor tibi, Dómine. ... narrábo.	40
137	Confitébor tibi, Dómine.... quóniam audíſti.	53
104	Confitémini Dómino, & invocáte.	105
135	Confitémini Dómino quóniam... Confitémini	98
106	Confitémini Dómino quóniam.... Dicant qui.	109
117	Confitémini Domino quóniam... Dicat nunc.	12
105	Confitémini Dómino quóniam., Quis loquétur.	107
15	Conserva me, Dómine.	65

Pſalmi.		Pagina
115	Crédidi, propter quod locútus ſum.	91
4	Cùm invocárem.	156
129	De profúndis clamávi ad te, Dómine.	133
43	Deus, áuribus noſtris audívimus.	147
49	Deus deórum Dóminus locútus eſt.	30
62	Deus, Deus meus, ad te de luce vígilo.	9
21	Deus, Deus meus, réſpice in me.	129
69	Deus, in adjutórium meum inténde.	119
53	Deus, in nómine tuo ſalvum me fac.	59
71	Deus, judícium tuum regi da.	98
108	Deus, laudem meam ne tacúeris.	125
66	Deus miſereátur noſtrî.	81
45	Deus noſter refúgium & virtus.	96
82	Deus, quis ſímilis erit tibi?	50
59	Deus, repuliſti nos.	119
81	Deus ſtetit in ſynagóga deórum.	32
78	Deus, venérunt gentes.	122
93	Deus ultiónum Dóminus.	152
114	Diléxi, quóniam exáudiet Dóminus.	153
17	Díligam te, Dómine.	45
38	Dixi: Cuſtódiam vias meas.	138
109	Dixit Dóminus Dómino meo.	24
35	Dixit injúſtus, ut delínquat.	137
52	Dixit insipiens... in iniquitátibus.	31
13	Dixit insipiens.... in ſtúdiis ſuis.	75
140	Dómine, clamávi ad te.	134
7	Dómine Deus meus, in te ſperávi.	55
87	Dómine Deus ſalutis meæ.	120
8	Domine Dóminus noſter.	28
142	Domine, exáudi oratiónem meam: áuribus.	53
101	Dómine, exaudi oratiónem meam, & clamor.	48
20	Dómine, in virtúte tua lætábitur rex.	5
6	Dómine, ne in furóre tuo.... Miſerére.	114
37	Dómine, ne in furóre... Quóniam.	115
130	Dómine, non eſt exaltátum cor meum.	133
138	Domine, probáſti me.	72
3	Dómine, quid multiplicáti ſunt.	4
14	Dómine, quis habitabit.	135
89	Dómine, refúgium factus es nobis.	79
23	Dómini eſt terra.	34
26	Dóminus illuminátio mea.	137
22	Dóminus regit me.	57
92	Dóminus regnávit, decórem indútus eſt.	9

Pſalmi.		*Paginæ*
96	Dóminus regnávit, exúltet terra.	33
98	Dóminus regnávit, iraſcántur pópuli.	81
133	ECce nunc benedícite Dóminum.	158
132	Ecce quàm bonum.	113
58	Eripe me de inimicis meis.	118
139	Eripe me, Dómine, ab hómine malo.	134
44	Eructávit cor meum verbum bonum.	95
144	Exaltábo te, Deus meus rex.	73
29	Exaltábo te, Dómine, quóniam.	6
19	Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis.	4
60	Exáudi, Deus, deprecatiónem meam.	97
63	Exáudi, Deus, oratiónem meam, cùm deprecor.	77
54	Exáudi, Deus, oratiónem meam, & ne.	117
16	Exáudi, Dómine, juſtítiam meam.	136
39	Expéctans expectávi Dóminum.	95
80	Exultate Deo adjutori noſtro.	7
32	Exultáte, juſti, in Dómino.	29
67	Exurgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus.	88
86	FUndaménta ejus in móntibus ſanctis.	99
85	INclína, Dómine, aurem tuam.	78
125	In convertendo Dóminus.	92
10	In Dómino confido.	55
113	In éxitu Iſrael de Ægypto.	26
70	In te, Dómine, ſperávi.... & éripe me.	90
30	In te, Dómine, ſperávi.... in juſtítia.	131
65	JUbiláte Deo, omnis terra, pſalmum.	60
99	Jubiláte Deo, omnis terra: ſervíte.	9
34	Júdica, Dómine, nocéntes me.	68
42	Júdica me, Deus, & diſcérne.	76
25	Júdica me, Dómine, quóniam.	94
121	LÆtátus ſum in his.	111
145	Lauda ánima mea, Dóminum.	102
147	Lauda, Jerúſalem, Dóminum.	93
148	Laudáte Dóminum, de cœlis.	36
150	Laudate Dominum in ſanctis ejus.	11
116	Laudate Dóminum, omnes gentes.	91
146	Laudate Dóminum, quoniam bonus.	63
134	Laudáte nomen Dómini.	52

Pſalmi.		Paginæ
112	Laudáte, púeri, Dóminum.	25
120	Levávi óculos meos in montes.	71
47	MAgnus Dóminus, & laudábilis.	97
131	Meménto, Dómine, David.	112
56	Miſerére meì, Deus, miſerére meì.	77
50	Miſerére mèi, Deus, quóniam.	58
55	Miſerére meì, Deus, ſecúndùm.	120
100	Miſericórdiam & judícium.	142
88	Miſericórdias Dómini in ætérnum.	105
126	NIſi Dóminus ædificáverit domum.	52
123	Niſi quia Dóminus erat in nobis.	71
36	Noli æmulári in malignántibus.	66
61	Nonne Deo ſubjécta erit.	59
75	Notus in Judæa Deus.	7
46	OMnes gentes, pláudite mánibus.	35
107	PArátum cor meum, Deus.	100
72	QUàm bonus Iſrael Deus.	149
83	Quàm diléćta tabernácula tua.	99
2	Quare fremuérunt gentes.	3
41	Quemádmodum desíderat cervus.	139
124	Qui confídunt in Dómino.	72
51	Quid gloriáris in malítia.	58
90	Qui hábitat in adjutório Altíſſimi.	157
79	Qui regis Iſrael, inténde.	141
128	SÆpè expugnavérunt me.	133
68	Salvum me fac, Deus.	127
11	Salvum me fac, Dómine.	75
57	Si verè útique juſtítiam.	64
136	Super flúmina Babylónis.	154
64	TE decet hymnus, Deus, in Sion.	60
94	VEníte, exultémus Dómino.	2
5	Verba mea auribus pércipe, Dómine.	121
76	Voce meâ ad Dóminum.... voce meâ ad Deum.	32
141	Voce meâ ad Dóminum... voce meâ ad Dñum.	154
12	USquequò, Dómine.	56
73	Ut quid, Deus, repulíſti in finem?	64

INDEX

CANTICORUM PSALTERII.

AUdíte, cœli, quæ loquor.	143
Benedícite Dóminum.	101
Benedícite, ómnia ópera.	10
Benedíctus Dóminus Deus Iſrael.	11
Benedíctus es, Dómine.	36
Cantémus Dómino.	61
Collaudáte cánticum.	62
Confitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es.	101
Dómine, audívi.	123
Ego dixi: In dimídio.	82
Exultávit cor meum.	35
Magníficat,	27
Magnus es, Dómine.	124
Miſerére noſtrî, Deus.	83
Nunc dimíttis.	158
Urbs fortitúdinis noſtræ.	146

FINIS.

1. Ton.


DI- xit Dóminus Dómino
me- o : Se-de à dextris me- is. D.
à dex-tris me- is. d. à dex-tris
me- is. A. à dextris me- is. F.
Do-nec ponam. Ma- gní- fi- cat.
Et e- xultá- vit ſpí- ri- tus me- us.
Irreg. In e- xi-tu Iſra-el de Ægypto,
domus Jacob de pó-pulo bárba-ro.


2. Ton.


DI- xit Dóminus Dómino
me- o : Se-de à dextris me-is. D.
Donec ponam. Ma- gní- fi- cat.
Et e- xul- tá- vit ſpí- ri- tus me- us.
Di- xit Dóminus Dó-mino me- o : Se-
de à dextris me- is. d. Do-nec po-
nam. Ma-gní- fi-cat. Et e-xul-
tá-vit ſpí- ri- tus me- us.

3. Ton.


DI-xit Dóminus Dómino
me-o: Se-de à dex-tris me- is. A.
à dextris me- is. a. à dex-tris
me- is. E. Do-nec po-nam. Ma-
gní- fi cat. Et e- xultá-vit ſpí- ri-
tus me- us.

4. Ton.



DI-xit Dóminus Dómino
me- o: Se-de à dextris me- is. E.



à dextris me- is. A. Do-nec po-nam.
Magní- fi-cat Et e- xultá-vit ſpi-
ri-tus me- us.
5. Ton.
DIxit Dóminus Dómino
me-o: Se-de à dex- tris me- is. F.
à dextris me-is. A. Donec po-nam.
Ma-gni- fi-cat. Et e- xultá-vit ſpi-
ri-tus me- us.


6. Ton.



DI- xit Dó-minus Dó- mi-
no me- o: Se-de à dex- tris
me- is. F. Donec po-nam. Magní-
fi-cat. Et e- xultá-vit ſpí- ri-tus
me- us. Di-xit Dóminus Dómino
me- o: Se-de à dex-tris me- is. f.
Do-nec ponam. Ma-gní- fi-cat. Et
e- xultá- vit ſpí- ri- tus me- us.


7. Ton


D Ix-it Dómi-nus Dómino


me- o: Se-de à dextris me- is. D.



à dextris me- is. A. à dextris me-



is. C. Do-nec po - nam. Ma-



gní- fi-cat. Et e- xul-távit ſpí


ri-tus me- us.

8. Ton.


D I-xit Dóminus Dómino



me- o: Sede à dextris me- is.



à dextris me- is. *C.* Donec ponam.



Ma-gní- fi-cat. Et e-xul- tá-vit



ſpi- ri-tus me- us.

Feriâ quintâ, ſextâ & Sabbato ante Paſcha, ſicut & in Officio Defunctorum, in Pſalmis atque Canticis omnes Verſus cantantur ut ſuprà notatur : Donec ponam.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre : A nos amés & féaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Juſticiers, qu'il appartiendra ; SALUT. Notre bien amé féal Conſeiller en nos Conſeils, le Sieur SCIPION-JERÔME BEGON, Evêque de Toul, Nous a fait expoſer, qu'il auroit beſoin de nos Lettres de Privilége pour l'Impreſſion des Uſages de ſon Diocéſe. A ces cauſes, voulant traiter favorablement ledit Sieur Evêque, Nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes, de faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choiſir, tous les *Breviaires*, *Diurnaux*, *Miſſels*, *Rituels*, *Antiphoniers*, *Manuels*, *Graduels*, *Proceſſionaux*, *Epiſtoliers*, *Pſeautiers*, *Demi-Pſeautiers*, *Directoires*, *Heures*, *Catéchiſmes*, *Ordonnances*, *Mandemens*, *Statuts Synodaux*, *Lettres Paſtorales & Inſtructions à l'uſage de ſondit Diocèſe*, en tels volumes, formes, marges, caractères, conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon lui ſemblera ; & de les faire vendre & débiter par tout notre Royaume pendant le tems de *vingt années conſecutives*, à compter du jour de la date deſdites Préſentes ; ſans toutefois qu'à l'occaſion des Livres cy-deſſus ſpécifiés, il puiſſe en être imprimé d'autres qui ne ſoient pas dudit Sieur Evêque. Faiſons défenſes à toutes perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obeïſſance ; comme auſſi à tous Libraires & Imprimeurs, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, faire vendre & débiter leſdits Livres, en tout ou en partie, & d'en faire aucunes traductions ou extraits, ſous quelque pretexte que ce ſoit, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Sieur Evêque, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & interêts ; A la charge que ces Preſentes ſeront enrégitrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans

trois mois de la date d'icelles. Que l'impreſſion de ces Livres ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, ne bons papiers & en beaux caractéres, conformément aux Réglemens de la Librairie; qu'avant de les expoſer en vente, les manuſcrits ou imprimés qui auront ſervi de copie à l'impreſſion deſdits Livres, ſeront remis ès mains de notre très-cher & féal Chevalier le Sieur Daguеſſeau, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres; & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires de chacun dans notre Bibliothéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & féal Chevalier le Sieur Dagueſſeau, Chancelier de France; le tout à peine de nullité des Préſentes: Du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir ledit Expoſant & ſes ayans Cauſes, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie des Préſentes, qui ſera imprimée tout au long, au commencement ou à la fin deſdits Livres, ſoit tenuë pour duëment ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & feaux Conſeillers & Sécrétaires, foi ſoit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier notre Huiſſier, ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'éxécution d'icelles, tous Actes requis & néceſſaires, ſans demander autre Permiſſion, & & nonobſtant clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires; Car tel eſt notre plaiſir. Donné à Verſailles le ſeiziéme jour du mois de Mars, l'an de grace, mil ſept cent quarante-huit, & de notre Régne le trente-troiſiéme.

Par le ROY en ſon Conſeil,
SAINSON.

Régiſtré ſur le Régiſtre XI. *de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, n.* 930. *fol.* 820. *conformément au Réglement de* 1723. *qui fait déſenſes, Art. iv. à toutes perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter & faire afficher aucuns Livres, pour les vendre en leurs noms, ſoit qu'ils s'en diſent les Auteurs ou autrement; à la charge de fournir à la ſuſdite Chambre, huit Exemplaires preſcrits par l'Article cviij. du même Réglement. A Paris le* 19. *Mars* 1748.

G. CAVELIER,
Syndic.

CESSION DU PRIVILEGE.

NOus SCIPION-JEROME BEGON, Evêque Comte de Toul, déclarons avoir cédé & tranſporté aux Srs. Louis Rolin & Antoine Leſeure, Imprimeurs & Marchands-Libraires, le Privilége du Roy à Nous accordé, pour l'impreſſion *des Antiphonaire*, *Graduel*, *Miſſel*, *Proceſſional*, *Breviaires*, *Diurnal*, *Pſeautiers*, & *Demi-Pſeautier*, à l'uſage de notre Diocéſe, ſelon la teneur dudit Privilége. Fait à Toul ce vingt-neuf Juin mil ſept cent quarante-huit.

✝ SCIPION-JEROME, Ev. C. de Toul.

Je ſouſſigné confeſſe avoir cédé & tranſporté au Sieur Antoine Leſeure, la part qu'il a plû à Monſeigneur l'Evêque de me donner au Privilége cy-deſſus A Toul, ce 29. Juin 1748.

Louis Rolin, l'Aîné.

Errata Partis Æſtivæ.

Pag.	*Col.*	*Lin.*	*Erratum.*	*Correctio.*
103	1	9	ſublímus.	ſublímis.
182	2	13	ſubcinercius.	ſubcineiícius.
ibid.	2	28	ſubcinercius.	ſubcinerícius.
191	2	19	Gethæ.	Gethæi.
212	2	13	umen.	numen.
247	1	12	ſervávit.	ſerrávit.
259	2	4	udicáre.	judicáre.
ibid.	2	5	jpulum.	pulum.
ibid.	2	14	petíſti dies.	petíſti tibi dies.
287	2	30	neas.	ne eas.
293		1	imlébimus.	implébimus.
298	1	12	viis cógita.	viis tuis cógita.
303	2	39	eſt fortis.	eſt foris.
321	2	2	edúcer-	edúcere.
3		44	quòd injúſtus.	quòd injúſtus es.
334	2	43	próximum in caſu.	próximum tuum in caſu.
359		38	totli.	toti.
402		17	ſucépimus.	ſuſcépimus.
416		3	meum in Jerúſalem.	meum Jerúſalem.
419	2	44	Ecce ata.	Ecce data.
424	2	44	qinnúmero.	innúmero.
425		29	afligi ſepúlchro.	affígi ſepúlchro.
503	2	41	Litteraruū.	Litterárum.
543	2	30	vehícula.	vehícula.

